




GERARDI VAN SWIETEN

MED. DOCT.

COMMENTARIA IN HERMANNI BOERHAAVE APHORISMOS, DE COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS.

TOMUS TERTIUS.




PARISIIS,

Apud PETRUM-GUILLELMUM CAVELIER, viâ San-Jacobeâ, ſub Signo Lilii Aurei.

M. DCC. LVIII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.



PRÆFATIO.



Romiſeram, fateor, me citiùs datam fidem liberaturum, quàm præſtare potui, in edendis illis, quæ ſupererant adhuc, Aphoriſmorum *Commentariis*: ſed & multa mihi obtigerunt, quæ prævidere non poteram. Quis enim credidiſſet, *Auguſtam Imperatricem*, medios inter belli tumultus, cogitaturam non tantùm de reſtaurandis Studiis & bonis Artibus, ſed & præſtituram talia, quæ pacatis temporibus vix ſperari poterant? *Collegium Thereſianum* ſub ejus auſpiciis erectum voluit in uſum nobilis juventutis, ut Pietati, Linguis, Philoſophiæ, Juriſprudentiæ,

operam darent. Juſſit ſimul, ut magno ſtatim numero confluentium juvenum curam gererem, dignum ducens, ut ſummorum Virorum filii, patriæ ſpes, eodem uterentur Medico, cui Auguſtæ Domûs ſalutem credere dignata fuerat.

Voluit ſimul *Auguſtiſſima Imperatrix*, ut de emendando Studio Medico in antiquiſſima hac Univerſitate cogitarem ſeriò; quod dum feci, utile credidi, ſi Inſtitutiones Medicas publicè traderem, præmiſsâ priùs Methodo Medicinam diſcendi. Novus certè, nec adeo levis, labor.

Neque hoc tantùm, ſed & rebus Medicis præeſſe debui, omnibus intereſſe examinibus, &c; cùm videbatur *Auguſtiſſimæ*, muneris mei rationem hoc poſcere; neque abuſus, qui multi ſenſim irrepſerant, alio modo certiùs exſtirpari poſſe quàm ſi perpetui Præſidis apud inclytam Facultatem provincia mihi demandaretur.

His omnibus adhuc addenda eſt Auguſtæ Bibliothecæ cura, & novus impoſitus Bibliothecæ Præfecto labor: cenſura nempe librorum Medicorum, Philoſophicorum, Philologicorum, Hiſtoricorum, & Miſcellaneorum. *Auguſtiſſimæ*

enim pietas ſeveram dictavit legem, quâ omnibus ſuis ditionibus exulare juſſit libros, qui moribus vel religioni nocere poſſent. Simul autem noluit, ullum damnari librum, niſi lectum, & de quo conſtitiſſet in pleno omnium Cenſorum conſeſſu, quod atro carbone notari mereretur.

Fateor lubens, egregios me habere in hoc labore adjutores, utrumque nempe Auguſtæ Bibliothecæ Cuſtodem, quorum eruditioni & multifariæ linguarum peritiæ debetur inprimis, quòd vix ullo idiomate prodire in lucem poſſit liber, quin aliquis noſtrûm hunc legere & intelligere valeat. Interim tamen & bonas horulas impendere debui, & multas quidem, evolvendis nugis, & turpibus ſæpe. Inſignis tamen utilitas hujus laboris tædium facilè compenſat.

Hinc intelligent æqui rerum æſtimatores, quòd non iners otium, nec Aulæ deliciæ, in cauſa fuerint, cur ſeriùs promiſſis ſteterim. Eadem fuit cauſa retardati operis, quæ incepti; publica nempe utilitas, cui promovendæ me totum dedi.

Quámvis autem ſenectutis limen jam attigerim, & iidem me premant labores, tamen fir-

mum corporis robur, & nondum minutus mentis vigor, ſpem mihi faciunt, ut minori temporis intervallo abſolvere poſſim quartum & ultimum Tomum, in quo exarando jam verſor. Vale!






INDEX CAPITUM


HUJUS TOMI.



COMMENTARIA



COMMENTARIA IN *HERMANNI BOERHAAVE* APHORISMOS DE COGNOSCENDIS ET CURANDIS, MORBIS.



PLEURITIS.

§. 875.

PLEURITIS dicitur adeſſe, quando æger laborat acutâ, continuâ febre (564. 567.), cum pulſu duro; dolore acuto, punctorio, inflammatorio (382. n°. 3.), in inſpiratu validè aucto, in exſpiratu vel animæ retentione leniori, mitiori pariter, ubi reſpiratio, immoto thorace, maximè ope abdominis fit; tuſſi ferè perpetuâ, dolorem magnum inferente, hinc ſuffocatâ.

Latus τὸ πλευρὸν & ἡ πλευρὰ Græcis dicitur; πλευραὶ frequenter pro coſtis ſumuntur: ſic enim illas vocavit *Pollux* (*a*). Illas autem partes, quæ ſub axillis

(*a*) Jul. Poll. Onomaſtic. Lib. II. cap. IV. n°. 166. 167. Tom. I. pag. 234. 235.

ſunt, πλευρὰ ſive latera vocavit; morbum verò, qui circa coſtas eſt, Pleuritidem dixit, eodem modo, utì articulorum morbus Arthritis, renum verò morbus Nephritis appellatur. Laterum morbum Latini dixerunt, unde & à lateribus pleuritidis nomen ſatìs aptè deduci poſſe videtur. Sic dixit *Celſus*, (*a*) *Stomachus lateribus cingitur, atque in his quoque vehementes dolores eſſe conſuêrunt*. Quàmvis autem hodie à multis ventriculus hoc nomine vocetur, per ſtomachum tamen *Celſus* intellexit œſophagum, utì ex alio loco patet (*b*).

Definitio autem pleuritidis, quæ hîc traditur, non deducitur ex intellectu cauſæ proximæ morbi definiendi, ſed ex collectione illorum phœnomenorum, quæ hunc morbum comitantur, & quorum præſentia, unanimi Medicorum conſenſu, docet hunc morbum adeſſe. Duplici enim modo morbos definiri antea in *Commentariis* §. 820, vidimus. Nihil ergo hîc de parte affecta in pleuritide, vel de ejus cauſa proxima, dicitur, de quibus poſtea agendum erit, ſed ſimpliciter in textu habetur: *Pleuritis dicitur adeſſe, quando*, &c. Seligitur autem inprimis ideo in pleuritide definienda hæc methodus, quia de parte affecta inter Auctores controverſia eſt; de ſignis autem pathognomonicis pleuritidis præſentis convenit inter omnes. Utramque tamen definiendi methodum in deſcribenda pleuritide conjungit *Galenus*; cauſam enim morbi proximam & partem affectam determinat, ſimúlque præcipua morbi ſymptomata enumerat. Sic autem habet: (*c*) *Quæ in ſuccingente coſtas membrana, ac muſculis illi continuis, fiunt inflammationes, morbum quem pleuritidem vocant, efficiunt. Hujus ſymptomata inſeparabilia ſunt, febris acuta, dolor perinde ac ſi locus* (affectus) *vel intendatur vel pungatur, reſpiratio frequens & exigua, pulſus parvus, arteriam duram & quodammodo tenſam indicans; tuſſis plerumque cum ſputis coloratis; nonnumquam verò ſine his*, &c. Simili etiam definitione uſus fuit (*d*) *Aretæus*, & (*e*) *Ægineta*, & (*f*) *Trallianus*.

Sequitur jam, ut ſingula phœnomena in definitione hac memorata expendamus.

Dolor adeſt in omni pleuritide, ſed non omnis laterum dolor pleuritidis nomen meretur, utì optimè monuit (*g*) *Trallianus*. Unde & *Hippocrates*, Hybernos morbos recenſens, in eodem aphoriſmo (*h*) pleuritidum, & dolorum laterum, & pectoris, mentionem fecit. Requiritur enim febris acuta continua comes, ut pleuritis vocetur. Optimè hoc diſtinxit *Celſus*, de laterum doloribus agens; dicit enim, (*i*) *Sed interdum id malum intra dolorem eſt: íſque modò tardè, modò celeriter ſolvitur. Interdum ad perniciem quoque procedit, oritúrque acutus morbus, qui* πλευριτικὸς *à Græcis nominatur. Huic dolori lateris febris & tuſſis accedit*. Ideo & *Ægineta* (*k*), poſtquam de pleuritide egerat, ſubjungit remedia ad dolores laterum, qui ſine febre ſunt, peculiari titulo illos

(*a*) De Medicin. Lib. IV. cap. VI. pag. 209.
(*b*) Ibid. cap. I. pag. 182. 184.
(*c*) De Loc. Affect. Lib. V. cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 488.
(*d*) De cauſ. & ſign. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. X. pag. 8.
(*e*) Lib. III. cap. XXXIII. pag. 40, verſâ.
(*f*) Lib. VI. cap. I. pag. 266.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Aphoriſm. Sect. III. n°. XXIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 118.
(*i*) Lib. IV. cap. VI. pag. 209.
(*k*) Lib. III. cap. XXXIII. pag. 41.

distinguens. Optimè hunc morbum expressit hinc *Juvenalis*, dicens, (*a*)

Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum,
Infesto credunt à Numine, &c.

Plures enim cognitæ sunt causæ, quæ dolorem lateris faciunt, non pleuriticum tamen. Aliâ occasione in *Commentariis* §. 326, ubi de contusione agebatur, monitum fuit ex (*b*) *Hippocrate* & (*c*) *Galeno*, à cursu, luctâ, onere majore sublato, &c, fieri quandoque tantas musculorum distractiones, ut quædam illarum fibræ rumpantur. Vulsiones (σπάσματα), & rupturas (ῥήγματα) vocaverunt veteres Medici illa mala; monuerúntque, intensos inde dolores, & quidem circa thoracem difficillimos fieri. Ita & in hystericis & hypochondriacis tales laterum dolores observantur, & quidem acutissimi sæpe, sed sine febre; quibus doloribus, pleuritidis medela per venæ-sectionem validam & repetitam minimè conveniret. Mirabilem enim hunc morbum varias induere larvas posse, & quævis alia mala mentiri, aliâ occasione in *Commentariis* §. 633, ex *Sydenhamo* notatum fuit. Similes dolores & à podagra retropulsa observantur quandoque.

Bina ergo hæc in omni pleuritide adsunt, febris acuta continua, & dolor. Quænam vocetur febris acuta, ad §. 564, dictum fuit; simúlque monitum §. 567, acutos febriles morbos vocari illos, quos dicta febris comitatur. Dolor verò pleuriticus non est mitis & obtusus, sed acutus & punctorius, qualem à distentis vasculis inflammatis nasci in *Commentariis* §. 382. n°. 3, probatum fuit; quod & *Galenus*, & reliqui Auctores antea memorati, in pleuritidis descriptione docuerunt. Hoc autem inprimis ideo notari meretur, quia etiam in febribus dolores lateris, sed non pleuriticos, observavit (*d*) *Hippocrates*; de qua re videantur *Commentaria* §. 772. Ita etiam in *Coacis* leguntur sequentia: (*e*) *Dolores juxta latus, in febribus, tenuiter consistentes, citra notas, venæ-sectio lædit*. Ubi videtur agi de talibus doloribus, qui nec adeo acuti sunt, neque aliis pleuritidis signis stipantur. *Duretus* loco *in febribus* (ἐν πυρετοῖσιν) maluit, legere (*f*) *febris expertibus* (ἀπυρετοῖσιν): sed fortè nihil in textu mutandum esse, probabile videbitur, si consideretur, eâdem hâc prænotione alium morbum ab *Hippocrate* recenseri, quem pariter venæ-sectio lædit, nempe in perfrigeratione torpida, ubi disertè additur *febris non expertibus* (οὐκ ἀπύροις).

Pulsus autem durus in omnibus ferè morbis acutis inflammatoriis observatur, ob (g) *cruorem densum valde & compactum*, difficiliùs per fines capillares arteriarum transeuntem; ideóque & hunc in pleuritidis descriptione notavit *Galenus*, utì modò dictum fuit; alibíque monuit, ob duritiem, pulsum pleuriticorum vehementem videri minùs peritis, (*h*) *qui durum ictum nequeunt à vehe-*

(*a*) Satyr. XIII. vers. 29.
(*b*) De Morb. Lib. I. cap. VIII. Charter. Tom. VII. pag. 541.
(*c*) Lib. de Med. Officin. Comment. III. text. XXXI. Charter. Tom. XII. pag. 98.
(*d*) Coac. Prænot. n°. CCCCXI. Charter. Tom. VIII. pag. 876.
(*e*) Ibid. n°. CCCCXCI. pag. 880.
(*f*) Interpretat. & enarrat. in Coac. Lib. II. cap. XXVI. n°. II. coroll. pag. 370.
(*g*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 962.
(*h*) Libell. de Pulsib. ad Tyron. cap. XII. Charter. Tom. VIII. pag. 9.

menti discernere. Fallere tamen quandoque posset hoc signum dum præ doloris acerbitate inspirare nequeunt ægri, & se ipsos ferè suffocant, tunc enim peripneumonia ex pleuritide fieri incipit, pulsúsque mollis & exilis apparet; de qua re postea ad §. 883. dicetur.

Cùm autem, dilatato per inspirationem thorace, distrahantur partes inflammatæ, necessariò augebitur dolor, qui ob eamdem causam lenior erit inter exspirandum, vel dum ægri animam retinent. Unde etiam validâ pleuritide correpti, ut acerbissimum dolorem, evitent, vix inspirant, sícque se ipsos suffocant. Hinc levamen ægri tales sæpe percipiunt, dum latâ fasciâ thorax sic constringitur, ut pectoris inter inspirandum dilatatio vel nulla sit, vex exigua admodum; tunc enim inspiratio, immoto thorace, perficitur inprimis abdominis ope. In inspiratione enim non tantùm dilatatur thorax costarum motu solo, verùm etiam diaphragma deorsum tractum pectoris capacitatem auget, abdominis verò cavum angustat; unde pressa viscera abdominalia musculorum abdominalium resistentiam superant, ventrémque attollunt. Ubi ergo per fasciam immotus retinetur thorax, poterit adhuc spatium fieri pulmoni per aerem inspiratum dilatando, dum deorsum ducitur diaphragma, fortè tunc & majori vi, quàm dum simul dilatatur pectus: atque hoc modo respiratio ad vitam necessaria poterit peragi. Pro vario autem situ partis inflammatæ majus minúsve fiet impedimentum respirationi, utì postea §. 877, patebit.

Tussis autem ferè perpetua adest: unde ab optimis Auctoribus semper inter signa pleuritidis numeratur. Cùm autem vel sola inspiratio tantum dolorem faciat, satìs patet, quantùm ille augeri debeat, dum tussi quassatur pectus, unde & ægri natam tussim omni molimine supprimere nituntur, &, si nequeant convelluntur sæpe, præ doloris acerbitate.

Horum omnium phœnomenorum concursus docet, pleuritidem adesse. Verùm optimè *Aretæus* monuit sequentia: (*a*) *Opus est autem, omnia hæc* (Pleu ritidis phœnomena) *inter se consonare atque conspirare, ab una causa pendentia. Quotquot enim ex his sparsim alia ab alia causa proveniunt, etsi omnia simul ingruunt*, πλευρῖτις *non vocatur.* Si enim lateris dolor v. gr. à distractione partium post validos nixus ortus foret, tussísque catarrhosa adesset, simúlque acuta continua febris ab alia causa quacumque (putà contagio varioloso, morbilloso vel alio quovis epidemico) accederet, haberetur quidem concursus symptomatum pleuriticorum, sed tamen non vocaretur pleuritis talis morbus, cùm singula hæc symptomata non ab una & eadem causa ortum ducerent.

§. 876. QUoties unà cum his symptomatibus, sputa ex pulmone symptomatica prodeunt; dicitur *humida*; quando hæc absunt, *sicca* vocatur.

Quibus signis pleuritis præsens cognosci possit, vidimus: sequitur jam ut de variis hujus morbi speciebus quædam dicantur. Humidam enim & siccam,

(*a*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. x. pag. 8.

veram & spuriam, idiopathicam & symptomaticam pleuritidem dixerunt Auctores. De humida & sicca pleuritide hâc paragrapho agitur; de reliquis dicetur sequentibus numeris.

Tussis ferè perpetua pleuritidem comitari solet: cúmque sputa tanti momenti sint in peripneumonia, & ipsa pleuritis per sputa sæpe solvatur, uti postea §. 888, patebit; in ipso morbi initio periti Medici semper attendunt, an per tussim excretio fiat, & qualis. Ubi ergo per tussim sputa educuntur, qualiacumque demum hæc fuerint, vocatur pleuritis humida, si verò sicca & inanis tussis ægros vexet, sicca dicitur; indéque habetur prima & maximè obvia pleuritidis distinctio, jam memorata (*a*) *Hippocrati*, (*b*) *Galeno*, (*c*) *Celso*, (*d*) *Tralliano*, aliísque.

Cùm autem monuerit *Galenus*, uti antea in *Commentariis* §. 830. n°. 2, dictum fuit, in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, illam excretionem, quæ per sputa fit, similem esse (*e*) *urinarum sedimentis*, quæ cruditatem, vel coctionem, in morbis acutis designant, adeóque dixerit, siccam absque ullo sputo tussim idem significare ac urinam aquosam, quæ crudissima & pessimi ominis meritò habetur; patet, multùm ad prognosin facere, distinctionem pleuritidis in humidam & siccam. Ab omnibus enim damnatur (*f*) pleuritis sicca, tamquam periculosa, & molestissima curatu, & concoctu difficilis; quæ pleuritides (*g*) *vel celeriter hominem rapiunt, vel longo temporis spatio solvuntur*. *Celsus* tamen, licèt damnaverit siccam in hoc morbo tussim, sanguinea sputa tamen videtur adhuc pro pejori omine habuisse dicens, (*h*) *Huic dolori lateris febris & tussis accedit: & per hanc exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emolitur, idque vitio primo gravius, secundo tolerabilius est.* Confirmant tamen Experimenta Practica, sputa sanguine tincta frequentissimè in pleuritide adesse, minúsque nocere, quàm si absque ullo omnino sputo morbus sit.

§. 877. NUlla est pars integumentorum interni thoracis, quam non aggreditur: tota ergo pleura, totúmque mediastinum, hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, exterior, profundior pars æquè obsidetur hoc malo; sed inprimis latera.

Videndum jam, quis locus affectus sit in pleuritide. Omnia symptomata docent, validam inflammationem in hoc morbo adesse, sed non convenit inter Medicos, quanam in parte hæc inflammatio hæreat. Acutissimus dolor, dum inspirant tales ægri, docet, moveri illo tempore partes inflammatas,

(*a*) De Morb. Lib. III. cap. xv. Charter. Tom. VII. pag. 590.
(*b*) De Loc. Affect. Lib. V. cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 488.
(*c*) De Medicin. Lib. IV. cap. VI. pag. 209.
(*d*) Lib. VI. cap. I. pag. 267.
(*e*) De Crisib. Lib. I. cap. XVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 401.
(*f*) Trallian. Lib. VI. cap. I. pag. 267. Hippocrat. de Morb. Lib. III. cap. xv. Charter. Tom. VII. pag. 590. Confer. Coac. Prænot. n°. CCCLXXXI. Charter. Tom. VIII. pag. 873.
(*g*) Galen. de Loc. Affect. Lib. V. cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 488.
(*h*) De Medicin. Lib. IV. cap. VI. pag. 209.

vel & diſtrahi. Membranam illam, quam *coſtas ſuccingentem*, vel & ſimpliciter *ſuccingentem*, vocaverunt Veteres(τὴν ὑπεζωκότα ὑμένα) propriam & ſolam pleuritidis ſedem eſſe voluerunt multi. Pleuram recepto jam nomine, licèt fortè minùs proprio (*a*) vocare ſolent Medici, quæ omnem interni thoracis ambitum inveſtit, pericardium tegit, & ſuâ duplicaturâ mediaſtinum (vide *Commentaria* §. 170. n°. 4.) conſtituit: ſic enim hunc morbum *Aretæus* definivit: (*b*) *ſub coſtis, dorſo, & internis pectoris ad jugula* (claviculas) *uſque, tenuis membrana robuſtáque, oſſibus inhærens, ſubſtrata eſt, cui nomen ſuccingens inditum eſt. In hac quum phlegmone ſuborta fuerit, ignis* (febris) *adeſt cum tuſſi, & ſputis variis, πλευρῖτις morbus iſte appellatur.* In eadem ſententia fuit & (*c*) *Ægineta* & (*d*) *Trallianus.* Partis affectæ non meminit *Celſus* (*e*) dum hunc morbum deſcribit. *Galenus* autem, utì ad §. 875, dictum fuit, non tantùm coſtas ſuccingentis membranæ, ſed & muſculorum ipſi continuorum, inflammationem facere pleuritidem ſtatuit.

Cùm autem pleuritis & peripneumonia tantam inter ſe affinitatem habeant; ab iiſdem ſæpe cauſis producantur, in utroque morbo tuſſis adſit, per ſputa, ex pulmone prodeuntia, toties levetur pleuritis, peripneumonia acutiſſimam pleuritidem comitetur ſæpe, ſequatur ferè ſemper; Clariſſimi viri, & de re Medica optimè meriti, fuerunt in illa opinione, in utroque hoc morbo eamdem partem affici, pulmonem nempe. *Sydenhamus* tantam affinitatem inter pleuritidem & peripneumoniam agnovit, ut expenſis omnibus pleuritidis phœnomenis concluſerit, morbum illum eſſe, nihil aliud (*f*) *quàm febrem à propria & peculiari ſanguinis inflammatione ortam, quâ Natura materiam peccantem in pleuram deponit, nonnunquam & in pulmones, unde peripneumonia ſuboritur; quam à priore, gradu tantùm, & pro majore ejuſdem cauſæ intentione, extentúque latiori differre, autumo.* Interim tamen diſtinctam morbi ſedem in utroque hoc morbo poſuit.

Neque nova hæc opinio eſt, pulmonem eſſe partem affectam in pleuritide: *Aurelianus* (*g*) enim plures antiquos Medicos recenſuit, qui hanc ſententiam tuebantur. Imò & apud *Hippocratem* quædam inveniuntur, quæ huic opinioni utcumque favere videntur. Ita enim de fluxione in thoracem decumbente agens, voluit quòd, (*h*) *pulmo, naturâ rarus & ſiccus quum exiſtat, quidquid humoris poteſt, in ſe attrahit; & ubi influxerit major redditur; & ſiquidem in totum fluxerit, lobi majores redditi, utrumque latus attingunt, pulmoniſque inflammationem faciunt; quum verò alterum tantùm, pleuritis fit.* Alio autem in loco (*i*) pariter pleuritidem fieri dixit, dum pulmo admodum reſiccatus præ vehementi ſiti in latus inclinatur ex impotentia, illúdque tangit. Verùm conſtat ex Phyſiologicis, pulmonem naturaliter pleuram tangere; & ex peripneumoniæ Hiſtoria patuit ſatìs, non ex hac cauſa pendere hujus morbi originem.

(*a*) Petit. Comment. in Aretæum pag. 151.

(*b*) De cauſ. & ſign. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. x. pag. 8.

(*c*) Lib. III. cap. xxxiii. pag. 40, verſâ.

(*d*) Lib. VI. cap. i. pag. 266.

(*e*) De Medicin. Lib. IV. cap. vi. pag. 209, & ſequ.

(*f*) Sect. VI. cap. iii. pag. 334.

(*g*) Acutor. Morbor. Lib. II. cap. xvi. pag. 115.

(*h*) Lib. de Loc. in Homin. cap. viii. Charter. Tom. VII. pag. 365.

(*i*) Ibid. cap. x. pag. 369.

Celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* fuit in hac opinione, quòd si inflammatio (*a*) *externas tantùm modò partes occupet, emergat pleuritis spuria; si membranosæ pulmonalis substantiæ superficiem instar erysipelatis prehendat, pleuritis sit vera;* & ubi altiùs in ipsam pulmonum substantiam descendit, tunc peripneumonia adest. Eamdem sententiam amplexus fuit & *Trillerus* in eruditissimo simul atque utilissimo tractatu, quem de pleuritide conscripsit, ac ideo potiùs (*b*) *pleuri-pneumoniam, vel peri-pneumo-pleuritidem* hunc morbum vocandum voluit. Certum quidem est, solam pleuram non esse semper Pleuritidis sedem, sed & musculos ipsi continuos adjunxit *Galenus*, utì paulò antè dictum fuit: & ipsa adiposa membrana, in locis intercostalibus saginatorum animalium adeo conspicua, quam frequentissimam & quidem tenacissimæ inflammationis sedem esse, in *Commentariis* §. 374, demonstratum fuit, huc referri meretur. Nata enim phlegmone, adiposam membranam in tumorem attollens, pleuram cum summo dolore distrahere potest (*c*). Cùm ergo ex inflammationis Historia antè tradita constiterit (vide §. 373.) omnem partem corporis, in qua reticulares arteriarum distributiones, vel lymphaticorum arteriosorum ortus observantur, posse esse inflammationis sedem, patet, illam in pleura, pinguedine ipsi superpositâ, musculísque intercostalibus obtinere posse: atque hinc licet concludere, pleuram membranam, pleuritidis sedem esse posse, licèt tamen non semper ibi hæreat morbus, ut multi crediderunt; sed & in pinguedine, & musculis intercostalibus, reperiatur frequenter.

Certè acutissimus ille dolor, qui primum etiam nixum inspirationis comitatur in pleuritide, videtur docere, non in solo pulmone hærere malum, cùm in peripneumonia vera sæpe nullus, aliquando obtusus tantùm dolor ab ægris percipiatur, utì antea vidimus. An credibile videtur in valida peripneumonia malum non pertingere ad membranosam ejus superficiem, quæ tam acrem dolorem deberet excitare, dum inde pleuritis fieri creditur? Verum quidem est, in cadaveribus pleuritide defunctorum sæpe non inveniri adeo magnum in pleura malum. Sic *Jacotius* (*d*) fatetur, sed in dissectione pleuriticorum rarò observasse pleuram tumere, licèt phlegmone antecesserit. Verùm tenuis hæc & tensa membrana, licèt inflammaretur, non multùm tumoris faceret, cùm in phlegmone tota ferè tumoris moles à panniculo adiposo turgente pendeat. Novimus sic, periosteum, cerebri meninges, ligamenta, absque multo tumore inflammari, & acerrimos dolores producere posse. Unde & *Jacotius* modò allegatis præmisit sequentia: (*e*) *Inflammationis nomine non solùm sanguinis immodicam copiam in locum inanem collectam intelligimus, sed quamvis excedentem etiam in parvis membri vasis.* Magìs urget *Petri Servii* testimonium, (*f*) *qui in trecentis Pleuriticis Romæ, post mortem dissectis, semper unum pulmonis lobum corruptum materiâque putridâ turgidum, in-*

(*a*) Medecin. Ration. Systematic. Tom. IV. Part. I. Sect. II. cap. VI. pag. 426. 427.

(*b*) Commentation. de Pleuritid. cap. I. n°. VIII. pag. 12.

(*c*) Abrah. Kaau. Perspirat. Hippocrat. cap. VII. n°. CXLIII. pag. 66.

(*d*) Hollerii, Commentar. in Coac. Hippocr. pag. 429.

(*e*) Ibidem.

(*f*) Triller. Commentat. de Pleuritid. cap. I. n°. III. pag. 10.

tactâ tamen aut leviter saltem vitiatâ pleurâ deprehendit. Verùm, si consideretur, pleuritidem & peripneumoniam sæpe simul concurrere, neque ex pleuritide semper perire ægros, quia membrana pleura aut loca intercostalia inflammata sunt, sed sæpius ideo, quia ob dolorem immanem omnis motus thoracis supprimitur, unde impedito sanguinis per pulmones trajectu, lethalis peripneumonia nascitur (vide §. 905.); patebit ratio, quare in cadaveribus pleuritide defunctorum ferè semper in pulmone vitium inveniatur, licèt leviter tantùm affecta pleura videatur. Notandum enim, quòd *Servius* non negaverit, pleuram in hoc morbo affici, sed leviter tantùm. Causa ergo mortis in pulmone affecto inveniebatur quidem; prima tamen origo mali in pleura, vel ipsi incumbentibus musculis, & adiposâ tunicâ, hæsisse potuit. Pleuram autem in hoc morbo affici confirmant Observata plurima: sic *Aurelianus* dixit,(*a*) *Manifesta namque conjectura est, quòd ipsa* (pleura,) *patiatur. Siquidem tumoris augmento collectionem in pleuriticis faciat, & exspirantibus sæpe ægrotis nigra inveniatur.*

Coram multis Spectatoribus in Nosocomio dissecuit *Diemerbroeckius* (*b*) cadaver mulieris pleuritide mortuæ, quæ primis quatuordecim diebus acutissimè afflicta fuerat; postea verò, suppuratione factâ, morbus per aliquot dies mitior visus fuerat, tandem morte finiebatur. Invenit autem pulmonem à pleura omnino liberum, & in dextro latere totam pleuram ab axillis ad diaphragma usque inflammatam: abscessus autem ruptus fuerat ad quintam & sextam costam, quæ binæ costæ duorum digitorum latitudine omnino erant pleurâ nudatæ: pus in thoracis cavitatem modicâ quantitate effluxerat. Pulmo inveniebatur nullâ inflammatione aut alio malo læsus. Similia & postea in viri cadavere eodem morbo exstincti vidit, atque inde conclusit, minimè veram esse illam opinionem, quâ statuitur, in omni pleuritide adesse etiam exterioris partis pulmonis inflammationem. Quinimo in cadaveribus peripneumoniâ mortuorum invenit unius lateris pulmonem totum inflammatum, etiam in exteriore membrana, licèt illi ægri de obtuso tantùm dolore conquesti fuissent, dum viverent. Pleuram pariter affectam post hunc morbum in cadaveribus vidit *Harderus* (*c*), & alii plurimi, quos recensere nimis operosum foret.

Sed & *Hippocrates* (*d*) disertè dixit, ad latus impactam bilem & pituitam pleuritidem facere; si verò pulmo eadem in se traxerit, peripneumoniam fieri.

Ex omnibus ergo his concludere licet, partem affectam in pleuritide esse pleuram, contiguam ipsi pinguedinosam tunicam, & musculos incumbentes: pulmonem verò in pleuritide quidem affici ob impeditam respirationem, atque inflammari sic posse, interim tamen pulmonis inflammationem, à pleuritide omnino distinctam esse.

Neque obstat tussis, quam crediderant tantùm à pulmone affecto nasci posse clari in Arte Viri. Dum intercostalia loca inflammata tument, pulmonem

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. II. cap. XVI. pag. 117.
(*b*) Anatom. Lib. II. cap. XIII. pag. 309.
(*c*) Harder. Apiar. Observ. LIII. pag. 222. 223.
(*d*) De Morb. Lib. I. cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 546.

contiguum

contiguum premere atque irritare possunt, sícque tussim producere: ipsa inspiratio ob acerbum dolorem impedita, tussis causa esse potest. Ita in gravidis mulieribus, quibus uterus altiùs adsurgens sursum premit viscera abdominalia, sícque diaphragmatis liberum motum impedit, molestissima quandoque tussis observatur (*a*). Narium internarum irritatio, rudior attactus membranæ meatum auditorium investientis, tussim producere potest. Si ergo ab aliis partibus, à pulmone dissitis, tussis excitari possit, quantò magìs à locis pulmoni contiguis, inflammatis & dolentibus. In lateris tuberculo, quod suppuratum uri vel secari jussit *Hippocrates* (*b*), adeóque versùs exteriora hæsisse videtur, tussim adfuisse notat. Sputa autem, quæ in pleuritide excernuntur, ex pulmone veniunt; verùm postea ad §. 888. n°. 6, de his dicendum erit, túncque patebit, neque ex sputis concludi posse, pulmonem in omni pleuritide semper & primariò affici.

Cùm ergo in ipsa membrana pleura, pinguedine ipsi incumbente, musculis intercostalibus, nata inflammatio pleuritidem facere possit, patet, in diversis, & satìs dissitis corporis locis, eumdem nomine morbum obtinere posse. Omnis enim interni thoracis ambitus his tegitur, ipsúmque mediastinum ex pleuræ duplicata lamella, interpositâ tunicâ cellulosâ, constat; diaphragma, & pericardium pleurâ obducuntur. Obtinuit tamen inter Medicos, ubi illa pars membranæ pleuræ, quæ diaphragma ambit, inflammatur, *Para-phrenitidem* vocare morbum, de quo postea, ob symptomata quædam peculiaria, singulari capitulo agetur; simúlque tunc addentur illa, quæ circa pericardii & mediastini inflammationem maximè notanda sunt.

Per omnem illum ambitum natas pleuritides observavi, & passim hoc fide dignissimorum Auctorum testimoniis confirmatur: omnium tamen frequentissimè latera hoc morbo occupantur; atque ideo (*c*) *à parte corporis, quæ magìs patitur*, nomen sumpsisse hunc morbum conclusit *Aurelianus*. Hoc autem inprimis notari meretur, quia minùs periti non suspicantur pleuritidem adesse, nisi dolor latus occupet: imò & vulgus in illa opinione est, sinistrum latus solum huic morbo obnoxium esse; unde sæpe morbum summo cum periculo negligunt, dum in dextro latere dolor adest. Interim tamen conferendo satìs numerosas hujus morbi Historias, quas collegi, vidi sæpius adhuc dexterum latus, quàm sinistrum, affectum fuisse: quod & notavit *Trillerus* (*d*), qui se observasse testatur benigniorem esse pleuritidem, quæ dextrum latus occupat, periculosiorem verò & diuturniorem, quæ sinistrum. Monuerat jam *Aretæus* quòd (*e*) *in omnes membranæ* (succingentis) *continuas partes, ad humeros usque & jugula, quibusdam verò & in terga, & in dorsi scapulas dolor protenditur; (f) quam Pleuritidem dorsalem, vel Dossuariam Prisci appellabant*, utì ex ingeniosa obscuri hujus loci emendatione, quam *Petitus* dedit;

(*a*) Mauriceau Tom. I. Lib. I. cap. XVI. pag. 141.
(*b*) De Morbis Lib. II. cap. XXIV. Charter. Tom. VII. pag. 575.
(*c*) Acut. Morbor. Lib. II. cap. XIII. pag. 109.
(*d*) Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. XXI. XXII. pag. 4.
(*e*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. X. pag. 8.
(*f*) Ibid. pag. 152.

patet. Pleuritidis in dorso etiam jam meminit *Hippocrates* (*a*); quædam tamen ibi occurrunt, quæ corruptum esse textum indicare videntur. Pariter & anteriora pectoris, & quidem sub ipso sterno, hunc morbum occupasse, docuerunt Observata, utì ex *Petro Solio de curatione morborum ab ordinariis Practicis non exhibitorum* refert *Schenckius*. In cadavere enim viri, nono die morbi præter Medicorum exspectationem, mortui, (*b*) *inventus est in membranis intersepientibus, tumor inflammatorius satìs notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio.* In talibus ægris aderant omnia acutæ pleuritidis phœnomena, sed lateris dolor aberat, ejúsque loco aliquid molesti sub sterno percipiebatur, cum magni ardoris in thorace sensu. Patet autem satìs, eò acriorem inflammatarum partium dolorem esse, quò magìs inter inspirandum moveri aut distrahi debent, adeóque variam doloris intensitatem in pleuritide esse posse, prout in hoc illóve thoracis loco hæret morbus. Quia autem frequentissimè latera occupat pleuritis, ideo inter signa §. 875, dolor acutus punctorius ponitur, licèt absolutè loquendo pleuritis & absque hoc dolore, vel saltem leni tantùm comitata, esse possit, utì ex modò dictis patet.

§. 878. UBI autem ipsa membrana costas internè succingens doloris sedes, aut pars illa musculorum intercostalium internorum, *vera*; si autem altiùs intercostales musculi externi inprimis, vel & his superiora laborant, *spuria* appellatur.

Quosdam lateris dolores absque febre esse, illósque ad pleuritidem non pertinere, §. 875, patuit. Verùm & alii dolores laterum cum febre reperiuntur, qui respirationis liberam actionem utcumque lædunt, neque tamen adeo periculosum exitum habent. Hinc illa distinctio pleuritidis in *veram* & *spuriam* nata fuit. Vera dicebatur, si ipsa pleura, vel partes huic proximæ, inflammatæ essent; spuria autem, si superiores his partes, & integumentis externis magìs vicinæ, laborarent. Diversum discrimen in utraque pleuritidis specie inprimis inde pendet, quòd eò magìs impediatur vitalis inspiratio, quò magìs versùs interiora hæserit malum; & suppuratio natam inflammationem sequens extrorsum tendat potiùs, si in exterioribus partibus morbus fuerit; & contrà versùs pectoris cavum ruat, si profundiùs malum hæserit. Pulchre hæc notavit *Galenus*, signáque recensuit, quibus bini hi morbi, adeo affines, distingui possent. Postquam enim de pleuritide dixerat, subjungit sequentia: (*c*) *Sunt præterea alii laterum cum febre dolores, per quos respirationem frequentem & exiguam reddi necesse est; sed nullum redditur sputum, ut ea in re nihil à pleuritide sputi experte, differre videatur. Verùm hi facilè ab illis discernuntur, tum quòd nulla sit tussis, quum sputi expertes siccâ tussi molestentur; tum quòd neque tensionem neque duritiem ullam referat pulsus, tum quòd non*

(*a*) De Morbis Lib. III. cap. xv. Charter. Tom. VII. pag. 590.
(*b*) Observation. Medicinal. Lib. I. Sect. de Mediastin. pag. 289.
(*c*) De Loc. affect. Lib. V. cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 483.

æquè acutâ febre laborent ; neque etiam adeo difficulter ſpirant, nonnulli quoque preſſo à nobis extrinſecus inflammato loco dolent. Hi per ſputum non purgantur, quia ab initio nihil humoris inflammationem excitantis ad thoracis ſpatium pervenit. At concoctâ inflammatione, niſi pus priùs diſcutiatur, ad cutem attollitur, & ſecatur. Modò dictis ſimilia & apud *Æginetam* (*a*) habentur. Difficulter autem admodum diſtingui poſſe videtur, an intercoſtales muſculos internos externóſve ſolos inflammatio occupet, cùm ſibi invicem incumbant, & ſimilem actionem habeant, adeóque ſatìs obſcura inde foret pleuritidis veræ & ſpuriæ diagnoſis, quæ longè evidentior ex *Galeni* loco citato haberi poterit.

Notandum etiam, quandoque contingere, ut & loca intercoſtalia, & his ſuperiora, ſimul inflammentur, quales caſus aliquando vidi, licèt rariùs : cùm autem à potiori ſoleat ſumi denominatio, ad veram pleuritidem referendus videtur talis morbus potiùs quàm ad ſpuriam.

§. 879. ADULTOS, ſanguineos, lautiùs potos, paſtóſve, exercitatos valde, acidum raro eructantes, in morbos inflammatorios vergentes ; verno tempore, maximè, ſubitò æſtuante poſt acre gelu cœlo ; aut hyberno in acerrimè frigido vento, infeſtat primariò túmque vocatur *idiopathica*.

Docuerunt Obſervata fidelia, non omnem ætatem & temperiem æquè huic morbo obnoxiam eſſe, imò & varium anni tempus, aeríſque viciſſitudines, conſiderationem hîc mereri, de quibus nunc agendum erit.

Pleuritis morbus inflammatorius eſt, adeóque maximè metuendus illis, qui ſponte in hos morbos vergunt. Tales autem ſunt (utì aliâ occaſione in *Commentariis* §. 772, monitum fuit,) quibus vaſa robuſta & contracta, humores denſi ſunt, acriores, & celeriùs moti. Pulſus his hominibus majores & crebriores eſſe ſolent, corpus gracile, agile, robuſtum, calidum. Adultos hinc potiùs invadit, quàm juniores, in quibus ſolidorum laxior compages, & fluidorum minor denſitas reperitur ; unde & *Hippocrates* (vide *Commentaria* §. 874.) monuerat quòd (*b*) *Morbi hi ante pubertatem non fiunt, peripneumonia, pleuritis :* interim tamen quandoque, licèt rariùs, & junioribus hic morbus contingit. Ob eamdem rationem notaverat *Aurelianus*, quòd (*c*) *frequentat hæc paſſio, in maſculis, magìs quàm in fœminis* : teſtatur autem *Trillerus* (*d*), fœminas pejùs affici quàm viros, ſi hoc morbo corripiantur, licèt hoc rariùs contingat. Validæ enim tunc videntur fuiſſe cauſæ quæ in corpore fœminino, minùs ad hunc morbum prædiſpoſito, pleuritidem excitare potuerunt. Monuerat autem *Hippocrates* ſequentia, (*e*) *In morbis parciùs*

(*a*) Lib. III. cap. XXXIII. pag. 40, verſâ.
(*b*) Coac. Prænot. n°. DCII. Charter. Tom. VIII. pag. 882.
(*c*) Acutor. Morbor. Lib. II. cap. XIII. n°. LXXIX. pag. 111.
(*d*) Commentation. de Pleuritid. Aphoriſm. general. n°. XX. pag. 4.
(*e*) Aphoriſm. Sect. II. n°. XXXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 75.

periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, & anni tempestati morbus consentaneus ac proprius fuerit, quàm quibus inhorum aliquo minimè cognatus sit. Et *Galenus* in Commentariis in hunc textum optimè notavit, periculi magnitudinem tunc non pendere ab ipsa constitutione corporis ægrotantis, sed (*a*) à vehementia causæ, quæ morbum produxerat. Possunt facilè conciliari modò dicta illis, quæ in §. 874, habentur, ubi dicebatur, peripneumoniam pueris & fœminis & laxis hominibus rariùs contingere, atque facilè, & ferè sponte, sanari, quatenus nempe ipsa fluidorum & solidorum dispositio naturalis in his hominibus minùs favet huic morbo. Interim tamen, ubi causæ procatarcticæ, tanta efficacia est, ut in minùs prædispositis talibus corporibus validam tamen pleuritidem excitare possit, non repugnat, periculosum morbum esse posse quandoque, licèt tamen in duro & exercitato corpore ab eadem causa pejor adhuc nasceretur morbus, & à leviore etiam causa in tali corpore excitaretur.

Observavit *Sydenhamus*, quòd hic morbus (*b*) *temperamento sanguineo præditos præ reliquis aggreditur, sæpe etiam rusticos & duro jam fractos membra labore.* Densis autem illis & exercitatis corporibus inprimis perniciosum esse hunc morbum, jam monuerat *Hippocrates* (*c*), utì aliâ occasione dictum fuit. Et in macilentis & in siccis corporibus frequentiùs se hunc morbum observasse, quàm in obesis & humidis, testatur *Trillerus* (*d*). Rigida enim in his vasa, & humores densi observantur. Ob hanc causam *Aræteus* credidisse videtur, senes inprimis pleuritidi obnoxios esse, sed & sæpius evadere, (*e*) *neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari potest*, &c. Contrarium verò de juvenibus, & in flore ætatis constitutis hominibus, dixit, quòd nempe, (*f*) *haud ita frequenter in hunc morbum incidunt; verùm neque admodum frequenter evadunt*, quia majori impetu in talibus furere solet pleuritis. Solidarum autem partium firmum robur huic morbo favere; colligi etiam potest ex illis quæ apud *Hippocratem* in libro *de aere, locis & aquis* habentur. Notat enim, homines, qui incolunt urbes Septentrioni oppositas, (*g*) robusta & sicca habere corpora, sed & (*h*) pleuritidi obnoxios vivere: contravero de illis, qui civitates Austro oppositas habitant, notat, (*i*) *Ipsorum corpora ut plurimùm imbecilliora* (ἀτονώτερα) esse, sed & (*k*) raro pleuritide corripi.

Cibos potúsque vel acri suâ indole, vel & solâ copiâ nimiâ febres excitare posse, antea in *Commentariis* §. 586. *lit.* α, vidimus; adeóque patet, lautiù potos & pastos, si simul in morbos inflammatorios ex propria temperie & ætate proni fuerint, facillimè in pleuritidem incidere. Unde & copiosam vini ingurgitationem pro causa pleuritidis habuit *Hippocrates* (*l*). Longè pejor adhuc

(*a*) Aphorism. Sect. II. n°. XXXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag 75. 76.

(*b*) Sect. VI. cap. III. pag. 331.

(*c*) Coac. Prænot. n°. CCCXCVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 875.

(*d*) Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. XIV. pag. 3.

(*e*) De cauf. & sign. morbor. acutor. Lib. I. cap. X. pag. 9.

(*f*) Ibidem.

(*g*) Lib. de Aere, Loc. & Aqu. cap. II. n°. XVI. Charter. Tom. VI. pag. 191.

(*h*) Ibid. n°. XVIII.

(*i*) Ibid. n°. IX. pag. 190.

(*k*) Ibid. n°. XIII.

(*l*) De Morb. Lib. I. cap. XI. Charter. Tom. VII. pag. 546.

spirituum fermentatorum abusus, cùm & ab his liquidis coagulum inducatur, & solidæ corporis partes corrugentur; ideóque frequentissimæ & acerrimæ pleuritides illis accidere solent, qui (a) *potui spirituosiori, præsertim vini spiritui, plùs justò per vitam sunt adsueti*, utì observavit *Trillerus*. Sæpe tertio vel quarto die jam lethales pleuritides in ebriosis hominibus vidi.

ACIDUM RARO ERUCTANTES. Monuit in Aphorismis *Hippocrates* sequentia: (b) *Qui acidum eructant, non admodum pleuritici fiunt.* Ubi autem de *morbis spontaneis ex acido humore* agebatur, constitit, boni sanguinis inopiam, debilitatem fibrosæ compagis vasorum & viscerum, atque defectum animalis motûs (vide §. 61.) meritò inter causas acidæ acrimoniæ numerari. Verùm patet ex antè dictis, talia corpora minimè ad morbos inflammatorios disposita esse: unde intelligitur facilè ratio hujus aphorismi. Postquam autem *Helmontius* (c) statuerat, hostile acidum, pleuræ tamquam spinam infixum, pleuritidem facere, longè aliam hujus aphorismi explicationem dederunt Medici, qui hanc opinionem tuebantur. Putabant enim ideo sæpius hoc morbo affligi illos, qui acidum raró eructabant, quia illud retentum in corpore, sanguini mistum, morbo huic originem dabat. Quàm vana autem hæc sit opinio, ex causis pleuritidis postea recensendis, utì & ex tota hujus morbi Historia, satìs patebit.

IN MORBOS INFLAMMATORIOS VERGENTES. Quales illi sint, paulò antè dictum fuit ad eamdem hanc paragraphum. Hoc autem cognoscitur ex corporis habitu, & morbis prægressis.

VERNO TEMPORE, &c. Pleuritis quidem omni anni tempore à causis postea enumerandis nasci potest, verùm quando epidemicorum in morem regnat pleuritis, tunc potissimùm verno tempore aggreditur; inprimis autem illâ parte anni, quæ (d) *inter ver atque æstatem ambigens, utriusque quasi fibula est*, utì *Sydenhamus* monuit; quod & propriis epidemicarum constitutionum Observatis confirmatum vidi.

AUT HYBERNO IN ACERRIME FRIGIDO VENTO. Per frigus adunari sanguinis moleculas, adeóque causam obstructionis in arteriarum angustiis nasci, antea ad §. 117, demonstratum fuit. Si jam frigidus ventus magnâ vi aerem gelidum in pulmonem impellat, qui pleuræ contiguus est, simúlque totum corpus undique afflet, loca intercostalia ab utraque parte tam interiori quàm exteriori exponuntur acri frigori. Inprimis autem pleuritidis periculum tunc adest, dum ex calidis hypocaustis in aerem frigidissimum, non satìs tecto vestibus corpore, prodeunt incauti homines. Ratio hujus data fuit ad §. 118.

Ideo *Hippocrates* dixit, (e) hyeme pleuritides & peripneumonias fieri maximè, & quidem vehementissimas; & *Aretæus* (f) similia monuit.

(a) Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. XVIII. pag. 4.

(b) Sect. VI. n°. XXXIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 269.

(c) Capit. *Pleura furens*. n°. XIII. pag. 312.

(d) Sect. V. cap. V. pag. 306. Confer. Sect. VI. cap. III. initio. pag. 330.

(e) Lib. de Affection. cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 621.

(f) De caus. & sign. morbor. acutor. Lib. I. cap. X. pag. 9.

TUNCQUE VOCATUR IDIOPATHICA. Quando nempe pleuritidis causa, à primo ipsius morbi initio, in locis intercostalibus hæsit, non verò in alia parte corporis priùs nata, dein, relictâ priori sede, has partes occupavit: ἰδιοπάθεια enim dicitur propria & primaria affectio.

§. 880. AT ex materie prægressi inflammatorii morbi motâ, & in loca descripta (877. 878.) delatâ, exorta *symptomatica* dicitur.

Contingit quandoque, aliis morbis, priùs natis in corpore, pleuritidem succedere, túncque vocatur symptomatica. Sic aliâ occasione ad §. 752, notavi, quartanam, verno tempore calidissimis remediis tractatam, transivisse in sævam pleuritidem. Ita & *Sydenhamus* monuit, pleuritidem per accidens aliis febribus supervenire, cujuscumque demum generis sint: notat autem præcipuè hoc contingere (a) *ex intempestivo ac præpostero calidorum medicamentorum* usu in morbis incipientibus; præsertim si ægrorum ætas, temperamentum, anníque tempestas inter ver & æstatem ambigens, simul conspiraverint.

Hæc autem distinctio pleuritidis in idiopathicam & symptomaticam usum insignem habet in curatione: pleuritis enim idiopathica sanguinis missionem, sæpius quandoque repetitam, ut plurimùm poscit. Si autem pleuritis symptomatica sequatur alium morbum epidemicum, cujus indoles sanguinis missionem, saltem repetitam, non fert, tunc longè parciùs, quàm aliter fieri solet, sanguis mittendus est. Sedulâ morborum Observatione hoc invenit *Sydenhamus* (b), & tamquam rem magni momenti in Praxi proposuit.

§. 881. PRO causa antecedente habet: 1°. Omne id, quod inflammationi generandæ cuicumque aptum (375, ad 380.) 2°. Id, quod hanc causam generalem determinat in pleuram præcipuè; quò pertinent maximè, natura ægri, intercostales arteriolas angustiores, magísque duras, habentis; morbus præcedens, qui reliquit dispositionem eadem proferentem, ut est scirrhus pleuræ, callus, pulmo adnatus, &c; natura epidemici morbi prædominantis; aer frigidus, per angustas rimas violentè actus in nudatum corpus, ex labore vel igne priùs valde æstuans; potus gelidus, subito, magno haustu, ingestus in corpore simili; aer hyemali tempore borealis gelidissimus. 3°. μετάπτωσις materiæ inflammatoriæ, ichorosæ, suppuratoriæ, priùs in toto, vel in aliqua parte, prædominantis, & dein quacumque causâ

(a) Sect. VI. cap. III. pag. 332.

(b) Sect. V. cap. V. pag. 310.

huc depositæ, ut in morbillis, variolis, tumoribus ulcerosis, ulceribus magnis, latis, subitò evanescentibus, absorptâ venis materie.

I°. Agendum nunc de causis. Cùm autem hactenus dicta evincant, pleuritidem esse morbum inflammatorium (quod & ex decursu totius morbi, & eventu vario, postea describendis, patebit), ad causas pleuritidis referuntur omnia illa, quæ inflammationem producere valent, de quibus actum fuit paragraphis hîc citatis.

II°. Licèt autem inflammatoria diathesis in sanguine nata fuerit, tamen & debet alia adhuc causa esse, per quam illud malum intercostalia loca potiùs occupet. Huc refertur *Natura ægri*, &c. Docuerunt Anatomici, magnam sæpe diversitatem observari in vasorum magnitudine & numero in diversis corporibus, imò & quandoque nonnullas arterias callosas, cartilagineas, imò & osseas factas fuisse. Posset ergo & tale vitium in arteriis intercostalibus contingere, sícque libero sanguinis motui per illas impedimentum nasci. Interim tamen verosimile videtur, rariùs talem causam adesse, cùm illa arteriarum induratio plerumque in majoribus truncis tantùm observetur, & inprimis in decrepita senectute.

MORBUS PRÆCEDENS, &c. Post inflammationes validas scirrhosam sæpe duritiem manere, in Historia inflammationis ad §. 392, patuit, præcipuè circa partes glandulosas. Verùm & aliâ occasione, ubi §. 485, de scirrho agebatur, notavi, quàm miræ indurationes partium membranacearum quandoque observatæ fuerint in cadaveribus. Præterea ad §. 843, patuit, pulmonem inflammatum contiguæ pleuræ frequenter accrescere: non mirum ergo si & idem fiat à pleuræ inflammatione, quod pleuritidem passorum Anatome docuit (*a*).

Tales autem callosas aut scirrhosas indurationes, utì & concretiones partium priùs liberarum, causam esse posse obstructionis & inflammationis, antea ad §. 112. n°. 1, probatum fuit. Ideo sævam pleuritidem passi sæpe totâ vitâ doloris aliquas reliquias sentiunt, à mutatione aeris subita, à validis animi affectibus, potu largiore, &c; præcipuè si sæpius cum hoc morbo conflictati fuerint. Ita ex *Brassavolâ* notat *Schenckius* quòd *Alphonsus* Ferrariæ Dux, ter pleuritidem passus & sanatus, postea (*b*) *in eodem loco minima occasione dolorem sentiebat.*

Monet autem *Diemerbroeckius* (*c*) se in Praxi observasse, quòd illi faciliùs & frequentiùs in pleuritidem inciderent, quibus ex aliquibus signis judicabat pulmonem pleuræ adhærere. Docuit etiam Experientia Medicos, crebiùs corripi pleuritide illos, qui semel eâdem decubuerunt.

NATURA EPIDEMICI MORBI PRÆDOMINANTIS. Quámvis pleuritis sæpe ortum ducat à causis manifestis, aere v. gr; frigido corpus à valido motu

(*a*) Triller. Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. XXXI. pag. 6.

(*b*) Schenckii Observ. Med. rar. Lib. II. pag. 245.

(*c*) Anat. Lib. II. cap. XIII. pag. 308.

æstuans afflante, tamen Observatio fidelis docuit, nasci & pleuritides, multósque homines affligere eodem tempore, licèt nulla causa noscatur, cui morbi origo tribui possit. Verum quidem est, communem pluribus afflictionem, aliáque de quibus postea (§. 1404, & sequentibus agetur) suadere, latentem talem causam in aere hærere, interim tamen nemo facilè determinabit indolem illius noxii, quod morbos populariter grassántes efficiat; cùm nulla mutatio qualitatum sensibilium aeris detegatur, cui adscribi meritò posset talis effectus. Mirabatur non sine ratione hoc *Sydenhamus*, quòd febres tales epidemicæ nunc caput affligerent, alio tempore intestina, & dysenteriam facerent, alio iterum tempore pleuram potiùs & pulmones invaderent. Observavit tamen & rem magni in Praxi Medica momenti, quòd nempe per mutationes qualitatum sensibilium aeris epidemica constitutio deflecteret utcumque à pristina indole, quatenus nempe alia pars corporis afficeretur. Ita dum febris epidemica grassabatur, quæ caput invadebat, contigit, ut mense Octobri toto insolitus aeris tepor adesset, quem subitò excipiebat frigida & humida tempestas; unde oriebantur tusses integràs familias affligentes. Verùm tusses illæ febri epidemicæ sternebant viam, ita tamen, ut febris nata post tussim, non caput, sed pleuram & pulmonem nunc invaderet; & tamen in curatione similia requirebat auxilia ac antè adhibita fuerant, dum caput peteret (*a*). Patet ergo & ad hanc pleuritidis causam in Praxi attendendum esse.

AER FRIGIDUS, &c. Dum à valido labore æstuant homines, vel & à calore foci multùm incaluerunt, videmus totam cutem externam rubere, signo manifesto, sanguinem rubrum vasa multa ingressum esse, in quibus naturaliter esse non solet, dum corpus quiescit, vel in aere non adeo calido versatur. Error ergo loci tunc adest (vide §. 118.). Si ergo per aerem frigidum subitò tunc constringantur vasa, & adunentur magìs liquidorum in vasis hærentium moleculæ, liquida crassiora in vasorum minorum angustias impulsa hærebunt, fiet obstructio, inflammatio, & quæ inde sequuntur mala. Pleuritides frequentes à tali causa natas observaverunt omnes Practici; utì & arthritides, rheumatismos, & quidem difficillimè curabiles.

Omnium autem maximè nocet aer frigidus, per angustas rimas violentè actus in nudatum corpus, quia tantò major est frigoris actio in corpus nostrum. Verùm quidem est, aerem follibus celerrimè expulsum in bulbum thermometri etiam satìs sensilis non efficere, ut liquor in thermometro descendat; sed per talem aeris motum difflatur aer, jam calescens à vicinia corporis, & omni momento applicatur aer frigidus, & hinc augetur frigoris sensus & effectus. Hinc tot rustici, bajuli, & similes homines talibus morbis pereunt, quòd à valido labore æstuantes nudo ferè corpore quiescant, & gratam adeo auram frigidiusculam captent. Imò *Sydenhamus* putabat, plures homines ab hac causa, (*b*) *quàm peste, gladio atque fame, simul omnibus perire.*

(*a*) Sydenh. Sect. V. cap. V. pag. 304. 305.

(*b*) Sect. VI. Cap. I. pag. 325.

Potus

POTUS GELIDUS, &c. Majus adhuc inde discrimen, quàm ab aere frigido. Certè nunquam pleuritides magìs sævas & citiùs lethales vidi, quàm à potu gelido affatim hausto, æstuante corpore. In nobili juvene, pilæ lusu dum calesceret totus, potus gelidissimæ aquæ cum succo limonum intra trihorium lethalem pleuritidem fecit. *Diemerbroeckius* (*a*) observavit, hominem, qui mediâ æstate fœno colligendo occupatus erat, & valde sudabat, illico pleuritidem intra paucos dies lethalem contraxisse, dum frigidam cerevisiam largo haustu biberet. Innumera talia apud Practicos occurrunt, quæ hoc confirmant. Faciiè autem intelligitur ratio. Sanguis de sanissimi hominis venâ incisâ in aquam frigidam exstillans concrescit illico in strias ferè solidas. Verùm dum affatim gelidus potus ingurgitatur, œsophagus, in suo decursu truncis intercostalium arteriarum quarumdam satìs propinquus, eo repletur, dein totus ventriculus potu frigido distentus adjacenti diaphagmati, hepati, lieni, &c, subitum & insolitum frigus communicat. Cavæ adscendentis truncus, ingens sinus dexter cordis, tenui tendinosæ parti diaphragmatis incumbens, similiter afficiuntur, sanguis ibi collectus ad concretionem disponitur, qui paulò pòst per pulmonis angustias transire debebit. Non mirum ergo toties lethalem subitò pleuritidem & peripneumoniam à tali causa nasci, utì & similia in visceribus ventriculo adjacentibus mala. Augetur periculum, quòd per validos corporis motus, sudore excitato, liquidissima sanguinis pars difflata fuerit, & quòd aqua frigida, similiáque, non tam citò à calore corporis nostri incalescant quàm aer. Demonstravit enim celeberrimus *Boerhaavius*, (*b*) *eò citius calescere ab eodem igne corpus, quò rarius fuerit.*

Summo ergo jure *Lancisius* (*c*) inter subitaneæ mortis causas numeravit frigidi potûs vel balnei usum, excalefacto corpore.

AER HYEMALI TEMPORE BOREALIS GELIDISSIMUS. De hac pleuritidis causa actum fuit §. 879.

III. Notatum fuit paulò antè, pleuritidem distingui in idiopathicam & symptomaticam: quæ binis præcedentibus numeris dicta sunt, spectant ad causas pleuritidis idiopathicæ; nunc verò agendum de causis pleuritidis symptomaticæ. Omnes enim (*d*) *morbi, qui ex priore specie in aliam degenerant & transeunt*, ἐκ τῆς μεταπτώσεως *fieri dicuntur*. Sic v. gr; in febribus continuis sæpe inflammatoria dispositio sanguini inducitur, & postea inde respiratio difficilis, frequens, dolens circa vitalia (vide §. 734.) nascitur. Quandoque & in alias partes corporis jam deposita materies inflammatoria locum mutat, & intercostalia loca invadit. Sic dolore ad pectus phrenitidem quandoque solvi, alio in loco, (§. 779.) monitum fuit.

Sic à lochiis retentis pleuritides pessimæ in puerperis fiunt, utì postea §. 1329, dicetur: neque tantùm dum sanguinolenta adhuc & copiosa lochia subitò supprimuntur, verùm etiam dum jam ichorosa quasi & alba pro-

(*a*) Anat. Lib. II. cap. XIII. pag. 309.

(*b*) Element. Chem. Tractat. de Ign. Experiment. X. Coroll. V. Consideration. VII, Tom. I. pag. 201.

(*c*) De subitan. mortib. Lib. I. cap. VII. pag. 12.

(*d*) Gorræi, Definit. Medic. in voce μετάπτωσις. pag. 397.

deunt, utì *Hippocrates* monuit: (a) *Quibus ex partu alba purgamenta retinentur cum febre, ſurditas oboritur, & acutus lateris dolor, hæ perniciosè inſaniunt.*

Sic in variolis obſervavit *Sydenhamus*, licèt confluentes vix unquam diem quartum præſtolentur, ſed citiùs erumpant, tamen quandoque, acutiſſimum dolorem, nunc in regione lumborum, (b) *nunc in latere, qualis pleuriticos vexat*, fieri, & tunc variolas ſeriùs erumpere; morbi nempe materiâ, quæ ſuperficiem corporis versùs tendere debebat, aliis locis impactâ, ut videtur. Imprimis autem talia ſymptomata tunc oriuntur, dum calido nimis regimine variolis decumbentes tractantur. In morbillis idem obtinet, ſed ibi major peripneumoniæ metus eſt, utì *Sydenhamus* paſſim obſervavit. Quot verò & quàm varia mala à reſorpto pure naſci poſſint, dictum fuit ad §. 406, ubi de abſceſſu agebatur.

§. 882. HISTORIA hæc (875, ad 882.), decurſus mox exponendus (883, ad 907.) diſſectio cadaverum pleuriticorum, clarè docent, eam eſſe inflammationem ſanguineam (371) in arteriolis locorum deſcriptorum (877. 878.), ortam plerumque ex febre acuta præcedente.

De parte affecta in hoc morbo pluribus diſputatum fuit ad §. 877, ubi etiam Obſervationes in cadaveribus hoc morbo defunctorum factæ memorantur, quæ probant in locis dictis §. 877. 878, inflammationem veram adfuiſſe. Patebit etiam ex decurſu mox ſequente, omnes inflammationis exitus, in reſolutionem, abſceſſum, gangrænam, ſcirrhum, in hoc morbo obtinere. Ferè ſemper autem febris acuta præcedit pleuritidem; ſaltem aliquot horis. Excipiuntur ferè tantùm illi caſus, ubi æſtuantiſſimo à labore homini à potu frigidiſſimo, vel aere ſimili ad nudum corpus violentè acto, ſubitanea pleuritis contingit.

§. 883. INDE (881. 882.) perſpicuè deducitur mali Hiſtoria: incipit cum appetitu ciborum ſæpe magno; frigore; horrore; debilitate; laſſitudine; febre: procedit cum calore, ſenſim in æſtum excreſcente, ſiti; proſtrato appetitu omni; dolore ab miti in acerbiſſimum tendente; reſpiratione valde læsâ: viget cum febre violenta, ſed minùs manifeſtâ ob reſpirationem coactam, & præ ſenſu doloris ſummi ſuffocatam; unde ſæpe turpiter fallitur Medicus: inde deſinit in varios eventus, pendentes ex pluribus cauſis, ſed inprimis à diverſitate mutationum inflammationis (386, ad 393. 492, ad 500), naturâ loci ubi malum eſt (877. 878.),

(a) Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. xxxii, Charter, Tom. VIII. pag. 751.

(b) Sect. III. cap. 11. n°. 11. pag. 166.

& consideratione harum circumstantiarum: prout partes plures (877. 878.) affectæ simul; prout impetus circulantis liquidi violentior (92, ad 102.); aut major malignitas ipsius morbi principis (564. 567.) eò symptomata cuncta pejora; inprimis respirationis & pulsûs vitia magìs à naturalibus recedentia, ut & excretorum.

Sequitur jam descriptio pleuritidis per sua phœnomena, quæ paulò antè morbum incipientem, in ipsius morbi initio, & dein per reliquum morbi decursum observantur. Horum autem phœnomenorum cognitio simul diagnosim format. Propriis ex Observatis hæc collegit celeberrimus Auctor, & similia etiam inveniuntur apud *Sydenhamum* (*a*). Appetitus quandoque validus præcedit, ita ut mirentur acriorem solitò famem, nondum tunc aliquid mali percipientes. Paulò post incipiunt rigere, vires labascunt, & sequuntur omnia mala, quæ febrim incipientem, comitari solent. Hactenus nullum adhuc signum pleuritidis adest. Verùm postea dolor latus alterutrum occupat, quandoque dorsum, pectoris anteriora, & omnia illa loca, quæ §. 877, recensentur. Certum autem tempus, quo ille dolor memorata symptomata sequitur, non est: in quibusdam citiùs, in aliis seriùs apparet. Observavi quandoque primâ incipientis morbi horâ dolorem satìs acutum; & contrà observavi pleuritides verno tempore anni 1729, ubi secundo die morbi dolor oriebatur, neque adeo acutus tamen; & interim omnes tales ægri admodum periclitabantur. Urina illa crassa, jumentorum dicta (vide §. 734.) ab initio morbi aderat, pulsus incipiebat vacillare, paulò pòst sequebatur delirium, stertor in pectore, mors. Quoniam autem dolor ille, si acutissimus fuerit, magnum discrimen notet, & citam poscat opem, ideo non confidendum est, licèt in initio levior, tantùm dolor urgeat. Sic vidi pleuriticum, cui primâ die morbi mitis tantùm dolor aderat, qui tamen quartâ die periit, cum omnibus signis natæ gangrænæ, licèt efficax & promta medela adhibita fuisset. Similes pleuritides videtur & *Hippocrates* observasse, pariter satìs periculosas, dicit enim: (*b*) *Quòd si per initia quidam leves dolores detinuerint, post quintum verò & sextum diem acuti, ii ad duodecimum usque protrahuntur, neque ferè effugiunt. Periculum est autem maximè ad usque septimum* (diem), *imò etiam ad duodecimum; posthæc autem sanantur. Quæ ab initio quidem leves sunt, post septimum autem & octavum acutæ, ad decimum-quartum* (diem) *decernunt & sanescunt.* Similia & habentur in *Coacis Prænotionibus* (*c*).

Dum autem ille dolor adest, respiratio valde læditur: debent enim in inspiratione costæ à se mutuò deduci, adeóque inflammatæ illæ partes distrahuntur cum summo doloris augmento. Ob hanc causam miseri ægri vix inspirant, adeóque vix dilatant pulmonem, unde cor dextrum se libere

(*a*) Sect. VI. cap. III. pag. 330, & sequ.
(*b*) De Morb. Lib. III. cap. XV. Charter. Tom. VII. pag. 590.
(*c*) N°. CCCLXXXVII. Charter. Tom. VIII. pag. 873.

evacuare nequit. Sanguis ergo, à capite per venas jugulares redux, non poterit locum invenire in ſinu & auriculâ dextris jam plenis; hinc interiora encephali à turgidis vaſis comprimuntur, ægri tales torpidi & hebetes fiunt, & minùs dolorem ſentiunt, pulmo ſenſim magìs magíſque impletur, & ſæpe ſubitò ſuffocantur, dum imperiti, ægri querelis non moniti ampliùs, morbum miteſcere credunt, cùm ſummum adeſt periculum. Pulſus qui antea velox, plenus & durus erat, jam incipit mollis & parvus fieri, imò & tardior quandoque, licèt rariùs, plerumque enim celeriter micat debilis talis pulſus. Videantur illa, quæ ad §. 807, dicta ſunt, ubi pluribus egi de his, quæ ſequuntur impeditam pulmonis per aerem inſpiratum dilatationem, in angina inflammatoria. Notandum enim eſt, quòd pleuritici in morbi ſummo vigore non pereant ob inflammationem pleuræ, vel partium coſtis accumbentium vel incumbentium; ſed ob reſpirationem impeditam, repleto pulmone ſuffocentur.

INDE DESINIT IN VARIOS EVENTUS, &c. Omnia, quæ de diverſo exitu inflammationis dicta fuerunt ad numeros hîc citatos, etiam in pleuritide locum habent; & ſtatim videbimus, quomodo etiam diverſa curatio adhiberi debeat, prout blanda reſolutio inflammationis, ſuppuratio, gangræna, &c, ſequuntur.

VERUM ET NATURA LOCI, quem pleuritis occupat, attentionem meretur. Si enim exteriores pectori incumbentes partes affectæ fuerint tantùm, minus diſcrimen eſt, & magìs ſperari poterit puris, ſi fortè ſuppuratio ſequatur, exitus versùs exteriora: contrarium obtinet, ubi malum profundiùs reconditur. Præterea maximum periculum in pleuritide pendet inde, quòd ob doloris acerbitatem libera inſpiratio impediatur. Verùm in Phyſiologicis (*a*) demonſtratum eſt, quòd, primâ coſtâ per ſubclavium muſculum fixatâ, novem ſequentes inſpirationis tempore eleventur ſurſum, & vertantur extrorſum, ita tamen ut ille motus longè major obſervetur in mediis coſtarum arcubus, quàm circa ſternum, aut prope vertebras. Ergo & pleuritis occupans latera, cæteris paribus, maximum dolorem faciet. Simul facilè patet, pleuritidem eò pejorem eſſe, quò plura ex locis §. 877. 878, enumeratis occupat.

PROUT IMPETUS CIRCULANTIS LIQUIDI VIOLENTIOR. Quænam mala ex nimia velocitate motûs circulatorii humorum fiant, patuit ex illis, quæ ad numeros in textu poſitos habentur. Verùm & in Hiſtoria inflammationis §. 386. 387. 388, dictum fuit, nunquam benignam inflammationis reſolutionem exſpectari poſſe, ſi motus humorum per vaſa admodum citatus fuerit, ſed tunc ſemper ſuppurationem, vel & gangrænam, metuendam eſſe; quòd ergo in pleuritide, utpote morbo inflammatorio, verum erit.

AUT MAJOR MALIGNITAS IPSIUS MORBI PRINCIPIS. Pleuritis enim febrim acutam comitem habet (vide §. 875.); & hæc febris, utì modò dictum fuit, ſæpe notabili tempore præcedit dolorem lateris. Morbi principis ergo nomine intelligitur hîc febris acuta continua, pleuritidem veram co-

(*a*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 615.

mitans semper, præcedens sæpe. Hæc autem febris non semper similis est in diversis constitutionibus epidemicis, uti optimè *Sydenhamus* passim in suis operibus monuit; & speciatim in pleuritide hoc notandum esse sedulò docuit (*a*). Prout ergo hæc febris plures functiones lædit, prout vires citiùs prosternit, prout pejoribus stipatur symptomatibus, eò periculosior erit pleuritis. De illis autem signis, quibus major minórve malignitas febris acutæ continuæ cognoscitur, dixi ad §. 734.

INPRIMIS RESPIRATIONIS ET PULSUS VITIA. Ab his enim vita pendet; unde & vitales actiones solent vocari. Verùm hic morbus ex sua indole respirationem lædit, adeóque meritò ejus magnitudo à majori minoríve respirationis impedimento desumitur. Sed ut sanguis libere ex venis pellatur in cordis cava, & inde moveatur per arterias, requiritur, in homine nato, liber ex corde dextro in cor sinistrum sanguinis per pulmonem transitus, qui supponit alternam pulmonis expansionem & contractionem, quæ à vitali respiratione fit. Si ergo eò usque impedita sit respiratio in pleuritide, ut liber sanguinis per pulmonem transitus admodum minuatur, pulsus fiet celer quidem, sed parvus simul; aucto malo, incipiet intermittere, & sæpe subita tunc mors sequitur. Unde *Galenus* dixit: (*b*) *Maximum sanè indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus, itaque parvus etiam, & ob ambo hæc, calorémque, creberrimus: pleuriticus cum tali pulsu, nemo est servatus ullus.*

UT ET EXCRETORUM. Urinæ nempe, fæcúmque alvinarum. Sed imprimis ad sputa hîc attenditur, quæ plurimùm docent de conditione morbi, prout nempe in salutem vel interitum tendit. De his autem postea pluribus dicendum erit ad §. 901.

§. 884. EXIT in sanationem, alios morbos, vel in mortem.

Hoc pleuritidi cum omnibus aliis morbis commune est: de hoc dixi ad §. 591.

§. 885. IN sanationem ope Naturæ, vel Artis, in initio, dum simplex adhuc morbus.

Alio in loco, ad §. 587, ubi de febris effectibus agebatur, probatum fuit, quandoque per febrim subigi illud, quod vasis impactum hærens resistebat æquali humorum circulo. Si jam illud obstaculum adeo leve fuerit in vasis intercostalibus, & motus febrilis adeo sedatus, ut non impingat ulteriùs obstruentem materiam in vasorum convergentium angustias, sed blando quasi attritu ad latera vasorum attenuando illud in pristinum fluorem

(*a*) Sect. V. cap. v. pag. 304, & Sect. VI. cap. III. pag. 332.

(*b*) De Præsag. ex pulsib. Lib. IV. cap. V. Charter. Tom. VIII. pag. 299. 300.

resolvat, sequitur integra sanatio, sæpe absque ullo Artis auxilio. Verùm & Ars Medica hoc quandoque feliciter perficit, quod sibi commissa Natura non fecisset sola. Cùm enim ex fideli Observatione noscamus, quænam obtineant conditiones in ægris, dum ope solius Naturæ sanatur morbus, conamur per Artem producere easdem, si deficiant. Sic v. gr. cùm ad felicem talem & spontaneam sanationem requiratur moderatus febris impetus, si ille jam inveniatur validus esse nimis, per venæ-sectionem & alia remedia (vide §. 610.), Ars conatur minuere exorbitantem febrilem motum. Cùm autem in illis, qui laxiori habitu corporis gaudent, feliciùs succedat talis sanatio, Ars per fomenta, linimenta, &c, lateri dolenti applicata, conatur efficere, ut vasa faciliùs dilatari possint à liquidis impulsis, sícque obstaculum in arteriis hærens per illorum fines ampliores redditos transire in venas; quod requiritur in benigna inflammationis resolutione.

Verùm omnes Medici, qui hunc morbum tractaverunt, in eo conveniunt, illam sanationem per Artem sperari tantùm posse, si in initio morbi efficacia remedia adhibeantur. Ubi enim per tres quatuórve dies jam duravit pleuritis, antequam Artis auxilia applicentur, raró, vel nunquam, benignâ resolutione curatur. Túncque solent per vim morbi alia mala in corpore nasci, inprimis autem in pulmone, utì postea patebit.

§. 886. SANATUR auxilio Naturæ, vel resolutione benignâ, vel coctione & excretione mali.

Alterutrum ex his in sanatione, quæ ope naturæ fit, obtinet. Vel enim illud, quod arteriarum finibus inpactum hærebat, solvitur in moleculas, ex quibus adunatis concreverat, aptúmque denuo evadit, ut absque ullo impedimento cum reliquis humoribus per vasa moveatur: vel illud quidem sic mutatur, ut ex angustiis vasorum elabi possit, sed interim tales dotes acquisivit, ut nequeat sanis humoribus assimilari, adeóque debet excerni de corpore, ut integra redeat sanitas.

Videri possunt illa, quæ in febris Historia §. 594, dicta fuerunt, & huc spectant.

§. 887. RESOLUTIONE, si contingunt simul causæ (386. 401.); túmque benignitas symptomatum nihil agendum docet, nisi ut levi victu, blandissimis aperientibus, mollissimo fotu malum levetur.

Vera in pleuritide, utì dictum fuit §. 882, obtinet inflammatio, adeóque omnia requisita ad resolutionem inflammationis (de quibus actum §. 386.), & hîc locum habebunt. Cognoscimus autem illa requisita, quæ spem faciunt resolutionis, adesse ex symptomatum benignitate. Si enim talis æger laxæ & humidæ temperiei sit, dolor lenis sit respirationem non multùm

impediens, febris levis, non magna in pulsu durities, nulla symptomata sint, quæ functiones alias læsas demonstrent, excreta non recedant à naturali conditione, novimus resolutione curatam iri hanc pleuritidem. Non opus est tunc venæ-sectione, imprimis largâ, cùm non exorbitet febrilis motus, sed talis sit, qui sufficiat subigendæ morbi causæ. Nec obstet, quòd monuerim ad §. 883, quòd pleuritides satis periculosæ quandoque in initio leviorem dolorem tantùm habuerint, nam alia signa simul aderant, quæ facilè docebant malam horum morborum indolem: urina illa crassa non subsidens, pulsus vacillans, stertor in pectore, &c, summum demonstrabant periculum.

Interim prudentia requirit, ut Medicus in initio talis morbi ægrum sæpius adeat, & omni cum cura exploret, an idem maneat morbi status; an verò augeantur dolor & reliqua symptomata, túncque alia curandi Methodus institui debeat. Utì enim prudenter *Galenus* monuit, sit (*a*) *aliquis ægrotus qui primo die habeat signa manifestissima salutis, huic enim omnino in primo quaternario finietur morbus. Utrum verò per solutionem, vel crisim, magnitudine & parvitate distinguitur. Siquidem magni judicantur omnino; qui autem parvi, solvuntur solùm.*

In tali casu optima Medicina est, nullam Medicinam facere, tenui tantùm victu sustinere ægri vires, subministrare sanguini copiam diluentis & leviter attenuantis liquidi, fovere locum dolentem mollissimis remediis, ut vasa facilè dilatabilia transmittant illud, quod hæret. In *Materia Medica* ad hunc numerum tales formulæ habentur.

§. 888. COCTIONE & excretione causæ sanatur, inprimis Observatis hís-ce. 1°. Quoties hæmorrhoides debitâ copiâ liquidum aptum oportuno tempore fundunt; 2°. Quoties urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento fluxit cum levamine malorum ante quartum diem, qualis & siccam sanavit; 3°. Si alvus materiem flavam, biliosam ante quartum diem copiosam cum levamine ejecerit; 4°. Si abscessus ichorosi, purulenti, fistulosi, diu manantes, ante sextum diem incepti, post aures, vel ad crura, prodierunt (juxta 837, ad 843); 5°. Dolor lateris si transit ad humerum, manum, dorsum, cum stupore, dolore, gravitate illarum partium; 6°. Si sputum ex parte liberale, levans sine coryza, copiosum, mox puriforme, album statim, vel ante diem quartum, continuatum, vel à suppressione statim rediens, inde enim nono vel undecimo die salus.

Sequitur jam, ut considerentur illi modi, quibus sanatur pleuritis auxilio Naturæ, per coctionem & excretionem causæ.

(*a*) De Crisib. Lib. III. cap. IV, Charter. Tom. VIII. pag. 433.

I°. Numerosa satìs Observata in morbis acutis inflammatoriis, utì & in pleuritide, docent, causam materialen morbi loco moveri quandoque, & alias partes corporis occupare sæpe satìs subitò. Sic aliquoties in pleuritide periculosam talem metastasin versùs caput observavi, silente omnino lateris dolore; qui denuo recruduit, liberato capite. Verùm videtur & contingere, eamdem illam causam materialem morbi, loco motam, per vasa aperta sponte Naturæ in quibusdam locis corporis viàm invenire. Ita *Aretæus* de pleuritide agens, postquam enumeravit illa quæ contingunt morbo in perniciem tendente, dicit, (*a*) *At si in melius vergat, sanguinis è naribus larga profusio cum impetu succedit, túncque repentè morbus discutitur.* Adstipulatur etiam *Galenus*, utì alio in loco (§. 830. n°. 4.) notavi: postquam enim monuerat, phrenitidem quidem hæmorrhagiâ narium solvi, lethargum verò & peripneumoniam non gaudere hâc evacuatione, addit sequentia: (*b*) *Inter ipsas autem pleuritis medium obtinet locum: minùs enim quàm febris ardens & phrenitis; magìs autem quàm peripneumonia atque lethargus profluvio sanguinis solvitur.* Verùm optimè monuit *Trillerus*, plerumque servari pleuriticos Naturæ beneficio, etiam neglectâ sanguinis missione; si (*c*) *intra primum & quintum diem sanguis purpureus floridúsque affatim è naribus profluit.* Quod etiam aliquoties observavi: vidi & seriùs hæmorrhagiam narium ortam, cum levamine quidem morbi, sed non cum perfecta solutione; ita ut morbus in longum excurreret postea, & multis aliis evacuationibus indigeret, antequam sanaretur.

Idem videtur meritò exspectari posse à simili sanguinis evacuatione per vasa hæmorrhoidalia, quod & *Trillerus* (*d*) notavit. Fortè tamen non adeo frequenter contingit: saltem in plurimis, quos hoc morbo decumbentes tractavi, non novi unicum fuisse, cui morbi solutio per hæmorrhoidalem evacuationem contigit. Tamen veteres Medici monuerunt, hæmorrhoides à pleuritide præservare, & à suppressis malè hæmorrhoidibus pleuritidem quandoque fieri. Ita *Hippocrates* habet sequentia: (*e*) *Qui hæmorrhoides habent, neque pleuritide, neque pulmonis inflammatione, ... corripiuntur.* Testatur & se vidisse *Galenus*, à suppressis hæmorrhoidibus multos (*f*) *dolore lateris renúmque vexatos* fuisse. Adeóque non sine ratione & ad hanc evacuationem in hoc morbo attendendum jubent summi in Arte Viri.

II°. Monuerat *Hippocrates* quòd, (*g*) *in pleuriticis, urina subrubra habens læve sedimentum, securam judicationem significat.* Verùm ibi videtur eam potiùs pro signo habuisse bonæ coctionis quàm quidem pro evacuatione absoluta omnis materiæ morbosæ. Interim tamen si copiosa fluat talis urina,

(*a*) De caus. sign. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. x. pag. 9.
(*b*) De Crisib. Lib. III. cap. III. Charter. Tom. VIII. pag. 430.
(*c*) Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. xxxv. pag. 7.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Lib. de humorib. Comment. III. text. xxvi. Charter. Tom. VIII. pag. 576.
(*f*) Hippocrat. Lib. de Aliment. Comment. III. text. xxv. Charter. Tom. VI. pag. 271.
(*g*) Coac. Prænot. n°. DLXXXVI. Charter. Tom. VIII. pag. 887.

&

& plurimùm talis ſedimenti habeat, cum levamine omnium malorum, certi ſumus materiam morbi evacuari. Præcipuè autem ſpem habemus morbi ſic finiendi, ſi in initio hoc contingat, antequam per morbi longitudinem plura in corpore à ſanitate receſſerint. Si enim ſeriùs fiat, rariſſimè per ſolas urinas ſanatur pleuritis. Vidi hoc in pleuritico (cujus memini ad §. 587, ubi de criſi agebam) cui ſexto die morbi incredibilis copia urinæ profluxerat: non tantùm cum facilitate, ſed & cum oblectamento; & licèt tantam copiam laudabilis ſedimenti haberet urina emiſſa, levamen quidem fiebat inſigne morbi, minimè verò integra ſanatio. Videantur & illa quæ §. 304. n°. 4, de tali urina dicta ſunt, dum de peripneumonia agebatur.

III°. Qualis ſit illa materies, & quare bilioſa dicatur videri poteſt in *Commentariis* §. 830. n°. 3. Notavit & *Aretæus*, ſalubrem quandoque in pleuritide eſſe per alvum factam evacuationem; imò videtur & ſatis fortem alvi perturbationem laudaſſe, cùm utatur hâc phraſi (*a*) κοιλίης ἐκταραχθείσης χολωδέων; utì etiam de peripneumonia, ſimili evacuatione ſanata, agens utitur his verbis (*b*) κοιλίη ἐκτάραξις πολλῶν χολωδέων. *Hippocrates* autem, utì ad §. 830. n°. 3, dictum fuit, talibus utitur vocabulis, quæ (*c*) moderatam & lenem tantùm alvi evacuationem ſignificant. Vidi talem alvi evacuationem quandoque inſigniter profuiſſe, etiam poſt quartum diem. Et videtur *Aretæus* hoc etiam notaſſe, nam addit modò dictis ſequentia: (*d*) *Si ſecundâ verò hebdomade hæc inchoantur, decimo-quarto die ſanantur.* Notandum verò eſt, quòd in initio pleuritidis quandoque adſit fluxus alvi ſymptomaticus, noxius, & ſæpe periculoſus; minimè levans pleuritidis ſymptomata; unde *Aretæus* ſalutari futuræ evacuationi huic adjungit ſequentia: (*e*) *Spiratio conquieſcit, mens ad ſe redit, febres decreſcunt, ciborum appetentes ſunt.*

Hæc eſt ratio quare talem diarrhæam ſymptomaticam initio morbi ſupervenientem, tamquam (*f*) periculoſam, & plerumque, non tamen ſemper lethalem damnaverit eruditiſſimus *Trillerus*; ſæpius verò ſalutarem fuiſſe in morbi progreſſu (*g*) mitigatis jam ſævioribus ſymptomatibus, & propriis & aliorum Obſervatis confirmaverit.

IV°. De his abſceſſibus dixi in peripneumonia, ad numeros in textu poſitos.

V°. Docuerunt fideles Obſervationes, in morbis acutis inflammatoriis morbi materiem aliquando locum mutare; eventus autem bonus creditur hujus metaſtaſis, ſi ad talem partem corporis fiat, quam minori cum periculo occupare poteſt. Ita in phrenitidis Hiſtoria notatum fuit (vide §. 779.) dolorem ad pectus, pedéſque, vel & vehementem tuſſim ſupervenientem ſæpe ſolvere malum; pluribúſque ex libris *Epidemicorum Hippocratis* caſibus hoc tunc demonſtratum fuit. Sed & in *anginæ* Hiſtoria probatum fuit, (vide §. 809.)

(*a*) De cauſ. & ſig. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 9.
(*b*) Ibid. Lib. II. Cap. I. pag. 11.
(*c*) Prognoſtic. Comment. II. ſentent. LII. Charter. Tom. VIII. pag. 646. Ibid. ſentent. LXV. pag. 654.
(*d*) De cauſ. & ſign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 9.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Comment. de Pleuritid. Aphoriſm. general. n°. XXVII. pag. 5.
(*g*) Ibid. Cap. V. Ægrot. VIII. pag. 109. Confer. pag. 153.

causam materialem morbi locum mutare, & in alias partes transire quàm frequentissimè. Verùm tunc simul constitit, non semper felici eventu talem metastasin fieri, quámvis etiam materia morbi ad loca satìs dissita, & quæ minùs periculosa videbantur, derivaretur. Sola ergo solicita Observatio decursûs morborum docere poterit, quænam morbi metastasis utilis sit, & versùs quæ corporis loca tutò fieri possit.

Verùm quidem est, in pleuritide magnum periculum inprimis ideo adesse, quòd ob doloris acerbitatem inspiratio impediatur, adeóque suffocationis metus sit; vel si mitior fuerit morbus, nec resolvendus tamen, suppuratio periculosa timeatur, ob empyematis metùm. Adeóque multùm boni sperandum foret, si materia morbi locum mutaret: atque ad hunc scopum videtur & *Hippocrates* curam direxisse; dum suadet in curatione pleuritidis siccæ, post venæ-sectionem & alia remedia, latus affectum tegere (*a*) *fomentis tepentibus extrinsecus admotis, adeo ut morbus per totum corpus dispergatur.* Patuit tamen fidelibus Observatis, multùm differre pro felici eventu, versùs quas partes hæc metastasis fiat. Ita *Hippocrates* dixit, metuendas esse illas pleuritides, (*b*) *in quibus dolores supernè sunt.* Similia his alio & in loco (*c*) habet. Hæc & confirmantur illis quæ de phrenitide symptomatica, à tali metastasi ortâ, notavi ad §. 772.

Verùm & observavi, dolorem ex latere versùs abdominis inferiorem partem ivisse, absque bono eventu, nam post duodecim horas denuo latus occupabat dolor, & quidem longè acerbior quàm antea. In robusto homine pleuritico, decimâ tertiâ die morbi, dum jam in melius vergere videbantur omnia, subitò oriebatur dolor intensus in pede sinistro, absque ullo tumore, vel rubore, urina reddebatur tenuis, post aliquot horas delirabat, jacebat ἄφονος, moriebatur. E contra in alio viro, dum post binas venæ-sectiones satìs largas, fomenta calida nocte diéque applicata, &c, jam mitigaretur admodum dolor pleuriticus, quarto die morbi oriebatur dolor validus circa pedis utriusque pollicem prope metatarsum, & statim dolor lateris & febris aberant omnino, & felicissimè sanabatur. Notandum etiam, quòd nullam unquam podagram antea passus fuerit ille æger, neque, quantùm novi, postea hoc morbo laboraverit. Quàm dispar eventus à metastasi ad partes corporis inferiores!

Ubi autem humerum, scapulas, dorsum, dolor occupat, cum levamine doloris pleuritici manifesto, læta prognosis est, & evadunt ferè omnes: saltem non memini, me ullum vidisse pleuriticum, qui periit hoc morbo, dum illa metastasis ad has partes aderat. Quam rem & suis Observatis confirmat (*d*) eruditissimus *Trillerus.* Fortè notari meretur, quòd illi dolores sæpius contingant sexto die morbi, saltem sic vidi relegendo Historias pleuriticorum, qui meæ curæ commissi fuerunt; & apud *Trillerum* ex octo ægris,

(*a*) De Morb. Lib. I. Cap. XI. Charter. Tom. VII. pag. 547.
(*b*) Coac. Prænot. n°. CCCLXXXI. Charter. Tom. VIII. pag. 873.
(*c*) Ibid. n°. LXXIII. pag. 856.

(*d*) Commentat. de Pleuritid. Aphorism. general. n°. XXIX. pag. 5. 6. Confer. Cap. II. n°. XLIV. pag. 37. 38. Cap. V. Ægrot. I. pag. 69. 70. Ægrot. II. pag. 77, &c.

quibus illi dolores contigerunt, quinque perceperunt hanc morbi mutationem sexto die. Præterea non videtur illa metastasis morbum tollere, sed potiùs salutaris crisis esse nuncia.

Hippocrates videtur hæc symptomata, pleuriticis quandoque contingentia, observasse quidem, sed non monet, inde præsagium ferè certum pro salute ægri desumi. Ita enim habet: (*a*) *Quòd si dolor quidem ad claviculam suî det signum, aut ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transversum, sit gravitas, internam cubiti venam secare juvat, neque copiosum sanguinem detrahere cunctandum est, usque dum multò rubicundior, aut pro puro & rubicundo lividus fluat, nam utrumque contingit.* Similiter & venæ-sectionem commendat in hoc casu alio loco (*b*) ejusdem libri. Interim felicem curam vidi, utì & *Trillerus* suis Observatis confirmat, licèt nulla venæ-sectio institueretur, postquam hi dolores aderant in humeris, scapulis, & dorso. Tamen & alter textus *Hippocratis* in eodem libro habetur, qui videtur docere, quòd aliquid boni à dolore circa claviculam in pleuritide exspectaverit. Dicit enim: (*c*) *At venæ-sectio non peræquè dolorem solvit, nisi dolor ad claviculam pertingat.*

Fortè in quibusdam epidemicis constitutionibus & aliæ metastases salutares fiunt in pleuritide. Ita *Baglivus* in variis Italiæ xenodochiis observasse se testatur quòd (*d*) *pleuritici, quibus in interiora auris dolor, & exinde abscessus & pus superveniebant, omnes sanabantur.* Præsertim & Romæ, dum post rigidissimam brumam sævissimæ pleuritides grassarentur.

VI°. Quanti fecerint sputorum evacuationem in pectoris morbis veteres Medici, patuit ex illis quæ ad §. 830. n°. 2, dicta fuerunt, ubi agebatur de peripneumonia per hanc evacuationem toties feliciter curatâ. Verùm & constat ex locis Veterum allegatis ibidem, quòd & similem sputorum effectum in pleuritide observaverint. Ita & *Aretæus* laudavit sputa in hoc morbo, (*e*) *Hæc si tertio die incipiunt, & facilè extussiunt lævia, æqualia, humida, rotunda.* Vidimus antea ad §. 876, quòd siccas pleuritides habuerint omnium difficillimas Antiqui, & quòd veræ pleuritidi propriam hanc excretionem crediderit *Galenus*, dum monet, (vide §. 878.) spuriam pleuritidem (*f*) per sputa non expurgari. Licèt autem *Sydenhamus* (*g*) expectorationi materiæ morbosæ in pleuritide non confidere videatur, sed per venæ-sectionem potiùs curam aggredi voluerit, tamen, dum pleuritidis symptomata enarrat, fatetur quòd (*h*) *febris cum funesto comitatu omni, tussi scilicet, sputo sanguinis, dolore, &c, pro ratione liberioris materiæ morbificæ expectorationis, sensim minuitur.* Locum tamen affectum in hoc morbo pleuram vel musculos intercostales statuit, de qua sede pleuritidis actum fuit ad §. 875.

Captu tamen difficile fuit visum multis, quomodo per sputa ex pul-

(*a*) Lib. de Morb. Acut. vict. Comment. II. text. x. Charter. Tom. XI. pag. 41.
(*b*) Comment. IV. text. LXV. pag. 159.
(*c*) Ibid. Comment. I. text. VIII. pag. 41.
(*d*) Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. §. I. pag. 34.
(*e*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. X. pag. 9.
(*f*) De Loc. affect. Lib. V. Cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 488.
(*g*) Sect. VI. Cap. III. pag. 337. 338.
(*h*) Ibid. pag. 331.

mone prodeuntia exire possent morbi materia; quæ lateribus impacta hæserat, nisi pulmo simul affectus esset. Licèt autem sufficiat Medico fideli Observatione cognovisse, talem evacuationem factam esse, quámvis modum & vias non dilucidè intelligat; interim tamen & multa sunt Observata quæ docent, pulmonem contiguos sibi humores imbibere, illósque dein tussi rejici. Ita *Galenus* observavit, (*a*) *Mulsam quæ injecta in pectus fuerat, ex pulmone exspui;* & ut confirmaret hanc rem, alibi notat ubi ossa fracta sunt, (*b*) *Inviolatâ cute, quæ fracturam tegit, effundi cruorem, sic ut fascias impleat, quámvis cutis membrorum densior multò sit, quàm membrana quæ costas amplectitur.* Sed & *Diemerbroeckius* (*c*) testatur, quòd in empyemate laborantibus, post institutam thoracis paracentesin, infuderit injectiones abstergentes amaras, quarum saporem perceperunt, & bonam quoque partem per sputa rejecerunt. Præterea *Helvetius* (*d*) notavit, pleuræ propaginem investire superficiem externam & internam pulmonis. An ergo continuitate quasi membranæ pleuræ, mobilis jam reddita materia morbi in pulmonis bronchia venire potest? An contiguus lateribus pulmo, concretus sæpe & inventus post pleuritidem, illam in se recipit? Satìs benè dixit *Cælius Aurelianus*, (*e*) *Et tussita itidem sputa per pulmonem feruntur, siquidem in ipsum veniant ex vicinis, accepta per vias mente sensas, quas λογοθεωρήτους appellant.*

Interim tamen & laudabilis celeberrimi *Lancisii* industria videtur non infeliciter vias invenisse, per quas posset directè ex omnibus locis, quæ pleuritis occupat, materia morbi venire iu pulmones, & per sputa excerni. In dissertatione enim epistolari *de Vena sine pari* (*f*) notat, orificium venæ azygæ in cavam dehiscens semi-circulo musculari instar hemi-sphincteris cum peculiari nervo munitum esse: præterea illa insertio venæ azygæ in cavam fit ante asperam arteriam, sub sterno, priusquam illa in duos majores bronchiorum ramos dividitur, atque ibi loci truncus venæ azygæ, & portio venæ cavæ cum aspera arteria nectitur, non tantùm per simplicem adhæsionem, sed per validas etiam fibras & minuta vasa, quæ ad internam tracheæ faciem usque penetrant, utì pulchro Experimento detexit *Lancisius*. Venam enim cavam superiorem supra & infra locum, ubi vena azyga ipsam ingreditur, vinculo constrinxit, sanguine priùs educto; dein per foramen apertum in azygæ trunco tepidam aquam injecit croco tinctam; statímque vidit subcroceum liquorem per os naré sque exire, dum caput supini cadaveris extra tabulam propenderet. Quinimo discisfâ secundùm longitudinem, sub cartilagine thyroidea, asperâ arteriâ, vidit post

(*a*) Method. Medend. Lib. V. Cap. VIII. Charter. Tom. X. pag. 115.

(*b*) Hippocrat. Lib. de Articul. Comment. III. text. LVIII. Charter. Tom. XII. pag. 394.

(*c*) Anatom. Lib. III. Cap. XIII. pag. 307.

(*d*) Académ. des Sciences année 1718. Mémoires, pag. 25. 26.

(*e*) Acutor. Morbor. Lib. II. Cap. XVI. n°. XCVIII. pag. 116.

(*f*) Habetur in editione Romana secunda de motu cordis & aneurysmatibus, pag. 373. & in adversar. Anatom. V. Morgagn. pag. 72.

novam injectionem ex superiori interna ipsius tracheæ superficie, quæ cavæ venæ trunco & azygæ insertioni in illam subjacet, flavum ichorem excitatis bullis per minima orificia stillantem. Alio deinde Experimento probavit, tales meatus longè numerosiores, & magìs patulos, aperiri in tracheam ex vena azyga, quàm ex cavæ venæ vicina parte pariter asperæ arteriæ ibi adhærenti.

Si jam considerentur illa, quæ in morbis observantur, non levis oritur suspicio quandoque per hanc viam in tracheam evacuari pleuritidis causam materialem, jam coctam & mobilem redditam. Notavit *Lancisius*, sæpe se observasse, quòd ægri pleuritide laborantes ante quartum diem cruentam, mox etiam albam & coctam, materiam spuerent, quam non hauriebant à profundo pectoris, sed monstrabant ægri illum locum, ubi sub sterno azyga vena in cavam aperitur.

Hæc tamen videtur esse difficultas in hac opinione, quòd sanguis venæ sine pari cavo contentus, faciliùs per ejus orificium elabi possit in cavam venam, quàm adigi per angustos tubulos, qui ex hac vena in tracheam patent. Si autem circa hoc orificium venæ sine pari major fiat resistentia exituro sanguini, tunc videtur hoc fieri posse. An ille apparatus, dimidium sphincterem referens, qui aperturæ venæ azygæ apponitur, illam claudere potest? An ob impeditam respirationem in pleuritide, dum pulmo difficiliùs sanguinem cordis dextri transmittit, vena cava sanguine plùs distenta, non tam libere recipit sanguinem venæ azigæ? Vidit *Lancisius* in cadaveribus illorum, qui ex sæva pleuritide, in peripneumoniam & septi inflammationem abeunte, perierunt, ramos venæ azygæ illius lateris, quo ægri primùm doluerant, varicosos fuisse. In cadavere viri, qui ex præcordiorum inflammatione decesserat, observavit polypum insignis magnitudinis, qui ex trunco venæ sine pari in cavam, & ad dextram usque cordis auriculam, propagabatur: unde verosimile videtur, impediri quandoque in morbis liberum exitum sanguinis ex vena azyga in cavam.

An musculus triangularis sterni, dum agit premens hunc locum, aliquid ad hanc rem conferre potest? Certè *Lancisius*, ab ineunte ætate pectoris doloribus subinde & catarrhis laborans, sensu percipiebat, cocti sputi partem majorem ab hoc eodem loco prodire, non verò ex imis pulmonibus; credidítque se sputum per vim musculi triangularis faciliùs foras propellere potuisse.

Sive jam materies morbi soluta, mobilísque reddita, contiguum pleuræ pulmonem, quandoque & his morbis accretum, ingrediatur, sive per venæ sine pari propagines in asperam arteriam transeat, sive ex vena sine pari in cavam veniat, hinc in cor dextrum, & dein in pulmonem pulsa, inveniat viam per vasa aerea pulmonis (quod fieri posse probatum fuit ad §. 830. n°. 2.); certum est per Observata Practica, pleuritidem per sputa sanari. Interim tamen non omnia sputa levant hunc morbum: hinc videndum, quænam requirantur conditiones, ut à sputis sanatio morbi sperari possit.

Debet sputum esse liberale, satìs magnâ copiâ excretum & facilè: sem-

per enim ferè per tussim de superficie interna tracheæ aliquid mucosi abraditur. Verùm hoc non minuit morbi causam. Illam autem minui novimus, si cum sputo prodeunte minuantur dolor & reliqua symptomata, adeóque manifestum levamen percipiant ægri. Unde *Hippocrates* generalem hanc regulam posuit (utì & antea ad §. 830. n°. 2, in peripneumoniæ Historia monui, (*a*) *omnia autem sputa mala sunt quæ dolorem non sedant . . . . . , omnium autem, quum exscreantur, optima, quæ dolorem sedant.*

Sine coryza. Si enim hæc adsit, ingens copia sputorum sæpe prodit, quæ sputa nihil faciunt ad materialem causam pleuritidis, sed tantùm mucum catarrhosum evacuant. Videtur & *Hippocrates* simile quid indicare voluisse, ubi de sputis bonis & malis, quæ in morbis apparent agit: subjungit enim sequentia: (*b*) *in omnibus autem morbis qui pulmonem exercent malum est gravedines atque sternutamenta præcessisse, & consequi.*

Mox *puriforme, album statim, vel ante diem quartum.* Pluribus egi de his sputis, & conatus fui rationem dare, quare puriformia dicantur, etsi alium colorem habuerint, quare in albedinem citò mutari debeant, in *Commentariis* §. 830. n°. 2. Vidi sæpius album illud coctum puriforme sputum sanasse pleuritidem: imò in muliere jam quinto mense gravidâ, dum secundo pleuritidis die sputum illud aderat copiosum, omnia symptomata levabantur illico, & quarto die morbi jam sana fuit. Primo morbi die venæ-sectio instituta erat, nec opus fuit illam repetere. Quod inprimis notandum, quia *Hippocrates* (*c*) absolutè lethalem in gravidis hunc morbum pronunciavit: & alibi, (*d*) *Mulierem utero gerentem, morbo quodam acuto corripi lethale* dixit. Quámvis autem jurè acerbam hanc prognosin limitaverit *Celsus*, solummodo docens, (*e*) *Mulier quoque gravida acuto morbo facilè consumitur*; tamen certum est, pleuritidem graviditatis tempore natam, semper esse magìs periculosam.

Interim tamen non sola illa sputa alba cocta prosunt, sed & flava illa cum pauco sanguine admisto. Vidi & quandoque sputa tenacia, rubro sanguineo colore tincta, æquabiliter cum levamine, initio hujus morbi excreta. *Galenus* (*f*) explicans textum *Hippocratis*, satìs certè difficilem, & ob brevitatem obscurum, quo vetat sanguinis missionem in illis, qui sanguinolenta exspuunt (αἱματώδεα) si adsit pleuritis, dicit se vocatum fuisse ab ægro, qui credebat se hæmoptoicum esse, cùm sanguinolenta (*f*) *ob lateris affectum exspuebat* (πτύσας αἱματώδες ἀπὸ πλευρῆς); licèt autem habitus & vires hujus ægroti tales essent, ut venam secuisset illi, si hæmoptysi laborasset, illud non fecisse, quia pleuritis mitis erat; addítque, hunc ægrum aliis remediis congruis, absque venæ-sectione, levatum fuisse: (*g*) *Mitissimi enim illi sunt*

(*a*) Prognostic. Comment. II. sentent. LI. Charter. Tom. VIII. pag. 645.
(*b*) Ibid. sentent. XLIX. pag. 643. Confer. Coac. Prænot. n°. CCCXCIX. Charter. Ibid. pag. 875.
(*c*) De Morb. Lib. I. Cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 533.
(*d*) Aphorism. Sect. V. n°. XXX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 213.
(*e*) De Medicin. Lib. II. Cap. VI. pag. 55.
(*f*) Epidem. Lib. VI. Comment. III. text. XLIV. Charter. Tom. IX. pag. 472.
(*g*) Ibid. pag. 473.

lateris morbi, in quibus cruenta sputa ejiciuntur. Ideo *Hippocrates* maximè salutares illas pleuritides affirmavit, in quibus flava cum pauco sanguine sputa prodirent, quæ dicuntur ideo, (*a*) *biliosæ simul & sanguineæ pleuritides*, (&) *plerumque nono aut undecimo die judicantur, & maximè sanantur.* Biliosa autem dicuntur hæc sputa à colore flavo, nam in (*b*) *Prognostico*, & in (*c*) *Coacis Prænotionibus*, idem illud sputum, quòd paulò antè χολώδεις biliosum vocaverat, ξανθὸν flavum appellat. *Duretus* autem (*d*) in Commentariis ad hunc locum monet, se non sine mœrore aliquoties vidisse, sanguinis missione tunc institutâ à Medicis imprudentibus, suppressa hæc sputa fuisse lethali cum eventu. Idem & suis Observatis confirmat (*e*) *Baglivus.*

§. 889. UBI signa accuratè observata docent, statum pleuritidis (875) adesse modò descriptum (888), tum Medico nihil mutandum; sed omnia continuanda incumbunt. Ergo neque venæ-sectio, neque evacuatio, vel mutatio alia instituenda. 1°. Victu molli, tenui; animi, corporísque quiete; aere temperato, calido, & humido; somno spontaneo, vel lenibus conciliato, medicamentis mollibus, tenuibus, levissimè aperientibus, utendum. 2°. Deinde evacuationi cuilibet singulari proficienti providendum: ergo in statu (888. n°. 1.) anus fovendus molli, laxante, aperiente fotu; aut, si minùs sic processerit, hirudinum applicatarum suctu. Si (888. n°. 2.) observatur; statim fomenta similia renibus, perinæo, hypogastrio apponenda; lenia diuretica aperientia danda; aer paulò minùs calidus curandus; sudor, & aliæ evacuationes, vitandæ; blanda clysmata diuretica prosunt. In casu verò (888. n°. 3.) similia fomenta emollientia toti obvolvenda abdomini; clysmata laxantia injicienda alvo; victus laxans instituendus: ubi denuo quartus status (888. n°. 4.) adest prævisus (838), & simul locus (839. 840. 841.) innotuit, tum utendum memoratis (859. 860. 861.) & aperturâ factâ, suppuratoriis locum aliquamdiu apertum tenentibus: deinde in casu (888. n°. 5.), præter communia, partes, in quas dolor migrat, fovendæ mollibus, calidísque, fricandæ leniter, stimulandæ emplastris parumper attrahentibus. Denique in ultimo dato (888. n°. 6.) tota res eadem ac in peripneumonia bona, adeóque omnia huc repetenda ex (850. 851.), & agenda.

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCLXXXVII. Charter. Tom. VIII. pag. 873.
(*b*) Comment. II. Sentent. I. Charter. Ibid. pag. 644.
(*c*) N°. CCCXC. pag. 874.
(*d*) Lib. II. cap. XVI. n°. IX. pag. 237.
(*e*) Prax. Med. Lib. I. cap. IX. pag. 36.

Ubi ergo pleuritide laborantem accedit Medicus, primò attendit, an morbus adeo benignus sit & levis, ut blanda resolutio exspectari possit (§. 887.) Symptomata levia, ægri laxa temperies (in duris enim & exercitatis corporibus talem morbi exitum vix sperare licet) hoc docebunt. Si autem morbi major intensitas adsit, ita ut cura per simplicem resolutionem non sit exspectanda, sed requiratur coctio & excretio materiæ morbosæ; tunc solicitè indagandum, an Artis auxiliis validis hîc opus sit, v. gr; sanguinis missione largâ, clysmatibus, aliisque, quæ nimium febris impetum moderari valent (vide §. 610.).

Deinde attendendum, an quædam phœnomena morbi doceant, naturam moliri talem coctæ materiæ evacuationem, vel depositionem ad alia loca minùs periculosa. Ubi de hac re constat, cùm Observationes Practicæ docuerint ab omni ævo, sic citò & tutò curari hunc morbum: facilè patet, nihil esse mutandum, sed statum præsentem conservandum esse, quod fit sequentibus.

I°. In omni morbo vitæ & viribus conservandis consulendum est; ad quem scopum cibi & potus serviunt. Verùm hæc ingesta non restituunt illa, quæ per vitæ actiones perierant de corpore, nisi priùs subacta & mutata fuerint per vires corporis superstites. Cùm ergo per morbum, etiam leviorem, langueat corpus; & multæ functiones minùs promptè perficiantur quàm in sanitate, patet facilè, talia in victu subministranda esse, quæ sanis humoribus jam ferè similia subigi possunt quàm facillimè. De hac re pluribus egi in cura generali febrium, §. 599. 600. 601. 602. Pleuriticis sapiens *Hippocrates* (*a*) ptisanæ hordeaceæ cremorem dabat, chylo jam ferè similem, ut humectaret corpus simul & aleret. Similia laudavit, utì & avenacea decocta *Trallianus* (*b*), & generatim talia exhibenda jussit, quæ humectent, nec tamen refrigerent aut calefaciant vehementer. Unde & simile moderamen aeris necessarium erit: quod quomodo, & per quæ obtineri possit, dictum fuit ad §. 605. n°. 2. 3. Cùm autem vigiliæ turbent etiam corpus firmum & sanum, somno potiùs indulgendum est; qui, si sponte non adsit, emulsis farinaceis ex amygdalis, seminibus frigidis, &c, conciliari poterit, additis levissimis anodynis, imprimis illis quæ ex papaveris erratici floribus parantur, quæ nunquam nocent. Validiora enim & narcotica hîc non requiruntur, cùm soleant sæpe multas corporis excretiones sistere. Huc etiam spectant corporis & animi quies, ut turbetur nihil, sed omnia pacata sileant in corpore, dum natura coquendæ & excernendæ materiæ morbosæ intenta est. Nec alia requiruntur remedia, quàm quæ diluendo omnes humores reddunt meabiles, & laxando vasa disponunt, ut facilè transmittant humores dilutos, qualia & laudata fuerunt ad §. 887.

II°. Quæ modò dicta sunt, conveniunt in omni excretione vel metastasi materiæ morbosæ: verùm & alia adhiberi possunt, & debent, ubi constat de loco, versùs quem materia morbi deponetur.

(*a*) Lib. de Morb. Acut. vict. Comment. I. text. XXVII. Charter. Tom. XI. pag. 23. Confer. Comment. IV. text. LXVII. LXVIII. pag. 160. 161.

(*b*) Lib. VI. Cap. I.

SI ERGO IN STATU (888. n°. 1.). Videantur illa, quæ circa hanc evacuationem in cura delirii febrilis ad §. 702, dicta sunt.

SI (888. n°. 2.) OBSERVATUR. Dictum fuit de his ad §. 853, ubi de simili evacuatione critica materiæ morbosæ in peripneumonia agebatur. Cùm autem per sudorem inprimis, utì & per alias evacuationes, avocetur quasi à renibus magna pars diluentis vehiculi, hinc & illæ vitandæ sunt. Hinc & laudatur aeris minor calor, quia sic & sudor cavetur, & etiam in sanis hominibus videmus, sub aere frigidiusculo minùs liquidi per cutis spira, plùs verò per renes, transire.

IN CASU VERÒ (888. n° 3.), &c. De his pariter actum fuit §. 852, quæ videri poterunt.

UBI DENUO QUARTUS STATUS (888. n°. 4.), &c. De omnibus illis in peripneumonia ad numeros in textu positos dictum fuit. Notandum autem est, tales abscessus citò aperiendos esse: non enim requiritur hîc maturatio crudi inflammatorii in bonum pus; verùm illud pus (vel puri analoga materies) alibi jam factum ad hæc loca deponitur tantùm, & sic subitò, abscessus nascitur; licèt cutis nullo modo mutata appareat; ut aliâ occasione ad §. 593, notavi.

Locus autem talis, post aperturam abscessus, irritatur leviter suppuratoriis remediis, ut Chirurgi vocant, sícque prohibetur, ne statim iterum concrescat, ut nempe detur occasio repurgationi sanguinis à materia morbosa, quæ cum illo fluit per vasa, & per hanc viam à natura, morbum curante indicatam, tutò exit.

Laudabat enim *Hippocrates*, utì ad §. 842, dictum, si tales abscessus, fistulosi quasi redditi, (*a*) manarent diutiùs; quod sic per Artem imitari conamur.

DEINDE IN CASU (888. n°. 5.), &c. Ubi nempe dolor ex latere transit ad humerum, manum, &c.

Fidelis Observatio docuit, levari sic morbum; adeóque Ars conatur per diluentia, attenuantia, &c, solvere, & mobilem reddere morbi materiem; simúlque leni frictione, fomentis mollibus, emplastris aromaticis, utì v. gr; de labdano, meliloto, vel similibus, fovere & leviter stimulare hæc loca, ut versùs illa faciliùs & citiùs derivetur illud, quod per salutarem metastasin huc deponendum erat. Videantur illa quæ ad §. 134, de derivantibus, attrahentibus, & propellentibus, dicta sunt.

DENIQUE IN ULTIMO DATO (888. n°. 6.), &c. Omnia hîc eadem sunt ut in peripneumonia, quæ per sputa curatur, adeóque ibi videri poterunt.

§. 890. ARTE autem, sine alio morbo, sanatur pleuritis hâc imprimis Methodo: si pleuritis (875) recens ante tertium diem finitum, magna ex symptomatibus validis (875. 883.), sicca (876), in robusto, exercitato, sicco corpore; sine

(*a*) Prognostic. Comment. II. sentent. LXVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 657.

ſpe vel præſentia (887. 888.) ; tum 1°. Cita, larga, accelerato fluxu celeris, ex magno vaſe, per magnum vulnus, miſſio ſanguinis inſtituenda, corpore quieſcente, ſupino, & reſpiratione, dum fluit, tuſſi, ſuſpiriiſque acceleratâ, loco affecto eodem tempore foto, & leniter perfricto; debet continuari in remiſſionem ſatìs notabilem doloris, vel ad prima ſigna deliquii animi; debet repeti ex conſideratione redeuntium denuo ſymptomatum, ad quæ tollenda prima inſtituta fuit; cruſta (384) abſens finem definit. 2°. Statim adhibenda fomenta, balnea tepefactoria, linimenta, emplaſtra, quæ laxando, reſolvendo, mitificando, avertendo, prodeſſe queant, (vid. 395. n°. 3. 398. n°. 6.). 3°. Tum ea medicamenta danda, quæ diluant, reſolvant, laxent, mitigent, refrigerent, dolorem leniant, aut ſopiant: quæ calida, humida, magnâ copiâ ſorpta, & ad locum affectum determinata, juvant, & pro mutatis phœnomenis varia aſſumenda ſunt, ſemper curando, ut eligantur illa, quæ putredini adverſiſſima. 4°. Victu tenui, molli, refrigerante, antiphlogiſtico eſt opus. 5°. Denique omne exſiccans, calefaciens, impetum augens, vitandum; ut calor aeris, ſolis, foci, lecti, victûs, medelæ.

Vidimus in præcedentibus, quomodo ope Naturæ pleuritis in ſanationem abeat, abſque multo Artis molimine: totum enim, quod Medico in illis caſibus agendum incumbebat, erat ut in benigna reſolutione ſtatum præſentem conſervaret, mutaret verò nihil. Ubi autem per coctionem & excretionem cauſæ ſanabatur pleuritis, loca & vias, per quæ hæc excretio futura prævidebatur ex ſignis, laxare, emollire, fovere conveniebat, vires ſuſtentare levi & blando alimento, diluere humores. Hæc ſufficiebant ad hunc ſcopum.

Verùm ſi pleuritis valida ſit, quod cognoſcitur dolore acerrimo, reſpiratione admodum impeditâ, febre validâ, tunc reſolutio illa blanda ſperari nequit; utì probatum fuit ad §. 386, ubi de inflamationis cura per reſolutionem agebatur. Si nulla ſpes ſit, materiam morbi citò coquendam & excernendam eſſe, & præcipuè, ſi nulla vel pauca ſputa abſque levamine ullo prodeant, tunc ſicca pleuritis dicitur, & concluditur facilè, ſponte ſuâ tam gravem morbum in ſanitatem minimè abiturum eſſe, imprimis ſi in robuſto & exercitato corpore fuerit talis morbus, utì monuerat *Hippocrates* dicens, (*a*) *Corpora exercitata ac denſa citiùs à pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt, quàm inexercitata.* Cujus Obſervationis ratio data fuit ad §. 386.

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCXCVIII. Charter, Tom. VIII. pag. 875.

Per Artem ergo tentandum est sedulò, ut absque alio morbo sanetur pleuritis. Patuit ex dictis ad §. 875, in tali pleuritide adesse veram inflammationem; adeóque omnes exitus inflammationis, in suppurationem, gangrænam, & scirrhum, hîc contingere poterunt. Exitus autem in suppurationem, licèt in partium corporis externarum inflammatione non semper adeo metuendus sit, hîc tamen meritò suspectus habetur, dum abscessus, pleuritidem inflammatoriam sequens, frequentissimè in cavum pectoris pus collectum effundat, unde empyema toties lethale nascitur. Omne ergo Artis molimen adhibendum est, ut exitus hujus morbi in abscessum præcaveatur.

I°. Constitit autem, ubi de cura inflammationis per resolutionem agebatur (§. 396.), præcipuum remedium esse ad hanc obtinendam, si copia humorum circulantium, & impetus eorumdem in loca inflammata, minuerentur per sanguinis missionem. Præterea acutus dolor, inspirationem impediens, in pessima pleuritide sæpe suffocat ægrum, antequam inflammatio in suppurationem abire possit. Verùm aliâ occasione (ad §. 141.), monui, *Galenum* (*a*) in febribus ardentissimis, inflammationibus maximis, & vehementissimis doloribus, largam sanguinis missionem commendasse, imò in talibus ad animi deliquium usque sanguinem detrahi jussit. Unde patet, urgentissimas esse rationes, quæ pro venæ-sectione in pleuritide militant.

Neque observavi unquam, nocuisse venæ-sectionem, licèt postea, mitescente morbo, coctio & excretio morbosæ materiæ sequerentur per varias illas vias, §. 888, enumeratas. Monitum quidem tunc fuit, à venæ-sectione abstinendum esse, dum illæ evacuationes præstò sunt, sed non aliter. Videantur Historiæ pleuriticorum, quæ in tractatu eruditissimi *Trilleri* antea jam laudato, habentur: patebit omnes illas excretiones successisse, ubi post repetitas etiam sanguinis missiones periculosus morbi impetus deferbuerat: quod & propriis Observatis in Praxi Medica confirmatum vidi. In valida enim pleuritide, licèt felici curâ materies morbi solvatur, & mobilis reddatur, vix unquam obtinet, ut hæc materia soluta sanis iterum assimiletur humoribus, cúmque illis absque ullo impedimento per vasa corporis moverit possit, sed semper ferè vasa sic stimulat, ut excitatâ sensibili quâdam evacuatione expellatur de corpore. Hoc ideo inprimis monendum erat, ne quis metueret in pleuritidis initio sanguinem mittere ideo, quia crederet, salubria illa Naturæ molimina impeditum iri.

Quámvis autem in tenella ætate, senio, mulieribus gravidis venæ-sectionem adhibere metuerint veteres Medici, hodie tamen constat certis Observatis, etiam in his venæ-sectionem tutò institui posse; tali tamen quantitate, quam ætas & vires indicant; utì alio loco (ad §. 610.), jam notavi.

Nec abstinui à venæ-sectione, si respiratio multùm impedita erat, licèt menstrua fluerent, & bono quidem cum successu. Pariter & in puerperis pleuritide correptis, licèt lochia fluerent, sanguinis missio profuit insigniter, quod & suis Observationibus confirmat (*b*) *Lamottius* qui, lochiis

(*a*) Lib. de Curandi ration. per venæ-section. Cap. XII. Charter. Tom. X. p. 441.

(*b*) Traité des Accouchemens, Liv. II. Chap. XXI. pag. 224.

bene prodeuntibus, repetitas etiam in brachio venæ-sectiones instituit.

Quámvis extra dubium sit, si hic morbus per Artem sanari debeat absque alio malo sequenti, conducere, ut quàm citissimè venæ-sectio instituatur; tamen & adultiori jam morbo, si in initio neglecta fuerit, conducit sanguinis missio. *Celsus* quidem notaverat de pleuritide agens, (*a*) *Remedium verò est magni & recentis doloris sanguis missus. At, sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est.* Et alibi de sanguinis detractione per venas agens, habet sequentia: (*b*) *Sed ut aliquando etiam primo dei sanguinem mittere necesse est, sic nunquam utile post diem quartum est, cùm jam spatio ipso materia vel exhausta est, vel corpus corrupit; ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum:* & verum quidem est, si valida inflammatio per quatuor dies duraverit, jurè metuendum esse, ne in suppurationem tendat: interim tamen constat, cum fructu longè seriùs adhuc in pleuritide sanguinem de venis missum fuisse. Notabile Exemplum legitur apud *Hippocratem* (*c*) de *Anaxione*, qui pleuritide sicca decumbebat, frustra calidis fomentis tentatâ: insomnis erat, sextâ die morbi delirabat, septima dies molesta erat; febris enim augebatur, nec dolores remittebant. Octavo die multùm sanguinis educebatur sectâ in cubito venâ, unde levamen doloris sensit, & post repetitas criticas evacuationes die trigesimo quarto prorsus judicatus est. Notat autem *Galenus* in Commentariis ad hunc locum, *Hippocratem* hoc disertè monuisse ideo, quia (*d*) *tum etiam Medici quasi lege certâ, ultra quartum diem venam non secabant.* Felici successu in curanda periculosissima pleuritide, pessimísque symptomatibus stipatâ, *Hippocratis* vestigia legit *Trillerus* (*e*), & octavo die morbi, libram circiter sanguinis, apertâ brachii venâ, detraxit, cum levamine insigni: imò ineunte die nono, dum suffocationis metus ingruebat, denuo ex pede sex septémve uncias sanguinis emisit; sícque hunc ægrum ex ipsis orci faucibus eripuit.

Hippocrates quidem, ut ex modò memoratâ *Anaxionis* pleuritici Historiâ patuit, videtur per calida & mollia fomenta tentasse priùs, an dolor posset minui, antequam ad sanguinis missionem procederet: imò alibi disertè hoc asserit, (*f*) *lateris autem dolorem, sive is per exordia sive postea obortus sit, tentare, calidis quidem fomentis primùm dissolvere, non dissentaneum est. Alexander Trallianus* (*g*) eadem commendat, monens tamen, illico vacuandum esse, si fomentis dolor non cedat, sed potiùs augeatur. In leviori pleuritide incipiente, absque febre valida, nec respiratione admodum impeditâ, hoc tentari quidem posset, quia tunc multa spes blandæ resolutionis (§. 887.), vel saltem felicis & subitæ coctionis & excretionis adest. Verùm ubi va-

(*a*) De Medicin. Lib. IV. Cap. VI. pag. 209.

(*b*) Ibid. Lib. II. Cap. X. pag. 80.

(*c*) Epidem. Lib. III. Comment. III. text. LXXIX. Ægrot. VIII. Charter. Tom. IX. pag. 302.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Commentat. de Pleuritid. Cap. V. Ægrot. VII. pag. 99.

(*f*) Lib. de Morbor. Acutor. vict. Comment. II. text. I. Charter. Tom. XI. pag. 36.

(*g*) Lib. VI. Cap. I. pag. 268.

lida & ficca pleuritis adeft, memores oportet effe optimi moniti; quod *Aretæus* habet in ipfo initio capituli, ubi de curatione hujus morbi agit, (*a*) *Nulla moræ atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valenti remedio fuccurramus, datur occafio* Ideóque voluit, eodem die venam incidendam effe, nifi morbus ab ingurgitatione ciborum & potuum proveniffet, tunc enim diei unius abftinentiam præmitti maluit.

Sanguis ergo mittatur quantocyùs, & quidem fatis magnâ copiâ, habitâ tamen ratione ætatis & virium in diverfis ægris: pulcherrimè juvat, fi ex vena majori, per vulnus amplum, celeri fluxu exeat: hinc in cubito præftat venam aperiri, quàm in manu. Non enim hæc fanguinis miffio inftituitur tantùm ideo, ut copia minuatur, fed etiam, ut, fubitâ tali depletione factâ; arteriæ obftructæ, minùs jam urgente fanguine arteriofo, contractæ retropellant maffulas obftruentes in majores ramos (vide de hac re §. 141, n°. 1.), fícque tollatur inflammatio. In eumdem fcopum locus dolens illo tempore, dum fanguis de vena fecta fluit, fovetur & leviter perfricatur. Ubi autem largâ tali & fubitâ venæ-fectione opus eft, præftat ægrum fupinum in lecto jacere, fic enim abfque animi deliquio faciliùs hanc fanguinis jacturam feret, quàm fi federet erectus.

Quandóque contingit in pleuritide adeo fævum dolorem effe, ut pectus vix ullo modo dilatare poffint; hinc pulmones parùm fanguinis tranfmittunt, atque ideo venæ quidem plenæ funt, fed aorta paucum fanguinem recipiens non urget magnâ vi fanguinem venofum, unde ex vena aperta fæpe parùm fanguinis effluit. Simul ac verò fufpirando pulmonem magis dilatant ægri, vel tuffiendo illum concutiunt, fanguis cum impetu exit. Obfervavit hoc *Tulpius* (*b*) in muliere pleuritica, & monet Medicos, ut in fimili cafu tuffim excitent. Ægri enim tales quandoque adeo fævum dolorem patiuntur, ut à minima dilatatione pectoris ferè convellantur. Unde illis perfuadere non poteft fæpe Medicus, ut infpirent fortiùs. Optimum tunc eft vini, vel aceti calidi, cochlear unum alterúmve dare titulo cardiaci remedii, vel eadem naribus fupponere; fic enim invitis etiam excitatur tuffis, & fubitò fæpe dolor pleuriticus ceffat, vel faltem infigniter minuitur.

Sanguinis educendi copia varia eft, pro diverfa ætate & viribus ægri, ut facilè patet. *Sydenhamus* in adultis (*c*) *ad uncias decem aut circiter mittendum* curavit: quandoque & majori copiâ tutò educitur, in prima præcipuè venæ-fectione. Præftat ut Medicus adfit, & pro re nata copiam determinet præfens. Plerumque folet continuari, donec liberiùs infpirare poffint, dolore multùm imminuto. Si in peffima pleuritide non remittat dolor (quod raró fit, nifi feriùs fanguinis miffio inftituta fuerit) pergimus evacuando eò ufque ac prudentia permittit; ad prima nempe figna animi deliquii, quæ funt pallor in oculis, labiis, vultu, pulfus languidus, fudoris guttulæ in fronte; túncque illico claudenda vena eft. Solicitè mo-

(*a*) De curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 89.
(*b*) Obfervat. Medicar. Lib. II. Cap. III.
(*c*) Sect. VI. Cap. II. ubi de curation. pag. 335.

nuit *Aretæus*, vitandum esse hîc animi deliquium; (*a*) *namsi refrigeratur corpus, animo destituitur, pulmoniam invadere periculum est.* Dum enim in lipothymia cor quiescit, sanguis, in sinu venoso, auriculâ & cavo dextro cordis, stagnat per aliquot sæpe minuta, & ob inflammatoriam in hoc morbo sanguinis spissitudinem in concretionem admodum pronus est, unde jam concrescere incipiens, dum excitabitur ab animi deliquio æger, moveri debebit per pulmonem, ibíque hærere poterit immeabilis in pulmonalis arteriæ angustiis, sícque peripneumoniam, ipsâ pleuritide periculosiorem morbum, producere.

Verùm ut plurimùm contingit, dolorem pleuriticum, primâ venæ-sectione imminutum, recrudescere denuo æquè acerbum: tunc repeti debet venæ-sectio, & quidem toties, quoties urgens dolor & respiratio impedita subitum & efficax levamen poscunt. Sic observavit *Sydenhamus*, raro (*b*) *pleuresin confirmatam in adultis tam minori quàm 40 circiter unciarum sanguinis impensâ sanari; licèt in pueris semel tantùm aut bis secuisse venam ut plurimùm suffecerit.* Imò quandoque adeo pertinax morbus est, ut longè majorem jacturam sanguinis requirat, repetitis frequenter sanguinis missionibus. Observationes plurimæ optimorum Medicorum hoc testantur. In puerpera, octavo à partu die acerbissimo lateris dolore correptâ, necesse habuit *Tulpius*, (*c*) *ter pedis, & quinquies brachii, exsolvere venas*, antequam vinci potuerit rebellis morbus. Evasit tamen ægra è tanto discrimine, licèt præter tot sanguinis evacuationes adhuc ingens alvi profluvium sustinuerit. Similis casus ferè habetur apud (*d*) *Lamottium.*

Unicam pleuritidis curam in venæ-sectione repetita, si pergant vel renoventur symptomata vehementia, *Sydenhamus* (*e*) posuit; testatúrque, se nunquam aliquid damni à sanguinis detractione, quæ tam larga imperitis videri potest, observasse. Hoc fecit, ut quidam pergerent venam secando, si vel minimæ pristini doloris reliquiæ forent, donec ægros exhaurirent omnino; unde vel mors sequebatur, vel morbi chronici languidissimi, & inprimis hydrops. Sed non ritè mentem *Sydenhami* perceperant: disertè enim monet, tunc repetendam esse sanguinis missionem, (*f*) *ubi scilicet dolor atque alia symptomata admodum sæviunt.* Licèt enim aliquis dolor & levis febris maneant, si non inde impediatur respiratio insigniter, neque à nimio febris impetu aliquid metuendum videatur (de his vide §. 609.), præstat non ampliùs evacuatione tali vires imminuere, quæ requiruntur ad subigendum illud, quod de morbo adhuc superest.

In morbis inflammatoriis plerisque, & inprimis in pleuritide, dum sanguis de vena eductus secessit in serum & partem rubram, observatur in parte superiori insulæ, alba, subcærulescens, pellis quandoque aliquot lineas crassa tenacissima, & vix per novaculæ aciem dividenda (de hac vide §. 384.);

(*a*) De curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 99.
(*b*) Sect. VI. Cap. II. pag. 336. 337.
(*c*) Observat. Medic. Lib. II. Cap. II.
(*d*) Traité des Accouchemens, Liv. II. Chap. XXI. pag. 224.
(*e*) Sect. VI. Cap. II. pag. 338.
(*f*) Ibid. pag. 336.

quamdiu autem illa pellis in sanguine educto insulæ accreta conspicitur, tamdiu statuerunt Medici in hoc morbo sanguinem utiliter missum esse. *Sydenhamus* verò, utì ad §. 384, dictum fuit, monet, hujus pellis generationem sæpe impediri in sanguine pleuriticorum, (*a*) *si sanguis è secta vena non recto flumine versus horisontem prosiliat, sed per cutim repens perpendiculariter dimanet;* adeóque fallere posset hoc signum. Celeberrimus *Trillerus* tamen testatur, se crustam illam pleuriticam albicantem invenisse, licèt sanguis (*b*) *ad perpendiculum stillatim & lentè extortus proflueret.* Memini me & idem observasse tam in pleuriticis, quàm in sanis hominibus, quibus prophylaxis causâ, vena secabatur. Certioria signa habentur de venæ-sectionis auxilio adhibendo ulteriùs, vel non, ex acerbitata vel remissione doloris, & reliquorum symptomatum, ægrotantísque viribus. Imò, licèt magna debilitas adsit, si tamen omnia symptomata atrociter recruduernit, nullum aliud auxilium superest, quàm de novo sanguinem mittere. Memorabilis casus apud *Trillerum* habetur, qui docet, quantùm possit in desperato etiam casu felix cordati Medici audacia. In juvene enim & valido venatore, acutissimâ pleuritide correpto, post binas satìs largas venæ-sectiones, dum morbus in melius jam mutari videbatur, quinto die omnia morbi symptomata quàm vehementissimè recruduerunt, & frustra injecto clysmate, applicatísque vesicatoriis, jamjam moriturus videbatur. In utroque pede, jam frigido, calidâ aquâ foto, lanceolâ infligebatur vulnus amplum, sed ex sauciis venis ne gutta quidem sanguinis prodibat, fervida aqua affundebatur pedibus, ita ut (*c*) *bullulæ excitarentur in ægroti pedibus, & epidermis abscederet,* túncque satìs largâ copiâ sanguis exivit, tali cum effectu, ut reviisceret semi-mortuus non tantùm; sed & feliciſſimè postea sanaretur.

Helmontius quidem ad ravim usque clamavit, (*d*) *cruentum Moloch Cathedris præsidere Medicis*, damnavítque absolutè (*e*) omnem venæ-sectionem in hoc morbo. Acidum hostile, pleuræ & intercostalibus locis infixum, (*f*) quod spinam pleuriticam vocabat, educendum vel corrigendum voluit, parcendum vitali sanguini. Tenta miracula perficere se posse credidit (*g*) cervini vel taurini priapi pulvere, succho cichorei sylvestris, floribus papaveris sylvestris, pluribúsque aliis: verùm inprimis (*h*) hircino sanguine, si nempe pedibus posterioribus ad cornua alligatis abscinderentur testes vivo animali, & manans ad mortem usque cruor colligeretur, qui siccatus dein, & molesto labore in pulverem tritus, dabat nobile illud anti-pleuriticum remedium. Bonâ interim fide egit, nam in proprio corpore tentavit quod aliis suadebat, remedium. Describit enim in eodem capitulo proprium morbum, & patet satìs ex propriis dictis, non fuisse solutam pleuritidem his remediis, sed in periculosam suppurationem abivisse potius. Imò ex præfatione quam filius *Fran-*

(*a*) Sect. VI. Cap. III. pag. 334.
(*b*) Commentat. de Pleuritid. Cap. II. n°. XXVII. pag. 27. Confer. n°. XXVIII. pag. 27. 28.
(*c*) Ibid. Cap. V. Ægrot. I. pag. 68.
(*d*) Ortus Medicin. Tractat. *Pleura furens*, n°. XXXIV. pag. 322.
(*e*) Ibid. n°. XVI. pag. 319.
(*f*) Ibid. n°. XIII.
(*g*) Ibid. n°. XXXII. pag. 322.
(*h*) Ibidem.

ciscus *Mercurius Helmontius* operibus paternis præfixit, constat, illum bis pleuritide laborasse, & ultimo vitæ tempore adeo anhelo pectore fuisse, ut vel epistolium breve scribentem, vel loquentem diutius, respiratio destitueret. Multos tamen habuit sequaces, non sine damno; & adhuc hodie similia remedia ut specifica anti-pleuritica jactantur, quæ facilè quidem permitti possunt, cùm non turbent corpus, modò unà cum his efficaciora longè auxilia adhibeantur.

Nec obstat huic curandi Methodo, quòd quandoque rari tales casus contigerint, in quibus venæ-sectio non videbatur profuisse, licèt symptomata pleuritidis adessent. Ita in *Actis Edinburgensibus* (*a*) memoratur, quòd mense Februario anni 1736, grassarentur in Scotiæ metropoli pleuritides satìs difficiles, in quibus sanguinis eductio nocere potiùs observabatur, quàm prodesse. Verùm si symptomata ibi recensita considerentur, morbus ille à pleuritide verâ diversus fuit. Biliosus enim ab initio vomitus aderat, & post biduum tantùm succedebat dolor punctorius circa ultimas costas, cum difficultate respirationis & tussiculâ: pulsus nec frequens nec plenus erat, sanguísque emissus fuscus, flavus, vel & viridis, observabatur, vix congulatus.

Nec latuerunt similes morbi *Sydenhamum*, qui adeo peritus erat in detegendo diversorum morborum epidemicorum genio. Antea jam dixi ad §. 880, ubi de pleuritide symptomatica agebatur, quòd egregius ille Vir monuerit, febres epidemicas quandoque (*b*) *à repentina aliqua manifestarum aeris qualitatum alteratione materiam morbificam in pleuram aut pulmones libenter deponere*, licèt tamen maneat idem genius febris illius epidemicæ; ideo disertè monet sequentia: (*c*) *At verò si febris* (epidemica nempe) *repetitam venæ-sectionem respuat, neque juvabit ista, imò & nocebit in pleuritide, quæ cum febre stabit cadétve*. Imò & apud *Hippocratem* memorabilis textus habetur, qui modo dicta confirmat; dicit enim (*d*) *Dolores juxta latus in febribus, tenuiter consistentes, citra notas, venæ-sectio lædit, sive cibum aversetur æger, sive hypochondrium elevatum habuerit*. Legit quidem aliter *Duretus* (*e*) hunc textum; loco enim ἐν πυρετοῖσιν *in febribus*, voluit ponendum esse (*e*) ἀπυρετοῖσιν *febris expertibus*: verùm egregius ille Vir ex conjectura hoc statuit, nec probat ex codicibus manuscriptis ita legendum esse hunc textum. Pulchre certè respondet ille locus Observatis recentiorum Medicorum de pleuritidibus symptomaticis. Nam nec dolor in illis adeo vehemens esse solet: hinc dixit *Hippocrates* ἰσχνῶς ἑστηκότα, gracilis enim, tenuis, parvus, voce ἰσχνῶς significatur. Præterea & addidit, quòd sint ἄσημα, id est, reliquis veræ pleuritidis signis non stipata. Et in illa pleuritide symptomatica in Scotia observata aderat & ægritudo stomachi, & levamen insigne à leni vomitorio. Frequenter certè invenimus, difficiles in Praxi Medica casus in *Coacis Prænotionibus* notatos esse non tantùm, sed & saluberrima circa curationem morborum & ibi monita deprehendimus.

(*a*) Med. Essays, Tom. V. part. I. pag. 32. 33.

(*b*) Sect. V. Cap. v. pag. 310.

(*c*) Ibid. pag. 311.

(*d*) Coac. Prænot. n°. ccccxci. Charter. Tom. VIII. pag. 880.

(*e*) Interpretat. in Coac. Lib. II. Cap. xxvi. Corollar. pag. 387.

Disputatum

Disputatum fuit quàm acerrimè inter Medicos olim, an in pleuritide vena secari debeat in brachio affecti lateris, an verò in opposito. Utraque opinio multis auctoritatibus stabiliebatur. *Hippocrates*, *Galenus*, *Celsus* militant potiùs pro brachio lateris affecti; *Aretæus*, *Aetius*, *Cælius Aurelianus* in opposito latere venæ-sectionem instituendam suaserunt. Ab octavo sæculo usque ad decimum sextum, adeóque per octingentos annos, & ultrà, ferè omnes Medici venam secabant in pleuritide in brachio opposito dolenti lateri. Postquam verò ineunte sæculo decimo sexto *Galeni* & *Hippocratis* opera, relictis, vel saltem minori in pretio habitis Arabibus Scriptoribus, inceperunt evolvi à Medicis, & per Artem Typographicam jam inventam faciliùs comparari poterant ab omnibus pretiosi illi Artis Medicæ thesauri, mutata fuit rerum facies, & ab eruditissimis viris Arabum opiniones conferebantur cum *Hippocratis* & *Galeni* placitis, & repudiabantur, si cum illis non convenirent. *Petrus Brissotus*, in Parisiensi Schola anno 1514, Medicinæ Doctor creatus, explosis Arabum libris, incepit *Galeni* quædam volumina (*a*) publicè explicare. Cúmque ibi invenisset laudari venæ-sectionem in brachio lateris affecti, ausus fuit primus se torrenti opponere, & à recepto dudum more recedere. Felix successus in pleuritide epidemica, initio sæculi decimi sexti in Gallia grassante, fecit, ut plures illum sequerentur insignes Medici. Paulò post in Lusitaniam profectus fuit, & ibi ausus res novas moliri; sed magno nisu se opposuit Archiater Lusitaniæ Regis, & hâc controversiâ delatâ ad Academiam Salmanticam, statutum fuit, (*b*) *ne ulli Medicorum liceret in pleuritide secare venam è directo lateris affecti*; quod decretum postea mitigatum tamen fuit. Imò ferè importunis solicitationibus motus fuisset *Carolus Quintus Romanus Imperator*, & *Hispaniarum Rex*, ut publicâ auctoritate proscripsisset *Brissoti* hanc sententiam. Meretur de his omnibus legi *Renati Moræi* egregius Tractatus, ubi Chronologico ordine recensentur præcipuorum Auctorum de hac re opiniones, & simul habetur *Brissoti* vita.

Postea videtur impunè licuisse omnibus, ut vel Arabum, vel *Hippocratis* & *Galeni* Methodum sequerentur: imò post circulationem detectam plurimi fuerunt in illa opinione, non esse magni momenti rem, ex quo brachio sanguis mitteretur, modò ex largo vulnere, & satìs magnâ copiâ, in principio morbi educeretur. Interim tamen & hoc sæculo de eadem hac re disputatum fuit inter celeberrimos Medicos Parisinos, *Silvam*, & *Chevalierum*. Cùm autem in similibus controversiis multum pondus habeat solicita Observatio illorum, quæ prosunt vel nocent in morborum curationibus, videtur illa sententia, quæ venæ-sectionem in brachio lateris affecti suadet, tutissima esse. *Brissoti* felicitas in curanda pleuritide epidemica (*c*), dum in latere opposito factâ venæ-sectione in eodem morbo plurimi vel moriebantur, vel longissimo tempore languebant, confirmabat ejus sententiam. *Sydenhamus* (*d*)

(*a*) Renat. Moræ. Lib. de Mission. Sanguin. in Pleuritid. ubi de vita *Brissoti*, pag. 93.

(*b*) Ibid. pag. 102.

(*c*) Ibid. pag. 97.

(*d*) Sect. VI. Cap. III. pag. 335.

Sanguinem è brachio lateris affecti educebat, simulac vocabatur ad pleuriticum curandum; dum verò sectionem iteravit postea, non monet ex quo loco sanguinem emiserit. *Hildanus* (*a*) fatetur, quòd nunquam, vel saltem rarissimè, optatum successum viderit ex sectione venæ in oppositâ parte factâ. Recentissimè & suis Observationibus eamdem sententiam stabilivit *Trillerus* præcipuè, (*b*) quoad primam sanguinis missionem: alteram autem (*c*) in pede ejusdem lateris adhiberi maluit; & deinde, si opus foret, etiam tertiam quartámve venæ-sectionem, quandóque & in pede (*d*) oppositi lateris, instituit. Monuit autem meritò, primam sanguinis evacuationem (*e*) largissimam esse debere. Pulcherrimè autem confirmantur hæc omnia notabili Exemplo, dum (*f*) in binis juvenibus, idem vitæ genus ducentibus, eodem temporis puncto, & ob easdem causas pleuritide correptis, experimenti gratiâ diversis in locis vena aperiebatur. Ille, cui vena in brachio lateris affecti aperta fuit, licèt pessimè deliraret, brevì ad se rediit, nec iteratâ venæ-sectione opus habuit. Alter, cui & major copia sanguinis ex pede ejusdem lateris educta fuerat, nullum inde levamen sensit, & sequenti die alterâ venæ-sectione in brachio lateris affecti opus habuit; unde illico mitigabantur omnia symptomata, & postea felici crisi liberatus fuit à periculoso morbo, sed biduo seriùs quàm prior.

Paulò antè monitum fuit, quandoque morbos epidemicos grassari qui pleuritidis quidem symptomata quædam habebant, neque tamen veræ & genuinæ pleuritides erant, sed symptomaticæ tantùm, & venæ-sectione non levabantur, vel saltem illam iteratam vix ferebant absque damno; neque tamen ideo reprobari posse sanguinis evacuationem in hoc morbo. Idem certè dici posset de pleuritide illa maligna & contagiosa, cujus *Gesnerus* (*g*) meminit in Epistola ad *Cratonem à Craftheim* scriptâ: monet enim in hoc morbo nulli successisse venæ-sectionem in brachio, sed ad malleolos feliciùs sanguinem eductum fuisse. Præterea notandum est, quòd in eadem epistola fateatur, quod de curandi ratione in hoc morbo nondum sibi constiterit; & in alia Epistola (*h*) ad eumdem tribus mensibus pòst scriptâ, fatetur, se pauca in hujus morbi curatione observasse, cùm ad paucos hoc morbo decumbentes vocatus sit, & intra vernum tempus desierit hoc malum.

II°. Methodus omnium antiquissima pleuritidem curandi videtur constitisse in applicatione remediorum externâ ad locum dolentem. Antequam enim Medicina in Artis formam redacta fuit, singuli homines sibi ipsis levamen dolorum quærebant tentando varia, vel ab aliis in simili malo cum successu adhibita, applicabant (*i*). Nihil autem videtur citiùs tentari debuisse, quàm externa talia remedia: & hinc antiquissima monumenta horum inveniuntur.

(*a*) Observat. Chirurg. Cent. V. Obser. 30. pag. 410.
(*b*) Commentat. de Pleuritid. Cap. II. n°. XXXIII. pag. 30. 31.
(*c*) Ibid. n°. XXXVI. pag. 32.
(*d*) Ibid. n°. XXXVII.
(*e*) Ibid. n°. XLI. pag. 35.
(*f*) Ibid. Cap. V. Ægrot. III. IV. pag. 79, & sequ.
(*g*) Epist. pag. 19. 20.
(*h*) Ibidem pag. 21.
(*i*) Boerhaav. Institut. Medic. Prolegom. §. 5. 9, &c.

Ita in tabella marmorea, Romæ in *Æsculapii* templo in insula Tiberina inventa, legebatur, & inter alias Inscriptio (*a*) Græca, de *Lucio* quodam pleuritico, cui desperato ab omnibus hominibus habito, oraculum reddidit Deus, ut tolleret ex arca cinerem, & cum vino mistum imponeret lateri: unde illum convaluisse legitur, & publicè Deo gratias egisse. Notum est ex Historia antiqua, quòd callidi Sacerdotes, ut templis suis & idolis majorem conciliarent celebritatem, remedia præscripserint credulis hominibus, ac si à numine revelata fuissent.

Hæc videtur causa esse, cur *Hippocrates* (*b*) qui antiquissimas illas Observationes collegerat in suos usus, in laterum doloribus inceperit curam morbi à calidis fomentis applicatis, etiam antequam sanguinis missionem institueret.

Aquam enim calidam (*c*) in vesica, vel & in alio vase contentam, aut (*d*) spongiam mollem aquâ calidâ madidam applicabat lateri dolenti. Imò & acriora, magnâ tamen solvendi vi prædita, adhibuit; sacculos nempe furfuribus, aut hordeo, vel orobo, aceto paulò acriore maceratis, repletos calidos, (*e*) applicuit. Patuit & ex *Anaxionis* Historia paulò antè ad eamdem hanc paragraphum memoratâ, quòd siccam pleuritidem calidis fomentis frustra tentaverit; unde prudenter monet sequentia: (*f*) *Verùm si fomentis dolor non solvatur, non multo tempore calefacito; id enim pulmones exsiccat, ac suppuratum creat*; dum nempe vehementior pleuritis solis his fomentis solvi non poterat.

Trallianus (*g*) pariter fomentis, & sacculis calidis lateri applicatis, curam pleuritidis aggrediebatur. Verùm si dolor augeretur, nullâ morâ interpositâ, procedebat ad vacuationem. Tutior tamen longè *Aretæi* Methodus, quam omnes periti Medici nunc sequuntur: nempe incipi jubet curam (*h*) à venæ-sectione, nullâ morâ interpositâ, dein externa illa remedia adhibebat. Quantum usum habeant in resolvenda inflammatione talia remedia, dictum fuit ad §. 398. n°. 3, ubi de cura inflammationis agebatur. Cùm autem §. 386, demonstratum fuerit, curam inflammationis per resolutionem tunc posse exspectari, si humor fluens blandus esset, & canales mobiles: patet facilè, omnia hæc applicata debere esse mollia, calida, & vi laxandi solidas partes prædita. Formulæ variæ talium remediorum in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur. Frequenter usus fui solutione saponis Veneti in aquæ & lactis dulcis partibus æqualibus; vel & in decocto emolliente saponem diluebam, sumendo unciam mediam saponis ad singulas libras liquidi diluentis: huic solutioni pannos laneos immergebam, illósque dolenti lateri applicabam, impositis lateribus calidis, cavens ne refrigescerent talia fomenta. Nocte autem, ne mo-

(*a*) Mercur. de Arte Gymnast. Lib. I. Cap. I. pag. 3.
(*b*) De Morbor. acutor. vict. Comment. II. Text. I-X. Charter. Tom. XI. pag. 36, & sequ.
(*c*) Ibid. Text. II. pag. 37.
(*d*) Ibid. Text. IV. pag. 39.
(*e*) Ibid. Text. V.
(*f*) Ibid. Text. IX. pag. 41.
(*g*) Lib. VI. Cap. I. pag. 268.
(*h*) De curat. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. X. pag. 89. 90.

lesta foret ægris frequentior fomenti renovatio, perunctum priùs unguento althææ, vel simili, latus tegebam emplastro de meliloto.

Neque tantùm prodest mollissimorum talium remediorum externa applicatio, quia per hæc felicissimè inflammatio resolvitur, verùm etiam, si vel serò nimis medela tentata fuerit, vel pejor morbi indoles in suppurationem vergat, tunc per eadem hæc applicata sic laxantur loca intercostalia, ut spes sit, pus versùs exteriora duci posse, & periculosum empyema sic præcaveri.

III°. De his jam actum fuit in generali inflammationis curatione, utì etiam in curatione peripneumoniæ ad §. 854. n°. 3. Simplex decoctum hordei cum oxymelle & nitro suffecit frequenter, cùm in hoc omnia requisita ad curam habeantur. Diluit enim ratione aquæ, laxat & mitigat hordei farinosa substantia aquæ mista, mel cum aceto inflammatoriam spissitudinem pulcherrimè resolvunt, utì & nitrum, quod simul in acutis morbis nimium calorem lenit, densitatem humorum minuendo (vide §. 692). In *Materia Medica* ad hunc numerum & aliæ formulæ habentur eidem usui inservientes. Nec nocebit his leniora paregorica admiscere, inprimis si magna inquietudo adsit, & molestæ vigiliæ: flores papaveris rhœados, & omnia quæ inde parata prostant in Officinis remedia, tutò adhibentur, & quidem tali cum levamine, ut postea quidam Medici crediderint, illos flores specificum anti-pleuriticum remedium esse, quo solo hic morbus curari posset. Imò & parca copia syrupi, ex capitibus papaveris albi in aqua decoctis parati, profuit, post venæ-sectionem celebratam, & alia remedia adhibita. Validioribus verò narcoticis acuti doloris sensum sopire, manente causâ doloris, minimè tutum videtur. Similem anodynorum usum in pleuritide suasit & *Trallianus* (*a*).

Magnâ quidem copiâ talia sumenda sunt, sed divisis dosibus, ut singulâ mediâ horâ unciæ tres, vel plures, talis decocti vel ptisanæ hordei sumantur, sed calidæ. Frigidum enim potum quemcumque nocere pleuriticis meritò notavit *Aretæus* (*b*). Quinimo *Baglivus* testatur, fervidam hanc liquorum potionem ipsi in secretis esse tam in pleuritide, quàm in aliis pectoris morbis, ubi dissolventibus opus erat: imò addit, se vidisse (*c*) *ægrotos, insigni strangulatione ferè livescentes, brevissimè liberatos per frequentes haustus decocti pectoralis nimiùm calidè sorbillati.*

Ut autem hæc remedia potata determinentur ad locum affectum, faciunt illa fomenta, balnea, &c, lateri dolenti applicata, quæ modò laudata fuerunt. Probatum enim fuit ad §. 134, omnia illa, quæ laxando vasa minuunt resistentiam liquidis impulsis in loco quodam corporis, determinare remediorum assumptorum efficaciam ad eumdem locum.

Antea jam in eadem hâc paragrapho monitum fuit, per sanguinis missio-

(*a*) Lib. VI. Cap. 1. pag. 271.
(*b*) De curat. Morbor Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 93.
(*c*) Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. pag. 35.

nem, & alia adhibita remedia, morbi hujus impetum, quidem minui, rarò autem, vel nunquam, validam pleuritidem sanari absque quadam evacuatione materiæ morbosæ, jam subactæ, vel metastasi ad alia loca. Variæ illæ pleuritidis, per coctionem & excretionem causæ, sanationes descriptæ fuerunt §. 888; & patuit ex illis, quæ §. 889, dicta fuerunt, diversam tunc medelam requiri, prout per has illásve vias materia morbosa exitum moliatur. Unde meritò ponitur in textu, quòd *pro mutatis phænomenis varia assumenda sunt.*

Eliguntur tamen semper illa, *quæ putredini adversa sunt.* In pleuritide enim adest acuta continua febris (vide §. 875.), per quam omnes humores in putridam corruptelam disponi, antea in febrium Historia demonstratum fuit. Omnia ferè remedia, quæ antiqui Medici ad hunc morbum debellandum adhibuerunt, erant vel acida, vel sponte suâ in acidum tendentia. Ptisanam hordei, acetum, mel, mulsam dilutam laudaverunt, quibus adhuc hodie feliciter in hoc morbo utuntur Medici; dum meritò à salibus volatilibus alcalinis abstinent, à *Sylvio* adeo laudatis, utì & ab illis, qui *Helmontium* secuti, causam pleuritidis unicam statuebant acidum salibus oppositis alcalinis nempe domandum, vel corrigendum absorbentibus quæ quidem non nocent, sed tamen ad pleuritidem curandam inertia videntur esse remedia.

IV°. In omni febre curanda vitæ & viribus prospiciendum esse per cibos & potus fluidos, faciléque digerendos, antea demonstratum fuit, ad §. 599, & sequentes, in cura generali febrium. Cùm autem pleuritis rarò ante septimum diem finiatur integre, sæpe etiam in longius spatium excurrat, patet facilè, & hìc vires vitæ idoneo victu sustinendas esse. Talia autem conveniunt, quæ facillimè superari possunt ab ægro, & per validas evacuationes debilitato corpore. Solam ptisanam hordeaceam dabat *Hippocrates* (*a*) in acutis morbis, & præsertim (*b*) in pleuritide; imò vel ab ipsa *ptisana totâ*, id est, hordeo per colaturam non ablato, metuebat (*c*) dum cruda adhuc pleuritis nulla coctionis signa dabat; túncque solum succum ptisanæ, & quidem dilutum exhibebat. Dein ubi in tuto æger esse videbatur, mitescente morbo, hordeaceæ ptisanæ dabat (*d*) *exiguum ac tenuem cremorem admisto melle.* Ubi autem sputa facilè educebantur, respiratio bona esset, & laterum omnis dolor abesset, tunc ptisanæ cremorem (*e*) *paulò crassiorem & copiosiorem ac bis die* dabat. Multis laudibus & ptisanæ succum, vel cremorem, in hoc morbo extollit *Aretæus* (*f*), neque validiores ægris permittebat cibos, nisi quando in longum producebatur morbus, & tenuis talis victus vires sustinere non valebat ampliùs. Pariter & *Sydenhamus* (*g*) carnibus, & carnium jusculis etiam tenuissimis, omnino interdixit in pleuritide, sola hordeacea, avenacea &

(*a*) Lib. de Morbor. Acutor. vict. Comment. I. Text. XVII. Charter. Tom. XI. pag. 13.
(*b*) Ibid. Text. XXVI. pag. 23. Conf. Comment. II. Text. XII. pag. 46.
(*c*) Ibid. Text. XXXII. XXXIII. p. 26, 27.
(*d*) Ibid. Comment. IV. Text. LXVII. pag. 160.
(*e*) Ibidem.
(*f*) De curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. X. pag. 90.
(*g*) Sect. VI. Cap. III. pag. 335. 336.

panatellam concessit; & dum symptomata omnia jam mitescerent, per aliquot dies tamen ægros suos ab omnibus liquoribus spirituosis & à crassioribus cibis arcebat.

V°. Pleuritis morbus inflammatorius est cum febre acuta; adeóque omnia, quæ, difflando aquosam partem sanguinis, ejus densitatem augent, motúmve febrilem accelerant, aut calorem accendunt, summopere noxia sunt. Solent hinc adeo periculosi errores committi in hoc morbo, dum gelidâ tempestate frequentem sæpe pleuritidem calidissimis aggrediuntur remediis ignari, & sudore, vi talium remediorum expresso, curari posse credunt. Observat *Sydenhamus* & alias febres in pleuritidem mutari, dum initio nimis calidis remediis tentabantur, (*a*) *qualia à nobilibus quibusdam feminis exhiberi solent; quarum interim benevolentia charitásque multò meliùs in pascendis pauperibus, quàm in iisdem medicandis collocaretur.* Verùm si perversa talis medela morbum diversum à pleuritide mutat in pleuritidem, facilè apparet, pleuritidem jam natam à simili causa debere reddi pejorem. Vidi sic pleuritidem secundâ die lethalem, dum à flatibus dolorem hunc ortum suspicatæ mulierculæ, dederant repetitis vicibus spiritum destillatum ex seminibus levistici. In alio homine robusto & forti contigit, ut, dum quinto die adhibitâ venæsectione aliísque remediis modò laudatis, jam in melius vergeret morbus, & spes felicis curæ affulgeret, vesperì proprio consilio dolenti pectori applicuerit lateres calidos admodum, sícque expresserit validos sudores, unde sibi gratulabatur miser; sed sequenti manè moriebatur.

Ex his, & aliis similibus, quos in Praxi vidi, casibus didici, quàm bene *Sydenhamus* monuerit, cavendum esse ne pleuriticus (*b*) *æger nimis exæstuet*; unde liberum reliquit ægris, ut quotidie per aliquot horas lecto eximerentur, si vires ferrent. Imò observavit, & largam sanguinis missionem, & alia remedia refrigerantia nihil quandoque profecisse, si ægri lecto affigantur perpetuò; inprimis si stragulis vel culcitris nimiùm obruantur.

Cùm ergo omne irritans, calefaciens, impetum augens, damnosum habeatur in pleuritide, quid cogitandum est de vesicatoriis ex cantharidibus paratis? *Baglivus* (*c*) laudavit illa tamquam summum remedium, quocumque etiam tempore morbi, & ante & post venæ-sectionem, si spirandi difficultas & sputorum suppressio supervenerint: statim enim tibiis curavit applicari duo vesicatoria, & testatur ex centenis ægris paucissimos obiisse, dum ita tractabantur, in pleuritide epidemica, quæ circa finem sæculi elapsi Romæ grassabatur, ob intensum & insolitum hyemale frigus.

Observavit simul & diarrhæam, quæ periculosas illas pleuritides comitabatur, vel imminutam fuisse, vel & penitus cessasse. Celeberrimus *Trillerus* etiam & miro in casu observavit, mulierem pleuriticam, contu-

(*a*) Sect. VI. Cap. III. pag. 332. 333.
(*b*) Ibid. pag. 337.
(*c*) Prax. Medic. Lib. I. Cap. IX. pag. 37. Confer. Dissertat. de usu & abus. vesicant. Cap. III. §. 1. pag. 656.

maci alvi fluxu ferè exhaustam, omnis sensûs expertem, ronchos sonoros de pectore ducentem, facie lividâ & tumidâ, ut laqueo strangulatis esse solet, cum pulsu exili, tremulo, intermittente, urinâ & fæcibus clam elabentibus; ex ipsis orci faucibus ereptam fuisse, postquam (*a*) *bina prægrandia vesicatoria, ex pulvere cantharidum parata, utrique suræ applicata fuissent.* Simul & periculosus ille alvi fluxus sistebatur.

Quámvis autem ex scriptis *Baglivi* primâ fronte videretur, in ipso initio morbi vesicatoria tutò applicari posse, etiam ante venæ-sectionem institutam, tamen ex sequentibus apud eumdem Auctorem patet, quòd ante applicationem vesicantium sanguis de vena missus fuit. Ita enim habet: (*b*) *Adverte, quòd præfati pleuritici, in quibus hæc commoda nos observavimus, non fuerunt in principio purgati, ut faciunt Practicantes nonnulli, sed adhibitis venæ-sectionibus oportunis, sola brodia pectoralia, ... præscribebantur:* & *Trillerus* suadet, tunc femoribus vel tibiis applicanda vesicatoria, si, (*c*) *repetitis jam aliquoties venæ-sectionibus, restat adhuc insignis spirandi difficultas, vel magìs exaugetur:* fatetur tamen ingenuè, non semper ex voto cessisse vesicantium usum.

Similia ferme de usu vesicatoriorum in pleuritide leguntur in *Actis Edinburgensibus* (*d*). In pleuritide enim epidemica, quæ grassabatur verno tempore anni 1732, dum symptomata videbantur poscere quandoque venæ-sectionem repetitam, pulsus postea adeo deprimebatur, ut vix potuerit redigi iterum ad debitum robur, nisi statim applicatis vesicatoriis, quæ frequenter profuerunt, & quandoque post illorum applicationem sequebatur sudor, qui morbum abigebat, si copiosus & diu proflueret; sin minùs, luctabantur ægri cum dolore, anxietate, & pectoris oppressione, donec deficerent.

Ex *Baglivi* Experimentis, tam in vivis animalibus, quàm affundendo sanguini, ejúsque sero, pulverem cantharidum, institutis, patet, quòd hæc insecta vim habeant humores nostros solvendi, sed simul humores solutos disponant ad putredinem (*e*).

Adeóque videtur concludi posse, quòd cantharidum usus minimè tutus sit, ubi valida febris, calor magnus, & putredinis metuendæ signa sunt. Ita & ægri Historiam ipse *Baglivus* habet, qui gracilis & biliosi temperamenti acutâ pleuritide decumbebat (*f*) *cum sicca tussi, calore febrili exurentissimo, pulsu duro & alto, vigiliis, siti, urinis crassis & summopere rubicundis:* huic decimo tertio die morbi applicata fuerunt sex vesicantia, sed sequenti die supervenerunt (*g*) *delirium, suppressio sputi, tremor carnium, motus epileptici, &c*; & periit vigesimo die.

(*a*) Commentat. de Pleuritid. Cap v. Ægrot. II. pag. 76.
(*b*) Dissert. de us. & abus. vesicant. Cap. III. §. 1. pag. 656.
(*c*) Commentat. de Pleuritid. Cap. IV. nº. VI. pag. 54.
(*d*) Medic. Essays, Tom. I. pag. 42.
(*e*) Dissertat. de us. & abus. vesicant. Cap. I. Experim. II. pag. 648.
(*f*) Ibid. Histor. I. pag. 649.
(*g*) Ibidem.

Ubi autem post sanguinis evacuationem requisitam minutus fuit multùm febrilis impetus, nec in urina aut fæcibus alvinis putredinis signa apparent, & tamen dolor manet, vel pulmo oppleri incipit, tunc videtur à vesicatoriis multùm boni posse exspectari. Vidi in tali casu dolenti lateri applicatum fuisse vesicatorium, quod & ipse aliquando feci, fausto cum eventu.

§. 891. QUÆ ipsa (890) quàmdiu continuanda, vel repetenda sint, docet morbi pertinacia, remissio, atque in sanationem (888) mutatio.

Bina inprimis hîc metuenda erant, nempe inflammationis exitus in periculosam hîc loci suppurationem, vel gangrænam ferè semper lethalem; & pulmonis infarctus ob impeditam respirationem præ doloris acerbitate. Ut hæc pericula vitentur, sanguinis liberalis & repetita evacuatio, fomenta & reliqua modò enumerata remedia adhibentur. Verùm, ut jam ad primum numerum præcedentis paragraphi monitum fuit, cavendum etiam ne nimis debilitato ægro, per sanguinis missiones inprimis, non sufficiant vires ad subigendam & excernendam morbi materiam: unde postea languores chronici difficulter superabiles sequuntur. Adeóque, licèt aliquis dolor supersit, modò respiratio satìs sit libera, nec pulsus durus adeo sit, nec magna velocitas circulationis, per fomenta applicata, & diluentia, & attenuantia, largâ copiâ potata, superabitur malum. Felicitas enim curæ in talibus morbis consistit in eo, ut ita temperetur febris continuæ pleuritidem comitantis impetus, ut nec exorbitet, nec torpeat nimis. De qua re, & de signis quibus hoc distingui possit, pluribus egi in *Commentariis* §. *609*.

Probatum fuit ad §. *610*, inter illa, quæ febris exorbitantem impetum minuunt, etiam locum habere clysmata refrigerantia: tamen *Sydenhamus* enemata vel omittebat, vel maximo inter repetitas venæ-sectiones intervallo curabat injicienda, (*a*) *eáque nonnisi simplicissima, illa è saccharo in lacte soluto:* maximam enim, & meritò quidem, spem curæ ponebat in sanguinis missione, & ideo enematibus parciùs usus fuit, ne nimis debilitaret ægros; utì etiam ne alvi fluxum, in pleuritidis initio semper symptomaticum & noxium, acriori clysmate proritaret. Ubi jam remittit morbi impetus, tunc sensim solvi incipiet illud concretum inflammatorium, & per varias vias de corpore exitum quæret. Unde ad hæc attentus tunc debet esse Medicus, ne intempestivâ medelâ turbet materiæ morbosæ coctionem, vel coctæ excretionem; de quibus dictum fuit ad §. 888.

Ubi jam cessit morbus, cavendum maximè, ne nimis citò impleantur convalescentes ægri. Sæpe enim in hoc morbo vitæ periculum non redimitur nisi insigni sanguinis jacturâ. Probatum autem fuit ad §. *25*;

(*a*) Sect. VI. Cap. III. pag. 337.

jacturam

jacturam humoris boni inquilini impedire ingestorum assimilationem in naturam liquidi vitalis sani. Unde metuendum est, ne subitâ repletione per chylum crassiorem obruatur pulmo, & periculosa fiat recidiva. Quod prudenter monuit *Hippocrates*, ubi de pleuritidis cura agit, dicens, (*a*) *Post judicationes autem vires levibus cibis reficiendæ, & quiescendum: prætereàque, vitandi soles, venti, plenitudines, acida, salsa, pinguia, fumus, ventris flatus, labor, venus: si enim reverterit morbus, mors sequetur.*

Postquam autem vires restauratæ sunt, quod satis citò fieri solet in hoc morbo, tunc (*b*) levi cathartico dato *Sydenhamus* solebat curationem integram absolvere. Sic enim ex primis viis eliminatur, quidquid ex minùs feliciter digestis tempore reconvalescentiæ cibis, vel ex mutata, morbi tempore, bile aliisque succis in ventriculum & intestina excretis, aggestum hîc hæret; nociturum fortè, si diutius relinqueretur.

Jactata autem illa specifica anti-pleuritica, sanguis hircinus, rasura priapi cervini, dentes apri, mandibulæ lucii piscis, flores papaveris rhœados, infusum stercoris equini, &c, concedi quidem possunt, si ægri vel alii Medici in concilium vocati, magnam in similibus posuerint fiduciam: pleraque enim ex his innoxia sunt. Modò interim non negligantur efficaciora illa auxilia antea recensita, quibus solis in cura periculosi hujus morbi confidere possumus.

Vidimus jam, quomodo pleuritis abeat in sanitatem, auxilio Naturæ per resolutionem benignam, vel per coctionem & excretionem materiæ morbosæ: simul etiam expendimus, quomodo per Artem sanari possit absque alio morbo sequente. Sequitur jam, ut consideremus pleuritidem, dum in alios morbos abit, vel in mortem tendit; & ut videamus quid Ars possit in sanandis morbis, ex pleuritide infeliciter curata natis.

§. 892. ABIT in alios morbos dum 1°. Suppuratur locus inflammatus, quod futurum scimus α. Ex signis generalibus (387. 402.). β. Ex pertinacia doloris, tussis, febris, ultra quartum diem. γ. Absentiâ signorum resolutionis (887), & sanationis (888). δ. Neglectu medelæ requisitæ (890).

Primò agetur de pleuritide in suppurationem tendente. Cùm autem alia cura requiratur, hoc in casu, quàm ubi spes est resolvendæ pleuritidis, debemus cognoscere illa signa, quæ docent suppurationem futuram.

α. De his dictum fuit in numeris hîc citatis, ubi de inflammationis exitu in suppurationem agebatur.

β. Dolor enim inspiratione auctus, tussis, febris, sunt illa symptomata, quæ omnem pleuritidem comitantur, & ex quorum intensitate de vehementia morbi judicamus. Si ergo hæc pertinacia manserint, absque ulla remissione,

(*a*) De Morb. Lib. III. Cap. xv. Charter. Tom. VII. pag. 592.

(*b*) Sect. VI. Cap. III. pag. 337.

adeo solida erit materies inflammatoria, tam profundè impacta vasorum arteriosorum angustiis, in quibus hæret, ut per solam suppurationem hoc malum tolli possit. Verùm notandum est, tunc tantùm certam esse suppurationem, si toto hoc tempore æquali gradu processerint hæc symptomata, vel & aucta fuerint potiùs quàm minuta. Sæpe enim contingit in pleuritide curanda, ut per sanguinis missionem, aliáque remedia, mitescant omnia symptomata, & paulò pòst, quandoque & sequenti die, denuo redeant æquè vehementia; imò quandoque hoc ter quatérve contingit, ita ut post quartum diem & seriùs adhuc, sæpe recrudescant magnâ cum vehementiâ pleuritidis omnia symptomata: non tamen ideo credendum quòd in tali casu pleuritis necessariò in suppurationem itura sit, quia post quartum diem observatur adhuc dolor acerrimus. Noverunt hoc omnes Medici Practici, & Historiæ pleuriticorum in laudato jam sæpius tractatu de pleuritide celeberrimi *Trilleri*, hoc manifestò demonstrant.

γ. Tunc enim certi sumus, materiam inflammatoriam iisdem adhuc vasis impactam manere, adeóque suppurationem metuendam esse. Ideo dixit *Hippocrates* de empyemate agens: (*a*) *Fiunt autem & superiore ventre purulenti, ex pleuritide, quum vehemens fuerit, neque diebus judicatoriis* (principibus) *computruerit, neque per sputum rejecta fuerit.* Et alibi generale hoc axioma Practicum posuit (cujus & memini ad §. 833. n°. 3.); (*b*) *Quicumque verò dolores ex his locis neque per sputorum expurgationes, neque per alvi dejectionem, neque per venæ-sectiones, & victûs rationes, & purgationes* (medicamenta), *sedantur, eos suppurationem concitaturos esse sciendum est.* Interim & hoc notandum est, quandoquè in pleuritide difficili in longum tempus protrahi morbum, neque tamen in apostema verti locum inflammatum, dum tamen nec resolutionis signa, nec criticæ evacuationes adfuerint morbo pares. Tales casus vidi in Praxi, & ex Historia *Anaxionis* apud *Hippocratem* hoc patet. Notat enim quòd nihil (*c*) *primis diebus exspuebat.... sexto die deliravit... septimo dolores patiebatur, febris enim intendebatur, neque dolores remiserant, tussesque vexabant, & difficilè spirabat.* Largâ venæ-sectione, octavâ die morbi institutâ, minuebatur quidem dolor & suffocationis periculum, sed tussis sicca mansit, & nulla fiebat evacuatio materiæ morbosæ.

Tamen serò, & repetitis vicibus, & per diversas vias, subacta morbi materia exivit de corpore, & integre judicatus fuit ille æger, absque suppuratione lateris affecti, quæ tamen in primo decursu morbi metuenda erat. Adeóque patet, quòd non statim absoluta prognosis haberi possit suppurationis futuræ, licèt in morbi decursu non appareant resolutionis signa, nec coctionis & excretionis causæ indicia, quæ tamen seriùs quandoque apparent, & liberant.

δ. Neglectâ nempe venæ-sectione, quæ adeo necessaria est in pleuritide

(*a*) De Morb. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 538.

(*b*) Prognostic. Comment. II. Sentent. XII. Chart. Tom. VIII. pag. 646. Conf. Coac. Prænot. n°. CCCXCIV. ibid. pag. 874.

(*c*) Epidemior. Lib. III. Comment. III. Text. LXXIX. Ægrot. VIII. Chart. Tom. IX. pag. 302.

valida; & ſi citò inſtituatur, & repetatur pro re nata, ſatìs feliciter ſanat. Illi, qui *Helmontii* doctrinam ſecuti ſolis illis ſpecificis anti-pleuriticis hunc morbum aggrediebantur, lætabantur quandoque, dum videbant, febrem, antea validam in ſtatu inflammatorio & ſuppurationis initio, mitiùs urgere, imò quandoque ceſſare, dum pus factum jam erat; verùm poſtea ſuccedebat empyema, febris hectica, tabes, quâ perierunt plurimi, qui decantatis illis ſpecificis abſque venæ-ſectione curati credebantur. Monuit & *Sydenhamus* (*a*) doloſum hunc pleuritidis exitum.

§. 893. IPSUM verò apoſtema jam fieri, ſcitur ex ſignis communibus (405), maximè hîc ex horrore ſæpe recurrente ſine cauſa, & ſignis datis (834. 835.) in peripneumonia, & tempore morbi: inde & factum cognoſcitur, & quandoque ſputo per pulmonem evacuatur.

Abſceſſus hîc natus habet quidem omnia ſigna communia cum reliquis abſceſſibus, qui in externis partibus corporis fiunt, de quibus ad §. 405, actum fuit; verùm pleraque ex his hîc non poſſunt diſtingui, cùm in interioribus apoſtema lateat: hinc operæ-pretium eſt hîc colligere & alia omnia indicia, quæ ſuppurationem hîc fieri docere poſſunt. Horrores illi vagi, nullâ certâ temporis periodo recurrentes; magni momenti ſignum dant, de quibus dictum fuit ad §. 834, ubi & plura alia huc ſpectantia habentur, utì & ad §. 835. Multùm etiam huc facit morbi tempus jam in longum excurrens, & minori tamen cum vehementia ſymptomatum, quàm in principio: ſi enim omnia ſymptomata manerent æquè valida, vel augerentur, potiùs gangræna & mors exſpectanda forent, quàm benigna ſuppuratio; quæ licèt hîc periculoſa ſit, tamen longè adhuc melior, quàm pejores illi pleuritidis exitus in gangrænam vel mortem. Ita *Hippocrates* de pleuritide agens, habet ſequentia: (*b*) *At quibus ſtatim exſpuitiones cujuſvis ſunt generis, & dolores admodum acuti, tertio die moriuntur; quem ſi effugerint, convaleſcunt. Qui verò ſeptimo aut nono, aut decimo die ſanus non fuerit, ſuppurari incipit. Præſtat autem ſuppurari, minùs enim lethale eſt, quàmvis laborioſum ſit.* Meretur & conferri cum hoc textu *Hippocratis* alter, qui ipſi ſatìs ſimilis eſt, niſi quòd ibi legatur, (*c*) ἐν ἀρχῇ πάμπυοι αἱ πτύσιες *in principio ſputationes penitus purulentæ* meliùs videtur in priori textu ſcribi πτύσεις παντοδαπαὶ ſputa omnis generis. Verùm tunc additur in illa prænotione *Coaca*, quòd tertio vel quinto die moriantur; ſi verò illos effugerint, (*d*) *non multò meliùs habentes*, tunc ſeptimo, aut nono, aut undecimo ſuppurari incipiant. Ex quibus patet, tunc *Hippocratem* exſpectaſſe ſuppurationem, dum pleuritis non eſſet peſſima; vel ſi admodum valida in initio, parùm jam miteſceret; eúmque adhuc

(*a*) Sect. VI. Cap. III. pag. 332.
(*b*) De Morb. Lib. III. Cap. XV. Charter. Tom. VII. pag. 591.
(*c*) Coac. Prænot. n°. CCCLXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 873.
(*d*) Ibidem.

præcipuos dies criticos obſervaſſe, an non ibi molimen naturæ adverteret, à quo ſperari poſſet materiæ morboſæ jam ſubactæ evacuatio, vel metaſtaſis ad alias partes, ubi verò nihil tale videbat, tunc ſtatuit ſuppurationem incipere.

Præterea celebres in Arte Viri (*a*) *Mortonus* & (*b*) *Baglivus* obſervaverunt, dum pleura inflammata, aut pulmonum tubercula in apoſtema abeunt, tunc febrim priùs continuam excipi ab intermittente, quotidianâ ſæpius, quandoque & tertianâ. Imò & apud *Hippocratem* ſimile quid invenimus, dum dixit, (*c*) *Febres intermittentes ob ſuppurationem pleræque ſudorificæ ſunt.* Ubi notandum, quòd & in præcedentibus, & mox ſequentibus, *Coacis* præceptis, de pleuritide & peripneumonia agatur; & ſuppurationibus internis laborantes ægri, admodum in ſudores, nocturnos inprimis, proni ſint.

Ex his ergo ſignis fieri apoſtema novimus; adeóque & ex iiſdem ſymptomatibus diu manentibus, apoſtema jam factum eſſe cognoſcimus. Verùm tunc & alia ſuccedunt ſigna, quæ hanc diagnoſin confirmant, & à diſtractis vel compreſſis vicinis partibus partibus per tumorem purulentum ducunt originem. Notum enim eſt, in ſuppurationibus partium externarum corporis dolorem augeri, dum abſceſſus jam maturus pure turget, & cutim validiſſimè diſtendit; imò tunc quandoque dolores illi à partium vicinarum diſtractione ad alia loca propagantur. Sed talis abſceſſus poſt pleuritidem natus, removet pleuram ab intercoſtalibus locis, & diſtrahit ſummo cum dolore, quandoque ſe per totum pectus & dorſum propagante; pulmonem vicinum premit, irritat; hinc ſuffocationis metum, & tuſſim moleſtiſſimam quandoque facit, tantò quidem plùs, quantò ſaccus ille pure plenus major eſt. Omnia hæc ſymptomata *Hippocrates* variis in locis enumeravit: (*d*) *Ad latus dolore ac ſuffocatione accedente, hi ſuppurantur.* Et alio in loco habet ſequentia: (*e*) *Quum tuberculum lateri oboritur, tuſſis dura detinet, & dolor, & febris; pondus in latus incumbit, dolor acutus eumdem locum ſemper occupat, ſitis vehemens vexat, & calidum potum eructat, & decubitum in latus affectum non ſuſtinet, ſed in ſanum. Verùm ubi decumbit, velut ſaxum illi ſuſpenſum eſſe videtur; intumeſcit, ac rubet, pedéſque tument.* Atque iterum alibi dicit, (*f*) *Si in latere tuberculum oriatur, & ſuppuratus fiat* æger, *hæc patitur: rigor detinet & febris & tuſſis ſicca multos dies; latus dolet, dolórque in mammam, & claviculam & ſcapulas impetum faciens obſidet.*

Verùm quandoque pus natum hîc loci per ſputa ex pulmone educta evacuatur, felici ſucceſſu. Pluribus egi de viis, per quas materia, in pleura hærens vel locis intercoſtalibus, poſſet in pulmonem venire & exſpui, ad numerum ſextum §. 888. Præterea frequentiſſimè invenitur pulmo accretus pleuræ in illis qui validam pleuritidem paſſi fuerunt, & in tali caſu faciliùs intelligitur, quomodo pus ex abſceſſu pleuræ in pulmonem accretum venire poſſet. In cadavere hominis, cujus morbum non noveram, cùm à veſpillone furtim

(*a*) Phthiſiolog. Lib. II. Cap. IV. pag. 43. 44.
(*b*) Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. pag. 36.
(*c*) Coac. Prænot. n°. CCCCXIX. Chart. Tom. VIII. pag. 876.
(*d*) Ibid. n°. CXV. pag. 858.
(*e*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIV. Charter. Tom. VII. pag. 575.
(*f*) Lib. de Intern. Affection. Cap. X. Charter. Ibid. pag. 644.

ablatum redemiſſem in uſus Anatomicos, inveni pulmonem ſiniſtrum firmiter accretum pleuræ latâ admodum plagâ: dum ſcalpello ſolvebam hanc cohæſionem, ut pulmonem educere poſſem, ingens copia puris effluxit: interim tamen patuit, examine inſtituto, pulmonem non fuiſſe purulentum, ſed tantùm accretum firmiter huic ſacco purulento ex ſuppurata pleuritide nato. Certè, ſi ille homo diutius ſuperſtes fuiſſet, pus illud videtur viam ſibi facturum fuiſſe per pulmonem contiguum, & adeo firmiter adhærentem. Quacumque demum viâ pus poſt pleuritidem ſuppuratam in pulmonem veniat, Obſervatis certis conſtat, illud quandoque ſputo per pulmonem evacuari: nec credo ullum Medicum, in luculenta Praxi conſtitutum, eſſe, quin hoc aliquoties viderit, utì mihi ſæpius illud videre contigit. Memorabilis caſus eſt, quem habet *Lamottius* (*a*), ubi in pleuritico, qui morbum omnino neglexerat, octavo die ingens puris copia cum tuſſi mediocri per pulmonem rejiciebatur, felici eventu. Imò & *Hippocrates* idem manifeſtè ſtatuit, dicens de pleuritide, (*b*) *Judicatur autem hic morbus, breviſſimus quidem ſeptimo die, longiſſimus autem decimo-quarto die: quo quidem ſi pus à latere per ſputum rejectum & repurgatum fuerit, ſanus evadit. Si verò minimè exſputum fuerit, purulentus ſit, & morbus longus.* Et ſimilem certè prognoſin in *Aphoriſmis* habet: (*c*) *Qui pleuritide laborantes intra quatuordecim dies ſupernè non repurgantur, iis in empyema pleuritidis tranſlatio ſit.* Ubi in Commentariis ſuis ad hunc Aphoriſmum *Galenus* probat, illam vocem ἀνακαθαίρονται ſignificare (*d*) *per ſputa vacuationem.*

§. 894. ABSCESSUS verò ille pure proprio rumpitur, unde pus ſtillat in cava pectoris, ulcus novo pure facto & accumulato, totum cavum replet, totum corpus conſumit; id factum noſcitur ex prægreſſis ſignis (892. 893.) duratione mali uſque in decimum quartum diem; ſymptomatum ſubitâ remiſſione, & repentino reditu: inde phthiſis.

Abſceſſus ſic natus, pure collecto turgens, rumpitur citiùs vel ſeriùs, niſi per alias vias exiverit de corpore, quod tamen raró contingit, niſi per pulmonem, de qua re ſtatim dictum fuit. Interim tamen *Aretæus* videtur in illa ſententia fuiſſe, quòd (*e*) per alvum quandoque abſceſſus à pleuritide natus pus ſuum evacuet, ſuperſtite manente plerumque ægro. Sed & alibi (*f*) puris per alvum & per urinam evacuationem in ſimili caſu, memorat; meliorem tamen laudat illam puris tranſſumptionem, quæ ad renes & veſicam fit. Aliâ occaſione in *Commentariis* §. 406, notavi, (*g*) *Galenum* alióſque obſervaſſe;

(*a*) Traité complet de Chirurgie, Tom. I. pag. 248.
(*b*) Lib. de Affection. Cap. III. Chart. Tom. VII. pag. 621.
(*c*) Aphoriſ. Sect. V. n°. VIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 199.
(*d*) Ibidem.
(*e*) De cauſ. & ſign. Morb. Acutor. Lib. I. Cap. X. pag. 9.
(*f*) De cauſ. & ſign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 38.
(*g*) De Loc. Affec. Lib. VI. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 517.

pectoris vomicas per alvum & urinas fuisse expurgatas. Solet quidem *Aretæo* opponi *Hippocratis* auctoritas, dicentis, (*a*) *Suppuratis pulmonem per alvum pus secedere, lethale est.* Sed ibi non agebatur de pleuritide, & semper à pulmone affecto pejora metuuntur; imò ipsa pleuritidis suppuratio ideo inprimis periculosa habetur; quia vicinum pulmonem lædere solet. Præterea & hoc constat Observatis Practicis, quòd in suppurationibus internis diu toleratis putrida diarrhœa orta vitam plerumque finiat. Verùm de tali alvi fluxu, qui corruptis à pure resorpto omnibus humoribus oritur, non agitur, sed de puris per alvum fluxu, ubi illud nondum diu in pectoris vomica hæsit. Dicit enim *Aretæus*, (*b*) ἢ ἐς ἔντερον ἐνέχγῃ *aut versus intestina eruperit.* Illud autem vocabulum ἐνρήγνυσθαι subitaneam quamdam vehementiam significat.

Nisi ergo per has vias exiverit pus hîc collectum, vel fortè per metastasin ad alia corporis loca depositum fuerit (quod raro admodum fit) rumpitur ille abscessus, & plerumque in cavum thoracis pus suum evacuat, & majorem minorémque molestiam creat pro varia copia, quâ pectoris cavum occupat. Pergit autem locus ille ulcerosus quotidie novum pus stillare, sícque sæpe hîc ingens puris copia colligitur. Miratus fuit hoc quondam celeberrimus *Boerhaavius* in puero rustico, qui messis tempore, laboribus & æstivo calore æstuans, frigidum potum ingurgitaverat quàm avidissimè, atque inde pleuritide corripiebatur, neglectus morbus (ut ruri sæpe fieri solet) in suppurationem abiit, & post mensis spatium suffocatus periit miser. Aperto abdomine in conspectum venit diaphragma deorsum protrusum in latere affecto, saccum ingentem formans, qui ultra umbilicum prominebat, & pleraque viscera abdominis loco moverat. Pertuso hoc sacco duodecim & ultra libræ puris effluxerunt. Similes casus dum observaverat *Aretæus*, fatetur, se maximopere mirari, quomodo (*c*) *ab exili tenuique membrana nihil crassitudinis habente, membranâ, inquam, costas interiùs obtegente, tanta copia puris effundatur.* Causam autem dedit, quòd per inflammationem hæc (*d*) *membrana crassescit.* Verùm si cogitemus, pus in thoracis cavum delapsum, morâ acrius fieri, continuò ulceris illius superficiem alluere, facilè intelligimus, locum talem ulcerosum, quamdiu puri nullus datur exitus, nunquam posse reduci ad conditionem puri vulneris, adeóque nec consolidari: perget ergo effundere purulentum humorem, & quidem magnâ copiâ, dum vicinum cor arterias intercostales validâ vi replet, & ulceris superficies à pulmonum motu in respirando, & à collecto pure in cavo thoracis irritatur perpetuò.

Novimus autem talem abscessum ruptum esse, & pus in cavum thoracis effundere, si signa illa prægressa fuerint, quæ docent abscessum fieri, de quibus paulò antè dictum fuit. Verùm talis vomica, adhuc clausa & pure turgens, cavum pectoris angustat, pulmonem comprimit, adeóque ferè omnia similia producit symptomata, quæ ad §. 835, enumerata fuerunt. Præterea &

(*a*) Coac. Prænot. n°. ccccxxix. Charter. Tom. VIII. pag. 877.
(*b*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 9.
(*c*) De caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. ix. pag. 37. 38.
(*d*) Ibidem.

hoc notandum est, dolores in loco inflammato mitescere, dum pus factum est, verùm, dum abscessus pure plenus turget, & sensim distrahuntur membranæ pus coercentes, fieri denuò molestissimum dolorem, & quidem eò acriorem, quò rupturæ proprior fit vomica talis purulenta. Hoc quandoque fefellit minùs peritos Medicos, dum dolorem illum acutum novæ inflammationi tribuebant, & viribus jam fractos ægros ob longitudinem talis morbi repetitis quandoque sanguinis missionibus exhauriebant. Simulac autem talis abscessus ruptus effudit in cavum thoracis pus, cessat dolor subitò, & anxietas à compresso per turgentem vomicam pulmone nata minuitur multùm; unde miseri ægri se integre sanatos sæpe credunt, subitum tale levamen experti. Verùm aucta copiâ puris accumulati, redit eadem anxietas, tussis, & reliqua ferè omnia symptomata recrudescunt, & vanam fuisse ægrorum spem arguunt.

Pulcherrimè signa diagnostica, quæ suppurationem factam, & abscessûs rupturam præcedere & comitari solent, collegit *Hippocrates*, simúlque notavit, incertum esse rupturæ hujus tempus, núncque citiùs, nunc seriùs fieri. Sic autem habet: (*a*) *Qui suppurati fiunt, maximè ex pleuritide & peripneumonia, eos calores comitantur, interdiu tenues, noctu vehementiores; & nihil memoratu dignum spuunt, & circa collum ac claviculam sudant, & oculi cavi fiunt, maxillæ verò rubent. Digiti summi deteriùs calescunt ac asperantur, ungues curvantur ac perfrigerantur, & circa pedes tumores habent, & circa corpus pustulas, & abstinent à cibis. Diuturnæ igitur suppurationes* (tumores) *signa hæc habent. Quæ verò brevì rumpuntur, ex notis ad eas consequentibus cognoscere oportet, & ex doloribus in principio: simul autem & si aliquantò difficiliùs spiraverit homo. Rumpuntur autem plurimæ suppurationes, partim vigesimo die, partim quadragesimo, partim sexagesimo. Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus, & spirandi difficultas & tussis cum sputatione, ad vigesimum diem aut citiùs ruptionem exspecta; quibus autem leviora hæc sunt, juxta rationem. Supputare autem oportet tempus, à quo primùm doluit, aut gravatus fuit, aut febriit, aut si quando rigor corripuit. Necesse est autem præcedere & dolorem, & spirandi difficultatem, & sputationem ante ruptionem.*

A pure autem in thorace accumulato, & pulmonem alluente, phthisin oriri, totum corporis habitum sensim consumentem, nemo dubitat.

§. 895. UBI ergo per signa (892. 893.) novimus inflammatum abscedere, locus ante dolens notus per caustica erodendus, usque circiter ad pleuram incidendus, suppuratoriis apertus servandus, ut materies extrorsum versa vi pulmonum, à pleura caveat, ne fiat empyema: dein emolliendus, donec mundatio facta sit.

Cùm præcipuum discrimen pleuritidis suppuratæ inde pendeat, quòd pus collectum in pectoris cavum, rupto abscessu, delabi soleat frequenter, hinc ubi signa docuerunt suppurationem jam fieri, meritò tendandum est, ut illi puri

(*a*) Coac. Prænot. n°. ccccii. Charter. Tom. VIII. pag. 875.

versùs exteriora paretur exitus. Huc faciunt fomenta, cataplasmata, emplastra, &c, quæ lateri dolenti adhibentur, etiam in initio morbi, ut §. 890. n°. 2, dictum fuit: illa enim, emolliendo partes exteriores, efficiunt ut huc versùs derivari fortè pus posset. Cùm autem hæc sola ad hunc finem rarò sufficiant, sapienter veteres Medici acriora tunc emollientibus admiscuerunt, ut irritando partes externas latens in reconditis magìs partibus malum evocarent. Sic *Aretæus* in cura pleuritidis dicit, (*a*) *Si morbus productior fit, dolor est pertinax & humida fit expurgatio, tunc purulentum hominem fore speratur; itaque sinapi & cachrys* (semina) *cataplasmatis admiscenda sunt.* Post hæc autem applicata commendat, ut post septimum diem magna cucurbita cum multa flamma applicetur dolenti loco, & dein scarificetur: vulnusculis autem sal vel nitrum inspergi jubet, & dein sequenti die iterum cucurbitam applicari. Notum est, partes corporis sub cucurbita positas, multùm minutâ atmosphæræ pressione, statim intumescere, sícque potentissimam derivationem fieri versùs loca, quibus cucurbitæ affiguntur, simul etiam irritata per salis vel nitri inspersionem vulnuscula eidem scopo serviunt.

Quinimo, dum certi sumus abscessum fieri, conducit vel causticis applicatis, vel scalpello dividere incumbentes partes ferè ad pleuram usque, & suppurantibus applicatis apertum tenere diu hunc locum, hâc spe, ut pus ex interioribus per exteriora, jam vix resistentia, exeat. Unde in ipso pleuritidis initio operæ-pretium foret parvo quodam emplastro notare locum maximè dolentem, quia ibi abscessus nasci solet, dum nec resolutione, nec coctione & excretione, sanatur pleuritis; sícque sectio, vel causticum, postea loco huic certè cognito adhiberi possent. Rarò quidem hoc à Medicis hodie fit, & non omnes ægri talem cautelam admittere vellent; interim tamen tentari hoc meretur, ut pectoris empyema adeo periculosum caveatur. *Hippocratem* in simili casu hanc curam instituisse patet. Sic de pulmonis tuberculo agens, monet illa quæ facienda sunt, ut rumpatur tuberculum, & pus collectum exspuatur: dein dicit (*b*) *Quòd si non eruperit* (*quibusdam enim procedente tempore ad latus abscedit, & extumescit*), *ubi hoc contigerit, hunc secato aut inurito.* Et paulò pòst (*c*) de lateris tuberculo agens eamdem curam præscribit, tamen & ibi videtur sectionem & ustionem instituisse in latere dolente, ubi aliquis tumor & rubor jam aderant; tunc enim certiores adhuc sumus, quòd collectum pus versùs exteriora tendat. Cùm autem felix successus in hoc casu ferè tantùm sperari possit, dum pus adhuc blandum manserit (si enim morâ & stagnatione jam putrescere inceperit, sæpe pereunt) monuit hoc *Hippocrates* dicens, (*d*) *Qui suppurati uruntur aut secantur, si pus purum & album effluat, evadunt; si subcruentum, & cœnosum, & graveolens, pereunt.* Notat autem *Galenus* in Commentariis suis ad hunc Aphorismum, quòd *Hippocrates* præ cæteris ἐμπύες, sive suppuratos, vocet illos, (*e*) *quibus*

(*a*) De curati. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. x. pag. 91.

(*b*) De Morb. Lib. II. Cap. xxii. Charter. Tom. VII. pag. 574.

(*c*) Ibid. Cap. xxiv. pag. 575.

(*d*) Aphoris. Sect. VII. n°. xliv. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 315.

(*e*) Ibid. pag. 316.

inter

inter pectus & pulmonem pus collectum est, quos Veteres urere consueverant; quod & ex vetuto comico Auctore probat. Hinc videtur admodum probabile, quòd & ustionem, & sectionem, quandoque tentaverint, ubi certi erant de suppuratione præsenti; licèt nullus tumor aut rubor in externis thoracis partibus adessent; inprimis cùm inde nihil mali metuendum sit, & multùm boni sperari possit.

Quòd autem à similibus artificialibus viis, si diu apertæ teneantur suppurantibus, multùm boni exspectari posset pro evacuatione materiæ purulentæ, etiam profondiùs hærentis, docet sequens casus. Post pleuritidem neglectam ortus fuerat tumor sub læva scapula, & per integrum biennium ibi manserat absque multa molestia: postea casu læsus est tumor, qui tunc dolere incepit, simúlque accessit valida tussis, noctes diésque molesta: exspuebat olidum, flavum, tenue pus cum pauco sanguine mistum: pulsus erat celer, durus, calor magnus, corpus extenuatum, appetitus deletus. Prudens Medicus credebat non sine periculo pertundi posse hunc tumorem, Veterúmque vestigia secutus, qui inurendo loca intercostalia, fonticulos excitabant in suppurationibus internis, setaceum curavit applicari inter binas costas, quæ tumoris parti infimæ proximæ erant, cavendo tamen, ne ipse tumor acu pertunderetur. Copia puris magna per setaceum exibat, omnia symptomata emendabantur, vires redibant, tumor subsidebat, & à tanto morbo feliciter evasit æger (*a*) satìs brevi tempore.

Plurimæ Observationes memoriæ mandatæ fuerunt à Medicis, quæ docent, pus collectum in locis intercostalibus sibi ipsi vias fecisse satìs miras versùs exteriora. Unicum tantùm casum satìs singularem memorabo, quem ipse vidi. Juvenis viginti annorum post celerem cursum, ultra vires protractum, pleuritide corripitur, quam in initio neglexit; hinc in suppurationem abivit morbus, cum magna oppressione pectoris. Trigesimo quarto morbi die incepit sputa purulenta copiosa educere, magna cum facilitate, & insigni levamine quidem, sed tamen dolor obtusus manebat in pectore dextro, & costæ omnes illius lateris incipiebant eminere extrorsum, licèt per triginta dies continuos quotidie multùm puris rejiceret: accedebat diarrhœa multùm debilitans, manebat febricula hectica, & totum corpus tabescebat. Pertæsus longi morbi miser æger omnia remedia respuebat; hísque malis conflictabatur diu. Decimo autem mense in medio sterno tuber apparuit molle, nucem avellanam æquans, & in ambitu tumoris, exesi ossis sterni margines distinctè digito tangere potui: sponte post paucos dies rumpebatur ille tumor, & ingens copia puris boni erupit: pergebat per octo menses, & ultra, puris effluxus, ita ut meritò metueretur, tandem succubiturum ægrum. Libram detergentis decocti cum melle rosarum unâ vice per siphonem injicere poterat Chirurgus in cavum hunc saccum, nec penetrabat liquor injectus in cavum thoracis, sed inter pleuram & costas videbatur hærere, & facilè effluebat denuo per illam aperturam ossis sterni. Convaluit tamen ille æger, sensim minutâ puris exeuntis copiâ, & vidi illum octo

(*a*) Medical. Essays, Vol. V. Part. II. pag. 629.

annis postea adhuc superstitem, & satìs vegetum: manebat tamen foramen in sterno apertum, & quotidie aliquid puris exibat.

Plures alios casus vidi, ubi per loca intercostalia viam sibi paraverat pus post suppuratam pleuritidem, & multos novi superstites mansisse de quibus ferè videbatur desperandum esse. An ideo dixit *Hippocrates*, (*a*) *Et quicumque ex pulmonis inflammatione, aut pleuritide suppurati fiunt, minimè moriuntur, sed convalescunt?* Dum autem post hæmoptoen, vel & in aliis phthisis speciebus, nascitur ulcus pulmonis, ferè omnes perire dolent Medici; cùm ex maximis suppurationibus, post morbos inflammatorios pectoris & pulmonum natis, emergant plures, si nempe vel per sputa, vel per aperturam, sponte vel Arte factam, exeat pus, antequam delapsum fuerit in thoracis cavum: ubi hoc enim contigerit, longè majus periculum imminet, utì sequenti dicetur paragrapho.

§. 896. At verò si constat per signa (302. 894.) jam rupto apostemate pus formasse empyema, illico thorax aperiendus (303. n°. 5.); pus educendum (303) vulnus percurandum (304) victu, & medicamentis.

Quomodo cognosci possit abscessûs hîc nati ruptura, ad §. 894, dictum fuit: de signis autem liquidi, in cavo thoracis effusi, actum fuit §. 302, ubi de vulneribus thoracis agebatur; adeóque ex concursu horum signorum concludi potest, pus in thorace effusum hærere. Quámvis autem hinc inde rari casus apud Observatores legantur, pus ex cavo thoracis resorptum per alvum vel urinas exivisse, minimè tamen tutum videtur hîc moras nectere: nisi enim citò educatur pus hîc collectum & pulmones alluens, illud morâ & respirationis conquassatione tenuius & acrius redditum, miserrimam tabem producet, & frustra puris eductio tentabitur seriùs, tabefactis jam à pure diu relicto pulmonibus. De loco autem, in quo thoracis sectio debet institui, & de illis quæ circa hanc rem observanda sunt, dictum fuit paragraphis citatis, & postea adhuc quædam dicenda erunt, ubi peculiari capitulo de empyemate agetur inter morbos chronicos. Cùm autem semper metus sit, ne pars tenuior puris, in cavo thoracis collecti, à venis bibulis recepta, sanguinem cacochymiâ purulentâ infecerit, in victu dantur talia, quæ ab omni putredine quàm maximè aliena sunt; de quibus vide §. 599, & §. 605. n°. 2: simul magna copia decocti bardanæ, chinæ, zarzæparillæ, infusi agrimoniæ, betonicæ; virgæ aureæ, &c, exhibetur, ut eluatur de sanguine, per urinæ & sudoris vias, omne purulentum resorptum.

§. 897. 2°. In alium quoque morbum abit, scirrhoso, callosóve, facto loco affecto, tum etiam pulmone pleuræ jam adnato; quæ ubi facta, oritur asthma, dyspnœa; tussicula sicca, inprimis à pastu vel motu corporis; ex quibus cognoscitur, si

(*a*) Lib. de Loc. in homin. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 366.

præsentia sunt sine signis abscessûs (893), vel empyematis (896); & inprimis si diu, sine magno mali incremento durant.

De omnibus, quæ huc spectant, egi in *Commentariis* §. 843, ubi de simili exitu inflammationis pulmonis in scirrhosum aut callosum tumorem agebatur.

§. 898. COGNITUM hoc malum (897) vel nullo remedio medicabile; vel tolletur vitâ duriore, labore, aere libero, rusticatione, equitatione forti, multúmque repetitâ.

Videantur & illa quæ §. 862, de curatione similis mali, post peripneumoniam nati, dicta fuerunt.

§. 899. 3°. IN gangrænam quoque talis inflammatio transit primò, lateris mox, viciniâ loci, pulmonis (844).

In Historia inflammationis explicatum fuit, quomodo & gangræna inter inflammationis exitus numerari debeat: cùm ergo probatum fuerit §. 882, in pleuritide veram esse inflammationem, patet, & in gangrænam hunc morbum abire posse. Cùm autem funestus ille exitus non sequatur, nisi valida admodum pleuritis fuerit, quæ respirationem præ summo dolore suffocat; hinc semper ferè tunc pulmo simul afficitur, utì etiam, quia pleuræ semper contiguus est.

§. 900. QUOD malum (899) vel ex vehementia pleuritidis, vel ex acri, aut putri materia concomitante, simul oritur.

De causis, per quas inflammatio in gangrænam terminatur, dictum fuit §. 388.

§. 901. ID verò futurum esse, & jam inchoari, præsagitur ex variis: si sputa purulenta sub-biliosa, rotunda, purulenta sub-sanguinea, nigra, fuliginosa, cœnosa, fœtida; strepitus in pectore multus cum vultu mœsto, oculis rubro-flavis, pulverulentis, caliginosis; si sputa initio varia; tum sæpe tertio vel quinto die moriuntur. Si stertor, sputum nullum, vel difficile, pulsus languidus, urina flammea: si alvi fluor liquidus, fœtidus, putridus, symptomaticus: si supervenit magna peripneumonia: si novus insultus priori succedit: si sanguis floridissimus effluit ex vena secta sine crusta inflammatoria (384), licèt ex largo vulnere, pleno saltu, puro vase exceptus sit: si sputum supprimitur dyspnœâ manente, vel auctâ cum dolore, gravitate pectoris, pulsu duro, parvo, celeri, calore magno; hæc enim quinto die exacerbata

ſeptimo mortem inferunt: ſi urina prærubra, obſcura; cum varia hypoſtaſi, nec diſcreta, intra quatuordecim dies occidit: ſi hypoſtaſis nigra vel furfuracea, citior mors: ſi initio mitis, quinto vel ſexto die exacerbata, ſeptimo & duodecimo periclitantur, raróque ſanantur, niſi poſt quatuordecim dies: ſi dorſum, latus, humeri, cum rubore accenduntur cum angore ſummo, alvi fluxu viridi & fœtidiſſimo.

Operæ-pretium eſt, noviſſe illa ſigna, quæ docent peſſimum talem pleuritidis eventum metuendum eſſe, partim ut omni Artis molimine Medicus caveat, ne contingat illud, quod jurè metuit; partim ut præſagio debito ſuæ caveat famæ, ne ipſius culpâ periiſſe credatur æger, qui morbi vehementiæ ſuccumbit. Ideo *Hippocrates*, ſignorum in morbis cognitionem omnibus commendans, optimè dixit: (*a*) *Namque & eos, qui ſervari poſſunt, multò etiam meliùs ſervare poterit, longè antè ſingulorum curationem præmeditatus; & eos, qui tum obituri mortem, tum evaſuri ſint, ſi præviderit, prædixeritque, omni prorſus culpâ vacabit.* Hæc autem ſigna ex *Hippocrate* collecta ſunt, & docent vel morbi vehementiam, vel virium vitalium debilitatem, vel humorum peſſimam degenerationem à ſanitatis legibus; cauſæque materialis morbi coctionem & ſubactionem difficillimam.

SI SPUTA PURULENTA SUBBILIOSA, ROTUNDA. Quare hæc ſputa damnet *Hippocrates*, explicatum fuit §. 833. no. 3; & §. 848.

PURULENTA SUBSANGUINEA. Sputa illa purulenta quidem ſubactionem materiæ morboſæ indicant, verùm ſi ſimul ſub-ſanguinea ſint, notant, & vaſa eroſa vel rupta eſſe ſimul, & ideo pro malo ſigno habentur. Præterea dum in externis partibus corporis gangræna eſt, & limbus ille oritur ſeparans partem vivam à gangrænoſa & corrupta, tunc ex illo loco tale purulentum ſubſanguineum exire ſolet, non adeo quidem malo omine in partibus externis, quia ſeparationem mortui à vivo deſignat; verùm in interioribus ſemper magnum diſcrimen notat, gangrænæ nempe præſentis, ſemper periculoſæ in internis, licèt etiam ſeparatio gangrænoſi jam incepta ſit. Et ideo mox hìc ſubjunguntur *nigra fuliginoſa, cœnoſa fœtida*; ubi nempe mortuæ partes in tabum gangrænoſum diffluunt & per ſputa educuntur, quæ à pulmone, vitali viſcere, veniunt. Hoc modo autem illud præſagium apud *Hippocratem* exprimitur: (*b*) *Qui ex pleuriticis exſpuunt purulenta ſub-bilioſa, rotunda, aut purulenta ſubcruenta, progreſſu temporis perniciosè habent: perniciosè quoque, qui nigra fuliginoſa ſpuunt, aut quibus velut à vino nigro ſputa fiunt.*

Videantur & illa, quæ de ſputis fuſcis, cœnoſis, amurcoſis, &c, dicta fuerunt ad §. 848.

STREPITUS IN PECTORE MULTUS, &c. Quid deſignet ille ſtrepitus in pectore, pariter in *Commentariis* §. 848, explicatum fuit. De vultu mœſto &

(*a*) Prognoſtic. Comment. I. Sentent. IV. Charter. Tom. VIII. pag. 585.

(*b*) Coac. Prænot. no. CCCCVII. Charter. Ibid. pag. 876.

oculis pulverulentis, &c, actum fuit, ubi §. 734, pessima signa enumerabantur, quæ synochum putridam comitari solent. Præterea notandum, naturaliter adnatam oculi tunicam sub-cærulescentem albedinem habere, & vix ulla vasa sanguinea ibi apparere: fluunt ergo per adnatæ vasa humores, sanguine ejúsque sero tenuiores. Ubi ergo oculi rubro-flavi fiunt, signum est, crassiores humores in minora vasa pelli, ibíque hærere immeabiles. Cùm autem injectiones Anatomicæ docuerint, oculos ab internæ carotidis ramis vasa accipere, novimus similem infarctum crassiorum humorum in vasis minoribus encephali obtinere, adeóque hoc signum semper in omnibus morbis acutis magnum discrimen notat. Peculiariter verò in pleuriticis hæc signa damnavit *Hippocrates* dicens, (*a*) *Quibus pleuriticis strepitus sputi multus in pectore est, & facies tristis, & oculus morbi regii colore infectus, ac caliginosus, hi pereunt.*

SI SPUTA INITIO VARIA, &c. Antea dictum fuit ad §. 830. n°. 2; & §. 876, *Galenum* monuisse, in pleuriticis & peripneumonicis affectionibus sputorum excretionem similem esse urinarum sedimentis, quæ cruditatem vel coctionem in morbis designant. Si ergo varia sint sputa, denotant semper difficultatem morbi, & coctionem sive maturationem materiæ morbosæ admodum imperfectam. Videantur & *Commentaria* §. 893, ubi & de hac sputorum varietate dictum fuit, & *Hippocratis* loca hanc prognosin continentia habentur.

Si STERTOR, SPUTUM NULLUM VEL DIFFICILE. Signum enim est, pulmonem impleri magìs magísque, dum interim nihil in tracheam exit, quod sputo rejectum levare posset pulmonem gravante hâc sarcinâ. Videantur illa, quæ ad §. 848, dicta sunt.

PULSUS LANGUIDUS. Designat enim vires moventes sanguinem debiles esse, vel liquidi movendi copiam deficere. Hîc autem non agitur de illo languore pulsûs, qui post repetitas quandoque venæ-sectiones contingit, minuto jam multùm dolore pleuritico, & respiratione faciliori factâ; sed de illo pulsu languido, qui adest, dum pleuritis adhuc viget; & fit, quia ob impeditam respirationem pulmo sanguine distentus manet, & parcam tantùm copiam in cor sinistrum transmittit, unde arteriæ minùs distenduntur. Videantur & illa, quæ §. 883, de hac re dicta sunt. Inprimis ergo tunc pessimum omen dat languidus ille pulsus, si stertor in pectore simul adsit.

URINA FLAMMEA. Quæ rutilo & dilutè rubro colore prædita scintillat quasi in vase vitreo, quo continetur, & caloris interni signum dat, utì ad §. 673, dictum est.

Si ALVI FLUOR LIQUIDUS, &c. Magnam enim humorum degenerationem in putridam corruptelam indicat talis alvi fluxus, nec ullum levamen adfert, penitus diversus ab illo, de quo §. 888. n°. 3, dictum fuit, ubi subacta morbi materies salubri per alvum evacuatione educebatur de corpore. Verùm antea §. 388, notatum fuit, acrem humorum indolem facere, ut inflammatio in gangrænam abeat.

SI SUPERVENIT MAGNA PERIPNEUMONIA. In pleuritide ob doloris acerbitatem vix audent inspirare ægri, adeóque in pulmone non dilatato satìs, inci-

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCLXXXVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 873.

pit accumulari sanguis, sícque peripneumonia succedit validæ pleuritidi. Verùm per largam venæ-sectionem dum minuitur dolor faciliori redditâ inspiratione, expeditur iterum sanguis, qui in pulmonali arteria accumulari inceperat, sícque levis illa & incipiens peripneumonia solvitur. Præterea satìs frequenter observavi, levem quasi peripneumoniam fieri, dum pleuritidis materia jam cocta moliebatur exitum per sputa. Ideo dicitur *si magna supervenit peripneumonia*, quæ ex propria sua indole adeo periculosus morbus est, adeóque cum pleuritide junctus certam perniciem infert.

Hinc intelligimus, quare *Hippocrates* dixerit, (*a*) *Peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ* (μεταστᾶσαι) *securiores sunt his, quæ ab initio fiunt.* In illo enim loco videntur debere intelligi leves illæ pectoris oppressiones, quæ fiunt, dum soluta materies pleuritidis in pulmonem derivatur, per sputa evacuanda, vel alias vias, de quibus §. 888, dictum fuit. Cùm enim hæc pleuritidis materia tunc soluta quidem & mobilis reddita sit, sed tamen tales dotes habeat, ut absque molestia cum reliquis humoribus sanis per vasa fluere nequeat, hinc in pulmonalis arteriæ angustiis inprimis hærebit aliquantulùm, antequam in venas pulmonales transire possit. Hæc fortè est una ex causis, quæ anxietatem producunt & molestiam, antequam criticæ evacuationes fiant, utì aliâ occasione dictum fuit. Ubi verò peripneumonia, & inprimis valida, supervenit pleuritidi adhuc permanenti, intelligimus veritatem alterius effati *Hippocratici*, (*b*) *A pleuritide peripneumonia malum.* Et *Galenus* (*c*) explicans hunc Aphorismum, optimè monet, non hîc agi de transmutatione pleuritidis in peripneumoniam (utì in *Coaca* Prænotione modò allegata) verùm hunc locum ita intelligendum esse, dùm priori morbo, pleuritidi nempe manenti, superaccedit alter, peripneumonia scilicet. Unde illud ἐπὶ πλευρίτιδι idem hîc significat ac ἐπιγινομένῃ πλευρίτιδι.

SI NOVUS INSULTUS PRIORI SUCCEDIT. Omnes, qui in Praxi versantur, noverunt, ferè semper in pleuritide obtinere, ut post sanguinis missionem levetur dolor, imò quandoque omnino cesset, & tamen paucis horis pòst recrudescat, denuo, novam sanguinis missionem poscens: neque ab hoc doloris reditu, & novo quasi insultu pleuritidis illico gangræna præsagienda est, cùm multi ex hoc morbo emergânt, plures etiam tales doloris renovati, vel aucti, insultus passi. Verùm hoc intelligendum est, ubi doloris nondum minuti, vel parùm admodum, subitò augetur vehementia: vel etiam ubi dolore manente & alterum latus thoracis similiter afficitur, quod aliquoties vidi. Simile quid videtur monuisse *Hippocrates*, dicens, (*d*) *Cùm verò, quæ ad latus impacta sunt, putruerint, & per sputum rejecta fuerint, convalescunt. Quòd si & antiquum multum ad latus impactum sit, & aliud insuper accesserit* (προσεπιγένηται) *statim intereunt*, &c. Quo sensu autem putrescere hîc dicantur illa quæ postea per sputa rejiciuntur, ægro convalescente, explicatum fuit aliâ occasione in *Commentariis* §. 387, ubi probatum fuit, hoc vocabulo usos fuisse veteres

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCXCVII. Charter. Tom. VIII. pag. 875.
(*b*) Aphorism. Sect. VII. n°. XI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 297.
(*c*) Ibidem.
(*d*) De Morb. Lib. I. Cap. XI. Charter. Tom. VII. pag. 546.

Medicos, dum maturationem materiæ inflammatoriæ indicare volebant.

SI SANGUIS FLORIDISSIMUS EFFLUIT, &c. Hanc Observationem Practicam *Baglivus* (*a*) memoriæ tradidit quidem, sed fatetur, se illam debere celeberrimo *Lancisio*: rationem autem hujus rei dedit, quòd tunc putaret, crassiorem, & inflammatoriâ tenacitate immeabilem, sanguinem in pulmone accumulari, solam tenuissimam partem, per arteriæ pulmonalis angustias transmitti; nam & in peripneumonia æquè ac in pleuritide hoc observatum fuisse memorat. An fortè hoc contingit in illis casibus, ubi pleuritis per accidens (*b*) *aliis febribus quandoque supervenit*, utì ad §. 880, ex *Sydenhamo* notavimus? Monet enim attentissimus ille Medicus, tales pleuritides repetitas sanguinis missiones non ferre quandoque, dum nempe morbi indoles, cui supervenerunt illæ pleuritides, minùs favet sanguinis evacuationi. *Baglivus* autem pariter jubet, abstinendum tunc esse à repetita venæ-sectione, si nulla crusta inflammatoria in sanguine apparuerit.

SI SPUTUM SUPPRIMITUR, DYSPNŒA MANENTE, &c. Ab omnibus Medicis damnari pleuritidem siccam, quæ sine sputis est, vidimus ad §. 876. Malum ergo signum est, si sputum supprimitur: cessat quidem sputum, ubi evacuata est materia morbosa; verùm dyspnœa manens, vel aucta cum sensu impletionis in pectore, demonstrat evidenter, non deficere materiam per sputa rejiciendam, sed retineri in pulmone, unde brevì suffocatio metuenda erit, præcipuè dum pulsus parvus demonstrat parùm sanguinis per pulmonem transmitti posse in cor sinistrum. Dum autem pulsus simul durus & celer est cum calore magno, tunc metus est, inflammationem validam brevì in gangrænam transituram esse, utì §. 388, explicatum fuit. Solet autem in tali pleuritide circa vitalia ingens talis calor percipi, dum extrema vix calent, imò sæpe frigent. Quinimo *Galenus*, utì ad §. 883, habetur, nullum pleuriticum evadere monuit, (*c*) *si pulsus sit magnopere durus, itaque parvus etiam & ob ambo hæc, calorémque, creberrimus.*

HÆC ENIM QUINTO DIE EXACERBATA, SEPTIMO MORTEM INFERUNT. Circa hanc Prognosin notandum est morbos acutos vocari quidem illos, qui velociter, & cum periculo decurrunt; sed tamen omnium acutissimos dici illos, qui quartum diem non superant; peracutos verò, qui ad septimum usque diem durant: reliquos simpliciter acutos vocari, si vigesimum diem non excesserint (vide §. 564.). Verùm hæc pleuritis non est ex pessimis, quia sputa adfuerunt, quæ postea supprimuntur; adeóque primo quaternario non finitur talis morbus. Si autem hæc suppressio sputorum contingat quinto die, & mala illa symptomata modò enarrata exacerbentur, mors instat die criticâ proximè sequenti, die septimo nempe, qui maximè notabilis est inter dies criticos, utì antea in *Commentariis* §. 741, pluribus demonstravi.

SI URINA PRÆRUBRA, OBSCURA, &c. Urina sana sensim evaporata per omnes calorum gradus transit in saturatam rubedinem, adeóque, difflato pro maxima parte diluente vehiculo, urinæ color augetur: hoc & experiuntur ho-

(*a*) Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. pag. 37.
(*b*) Sect. VI. Cap. III. pag. 332.
(*c*) De Præsag. ex Pulsib. Lib. IV. Cap. V. Charter. Tom. VIII. pag. 299. 300.

mines sani, æstivo calore validè sudantes, quòd urina reddatur multò coloratior: urina autem sana diu relicta, in vase etiam purissimo, fuscum obscurum colorem acquirit, & crassas fæces ad fundum deponit (*a*). Præterea solutum per febrilem calorem pingue corporis oleum, & acrius redditum, facit urinam rubram admodum, dum per hanc viam è corpore eliminatur: unde & caloris interni signum dat urinæ rubor (vide §. 673). Adeóque talis urina notat humorum immeabilitatem, difflatâ parte aquosâ, & simul majorem acrimoniam jam in putridam corruptelam inclinantem; validúmque motum febrilem. Verùm ad §. 388, probatum fuit, dum hæc adsunt, quæ talis urina demonstrat, tunc inflammationem in gangrænam tendere. In *Coaca* autem prænotione ubi tota hæc Prognosis habetur, vocatur hæc urina ob intensam rubedinem (*b*) οὖρον αἱματῶδες; & quia simul obscuri quid & subfusci in colore habebat (putredinis incipientis signum) dicitur (*c*) ζοφῶδες, quasi caliginosa: & utì urina putrescens crassas fæces deponit ad fundam, sic & hæc urina sedimentum varium, & minimè æquale, habet. Sedimentum autem nigrum gangrænosam jam adesse humorum dispositionem notat, utì pluribus dictum fuit in *Commentariis* §. 741, ubi de Prognosi ex urina nigra agebatur: talis ergo urina adhuc majus discrimen designat. Monuit autem *Galenus*, colorem viridem urinæ esse (*d*) *quoddam veluti proœmium nigri* coloris, adeóque & morbi malignitatem ostendere. *Hollerius* (*e*) tamen testatur se vidisse pleuritides graves solutas urinis multis crassis & nigris. Verùm ad §. 741, probatum fuit, tunc absolutè lethalem esse nigram urinam, si simul pauca & tenuis sit: tunc enim notat, humorum corruptionem adesse, nec interim corrupta de corpore educi. Cùm autem optimum sedimentum in urina sit album, læve, & æquale, illud quod furfuraceum dicitur, ab his dotibus quàm longissimè recedit; adeóque meritò damnatur à *Galeno* tamquam indicium (*f*) *grandis scilicet colliquationis, & caliditatis æstuosæ* per quam abrasæ de solidis humanis partes cum urina exeunt.

SI INITIO MITIS, &c. Videantur illa, quæ ad §. 883, de hoc præsagio notata habentur.

SI DORSUM, LATUS, HUMERI, &c. Antea §. 888. n°. 5, dictum fuit, utiliter lateris dolorem transire ad humerum, manum, & dorsum; verùm hoc fiebat cum levamine, & inprimis respiratione faciliori redditâ: in hoc autem casu summa anxietas manet, adeóque non transponitur morbi materies ad loca, ubi minùs noceret, sed manente morbo principali, propagatur inflammatio, quod pessimum signum est. Quàm malum omen autem præbeat alvi fluxus fœtidissimus, antè in eadem hac paragrapho dictum fuit. Paulò aliter hæc Prognosis legitur apud *Hippocratem*: ita enim habet, (*g*) *Quum verò*

(*a*) Boerhaav. Operat. Chemic. Part. II. Processf. c. Tom. II. pag. 322.

(*b*) N°. DLXXXI. Charter. Tom. VIII. pag. 886.

(*c*) Ibidem.

(*d*) De Crisib. Lib. I. Cap. XII. Chart. Tom. VIII. pag. 395.

(*e*) Jac. Holler. Comment. in Coac. Hippocrat. pag. 1047.

(*f*) De Crisib. Lib. I. Cap. XII. Charter. Tom. VIII. pag. 395.

(*g*) De Morb. Lib. III. Cap. XV. Charter. Tom. VII. pag. 591.

harum

harum pleuritidum aliquâ laboranti dorsum rubescere contigerit, & humeros incalescere, dúmque desidet, pondere gravari, si venter perturbatus ex virore pallida & graveolentia admodum demittat, hic ob ventris dejectionem primo & vigesimo die moritur, quem si effugerit, convalescit. In *Coacis Prænotionibus* (*a*) simile præsagium habetur, sed textus minùs integer videtur.

§. 902. SI sicca ob defectum virium, ob dolorem summum, ob ineptitudinem materiæ ad expulsionem, ob vasa nimis contracta & crispata, ob nimium usum calidorum, dolore simul vergente ad superiora: si lingua statim sicca, sordibus obsita, livida, nigra, cum bulla nigra: si horum signorum singula, vel plura, simul eveniunt, plerumque morbus ex se lethalis, non facilè sanandus, sed ut plurimùm gangrænâ loci in latere, & vicino in pulmone necat.

Siccam pleuritidem semper pejorem esse humidâ ad §. 876, dictum fuit. Verùm sicca est pleuritis, vel ob defectum materiæ per sputa rejiciendæ, vel quia educi nequit sputum de pectore ob debilitatem ægri, vel ob dolorem summum; quod utrumque denotat pessimum morbi statum. Sic in moribundis hominibus auditur ingratus stertor in vasis aereis pulmonis, dum tenaci glutine trachea impletur quidem, sed vires jam adeo projectæ sunt, ut excerni nequeat illud, quod in pulmone coacervatur. Ubi autem ob dolorem summum impeditur sputi eductio, nisi citò minuatur per idonea auxilia inflammationis vehementia, illa brevì in gangrænam terminabitur.

Ut autem materia morbi per sputa educatur, debet illud inflammatorium solvi, vel vasorum fines sic dilatari, ut transmittant illud, quod immeabile ibi hæserat. Quò ergo magìs compactum fuit illud inflammatorium, quò robustiora & magìs contracta vasa, eò difficiliùs sputa morbum levantia prodire poterunt: hinc (*b*) *corpora exercitata ac densa citiùs à pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt, quàm non exercitata.* In talibus enim compacti magìs & densi sunt humores, & vasa firmiora plùs resistunt suæ dilatationi; de quibus dictum fuit in Historia inflammationis ad 386.

Cùm autem à frigore suscepto, æstuante à laboribus corpore frequenter adeo pleuritis oriatur, ignarum vulgus quandoque solet calidissimis & spirituosis remediis incipientem hunc morbum tentare, antequam Medicum vocent, ut scilicet flatus, à frigore suscepto natos, discutiant, quos hujus doloris causam suspicantur. Talia autem crispant solida, ad coagulum disponunt humores, & motum febrilem immaniter augent, adeóque damnosissima sunt. Celeberrimus *Trillerus* plures tales casus habet, ex quibus patet, quantâ cum sævitie hic morbus afflixerit miseros, quibus in initio (*c*) spiritus vini, aliáve calida re-

(*a*) N°. CCCLXXX. Charter. Tom. VIII. pag. 873.

(*b*) Ibid. n°. CCCXCVIII. Chart. Tom. VIII. pag. 875.

(*c*) Commentat. de Pleuritid. Cap. V. Ægrot. I. pag. 62. Ægrot. II. pag. 72. Ægrot. III, & IV. pag. 79. Ægrot. V. pag. 84. 85. 86. Ægrot. VI. pag. 94. Ægrot. VIII. pag. 106.

media, exhibita fuerant. Vidi in viro triginta annorum pleuritidem intra triginta sex horas lethalem, dum, simulac dolorem lateris sentiret, spiritûs ex seminibus levistici destillati uncias tres propinassent, & quidem calidissimas: misero huic, licèt septimâ ab incepto morbo horâ sanguis missus fuisset largâ satis copiâ, & post paucas horas elapsas venæ-sectio repetita, nullum inde levamen accessit, frustra adhibitis externis & internis remediis efficacissimis. Verùm dolore lateris æquè acerbo manente, propagabatur malum per totum pectus, & ad jugulum usque, cum respiratione impeditissima, pulsu celerrimo, parvo; sequebatur paulò pòst delirium, & mors. Ubi notandum, quòd dolor vergebat ad superiora, & ob doloris acerbitatem summam, nullum unquam sputum educere potuit. Ex hoc casu intellexi, quare *Hippocrates* in eadem prænotione univerit duo hæc signa, sputorum absentiam, & dolorem sursum vergentem; sic enim habet, (*a*) *Pleuritides siccæ, ac sine sputo, difficillimæ sunt. Horrendæ quoque hæ, in quibus dolores superna sunt.*

SI LINGUA STATIM SICCA, &c. Videantur illa, quæ in capitulo *de Febre ardente ad* §. 739, de siccitate linguæ, ejúsque sordibus & nigredine, dicta sunt. Gangrænosam autem dispositionem hæc signa manifestè indicant. Bullæ autem sublividæ in pleuriticorum lingua ortæ meminit *Hippocrates*; dixítque, illam esse talem, (*b*) *qualis ferro candente, in oleum intincto fieri assolet*: verùm ex hoc signo tamen non adeo funestam prognosin deduxit, nisi quia (*c*) *difficilior morbi liberatio contingit*, & *diebus quibus oportet, sanguinem tussi rejicere necesse est.* Interim tamen ibidem monuit, pleuriticorum linguam inspiciendam esse: & ex alio loco *Hippocratis* patet, quantùm in similibus morbis ab humiditate linguæ & oris interni speraverit boni. Ita autem habet: (*d*) *Quòd si os humescat, & quæ à pulmone prodeunt, qualia decent, talia exstiterint, sorbitionis copiam, ut in summa dicam, adjicere oportet: nam quæ celeriùs magisque madescunt, celeriorem crisin denunciant; quæ verò tardiùs & minùs, tardiorem judicationem significant.*

Omnia jam illa signa pessimi morbi indicia sunt, & eò majus periculum indicant, quò plura horum simul concurrant, utì sponte patet. Cùm autem pulmo pleuræ contiguus sit, facilè & ille afficietur, si pleuritis in gangrænam transeat. Accedit, quòd in pessima pleuritide sæpe & pulmo simul inflammari incipiat, ob impeditam respirationem non potens expeditè transmittere sanguinem corde dextro expulsum.

§. 902. QUANDO autem hæc signa (901) jam imminere id malum (899) designant, statim uno impetu summa remedia tentanda sunt, nec vitæ auxilio, nec leviori fidendum medelæ, modò aliquæ vires supersint.

Mors enim præ foribus adest, adeóque vel suo fato relinquendus æger est;

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCLXXXI. Charter. Tom. VIII. pag. 873.

(*b*) De morb. Lib. III. cap. XV. Chart. Tom. VII. pag. 591. Conf. Coac. Prænot. n°. CCCLXXXIV. Chart. Tom. VIII. p. 873.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Lib. de Morb. Acut. vict. Comment. I. Text. XXII. Chart. Tom. XI. pag. 20.

vel simul & semel summa tentanda remedia: præmonitis priùs ægri amicis de ancipiti eventu.

§. 903. **ERGO** hoc casu (902) statim crustæ ferro ignito in loco affecto profundè inurantur, dein fortibus emundantibus obducantur, & penetrantissimis fomentis calescant assiduè; tum fortia diluentia, aperientia, antiseptica, sudorifera, largâ copiâ hauriantur. His enim, si ullis, lenietur mali sævities.

Cùm in tali casu, ubi gangræna imminet, vel jam fieri incipit nulla spes resolutionis nec criticæ evacuationis supersit, unicum quod sperari potest, est, ut suppuratione natâ in pus vertatur crudum inflammatorium, & gangrænâ jam corruptum separetur à partibus vivis. Verùm ubi in partibus externis simile malum hæret, videmus putridum in tabum resolutas partes gangrænosas diffluere, donec penitus depuratus fuerit talis locus. Nisi ergo omni molimine versùs exteriora concilietur exitus huic tabo gangrænoso, putrescerent omnia vicina. Ideo crustarum profunda inustio commendatur, ut sopita jam vitalis vis & calor resuscitentur in parte, & deciduis postea escharis patula via fiat versùs exteriora puri & ichori gangrænoso. Extremum quidem illud remedium est, sed (*a*) *extremis morbis extrema ad integritatem remedia optima* esse monuerat *Hippocrates*: & alibi pro ultimo remedio ignem laudat, dicens, (*b*) *Quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quæ ferrum non sanat, ignis sanat. Quæ verò ignis non sanat, ea insanabilia ducenda sunt.* Certum est, veteres Medicos plurimos morbos tentasse (*c*) cauterio actuali; & quandoque etiam ut citiùs curarentur, qui absque hoc remedio sanari poterant quidem, sed tardiùs, pectus & dorsum (*d*) inussisse in pectoris morbis. Verùm non memini me legisse, quòd *Hippocrates* in pleuritide, gangrænam minitante, hoc tentaverit. Propiùs ad hanc curationem accedunt illa, quæ *Aretæus* in cura pleuritidis commendat. Jubet enim ut lateri dolenti applicetur cucurbita, (*e*) *magna, omni ex parte lata*, cum multa flamma: monet, ne cucurbitæ margo carni fortiter imprimatur, ut maneat aeri accessus, & flamma diutius perstare possit: exstincto igne scarificari locum jubet, & sale vel nitro irritanda hæc vulnuscula voluit, si æger (*f*) *forti animo & tolerans sit.* Sequenti die denuo cucurbitam affigebat, (*g*) *ut & ex vulneribus tenuis quædam sanies extrahatur:* deinde addit, (*h*) *Neque enim sanguis, aut alimentum, sed sanies emanat: atque id quidem facito, cùm priùs vires exquisitè perpenderis.*

De illis autem remediis tam externis quàm internis, quæ in hoc casu conducerent, abundè dictum fuit in *gangrænæ* curatione. In *Materia Medica* ad hunc numerum formula habetur decocti talis antiseptici; verùm videtur ibi

(*a*) Aphorism. Sect. I. n°. VI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 11.

(*b*) Ibid. Sect. VIII. n°. VIII. pag. 344.

(*c*) Id. De Morb. Lib. II. cap. XXXII. Charter. Tom. VII. pag. 574. Confer. Lib. de Intern. Affectio. cap. IX. Ibid. pag. 644, & alibi passim.

(*d*) Ibid. cap. XXXI. pag. 573.

(*e*) De curat. Morbor. Acutor. Lib. I. cap. X. pag. 92.

(*f*) Ibidem.

(*g*) Ibidem.

(*h*) Ibidem.

nimia quantitas oxymellis fcillitici adeffe, vomitum enim moveret: fortè error fubeft, & loco *oxymellis fcillitici* legendum foret, oxymellis fimplicis.

§. 904. SED fi caufa inflammatoria vehementiffima fumma creârit fymptomata pleuritica, nec auxilio Naturæ (887. 888.) nec remedio ulli anti-pleuritico (890. 903.) cedentia, & hæc dein fubitò, fine caufa tolluntur, quatenus ab inflammatione pendebant, manente pulfu parvo, celeri, intermittente, refpiratione celeri, parvâque, fudore frigido, conftat gangrænam jam occupaffe loca inflammata. Hinc delirium brevì, ftatímque mors, maximè fi fimul lividus thoracis color: quod idem fit, fi ille, qui fputum fub-biliofum exfcreat, dolore levatur fine ratione, tunc enim pariter lethalis infania, mortis ex gangræna nuncia, adeft.

Symptomata fumma, quæ antea adfuerant, docuerunt, peffimam effe pleuritidem: fi autem hæc fubitò tollantur, abfque ullis fignis, quæ docent materiam morbi emendatam aut folutam fuiffe, certi fumus illud contigiffe, quia inflammatio in gangrænam abiit. Tunc autem inflammationis fymptomata definere ad §. 388, patuit. Hæc funt fallacia illa halcyonia famæ Medici adeo infidiofa, fi minùs peritus, vel non fatìs attentus fuerit: dum enim omnia in vado effe credit, poft mediam horam fæpe exfpirat æger. Cùm autem idem contingere foleat & in aliis morbis inflammatoriis vifcerum, ideo generale axioma Practicum *Hippocrates* pofuit fequens, (*a*) *Non fecundùm rationem levantibus fidendum minimè eft.* Præterea, dum à bona caufa levatur dolor, actiones vitales infurgunt, pulfus æqualis & fortior fentitur, refpiratio liberior: in hoc cafu verò abfque dolore refpirant quidem, fed celeriter, & parùm aeris fimul hauriunt: extrema fimul livefcere folent, & facies cadaverofa fit, cum pulfu debili celerrimo, & interrupto, quæ omnia perniciem indicant. Pulchram certè de his & generalem Prognofin alio in loco *Hippocrates* ita pronuntiat: (*b*) *Perniciofa fine fignis levantia, mortem fignificant.* Simul tunc adeffe folet leve delirium, utì in gangrænæ Hiftoria ad §. 432, dictum fuit.

MAXIME SI SIMUL LIVIDUS THORACIS COLOR. Quod gangrænæ fignum eft (vide §. 429. n°. 3.), & ab *Hippocrate* pariter notatum; ubi cavendum monet, ne in pleuritide peffima, craffior victus concedatur decumbentibus; fic autem habet, (*c*) *Has igitur ob caufas, & alias hujufmodi etiamnum magìs qui totâ utuntur ptifanâ, feptimo die, ac celeriùs moriuntur: alii quidem mente læfi, alii verò orthopnœâ ftertoréque præfocati. At fanè hos Antiqui fideratos* (βλητοὺς) *effe exiftimaverunt, tum ob id maximè, tum non minimè, quòd mortuis latus lividum plagæ fimile deprehenditur.*

(*a*) Aphorifm. Sect. II. n°. XXVII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 69.

(*b*) Prædiction. Lib. I. Comment. II. Text. LII. Chart. Tom. VIII. pag. 734.

(*c*) Lib. de Morbor. Acutor. vict. Comment. I. Text. XXXIII. XXXIV. Charter. Tom. XI. pag. 27.

Fulmine tacti lividam talem maculam in cute externa observantur habere; unde credidit eruditissimus *Trillerus* (*a*), quòd πληγὴ pro fulminis tactu hîc sumatur: fortè & contusionem significat, post quam etiam corporis partes livescere solent. An ideo Poetæ fabulati sunt, *Æsculapium Jovis* fulmine tactum periisse, cùm *Suidas* (*b*) memoriæ reliquerit, quòd miserè oppressus fuerit morbo, quem *Asclepiadarum* filii (id est Medici) vocant peripneumoniam? *Cœlius Aurelianus* monet quòd (*c*) *exspirantibus sæpe ægrotis nigra* (pleura) *inveniatur; hos denique venenatos quidam putaverunt:* veneno enim interfectorum cadavera livescere solent.

SI ILLE, QUI SPUTUM SUB-BILIOSUM, &c. Est Prognosis *Hippocratica*, cujus aliâ occasione ad §. 772, mentionem feci; sic autem legitur: (*d*) *Lateris dolor, ex sputis biliosis, si absque ratione evanuerit, in furorem aguntur.* Dolor subitò ablatus absque bonis signis præcipuum hîc gangrænæ jam natæ indicium dat: licèt & quandoque per malam metastasim materia inflammatoria in cerebrum rapiatur, & tunc quoque dolor lateris cesset, utì in capitulo *de Phrenitide* dictum fuit. Simul tamen & notandum, quòd & delirium quandoque gangrænam, in quacumque corporis parte natam, sequi soleat, utì paulò antè dictum fuit.

§. 905. IN mortem exit ipsa pleuritis tunc, quando tam vehementes causæ ejus, ut dolor productus omnem motum thoracis supprimens brevì creet, impedito sanguinis trajectu, peripneumoniam lethalem (848) quàm brevissimè.

Hic est omnium citissimus exitus pleuritidis in mortem. Probatur enim in Physiologicis, quòd ad transitum sanguinis per pulmonalem arteriam requiratur respirationis libertas in homine nato (in fœtu enim aliud obtinet). Si ergo acutissimus dolor omnem dilatationem pectoris impediat, accumulatur sanguis in arteria pulmonali, tenuissima pars tantùm in venas transprimitur, crassum aggeritur, & subita fit suffocatio, utì jam ad §. 877, & 883, dictum fuit.

Hinc pleuritidis exitum pulchre & notaverat *Aretæus*, licèt non adeo liquidò intellexisse causam videatur; sic enim habet, (*e*) *Nonnunquam [illegible] intra hujus temporis spatium omnium in pulmonem transitus est [illegible] anit enim in se ipsum pulmo rarus & calidus, & ad proxima trahenda sese commovens, tuncque morbi transpositione repentè homo strangulatur.*

§. 906. HINC liquet, cur omni sæviori pleuritidi peripneumonia superaccidat: cur senibus, puerperis, gravi-

(*a*) Commentat. de Pleuritid. pag. 173. 174.

(*b*) In voce Ἀσκληπιάδης Tom. I. pag. 458.

(*c*) Acutor. Morbor. Lib. II, Cap. XVI. pag. 117.

(*d*) Prædiction. Lib. I. Comment. III. Text. XCIX. Chart. Tom. VIII. pag. 767. Confer. Coac. Prænot. n°. CCCCXVIII. Ibid. pag. 876.

(*e*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. X. pag. 9.

dis, plerumque lethalis: cur thoracis per fasciam adstrictio adeo dolorem levet, ut morbum tolerabilem reddat:

CUR SÆVIORI PLEURITIDI PERIPNEUMONIA, &c. Præcedenti paragrapho hoc demonstratum fuit.

CUR PLERUMQUE LETHALIS SENIBUS. Quàm rigidum fiat corpus in decrepita senectute, omnes noverunt: imò quandoque arteriæ majores osseæ inventæ fuerunt in cadavere senili. Sanguis in senibus magìs lentescere solet, & minorem seri copiam habet respectu partis rubræ. Verùm ad resolutionem inflammationis conducit canalium facilis mobilitas, & diluens vehiculum (vide §. 386.), quæ bina adminicula in senibus deficiunt. Cùm autem sputorum libera excretio tantùm faciat sæpe ad levandam pleuritidem, & anheli senes plerumque spirandi difficultate aliquâ laborent, & difficillimè tenacem pituitam diuturnâ tussi educere possint, patet & alia ratio, quare in senectute periculosior pleuritis sit. Accedit & hæc difficultas, quòd sanguinis missio, tanti momenti in pleuritide curanda, sæpe subitò prosternat senum vires.

Rariores in senibus observari morbos acutos, *Hippocrates* (*a*) monuit; & commentans hunc locum *Galenus* dicit, (*b*) *Si quando seni, quod rarum est, qualis juveni, oboriatur febris, hæc prorsus in ægrotantis perniciem finitur: immensam enim quamdam causæ febrim efficientis magnitudinem prodit.*

Certè ubi *Hippocrates* (*c*) senectutis morbos recenset, non meminit ullius morbi acuti præter apoplexiam. Hoc inprimis ideo notandum est, quia *Aretæus* statuit quòd (*d*) *inprimis senes pleuritidi sunt obnoxii; qui etiam sæpius quàm alii liberantur.* Verùm videtur hoc potiùs dixisse ex hypothesi, quàm ex Observatione. Utì enim hyemem maximè feracem hujus morbi dixit, (*e*) *ver minus;* sic & senili ætati frequentem pleuritidem, minimè autem pueritiæ voluit. Cùm autem paulò antè monuerat, pleuriticum repentè strangulari, dum pulmo morbum in se trahit (ubi nempe peripneumonia pleuritidi succedit) dedit hanc rationem, quare senes sæpius quàm juvenes aut viri evadant: (*f*) *Neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari potest, neque in pulmonem transitus facilis est: quippe qui est in senecta quàm in alia ætate frigidior, quando & spiratio parva est, & omnium attractio imbecilla.* Ex his autem facilè patet, *Galeni & Hippocratis* sententiam *Aretæi* placito hîc præferendam esse, quæ statuit senibus rariùs quidem contingere pleuritidem, verùm eosdem ferè semper succumbere huic morbo, si illo corripiantur. Generale enim hoc axioma Practicum (cujus & ad §. 879, mentionem feci) *Hippocrates* posuit: (*g*) *In morbis parciùs periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, & anni tempestati, morbus consentaneus ac proprius fuerit, quàm quibus in horum aliquo minimè cognatus sit.*

(*a*) Aphorism. Sect. I. n°. XIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 24.
(*b*) Ibid. pag. 28.
(*c*) Ibid. Sect. III. n°. XXXI. pag. 128.
(*d*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Cap. X. pag. 9.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Aphoris. Sect. II. n°. XXXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 75.

PUERPERIS. Nôrunt Practici, febre validâ ortâ puerperii tempore, illico ferè lochia supprimi: quantum autem inde discrimen immineat, postea dicetur, ubi de puerperii morbis agetur. Infelicem talem casum vidi, dum viginti quatuor horis ante partum gravida mulier acutâ corripiebatur pleuritide: peperit infantem mortuum, lochia post partum mox cessabant, dolor venæ-sectione parùm mitigatus increvit illico immaniter, & licèt repetitis sanguinis missionibus levaretur parùm morbus, febris manebat æquè acuta, pulmo incipiebat oppleri; & septimâ die periit. Quàm enormes autem dolores passa fuerit misera hæc mulier, dum pleuritide laborans cogebatur summo nixu inspirationis fœtum eniti, facilè intelligitur. Interim tamen non semper & absolutè lethalem pleuritidem esse in puerperio, pluribus Observationibus constat; & quædam in *Commentariis* §. 890, recensitæ fuerunt.

GRAVIDIS. Periculosiorem esse pleuritidem graviditatis tempore, nemini mirum videbitur, cùm & à febre acuta, pleuritidis comite, abortûs periculum immineat, & subitæ vasorum depletiones per repetitas sanguinis missiones non adeo tutæ sint in gravidis. Præterea distento jam multùm abdomine difficiliùs respirant gravidæ, cùm inter inspirandum diaphragma multùm descendere nequeat, adeóque major dilatatio pectoris requiritur; quæ dum impeditur ob dolorem pleuriticum, summæ fiunt angustiæ, & metus est, ne citò lethalis peripneumonia sequatur. In *Commentariis* §. 888. n°. 6, monui, non absolutè tamen in gravidis lethalem esse pleuritidem, & memini gravidæ mulieris, quæ sputorum excretione feliciter sanata fuit. Imò in alia fœmina bis curavi pleuritidem, dum gravida erat; semel sexto graviditatis mense, & semel octavo: utroque tamen in casu feliciter peperit, & puerperii tempore satìs commodè se habuit.

CUR THORACIS PER FASCIAM, &c. Dum inspiramus, costæ à se mutuò removentur, & diaphragma, deorsum pressum, thoracis cavum reddit amplius, simúlque tunc abdomen assurgit. Dum autem pleuritis adest, absque acerbo dolore costæ à se mutuò diduci nequeunt. Ubi ergo fasciis circumductis ita adstringitur thorax, ut costæ quasi immobiles reddantur, abdomine interim ab omni compressione libero, tunc dilatatio thoracis inter inspirandum fit à solo descensu diaphragmatis versùs abdomen, & non distrahuntur loca intercostalia; unde ergo insigne doloris levamen percipiunt ægri, & minor metus est, ne ob impeditam inspirationem infarciatur pulmo & sanguine immeabili. Interim tamen & hoc notandum est, minui quidem sic dolorem pleuriticum, sed manere ejus causam; cui ergo efficax medela adhibenda est, ne in suppurationem inflammatio hîc nata abeat, dum, ob levamen doloris minutam esse morbi vehementiam falsò quandoque crederet Medicus.



PARAPHRENITIS.

§. 907. SI morbus pleuritidi similis occupat eam membranæ pleuræ partem, quæ diaphragma ambit, vel & ipsum septum medium, oritur morbus dirus, quem paraphrenitidem appellant.

In pleuritidis Historia §. 877, dictum fuit, quàm varia loca occupare possit ille morbus, dum pleura omnem thoracis interni ambitum investit: adeóque & diaphragmatis pectus ab abdomine separantis, inflammatio ad pleuritidem propriè pertineret. Verùm obtinuit usu, peculiari nomine hunc morbum designare, & ob quamdam symptomatum diversitatem solent sigillatim de hoc morbo agere Medici.

Legitur apud *Ruffum Ephesium* (*a*), membranam, quæ pectoris viscera ab inferioribus disjungit, vocari διάφραγμα καὶ φρένες: ad §. 771, verò monitum fuit, solemne videri veteribus Medicis, ut partis affectæ nomini affigerent terminationem *itis*, quando inflammatorium talis partis morbum designare volebant. Hâc ergo ratione diaphragmatis inflammatio φρενῖτις vocari debuisset. Verùm hoc nomen jam alteri morbo datum fuerat, ubi nempe ferox & perpetuum delirium à cerebro primariò affecto, cum febre acuta continua, oritur. Hinc distinctionis causâ hic morbus *paraphrenitis* dictus fuit. Verùm quidem est, præpositionem παρὰ, morborum nominibus præfixam, eorumdem minorem intensitatem frequenter significare (vide §. 783.), sed paraphrenitis nullibi pro leviore phrenitide occurrit. Symptomatica enim phrenitis, vel & delirium febrile, dicitur παραφροσύνη.

Hippocrates autem sub phrenitidis nomine diaphragmatis inflammationem descripsit; monens priùs, quòd (*b*) *phrenitides etiam ex aliis morbis oriuntur*: addénsque, hunc morbum simili modo curandum esse, ut peripneumonia. Sed & (*c*) *Ægineta* & (*d*) *Trallianus* meminerunt pariter phrenitidis, quæ non à capite affecto, sed à diaphragmate fieret; neque tamen peculiare nomen huic morbo indiderunt, sed monuerunt, à vera phrenitide distingui præcipuè respirationis læsione. Neque apud *Galenum* (*e*), ubi de hoc morbo agit, paraphrenitidis nomen occurrit.

(*a*) De corpor. human. partium appellation. Lib. I. pag. 38.
(*b*) De Morb. Lib. III. Cap. IX. Charter. Tom. VII. pag. 586.
(*c*) Lib. III. Cap. VI. pag. 28.
(*d*) Lib. I. Cap. XIII. pag. 45.
(*e*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 488.

§. 908. QUI longè frequentior, quàm vulgò quidem censetur, licèt præsens sæpe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

Cùm ergo apud plures veterum Medicorum illius morbi mentio fiat, & plures causæ pleuritidis (vide §. 881. n°. 2.) aptissimæ sint, ut in diaphragmate similem morbum producant, imprimis potus gelidus affatim haustus, & ventriculum replens; mirum videtur, raro in communi Praxi hunc morbum incusari, ita ut *Petrus Salius* illum numeraverit inter morbos, quorum tractatio ab ordinariis Practicis non exhibetur. Certè diaphragmatis situs & totus ejus ambitus non ab omnibus adeo liquidò perspectus habetur: à lumbis enim incipiens adscendit tam altè, ut pericardium ejus parti tendineæ accrescat, & latâ superficie thoracem ab abdomine dirimit. In opere illo splendidissimo celeberrimi *Albini*, diaphragmatis figura habetur, quæ meliùs situm ejus docet, quàm ulla descriptio (*a*): & ex qua patet, non mirum esse, si diaphragmatis, inflammatio pro aliarum partium morbo quandoque habita fuerit. Interim tamen non adeo funestus talis error quoad curationem semper fuit, quia illa ferè similis est pleuritidis curæ, utì §. 911, dicetur. Simul & patet, varia posse occurrere symptomata, prout in diversis locis diaphragmatis inflammatio hæserit. Certè accrescit pericardio, transmittit œsophagum, aortam, venam cavam, &c; accumbit hepati, lieni, renibus, &c; unde tumor inflammatorius in diaphragmate natus, has illásve vicinas partes impediens, diversa mala producere poterit. Præcipua autem signa, & maximè universalia, sequenti paragrapho recensentur.

§. 909. COGNOSCITUR ex febre acutissima, continua, dolore inflammatorio loci, intolerabili ob membranas nervosas; qui dolor immaniter augetur in inspiratione, tussi; sternutatione, repletione stomachi, nauseâ, vomitu, compressu abdominis in alvo, vel urinâ, reddendis; respiratione hinc sublimi, parvâ, celeri, suffocativâ, quiescente abdomine, solo thorace peractâ; delirio perpetuo; hypochondriorum introsursum revulsione; risu sardonio; convulsione, furore; gangrænâ.

Febrim omni inflammationi comitem esse, antea ad §. 382. n°. 8, demonstratum fuit: sed & simul tunc ibi notatum fuit, tantò validiorem febrim adesse, quantò major irritatio fibrarum ab inflammatione nata fuerit. Omnium autem maxima irritatio fit in membranis tensis. Ideo in paronychia sæpe tanta febris nascitur; utì & quando membrana meatum auditorium in-

(*a*) Tab. musculorum IV. & Histor. musc. Lib. III. Cap. LXXXI.

vestiens inflammatur, quod malum certè periculosum esse monuit in *Prognosticis* (*a*) suis *Hippocrates*. Verùm diaphragma semper tensum est, etiam dum muscularem actionem non exercet. In cadavere, aperto abdomine, sed thorace adhuc clauso, manifestè apparet, quomodo diaphragma fornicem cavum formet, cujus pars convexa pectus respicit; simul ac autem utrimque perforatur pectus, ut aer in cavum thoracis ingrediatur, flaccidum fit diaphragma, cùm antea tensum fuerit (*b*), & pressione atmosphæræ sursum protrusum intra pectus. Ubi verò agit diaphragma, deorsum premens contenta abdominis & pectoris cavum amplius reddens pro inspiratione, tunc tenduntur omnes ejus partes actione musculari, unde iterum intolerabilis sævi doloris exacerbatio: sic intelligitur, quàm calamitosa sit diaphragmatis inflammatio, cùm semper tensum sit, sive agat, sive quiescat. Hinc dixit *Hippocrates* de hoc morbo agens, ita dolere miseros ægros, (*c*) *ut ne contingere quidem sinant*.

Facilè jam patet, quàm immaniter debeat augeri dolor, si inflammatum diaphragma tussi aut sternutatione concutitur, aut à ventriculo repleto magìs protruditur versùs thoracis cavum: quàm horrendus cruciatus sit, si à vomitu, musculi abdominales & diaphragma simul convellantur (vide §. 652.) quàm impossibile sit talibus ægris, inspirato & retento aere, fortiter simul agentibus & diaphragmate & musculis abdominalibus, alvum vel urinam evacuare.

Respiratio autem adhuc longè difficilior est quàm in pleuritide, in qua adstricto per fascias thorace (vide §. 906.) pectus immobile quasi retineri potest, & moto abdomine respiratio perficitur, maximè tunc simul agente diaphragmate. Verùm miseri tales ægri superiores costas elevare & diducere nituntur, ut aliqua pectoris dilatatio pro respiratione adhuc fieri possit. Hinc sublimis illa & parva respiratio, sed & frequens simul cum suffocationis molestissimo sensu, de qua vide *Commentaria* §. 734.

Delirium autem perpetuum paraphrenitidem comitatur, utì *Hippocrates* (*d*) & *Galenus* (*e*) observârunt, & post illos unanimi consensu omnes Practici testantur. Imò *Galenus* dixit, à nulla alia parte corporis perpetuum delirium fieri, præterquam à diaphragmate; (*f*) *adeo ut Veteres putaverint, hâc parte inflammatione affectâ, phreniticos fieri, atque ob eamdem suspicionem* φρένας *eam appellaverint, tamquam sapienti parti* (cerebro) *conferat quidpiam*. Monet autem, respiratione illâ difficillimâ inprimis distingui à vera phrenitide hunc morbum, in qua nempe respiratio magna & rara esse solet. Observationes autem fideles docent, tensas membranas & inflammatas, post acerrimum dolorem, deliria producere pessima. Ita ab auris dolore acuto cum febre continua periculum esse (*g*) *hominem delirare ac interire*, monuit *Hippo-*

(*a*) Comment. III. text. XIII. XIV. Charter. Tom. VIII. pag. 671. 672.
(*b*) Boerhaav. Institut. Medicar. §. 607.
(*c*) De Morb. Lib. III. Cap. IX. Charter. Tom. VII. pag. 586.
(*d*) Ibidem.
(*e*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 489.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Prognostic. Comment. III. text. XIII. Charter. Tom. VIII. pag. 671.

crates. Fortè crederetur, inflammationem cerebro adeo vicinam citiùs turbare ejus functionem. Verùm in paronychia, extremum digiti articulum occupante, & dolentissimâ, pessimè delirasse ægros vidi. Præterea ob impeditam adeo in hoc morbo respirationem sanguis venosus à capite redux impeditur, dum cor dextrum per pulmonem trajicere sanguinem liberè non potest; hinc & omnes encephali functiones turbari debent.

Hypochondria autem introsursum revelluntur; quia omni molimine cavent ægri, ob summum dolorem, ne diaphragma descendat inspirando, hinc illud quasi retractum sustinent: sed sic simul hepar, ventriculus, lien, magis sub hypochondriis quasi reconduntur. Imò videtur *Galenus* illam hypochondriorum revulsionem pro signo pathognomonico paraphrenitidis habuisse, ita autem habet: (*a*) *Atque ut summatim dicam, eorum symptomatum, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut perexiguum in iis, quibus septum transversum inflammatione laborare incipit, ut rursus sursum revelli hypochondrium, illico ab initio septi transversi affecti, proprium sit; in cerebro verò* (affecto) *posterius accidit, non incipiente affectu, sed quum factus jam fuerit.*

Patet facilè ex dictis hactenus, inflammationem diaphragmatis, partis semper movendæ & adeo tensæ, in gangrænam subitò finiri posse, & ante mortem convulsiones & furores sæpe observari. Verùm risus ille sardonius peculiare quasi symptoma hujus morbi solet haberi. Ab acerrimis venenis in ventriculo hærentibus ita convelli musculos faciei, ut angulis labiorum retrorsum tractis risûs incepti quasi species appareat, dudum memoriæ proditum fuit; & hanc vim *Materiæ Medicæ* Scriptores tribuerunt ranunculo palustri apii folio; quem apium risûs, vel & herbam sardoam, ideo vocare solent, acri, causticâ vi præditam plantulam. Unde & in proverbium abiit, dum quis suo damno rideret incautus. Verùm & vetusta satìs Observata docent à diaphragmatis læsione talem risum contigisse. Memoriæ hoc tradidit *Hippocrates* (*b*): & quòd in præliis gladiatorúmque spectaculis mortem cum risu trajecta præcordia attulerint, apud *Plinium* (*c*) legitur; per præcordia autem diaphragma intellexisse, manifestè patet in eodem loco. Videmus etiam in infantibus dormientibus quandoque tempore dentitionis faciem quasi subridentis; & solent inde solicitæ matres convulsiones præsagire, quæ etiam sæpe sequuntur. Ex quibus patet suspectum meritò haberi illud symptoma.

§. 910. EXITUS idem, ut in pleuritide (§. 884. 892. 896. 897. 899.) sed ob motum partis magnum & assiduum, ob necessitatem ad vitam, ob nervosas membranas tensas, omnia velociora, funestiora; & ascites hinc purulentus.

(*a*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 490.

(*b*) Epidem. Lib. V. textu L. Charter. Tom. IX. pag. 351.

(*c*) Lib. XI. Cap. XXXVII.

Omnia enim, quæ in pleuritide de vario exitu morbi in ſanationem, mortem, vel alium morbum dicta fuerunt, hîc etiam locum habent. Verùm omnia hîc ſymptomata atrociora eſſe, & citiùs in interitum tendere facilè patet ex actione diaphragmatis, & nexu ejus cum aliis partibus. Requiritur enim, ut ſemper moveatur inter reſpirandum; pericardium latâ ſuperficie tendineæ diaphragmatis parti accreſcit, adeóque & ictus cordis excipit diaphragma; aorta per ſecedentes ejus fibras tranſit, utì & œſophagus & vena cava adſcendens. Hinc intelligitur, quàm miſera debeat eſſe conditio ægri, cui diaphragma inflammatum eſt, & quòd ſummum adſit periculum: quæ omnia & *Hippocratis* teſtimonio confirmantur, dicentis, (*a*) *Hic autem morbus lethalis eſt; tertio namque die, aut quinto, aut ſeptimo moriuntur. Si verò leviter corripuerit, ut peripneumonia judicat.*

Verùm pleuritis ſi abierit in abſceſſum, niſi versùs exteriora protuberet & aperiatur, pus in cavum thoracis decidit, & facit empyema; abſceſſus verò diaphragmatis poteſt pus ſuum effundere & in thoracis cavum, & in abdomen; túncque producit aſciten purulentum, repleto cavo abdominis & diſtento à pure hîc accumulato. Aſcites autem ſimpliciter vocatur, dum aqua in cavo abdominis effuſa hæret, utì poſtea in capitulo *de Hydrope* dicetur.

§. 911. CURATIO hinc eaſdem diſtinctiones & cautelas requirit, tum eadem ferme remedia, exceptis iis, quæ loci ſitus reſpuit. Clyſmata mollia ob viciniam loci ſæpe juvant.

Similis enim pleuritidi morbus, eſt tantùm differens ſede, quam occupat. Fomenta autem, linimenta, emplaſtra, hîc minoris usûs ſunt quàm in pleuritide, quoniam tam prope ad locum affectum applicari nequeunt. Clyſmata autem injecta, cùm per totam longitudinem inteſtini coli uſque ad ilei finem venire poſſint, multùm boni faciunt, quia inteſtinum colon, ubi circa hepar & lienem pergit, diaphragmati vicinum eſt, adeóque illud inteſtinum, molliſſimis decoctis per clyſma injectis repletum, fomentum applicat blandum & reſolvens inflammato diaphragmati.

§. 912. UBI verò ſuppurato diaphragmate priùs inflammato, abſceſſus in cava abdominis ruptus, ſuum pus evomit, fit collectio ejus in abdomine, aggeſtio, putrefactio, tumor, viſcerum exeſio, tabes miſerrima, mors.

Quænam metuenda ſint mala ab abſceſſu rupto pus ſuum eructante in cavum thoracis ad §. 894, dictum fuit: ſimilia & fient dum in cavum abdominis ex abſceſſu diaphragmatis pus delabitur. Si jam conſideretur diaphrag-

(*a*) De Morb. Lib. III. Cap. IX. Charter. Tom. VII. pag. 586.

ma ſemper moveri, & rapidam ſatìs circulationem eſſe in diaphragmate ob cordis viciniam, intelligitur, magnam copiam puris brevì accumulari debere, & ulcus illud diaphragmatis ad ſanationem reduci non poſſe; inprimis cùm à pure collecto, & morâ, acriori reddito, alluatur. Verum quidem eſt, pus effuſum proprio pondere abdominis inferiora petere, ſed illud retentum diu & corruptum putrido halitu inficiet omnia viſcera, & erodet partes quibus accumbit.

§. 913. ESTQUE totum hoc malum inſuperabile, licèt cognitum.

Plurimæ certè ſunt rationes, quæ rite expenſæ docent ſummam difficultatem curæ eſſe in hoc malo, imò ferè omnimodam impoſſibilitatem perſuadent. Pus enim effuſum in cavum abdominis debet educi, & locus ulceroſus iterum conſolidari, ut curatio fiat: ſimúlque eductio puris debet fieri citò poſtquam ruptus fuerit abſceſſus, antequam nempe pus morâ corruptum infecerit abdominis viſcera. Per ſigna explicata §. 893, diſtinguere poſſumus, an ſuppuratio fiat, & à ſubito levamine ſymptomatum (vide §. 894.) docemur, abſceſſum ruptum eſſe; ſed nondum ſcimus certò, an in pectoris cavum, an verò versùs abdomen pus eruperit. Certè libra una vel altera puris non ſatìs diſtendet abdomen, ut in tumorem notabilem attollatur, & talis abſceſſus continet ſæpe longè minorem puris copiam, dum rumpitur; unde aſcites talis purulentus non cognoſcitur bene, antequam pure, continuò ex ulcere hoc aperto depluente, repletum abdomen tumeat inſigniter: ſed hoc nonniſi diu poſt ruptum abſceſſum contingit, adeóque ſerò tentaretur puris eductio. Præterea pus bonum cremorem ferè lactis æquat ſpiſſitudine, adeóque paracenteſi abdominis educi non poſſet, ſed deberet latiori vulnere, in cavum abdominis penetrante, via parari puri educendo; quod iterum periculo non caret. Præterea quomodo ſanabitur vomica talis aperta in diaphragmate nunquam quieſcente? Quantum periculum, ſi diaphragma ulcere exeſum ingredientem per vulnus abdominis aerem in cavum thoracis admiſerit ſubitò! Unde meritò dixit *Hippocrates* de ſuppuratione nata circa ventrem inferiorem, (*a*) *Si quidem de ſe foràs ſignificationem præbuerit, & pus exierit, ſani evadunt; ſi verò ſuâ ſponte intrò proruperit, pereunt.* Et *Aretæus* monuit quòd (*b*) *Lienis, jecur, & pulmo, & diaphragma, id eſt inter-ſeptum, celeriùs quidem pus ducunt, ſed periculoſa & mortifera ſunt.*

Antea ubi de variis locis, quæ pleuritis occupare poteſt, dicebatur §. 877, notatum fuit, hunc morbum occupare poſſe totum membranæ pleuræ ambitum, adeóque non tantùm latera, ſed & aliam quamcumque thoracis regionem. Atque tunc monitum fuit, quòd, peculiari capitulo cùm agendum eſſet de paraphrenitide, ſimul quædam adderentur de mediaſtini & pericardii in-

(*a*) De Morb. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 540.

(*b*) De cauſ. & ſign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 39.

flammatione, cùm & hæ partes membranâ pleurâ ambiantur. Ut autem rite intelligi possint mala, quæ ab inflammato mediastino fieri queant, ejus situs & origo considerari priùs merentur.

Tota superficies interna thoracis, ut notum est, in cadavere apparet politissima, dum æquabiliter pleura membrana illam tegit. Verùm ubi pleura pervenit utrimque ad columnam vertebrarum in parte postica thoracis, tunc recedit à finibus ultimis costarum, & adsurgit versùs anteriora thoracis, ad sternum usque; unde ad §. 170. n°. 4, ubi de vulneribus lethalibus agebatur, notatum fuit, quòd singulis pectoris cavitatibus sua quasi propria membrana sit, & quòd binæ pleuræ concipi possint, ut cavæ tales vesicæ sibi mutuò adjacentes, & in loco contactûs sibi mutuò accretæ: harum membranarum duplicatura, thoracis cavum bifariam dividens, mediastinum vocatur. Verùm à pleura, utrimque à corporibus vertebrarum secedente, sic relinquitur species triangularis cavi, cujus postica pars est columna vertebrarum dorsi: hîc membrana cellulosa ponitur, per quam transeunt aspera arteria, œsophagus, ductus thoracicus, &c; anteriùs verò illæ lamellæ duplicis pleuræ sibi mutuò arctè cohærent, excepto parvo loco in superiori parte, ubi glandula thymus ponitur.

Observationes Practicæ jam docuerunt, mediastinum inflammari in morbis acutis pectoris, & *Avenzoar* (*a*) scripsit, seipsum hoc morbo laborasse. Cùm autem non adeo facilè inveniatur ubique ille Auctor, potest & legi illud, quod inde excerpsit eruditissimus *Freindus* (*b*); vel & apud *Zacutum Lusitanum* (*c*) ubi etiam morbi hujus Historia legitur. Verùm *Avenzoar* post largam admodum sanguinis evacuationem, dum ligatura brachii, in quo venæsectio instituta fuerat, de nocte solvebatur, evasit ab hoc morbo, adeóque posset dubium manere aliquod, an fortè in diagnosi proprii morbi non erravisset ille Medicus. Pulchre autem confirmantur illa, quæ *Avenzoar* scripserat de mediastini inflammatione, per Observationes *Petri Salii Diversi* (*d*), qui videtur non legisse unquam Arabem hunc Medicum, & tamen ferè similia symptomata hujus morbi enumerat, ac apud priorem leguntur, & postea in cadavere vidit, hanc partem inflammatam fuisse. Viderat enim nonnullos febre acutâ decumbere: aderat inquietudo magna, & sitis ingens, respiratio frequens admodum & celeris, circa vitalia æstus validus percipiebatur; in thorace tamen acutus dolor non aderat, sed ad sternum angustiam quamdam potiùs, quàm dolorem percipiebant: tussis aderat, sicca in initio, postea prodibant sputa colorata, ut plurimùm flavi coloris; pulsus in omnibus talibus ægris erat ut in pleuritide laborantibus, unde certò illos pro pleuriticis habuisset, nisi dolor lateris abfuisset. Optimè autem notat, minùs dolere inflammatum mediastinum, quia dilatato inter inspirandum thorace non distrahitur, ut pleura. Ubi verò inflammatio ad pericardium adeo vicinum propagatur,

(*a*) Lib. I. theisir. Tract. 16. Cap. VI.
(*b*) Histor. of Physik Tom. II. pag. 80.
(*c*) De Medicorum Principum Historia Lib. II. Hist. 23. pag. 223.

(*a*) De febre pestilenti, & curationibus quorumdam particularium morborum, &c. Cap. VI. pag. 247.

tunc syncope solet accedere, & pulsûs mira perturbatio. Fatetur autem se eò diligentiùs ad hæc omnia attendisse, quia junior adhuc, sub Præceptoribus celeberrimis studio Medico operam navans, viderat nobilem virum morbo, omnibus enumeratis symptomatibus stipato, decumbentem, præter spem occubuisse nonâ morbi die, dum omnia in melius tendere videbantur: aliquoties tamen ante mortem syncopen passus fuerat. Cùm autem Medici de morbo dubitarent, amici verò venenum datum fuisse suspicarentur, voluerunt, ut in cadavere mortis causa investigaretur. Inventus autem fuit in mediastino tumor inflammatorius notabilis magnitudinis, & simul apparuit, inflammationem pro parte & pericardium occupasse. Nec ulla alia mortis causa in demortui cadavere inventa fuit.

Frequentiùs fortè contingunt mediastini & pericardii inflammationes, quàm creditur: sanè illæ causæ, quæ frequentissimè pleuritidem producere observantur, efficaciter agere possunt & in has partes; aer nempe frigidus, vel & potus gelidus magno haustu ingestus, ab homine à labore vel calore aeris admodum æstuante (§. 881.). Verùm pericardium ponitur inter pulmones illud undique ferè ambientes; hinc aer frigidus, inspiratus pulmone dilatato, applicatur mediastino & pericardio: œsophagus potum gelidum transmittens inter secedentes lamellas mediastini, & ponè pericardium transit. Signa autem præcipua hujus morbi sunt causæ tales prægressæ, æstus magnus circa thoracem medium doloris pleuritici absentia, pulsûs perturbatio, & animi deliquia, si ad pericardium inflammatio pervenerit. Sæpe potest & talis morbus pleuritidem vel paraphrenitidem comitari, & miram pessimorum symptomatum syndromen facere.

In prognosi majus periculum statuitur quàm in pleuritide, inprimis si pericardium inflammatum fuerit, ob cordis viciniam, & velocissimam hìc humorum circumductionem. Adeóque curatio pleuritidis (§. 890.) subitò instituenda, ut per resolutionem sanari possit hæc inflammatio: omnis enim alius exitus inflammationis vel mortem subitam producit, vel molestissima & vix superabilia relinquit mala. Si enim suppuratio hìc oriatur, pus collectum in cellulosa illa substantia, quæ mediastini duplicaturæ interjacet, miras sibi poterit parare vias, dum proprio pondere descendit inter pleuram & corpora vertebrarum; sícque sinus & fistulas insanabiles producet, utì facilè patet. Si in pericardio suppuratio facta fuerit, in ejus cavum delabi poterit, & cor undique alluere. *Rondeletius*, qui hunc morbum observavit, in nobili viro invenit (*a*) *cor obductum seroso humore in saniem versò*.

Abscessum cor undique circumplectentem, & cor inde jam ferme putrescens, invenit *Columbus* (*b*). Sed & alii inflammationis exitus hìc inventi fuerunt. Ad §. 897, notatum fuit, sæpius post validam pleuritidem toleratam pulmonem pleuræ accrescere, vel & pleuram callosam aut scirrhosam fuisse inventam: idem & poterit contingere pericardio inflammato, ut cordi concrescat undique, & tunc pericardium omnino deesse crediderunt Anatomici.

(*a*) Libro de Dignoscend. Morb. Cap. x. | (*b*) De Re Anatomic. Lib. XV. pag. 267.

Columbus (*a*) discipulum in Romana Academia mortuum secuit, sæpius in syncopen delapsum, quâ & periit: credidit autem pericardium omnino defuisse; sed longè videtur probabilius, illud cordi fuisse accretum. *Ruyschius* (*b*) servabat cor hominis, qui febre continuâ cum intolerabili dolore circa pectoris anteriora laboraverat: cor autem scabrum in superficie exteriori pericardio concreverat. Verùm & scirrhosam pericardii indurationem invenimus à fide dignissimis Auctoribus observatam fuisse. Eruditissimus Medicus *Freindus* (*c*) testatur se vidisse pericardium in toto suo ambitu quartam pollicis partem æquans crassitie, & accretum cordi adeo firmiter, ut nullibi separari potuerit absque laceratione: partim autem schirrhosum erat pericardium, partim plenum parvis abscessibus.


Quæri posset, an, abscessu latente sub sterno post inflammationem mediastini, via puri fieri posset perforato sterno, ne pericardium vicinum, & cor à retento pure, & acriori reddito, eroderentur? *Aretæus* meminit empyematis (*d*) in sterno nati, monétque illud (*e*) tardè abscedere. Verùm, quod dolemus, *Aretæi* codex mutilus est, & in libro primo de curatione morborum diuturnorum deest inter reliqua & illud caput, quod de curatione empyematis agere debuisset, adeóque ignoramus, quid ille in tali casu consuluisset. Memorabilem casum habet *Galenus* pueri qui ictus, (*f*) *in sterno in palestra, neglectus primùm est, deinde parùm probè curatus. Post menses quatuor pus in parte percussa apparuit*; sternum postea sphacelo corruptum apparuit. *Galenus* Anatomes peritiâ, quâ adeo valebat, confisus corruptam ossis partem exscidit, dicítque, se nudum cor vidisse, quippe sub osse affecto (g) *Pericardium computruerat*, convaluit tamen brevi tempore puer. Ad §. 895, mirabilis ille casus habetur, ubi post suppuratam pleuritidem pus sibi viam fecerat per sternum; adeóque patet, talem curam possibilem fore. Quinimo *Freindus* (*h*) à peritissimo Chirurgo sæpius trepano perforatum fuisse sternum monet; dum in lue venerea, tales abscessus mediastini oriebantur, in quo morbo illud frequentiùs contingere observaverat.

Cùm autem rariùs inveniatur *Petri Salii* ille tractatus, potest & legi illud capitulum de inflammatione membranarum intersepientium & pericardii apud (*i*) *Schenckium*, ubi integrum habetur.

(*a*) De Re Anatomic. Lib. XV. pag. 265.
(*b*) Thesaur. Anatom. VI. n°. XXXVI. pag. 29.
(*c*) History of Physik part. II. pag. 89.
(*d*) De Caus. & sign. Morb. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 37.
(*e*) Ibid. pag. 39.
(*f*) De Anatomic. Administration. Lib. VII. Cap. XIII. Charter. Tom. IV. pag. 161.
(*g*) Ibid. pag. 162.
(*h*) History of Physik Part. II. pag. 85.
(*i*) Observat. Medicin. Lib. II. pag. 288.



HEPATITIS.



HEPATITIS ET ICTERUS MULTIPLEX.

§. 914. UT viſcera & partes, de quibus hactenus, ita hepar quoque inflammationis capax; licèt rarò de eo cogitetur, & fortè etiam non ita frequens ſit ob arteriæ hepaticæ parvitatem, & minorem impetum ſanguinis venæ-portarum.

Ex illis, quæ in Hiſtoria inflammationis §. 373, & 374, dicta fuerunt, conſtat, in omnibus corporis viſceribus inflammationem obtinere poſſe, adeóque & in hepate. Obtinuit autem uſu hunc morbum vocari hepatitidem (vide dicta ad §. 771.). Priſci Medici hepaticos dixerunt illos, qui hujus viſceris inflammatione decumbebant: ita enim in Definitionibus habet *Galenus*, (*a*) *Hepatici ſunt, quos jecoris dolor comitatur diuturnus cum tumore & duritia, & corporis decoloratione: ſupervenit iis febris ardens, & lingua exareſcit.* Sed notandum eſt, *Galenum* has definitiones collegiſſe ex ſcriptis Medicorum, qui ante illum vixerant, & iiſdem verbis tradidiſſe (*b*); adeóque non ſemper illæ definitiones habent illud, quod *Galenus* ipſe ſentiebat, utì ex alio ejuſdem Auctoris loco manifeſtè patet, ubi monet, (*c*) *Affectio igitur hepatica peculiariter appellata, veluti etiam cœliaca & ſtomachica, citra tumores præter naturam circa ipſas partes contingit. Inflammatum enim eſſe hepar, aut abſceſſu laborare, aut induratum eſſe Medici dicunt, aut aliud quidpiam tale; non tamen hepaticum vocant hominem ipſum cui tale quidpiam accidit. Verùm quandò citra manifeſtum aliquod in viſcere malum, in propriis actionibus debilitatur, tunc ægrum hepaticum appellant.* *Celſus* longum æquè ac acutum jecinoris morbum (*d*) ἡπατικὸν Græcis vocatum fuiſſe aſſerit. Hodie tamen plerique Medici acutos hepatis morbos ſub hepatitidis nomine comprehendere ſolent: chronicis verò hujus viſceris affectionibus ægrotantes vocant hepaticos.

Cum autem arteriæ ad hepar delatæ exiguæ ſint, ratione habitâ ad molem tanti viſceris, & ſanguis ex venæ-portarum trunco per hepar movendus pellatur lentiùs, cùm jam venoſus ſit, adeóque cordis & arteriarum viribus non ampliùs moveatur; hinc fortè minùs frequens eſt vera hepatitis inflammatoria, & longè ſæpius naſcuntur in hoc viſcere chronicæ admodum pertinaces obſtructiones. Imò celebres Medici, & inter illos *Fridericus Hoffman-*

(*a*) Lib. de Defin. Medic. n°. CCLXXIV. Charter. Tom. II. pag. 264.
(*b*) Ibid. Procem. pag. 232. 233.
(*c*) De Compoſition. Medicament. ſecund. loc. Lib. VIII. cap. VI. Charter. Tom. XIII. pag. 585.
(*d*) De Medicin. Lib. IV. cap. VIII. pag. 213.

nus crediderunt, (*a*) *Hepatis phlegmonem, ſi non in non entium, tamen rariſſimorum affectuum claſſem*, referendam eſſe. Interim tamen Obſervationes Practicæ teſtantur, ſatis frequenter inventas fuiſſe in cadaveribus vomicas hepatis purulentas, non ex metaſtaſi puris in alio loco corporis geniti natas, quæ prægreſſam fuiſſe inflammationem hujus viſceris docent.

§. 915. LOCUM ergo habet in finibus ultimis utriuſque hujus vaſis (914), hepati adferentis cruorem effectu arterioſo; hinc, ut pulmonis, duplex eſt ſede, origine: ita tamen, ut unam natam altera facilè ſequatur.

Cùm autem inflammatio locum habeat tantùm in vaſis, per quæ feruntur liquida directione motûs tendente à baſi canalis conici versùs apicem (vide §. 119, & 371.), patet æquè in ramis venæ-portarum, per hepar diſperſis, quàm in hepaticæ arteriæ propaginibus hunc morbum obtinere poſſe: omnis enim ſanguis venoſus à reliquis viſceribus abdominalibus redux in truncum venæ-portarum confluit, & ex hoc trunco in ramos convergentes iterum pellitur in hepate. Docuerunt autem injectiones Anatomicæ, ramos arteriæ hepaticæ, hujus viſceris nutritioni dicatum ſanguinem ferentes, per totum hepar diſtribui æquè ac propagines venæ-portarum, quæ pro bilis ſecretione ſerviunt, & ubique ſibi invicem vicina hæc vaſa per hepatis ſubſtantiam decurrere: imò etiam videntur anaſtomoſibus inter ſe uniri: felici enim injectione per venam-portarum factâ, ceraceam materiam per arterias hepaticas rediiſſe novi: hinc æquè in pulmone duplex hìc inflammatio obtinere poteſt. Hoc tamen notari meretur, quòd inflammationis effectus magìs diverſi erunt in hepate, dum venæ-portarum rami, vel arteriæ hepaticæ fines, infarcti ſunt, quàm quidem in pulmone fiet ab inflammatis finibus pulmonalis aut bronchialis arteriæ. Nam in pulmone, utroque caſu, vis ingens cordis proximi urget loca inflammata: in hepate autem venæ-portarum propagines implentur ſanguine venoſo abdominali, lentiùs moto, quàm ſanguis arterioſus, qui per hepaticas arterias pellitur. Ideo effectus illi, qui fiunt à ſanguine urgente loca inflammata (vide §. 381. 382.), & ſimul ſunt ſigna inflammationis præſentis, ſæpe non adeo ſe manifeſtant, ubi in ramis venæ-portarum hæret morbus; & hæc videtur cauſa eſſe, quare quandoque Medici in diagnoſi hujus morbi fallantur.

Galenus (*b*), & poſt illum plurimi Medici, magnam diverſitatem poſuerunt in loco, quem inflammatio hepatis occupat, prout nempe vel in gibba parte, quæ diaphragmati contigua eſt, vel in cava ejus ſuperficie, quæ duodenum & ventriculi partem tegit, hæreret morbus. Inprimis autem ſigna diagnoſtica differre voluit, quia diverſæ partes ab hepatis tumore inflammatorio premebantur & irritabantur: hinc ſi convexam partem hepatis inflammatio occupat, ſic (*c*) *Jecur affici declarant, in dextro hypochondrio gravitas, dolor*

(*a*) Diſſertat. de Morbis hepatis ex Anatomia deducendis §. 19. Opuſcul. Patholog. Practic. Decad. II. Diſſertat. VIII. pag. 484.

(*b*) De Loc. Affect. Lib. V. cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 495.

(*c*) Ibidem.

totum hypochondrium retrahens, atque ipsius doloris usque ad jugulum extensio (nam & hoc nonnunquam evenit), exigua tussis, &c. Si autem concava pars hepatis inflammata foret, tunc (*a*) *inappetentiam, nauseam, vomitum biliosum, sitim ingentem*, potiùs observari dixit. Quinimo & crisin hepatitidis pro diversitate hac loci affecti in hepate variam statuit, dicens alibi, (*b*) *Hepatis verò gibbæ quidem partes inflammationem patientes tribus præcipuè modis crisis obediunt : fluxibus sanguinis è nare dextra, & sudoribus bonis & urinis abundantibus. Simæ autem partes excrementis alvi biliosis, atque sudoribus, nonnunquam verò & vomitibus.* Videtur autem non improbabile, quòd tunc in gibba parte hepatis inflammationem esse statuerint veteres Medici, ubi circa fines arteriæ hepaticæ hæreret morbus; in sima verò parte, ubi venæ-portarum extremæ propagines similiter affectæ forent. Cùm enim hepar etiam accipiat arteriosos ramos ex diaphragmate & ex ligamento suspensorio, per quod diaphragmati nectitur, sæpe & illæ partes vicinæ inflammantur similiter, & dolorem inter respirandum moto diaphragmate faciunt, qui tamquam signum diagnosticum præcipuum inflammati hepatis in gibba parte à *Galeno* ponebatur. E contra anorexiam, nauseam, sitim ingentem, vomitum pro signis præcipuis hepatis in sima parte inflammati habuit, quæ omnia turbatâ actione viscerum chylopoieticorum, ob impeditum liberum transitum sanguinis per extrema venæ-portarum, facilè intelliguntur. Neque in hoc casu adeo doloris meminit *Galenus*. Ubi autem de anxietate, tamquam symptomate febrili actum fuit (vide §. 631, & sequentes) notatum est, impedimenta circa fines venæ-portarum hærentia potiùs anxietatem magnam producere, quàm acutum dolorem. E contra videntur Observationes Practicæ docere, magni ardoris sensum & dolorem validum adesse, dum hepaticarum arteriarum fines inflammantur. Ita celeberrimus *Bianchus*, (*c*) *in fervidis aridisque æstatibus* in nosocomiis militum epidemicum tale malum observavit. Acutissimâ statim ortâ febre, ægri percipiebant ardorem summum in hypochondrio dextro; urina aderat flammea : vix tumor ad hepar apparebat vel tensio; in aliquibus macula quædam saturatè rubra totum dextrum hypochondrium occupabat. Illis, qui evasuri erant, tertiâ die morbi symptomata minuebantur, & quartâ die evanescebant absque manifesta crisi. Perituris verò nec febris nec symptomata remittebant, & subitâ correpti phrenitide moriebantur quartâ vel quintâ die : notat autem, non adfuisse dolorem gravativum neque tensivum, sed acutissimum & perterebrantem quasi. Similem utcumque hepatitidem æstivo tempore ortam pariter, à bubulæ carnis esu, & ebrietate, descripsit *Hippocrates*, ibíque notat, quòd (*d*) *dolores acuti ingruunt, neque horâ ullâ deserunt, sed semper magìs urgent.* Erysipelatosam autem hanc hepatis inflammationem fuisse concludit *Bianchus* partim ex rubore hypochondrii dextri, tum etiam, quia in muliere quadam similem

(*a*) De Loc. Affect. Lib. V. cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 496.

(*b*) De Crisib. Lib. III. cap. III. Charter. Tom. VIII. pag. 430.

(*c*) Histor. Hepatic. Part. III. Capit. de Erysipel. Hepat. n°. III. Tom. I. pag. 426.

(*d*) Lib. de Intern. Affection. cap. XXX, Charter. Tom. VII. pag. 660.

morbum viderat (*a*), qui tertiâ die mortem minitabatur : verùm subitò tota facies erysipelate fervidissimo occupabatur, & quartâ die febris & hepatis malum absque ulla alia evacuatione cessabant. Lentior autem sanguinis per venam-portarum motus non videtur aptus esse, ut tantos ardores excitaret.

An autem in tali hepatitide acuta malum ad diaphragma vicinum facilè propagatur, túncque singultum facit? Satìs verosimile videtur. *Hippocrates* monuit quòd, (*b*) *Jecori inflammato supervenit singultus.* Et alibi dixit, (*c*) *Ob jecoris inflammationem singultus* (succedens) *malum.* Et *Celsus* pariter singultum (*d*) pro signo acuti in hepate morbi habuit.

§. 916. ANTECEDUNT utramque (915) causæ similes; nempe generales inflammationis cujuscumque (375, ad 380.) determinatæ inprimis ad hæc loca; tum nonnullæ huic maximè loco propriæ, quæ multæ quidem huc referendæ: obesitas omenti ingens; atrabilaria cruoris, bilísve temperies; acrimonia stagnantis alicubi materiæ purulentæ, ichorosæ, scorbuticæ; si his accedit calor, febris, motus, victus, medicamentum, venenum, quod eliquat, movet, in hepar promovet; bilis pinguis, acris, exusta, per suas causas agitata; lapis, gypsus, scirrhus, callus, steatoma, apostema, cancer, vermis, aliquem locum jecoris, vesiculæ fellis, meatûs bilarii occupans, premens, comprimens, si accesserit tum similis causa excitans, ut mox enumerata; subita fortis frigoris per aerem, potum, natationem, calefacto fortiter priùs jecori applicatio; sitis diuturna in magno motu, æstu, sudore; febris ardens cum inedia & defectu potûs; summæ animi perturbationes, maximi motus per vomitoria excitati; mala hypochondriaca inveterata.

De causis generalibus inflammationis paragraphis hîc citatis dictum fuit, satísque evidens est, & illas in hepate locum habere posse. Verùm examinandæ veniunt nonnullæ causæ, quæ huic loco maximè propriæ sunt.

OBESITAS OMENTI INGENS. Omentum, quod in abortibus & recèns natis infantibus subtilissimi serici tenuitatem superat, quando nullam pinguedinem adhuc in se continet, imò & in adultis, sed macilentis, hominibus tenerrimæ structuræ apparet, potest mole augeri immaniter, dum in obesis opimâ pinguedine repletur: turgentis in his aqualiculi moles pro maxima parte ab omenti obesitate pendet. Videmus in saginatis bobus quandoque centum libras æquare omentum, quod tamen, omni pingui inde ablato, paucas tantùm membranulas relinquit. Hinc tanta omenti moles premendo vicina omnia vis-

(*a*) Histor. Hepatic. Part. III. Capit. de Erysipelat. hepat. n°. IX. Tom. I. pag. 434.
(*b*) Aphorism. Sect. V. n°. LVIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 230.
(*c*) Ibid. Sect. VII. n°. XVII. pag. 300.
(*d*) De Medicin. Lib IV. cap. VIII. pag. 213.

cera nocere poteſt. Verùm majus diſcrimen obtinet, dum per motum corporis validum, vel febrim acutam, ſtagnans hoc pingue funditur, exit de loculis ſuis, ubi hæſerat, & circulantibus humoribus miſcetur. Per corporis enim exercitia valida, & morbos acutos, moveri ſtagnantem pinguedinem & exire de corpore, docent certiſſima & quotidiana Obſervata. Sed omentum nullum habet vas excretorium, & omnis illa pinguedo, fuſa & mota per morbum vel validos labores, per epiploicas venas directè abit in venam-portarum, adeóque ſubitò totum hepar inundatur hoc pingui oleo, quod difficillimè per ultimas anguſtias vaſorum tranſit, & peſſimas obſtructiones producere poteſt; inprimis in illo viſcere, quod primò oleoſæ hujus plethoræ impetum excipit. Videantur illa, quæ de hac re dicta fuerunt ad §. 693, ubi de cura caloris febrilis per imminutionem molis movendorum agebatur.

ATRABILARIA SANGUINIS BILISVE TEMPERIES. Talis temperies, quæ poſtea in capitulo de melancholia fuſiùs pertractabitur, dicitur adeſſe, ubi in toto ſanguine mobiliora diſſipata fuerint, & terreſtris pars cum oleo ſpiſſo unita piceam quaſi tenacitatem ſanguini induxerit, adeóque magnam aptitudinem ut in vaſorum anguſtiis hærere incipiat. Simul poſtea demonſtrabitur ad §. 1098, talem materiem atrabilariam quàm maximè vaſa hypochondriaca obſidere, & viſcerum chylopoieticorum actionem turbare. Verùm omnis ſanguis venoſus ab his viſceribus redux, venam-portarum ingreditur, & per hepar moveri debet: adeóque ſi illud tenax atrabilarium, vaſa harum partium occupans, incipiat ſolvi & moveri, primam noxam experietur hepar. Talem hepatitidis cauſam & *Hippocrates* poſuit, dicens, (*a*) *Hic morbus oritur ab atra bile, quum ad hepar confluxerit.* Monet etiam quandoque adeo pernicioſum eſſe hunc morbum, ut ſubitam mortem inducat; ubi nempe in magnam acrimoniam ſimul degeneraverit atrabilaria hæc ſaburra, túncque ſubitò omnia deſtruat.

ACRIMONIA STAGNANTIS ALICUBI MATERIÆ PURULENTÆ, &c. Ubi de peripneumonia agebatur, notatum fuit, illam quandoque ſanari per criticam depoſitionem materiæ purulentæ ad alia corporis loca, & duplicem plerumque viam affectare hanc materiam versùs ſuperiora nempe corporis, vel inferiora. Ubi verò inferiora corporis petebat, tunc notavit *Hippocrates* (vide §. 839.) adeſſe ſigna (*b*) levioris inflammationis circa hypochondria, dum hæc materies difficiliùs tranſiret per venæ-portarum anguſtias. Quinimo quandoque hæc materies purulenta ibi accumulatur & hæret, túncque vomicam hepatis producit (vide §. 841.). Plura jam alia Obſervata docuerunt, poſt exſtirpationes mammarum, aneuryſmatum majorum, &c, ſæpe tantam copiam puris effluxiſſe per hæc vulnera, ut contabeſcerent ægri, ſi ſæpius removeretur apparatus Chirurgicus: ubi verò pus collectum in talis vulneris ſuperficie retinebatur diutius, illud reſorptum & in hepar depoſitum vomicas fecit purulentas. Bis vel ter obſervavit *Hollerius* (*c*) dolores ſuræ intolerabiles

(*a*) Lib. de Intern. Affection. cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 659.
(*b*) Prognoſtic. Comment. II. Sentent. LXVI. Charter. Tom. VIII. pag. 655.
(*c*) Holler. in Coac. Hippocrat. pag. 348.

in febre, nullis remediis cedentes: poſt mortem novaculâ diſſectis his partibus inventum fuit pus album, læve, æquale per tunicam celluloſam diffuſum: ſed & hepar vomicas purulentas habere inventum fuit. Credidit quidem *Hollerius* ab hepate, loco ſanguinis, pus tranſmiſſum fuiſſe, ad ſuras, quia hepar pro hæmatopoietico viſcere præcipuo ſecundùm receptam tunc opinionem habebat; ſed morbi Hiſtoria ſatìs docet, in cruribus natum pus reſorptum fuiſſe, & ad hepar delatum. Apud *Schenckium* (*a*) & hæc Obſervatio, & aliæ ſimiles habentur. Similibus de cauſis & in hepar deponi poſſe materiam ichoroſam, quæ degenerantis puris plerumque ſoboles eſt, facilè patet. Sed & in ſcorbuto, in quo morbo ſanguis ita degenerat, ut ſpiſſitudine peccet & acrimoniâ ſimul (vide §. 1153.), hepar ulceratum & exeſum frequenter inventum fuit (*b*).

Verùm tunc inprimis cauſæ modò recenſitæ nocent, ubi vel intenſo aeris calore, vel motu corporis valido, vel per febrim ſubitò augetur motus humorum, & major naſcitur ad putredinem diſpoſitio. Idem fit ſi per victum aut medicamenta (vide §. 99.) augeatur ſubitò circulatorius humorum motus. Ideo *Hippocrates* hepatitidem ab atrâ bile in hepar confluente dixit oriri (*c*) *Potiſſimùm autumno, in anni mutationibus*, quo anni tempore epidemicæ & numeroſæ febres graſſari ſolent. Et paulò pòſt, aliam hepatitidis ſpeciem à bile fieri dicit, (*d*) *Potiſſimùm æſtatis tempore, à carnis bubulæ eſu & ebrietate.*

VENENUM, &c. Plurima venena ſunt, quæ & ſubitò fundunt humores, & fuſos movent ſatìs fortiter. Acerrima præparata metallica, ut v. gr; mercurius ſublimatus corroſivus, cryſtalli argenti, &c, talia ſunt: hæc poſſent atrabilariam materiam in vaſis abdominalibus collectam ſubito ſolvere, & in hepatis anguſtias pellere, ſícque hepatitidem producere. Verùm & alia ſunt, quorum modum agendi non adeo liquidò intelligimus, & quæ tamen hepatis functiones ſubitò turbant. Ita *Galenus* (*e*) obſervavit, Imperatoris ſervum, qui viperas venari ſolebat, ab hoc animali demorſum, viridi porraceo colore totum corpus perfuſum habuiſſe. *Lanzonus* (*f*) obſervavit hominem, in manu dextra à fele domeſtico commorſum, inſigni dolore & tumore manûs correptum fuiſſe, quibus ceſſantibus icterus flavus ſucceſſit, qui per quadraginta dies duravit: in alio homine, quem canis in crure momorderat, pariter pertinacem icterum vidit naſci. Obſervata autem docent certiſſima, quòd venena quædam mirabili proprietate, nec, ex cognita hactenus corporis fabrica, facilè explicandâ, quaſdam partes corporis tantùm afficiant. Sic v. gr; hyoſcyami radix deglutita cerebri functiones omnes turbat; cantharides aſſumptæ vias urinæ peſſimè afficiunt, &c. Fortè & ex animalium quorumdam morſibus venenatis tale virus corpus ingreditur, quod hepatis functiones potiùs turbet quàm alias partes.

BILIS PINGUIS, ACRIS, EXUSTA, &c. Bilem, quæ inter omnes humores inquilinos corporis noſtri acerrima eſt, ubi incipit ad putredinem diſponi, acu-

(*a*) Obſervat. Medic. Lib. III. pag. 411.
(*b*) Academ. des Scienc. l'an 1699. Mém. pag. 240, & ſuiv.
(*c*) Lib. de Intern. Affection. cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 659.
(*d*) Ibid. cap. XXX. pag. 660.
(*e*) De Loc. Affect. Lib. V. cap. VIII. Charter. Tom. VII. pag. 498.
(*f*) Novis Actis Phyſ. Med. Obſervat. XCVI. Tom. I. pag. 174.

tissimas febres incendere posse, antea ad §. 586, ubi de causis febrium agebatur, dictum fuit. Hoc autem inprimis verum est de bile cystica, quæ & situ vesiculæ fellis, & ductûs angustiâ, & acclivi positione, in exitu retardatur, adeóque accumulatur. Ubi autem hæc bilis morâ acrior facta, per calorem aeris æstivi, motúmve corporis validum, ad putredinem vergere incipit, tunc certè vicinum hepar, cui vesicula fellis dimidia ferè suî parte accrescit, pessimè afficere poterit. Videmus enim in cadaveribus, bilem jam corruptam ex suo folliculo transsudare, quasi & omnes partes vicinas flavo colore inficere. Longè autem faciliùs bilis in hepar venire poterit, cùm Experimenta docuerint (*a*) ex cavo vesicæ felleæ in hepar viam esse facilem & patulam. Hinc toties post æstates fervidissimas autumnali tempore oriuntur febres biliosæ, hepatitidem sæpe comitem habentes.

Cùm autem inter causas inflammationis (vide §. 375.) meritò recensentur omnia illa, quæ premendo vasorum fines coarctare possunt, ita ut impediant liberum humorum transitum, operæ-pretium est & considerare tales causas, quas revera adesse cadaverum sectio docuit.

LAPIS. Calculosas concretiones in omnibus ferè corporis partibus inventas fuisse posteà demonstrabitur, ubi peculiari capitulo de calculo agendum erit: interim tamen certum hoc est, nullibi calculos frequentiùs inveniri quàm in hepate, aut vesiculâ felleâ, & illis locis, quæ urinæ secernendæ, transmittendæ, colligendæ, & excernendæ dicantur. Numerosissimæ hoc docent Observationes, quarum paucas & fidelissimas recensere sufficiet. *Columbus* (*b*) calculos in jecore se invenisse testatur: & in cadavere *sancti Ignatii* in vena-portarum observavit lapides. In vesica fellis & poro biliario frequentes admodum occurrunt; sed *Ruyschius* testatur rariùs, in ipso hepatis parenchymate occurrere: licèt enim plùs quàm centies in jecinorum excarnatione occupatus fuerit, semel tantùm (*c*) *in adspectum se dedit calculus durus in parenchymate absconditus, poro bilario nullo modo affixus, qui lanci impositus scrupulos duos pendebat.*

GYPSUS. Quandoque tales concretiones magìs friabiles, magísque albicantes occurrunt, in hoc viscere. Vidit in hepatibus bovinis tales quasi incrustationes pori bilarii, & ejus ramorum per hepatis substantiam distributorum, *Glissonius* (*d*) satìs frequenter hyberno tempore, dum in stabulis quiescentia animalia fœno aut stramine pascebantur. Erant autem illæ concretiones satìs friabiles: & dum in pascuis recenti gramine vescuntur hæc animalia, solvuntur & eliminantur de corpore hæc concreta calculosa. Verno enim & æstivo tempore in bobus mactatis raró inveniebantur. Sed & in hepate humano (*e*) similia inventa fuisse legitur.

SCIRRHUS, CALLUS. Frequenter & ipse vidi in cadaveribus hominum, qui diuturnis morbis languerant, & in *Actis Eruditorum Physico-*

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 348.
(*b*) Lib. XV. pag. 266.
(*c*) Observat. Anatom. n°. XXIV. pag. 25.
(*d*) Anat. hepat. cap. VII. pag. 104. Confer. Ruysch. Observat. Anatom n°. XVII. pag. 23.
(*e*) Nova Acta Phys. Medic. Tom. II. Observat. CLXXVIII. pag. 417.

Medicis loco ſtatim citato legitur, totum hepar tunicâ craſſâ robuſtiſtiſſimâ veſtitum fuiſſe, quæ ſub diſſectione inſtar corii crepitaret: tota reliqua moles hepatis erat tenax, renitens, partim albicans, partim cinericea.

STEATOMA. Quid propriè ſteatoma ſit, aliâ occaſione ad §. 112. n°. 1, dictum fuit. Talem tumorem in hepate vidit *Columbus* (*a*). Refert & *Gliſſonius* in cadavere viri, qui per aliquot annos ingenti ſtrumâ colli laboraverat, hepar repertum fuiſſe (*b*) *intùs foriſque innumeris glandulis, piſi, fabæque magnitudine, refertiſſimum: eædem tranſverſim ſectæ nihil prorſus humoris effundebant; verùm ex gypſea quadam pituita compoſitæ* videbantur: ab his hepatis moles non tantùm aucta fuerat, ſed & pondus duplò majus factum. Ipſe *Gliſſonius* autem ſimilem tumorem longè majorem vidit (*c*) *in gibba hepatis parte, proximè poſticam diaphragmatis regionem, juxta venam cavam*: pendebat ille tumor ferè ſex uncias.

APOSTEMA. Quámvis vulgatiſſimo uſu abſceſſûs nomine intelligatur inflammationis tranſitus in ſuppurationem, & puris inde nati collectio in quadam parte corporis; interim & magìs generali ſignificatione abſceſſûs ſive apoſtematis nomen quandoque adhibetur. *Galenus* enim (cujus loci jam antè mentionem feci ad §. 402.) in univerſum ſic vocabat illas affectiones, (*d*) *in quibus ab invicem partium corpora, quæ priùs mutuò ſeſe tangebant, abſcedunt. Spatium igitur in medio vacuum fieri neceſſe eſt, quod materiam aliquam, aut flatuoſam, aut humidam, aut ex utraque miſtam continebit.* Ubi autem purulentus abſceſſus poſt inflammationem prægreſſam natus eſt in hoc viſcere, tunc tale apoſtema hepatitidis effectus eſt, non verò cauſa: poteſt tamen premendo vicina loca in ambitu novam inflammationem producere. Verùm Obſervationes Medicæ docuerunt, mira ſæpe apoſtemata in hepate reperta fuiſſe, in quibus nihil purulenti, ſed longè alia materia fuit. Talem ſaccum, gelatinoſâ materiâ plenum, ad plures libras accumulatâ, in gibba hepatis regione in cadavere invenit *Bianchus* (*e*): ingens ille tumor diaphragma tandem laceraverat, & in cavum dextrum thoracis magnam partem contentæ materiæ effuderat, & tandem ſuffocaverat miſerum hominem. Plurimos minores longè tumores per totam hepatis ſubſtantiam diſperſos, qui materiam, albumini ovi igne indurato ſimillimam, continebant, (*f*) *in puellâ ſexenni, longâ febriculâ, exſtinctâ*, obſervavit pariter. In cadavere hominis fumo carbonum ſuffocati nullum in reliquis viſceribus vitium apparuit, ſed propè fundum veſicæ felleæ magnus eminebat tumor globoſus, cujus alterum hemiſphærium ſubſtantiæ hepatis increverat: tumor ille lanci impoſitus ultra libram pendebat, & craſſam pellem exteriùs habebat: in cavo hujus tumoris continebantur ultra novem millia veſicularum compreſſarum, colore & figurâ pelliculas uvarum vacuas referentium, diverſæ tamen magnitu-

(*a*) Lib. XV. pag. 265.
(*b*) Anat. hepat. cap. VIII. pag. 113. 114.
(*c*) Ibid. pag. 114.
(*d*) Method. Medend. ad Glauc. Lib. II. cap. IX. Charter. Tom. X. pag. 382.
(*e*) Hiſtor. Hepatic. Part. II. cap. V. §. XII. Tom. I. pag. 154.
(*f*) Ibidem.

dinis

dinis inter ſe. Mirum & hoc erat, quòd nec ſibi mutuò, nec majori ſacco, in quo hærebant omnes, ullo modo adhæſerint (*a*). In hepatis majori lobo cavitatem ſatìs magnam invenit celeberrimus *Littrius* (*b*), quæ continebat corpora ovalis figuræ, plena liquido viſcoſo, inſtar aquæ pellucido.

CANCER. A ſcirrho nempe prægreſſo, qui tunc non tantùm mole ſuâ premendo partes vicinas nocet, ut ſcirrhus, ſed & acerrimo ichore omnia erodit: de qua re vide §. 492, & ſequentes.

VERMIS. Poſtea, ubi de morbis infantum agetur, de vermibus in humano corpore repertis plura notanda occurrent, quia frequentiùs obſervantur vermes in juniori ætate. Patebit tunc in omnibus ferè corporis locis inventos fuiſſe vermes; præcipuè in ventriculo & inteſtinis. Sufficiet hoc loco notare, quòd Obſervationibus Medicis conſtiterit, & in hepate vermes fuiſſe repertos. *Ruyſchius* murem diſſecans, in hepatis cavo veſiculam pendulam invenit, (*c*) *quâ apertâ ob oculos venit vermis ſatìs gracilis, ſpiami longitudinem ſuperans.* In bobus, vitulis, ovibus ſæpius invenit porum bilarium, tartareâ quaſi materiâ adeo infarctum, ut bilis tranſitus ad inteſtina impediretur, unde multùm diſtendebatur porus bilarius, túncque non raro ibi invenit (*d*) vermes illos cucurbitinos dictos, quia ſeminum cucurbitæ figuram referunt. Sed in cadavere militis tam in ductu cyſtico, quàm hepatico invenit lumbricum *Nebelius* (*e*), & copioſos ſimul in inteſtinis; unde non ſine ratione ſuſpicatur, lumbricos ex duodeno per ductum choledochum in ductum cyſticum & hepaticum irrepſiſſe. Fortè & aliæ viæ ſunt, per quas in hepar venire poſſent vermes. *Ruyſchius* (*f*) enim meſenterium equinum examinans, invenit partem arteriæ meſentericæ valde dilatatam, quam ubi diſſecuit, vidit innumeros vermiculos tenuiſſimam aciculam referentes. Non videtur abſurdum credere, talia inſecta, dum in prima ſua origine longè adhuc minorem molem habent, poſſe ex arteriis meſentericis in venas, & hinc in hepar venire.

Verùm omnes illæ recenſitæ cauſæ lapis, gypſus, &c, in hepate repertæ, premendo inprimis partes contiguas, poſſunt impedire & turbare liberum ſanguinis venæ-portarum per hepar tranſitum, vel & bilis ſecretæ jam exitum liberum ſiſtere. Sic ergo naſcetur obſtructio, cui, ſi accedat cauſa excitans majorem motum, fiet inflammatio (vide dicta ad §. 371.), ſicque naſcetur hepatitis. Jam oportet conſiderare præcipuas cauſas, à quibus ſanguis, per venam-portarum movendus, ita diſponitur, ut liberè tranſire nequeat per ultimos fines anguſtos venæ-portarum in hepate.

SUBITA FORTIS FRIGORIS PER AEREM, POTUM, &c. Ubi de obſtructione agebatur, demonſtratum fuit (vide §. 117.) frigore adunari inter ſe ita ſanguinis moleculas, ut ineptæ reddantur tranſitui per ultimos vaſorum fines;

(*a*) Academ. Scient. Petropolit. Tom. I. pag. 379.
(*b*) Académ. des Scienc. l'an 1704. Hiſt. pag. 38.
(*c*) Obſervation. Anatom. n°. IX. pag. 17.

(*d*) Ibid. n°. XVIII. pag. 23.
(*e*) Nov. Acta Phyſico-Med. Tom. V. Obſerv. CXII. pag. 392.
(*f*) Obſervat. Anatom. n°. VI. pag. 16.

ſimúlque ex dictis ad §. 118, conſtitit, omnium maximum periculum eſſe futuræ obſtructionis ſubitæ, ſi per calorem rarefactis liquidis, & dilatatis vaſis, corpori humano magnum frigus ſubitò concilietur. Si jam conſideretur hepar magnâ ſuî parte ventriculo incumbere, facilè patet, quanto ſe diſcrimini exponant ſæpe imprudentes homines, qui à laboribus æſtuantes gelido potu affatim hauſto, ventriculum replent; longè magìs, ſi glacie frigidiſſimum redditum potum ingurgitant. Simile & diſcrimen imminet à natatione, dum quis ſudans à laboribus, aquæ frigidæ corpus immergit. Notum eſt ex Anatomicis, hepar illo loco, ubi ventriculo incumbit, nudum peritonæum tangere, adeóque ibi facillimè à frigore ambientis aquæ affici poſſe. Vidi aliquoties ab hac cauſa & hepatitidem, & pertinacem ad modum icterum natos fuiſſe. Videantur illa quæ de ſimilibus pleuritidis cauſis ad §. 881, dicta fuerunt. Unde meritò *Aræteus* (*a*) validam refrigerationem inter cauſas hepatitidis recenſuit.

SITIS DIUTURNA, &c. Difflatur enim ſic pars liquidiſſima humorum nec reſtituitur diluens vehiculum, adeóque ſanguinis moleculæ adunantur, & non poſſunt per extremos vaſorum convergentium fines tranſire (vide §. 117.). Ab hac autem cauſa in toto corpore peſſima mala naſci poterunt, ſed præcipuè in hepate, quia ibi ſanguis venoſus abſque pulmonis & cordis actione renovata, debet fluere per anguſtias arterioſas. Si jam, toto tractu inteſtinorum & ventriculi ſicciſſimo reddito ob potûs penuriam, nihil per venulas meſeraicas reſorbetur, ſanguis venoſus abdominalium viſcerum craſſiſſimus reddetur, antequam per venam-portarum in hepar propellatur, adeóque hærebit facillimè in anguſtiis ultimis vaſorum. Sanguis autem venoſus, antequam cor dextrum ingrediatur, omni lymphâ totius corporis diluitur priùs, & tunc vi cordis muſculosâ validâ pellitur per arteriam pulmonalem. Verùm dum bina hæc adminicula ad facilem tranſitum deficiunt circa hepar, facilè patet, ibi magìs metuendum eſſe vaſorum infarctum à ſanguine immeabili.

FEBRIS ARDENS, &c. Quanta ſiccitas in toto corpore oriatur, dum febri ardente decumbunt homines, antea ad §. 738, & ſequentes dictum fuit. Vèrum ſitis tunc immanis adeſſe ſolet, cùm omnes ſitis cauſæ (§. 636.) & quidem validiſſimæ in hoc morbo concurrant. Notatum fuit ad §. 739, quandoque contingere in hoc morbo, turbatis jam omnibus cerebri functionibus, ſitis ſenſum deleri ſubitò, licèt cauſæ, quæ ſitim excitaverant, maneant eædem, imò augeantur continuò. Quondam & peſſima illa Medendi Methodus invaluerat, ut etiam in fervidiſſimis morbis omnis omnino potus miſeris ægris negaretur, vel ſaltem concederetur parciſſimâ tantùm copiâ. Facilè patet tunc & ſimilia in hepate naſci potuiſſe mala, ac dictum fuit. Sapientes veteres Medici ſolicitâ morborum Obſervatione didicerant, in peſſimis morbis ab hac cauſa ſæpe hepar affici: hinc hypochondria explorabant in tali caſu, an tumere aut dolere inciperent, & præcipuè hy-

(*a*) De cauſ. & ſig. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VII. pag. 19.

pochondrium dextrum, atque inde pulcherrima deducebant præſagia circa varios morborum exitus in ſanitatem, mortem, vel alios morbos: videantur illa quæ in *Commentariis* §. 735, circa hypochondriorum tenſionem in febre continua putrida habentur.

SUMMÆ ANIMI PERTURBATIONES. De mirabili effectu perturbationum animi vehementium dictum fuit ad §. 104; túncque patuit, omnes & ſingulas corporis functiones turbari poſſe miris modis, à ſola cogitationis mutatione. Inprimis autem huc ſpectant ſubitus metus, & triſtitia ſumma. Videmus enim in his animi affectibus omnia vaſa conſtringi ſubitiſſimè, unde ſtatim anxietatis & ponderis gravantis ſenſus circa præcordia percipitur, humorum libero tranſitu per vaſa impedito: polypoſas autem concretiones, inflammationes, putrefactiones ſubitaneas inde metuendas eſſe, antea ad §. 632, demonſtratum fuit. Præterea poſtea patebit (§. 1093.) à validis animi motibus atrabilariam humorum temperiem produci, quæ in eadem hac paragrapho inter cauſas hepatitidis numerata fuit. *Hippocrates* & ſimilem hujus morbi cauſam notavit, dum dixit, (*a*) *hic morbus maximè per peregrinationem accidit, & ſicubi deſertas vias peragrantem ipſum ex viſo ſpectro terror corripuerit.*

MAXIMI MOTUS PER VOMITORIA EXCITATI. Quando de vomitu febrili agebatur §. 652, dictum fuit, vomitum fieri, dum diaphragma ſubitò & validiſſimè deorſum trahitur, ſimúlque eodem tempore muſculi abdominales pariter contracti omnia contenta abdominis premunt, adeóque ventriculus quaſi inter duo præla validiſſimè comprimitur. Dum hoc fit, neceſſariò motus ſanguinis venoſi abdominalis acceleratur, adeóque majori impetu ruet per venam-portarum in hepar. Si vaſa pervia ſint in hepate, & ſanguis meabilis, ab hac motûs acceleratione non multùm mali exſpectandum eſt. Verùm ſi atrabilaria materies per concuſſus illos inter movendum ſubitò mota in hepar ruat, vel viſcus illud antea jam labefactatum in morbis chronicis fuerit, magnum ſæpe malum imminet ab accelerato motu ſanguinis per venam-portarum. Obſervatum ſæpius fuit in tali caſu, lethalem hypercatharſin, ſanguiníſque ſurſum & deorſum evacuationes ſubitas ſecutas fuiſſe poſt vomitorium datum utì aliâ occaſione monui ad §. 656.

MALA HYPOCHONDRIACA INVETERATA. Ubi in toto ſanguine, mobilioribus à quacumque cauſa diſſipatis, craſſiora & minùs mobilia coiverint, producitur illa ſanguinis cacochymia, quæ atrabilaria Medicis vocatur. Ubi verò eâdem causâ perennante, quæ hanc cacochymiam produxerat, in viſceribus abdominalibus colligitur materies atrabilaria, tunc vocatur morbus hypochondriacus (vide §. 1098.); adeóque ex illis, quæ paulò antè eâdem hâc paragrapho dicta fuerunt, ſatìs intelligitur, quare tale malum inveteratum hepatitidis cauſa eſſe poſſit, ſi nempe cauſa quædam ſolvens hanc materiam atrabilariam, & movens in hepar, acceſſerit.

Sed & alia hujus mali ſpecies à Medicis obſervatur, ſimili nomine vocata,

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. 1. Charter. Tom. VII. pag. 674.

licèt diſtincta penitus. Plurimæ enim mulieres, & multi etiam viri qui otioſam vitam degunt, inprimis illi, qui ſtudiis dediti, libris impalleſcunt, adeo mobile & irritabile habent totum genus nervoſum, ut à levi etiam animi affectu ſummæ anxietates, ſpaſmi, dolores, &c, producantur (vide *Commentaria* §. *633.*). Solent vocari tales hypochondriaci, in fœminis autem hyſtericum malum dicitur, quia utero ſolebat adſcribi, dum circa menſtruum fluxum, graviditatis tempore, &c, peſſimè ſæpe affliguntur. Ubi autem à ſola irritabilitate nimia quaſi totius generis nervoſi, & inordinato ſpirituum motu oritur illud malum, tunc Medici ſolent vocare *morbum hypochondriacum ſine materia*, quia dum ſedantur anti-hyſtericis dictis remediis illi tumultus, priſtini mali nec veſtigium ſupereſt, nec illa ſigna affecti cujuſdam viſceris obſervantur. *Sydenhamus* verò, qui optimè hunc morbum deſcripſit, monuit, nullo ſigno certiùs illum detegi, & ab aliis morbis, quos fallaci ſymptomatum ſimilitudine refert, diſtingui poſſe, quàm ſi ægri (*a*) *urinam ſubinde reddant planè limpidam, ad inſtar aquæ è rupibus ſcaturientis, idque ſatìs copiosè.* Ubi ergo ille morbus inveteraverit, facilè patet, tantâ jacturâ tenuiſſimæ partis humorum produci tandem primam mali hypochondriaci ſpeciem, quæ atrabilariæ ſanguinis ſpiſſitudini meritò adſcribitur.

§. *917.* EX his tam multiplicibus cauſis (*916*) orta inflammatio varios habet effectus pro varietate diſpoſitionis præcedentis in jecore, pro varietate materiæ motæ & inflammantis; tandémque pro varietate cauſæ pellentis.

Ut autem ex Artis regulis in hoc morbo determinetur, quid boni ſperandum ſit, quantúmve mali metuendum, præcipuè attendendum ad ſequentia.

PRO VARIETATE DISPOSITIONIS, &c. Si enim hepar antea ſcirrhoſum fuerit, vel calculoſis concretionibus infarctum, facilè intelligitur difficiliùs ſanari hepatitidem, quàm ſi hæc mala non præexſtitiſſent. Longè adhuc pejora prævidemus, ſi ulcere maligno cancroſo hepatis ſubſtantia jam corrupta fuerit.

PRO VARIETATE MATERIÆ, &c. Pinguedo v. gr; omenti ſubitò ſoluta, & in hepar mota, peſſimas inflammationes facere poterit. Ubi verò attrabilaria materies, acris jam reddita, in hepar propulſa, morbi cauſam conſtituit, facilè patet, nullam ſpem ſupereſſe.

PRO VARIETATE CAUSÆ PELLENTIS. Sic ubi circa fines arteriæ hepaticæ inflammatio hæret, velociores erunt inflammationis effectus ob ſanguinem arteriarum, cordis viribus impulſum, in fines obſtructos, quàm ſi idem malum hæreat circa extremitates venæ-portarum, per quas tardiùs ſanguis movetur, utì jam antè ad §. *915*, dictum fuit. Simul etiam facilè patet, ſi valida admodum febris comitetur hepatitidem, tantò majorem metum eſſe funeſti eventûs; cùm reſolutio inflammationis ſedatum motum requirat (vide §. *386.*), & omnis alius inflammationis exitus in hepate adeo periculoſus ſit.

(*a*) Diſſertation. Epiſtol. ubi de Hyſter. pag. 491. 492.

§. 918. DUM verò indolem communem inflammationis sequitur, vasculа obstruit; fluida sistit; tumorem elevat; vicina comprimit; eadem ac in suo loco producit; hinc sensim increscit, totum ferè occupat; ventriculum impedit, & ab eo repleto dolet, sic & diaphragma; omnem cruorem arteriæ cœliacæ, & binarum mesentericarum impedit, ad hepar sistit; adeóque omnem venosum, arteriosum, lymphaticum fluorem in visceribus, primis abdominalibus integre impedit; bilis generationem, secretionem, excretionem, circulationem, actionem invertit; icterum producit, ejúsque effectus, putrefactionem omnium liquorum & viscerum abdominalium producit; unde infinita mala.

Enumeratur jam effectus, qui ex inflammatione hepatis, ut causâ, sequuntur, & qui effectus observati dant signa hepatitidis præsentis. Quomodo autem illi effectus producantur, in Historia inflammationis §. 382, explicatum fuit. Unde intelligitur facilè, vascula infarcta, immeabili humore turgentia, comprimere, sícque angustare vicina, ideóque inflammationem in uno loco hepatis natam posse propagari per totum hoc viscus, si nempe causæ morbi pergant agere ut priùs, vel & augeantur.

Verùm hepar, cùm magnâ suî parte incumbat ventriculo, à validâ inflammatione tumens ventriculum impediet, & vicissim à ventriculo, ab ingestis distento, premetur, cum malorum omnium augmento: idem verum est de diaphragmate, quod convexæ hepatis parti contiguum est. Unde *Galenus* in loco ad §. 915, citato, inter signa hepatitidis (*a*) *Inappetentiam*, *nauseam*, *vomitum*, &c, numerat, si pars ventriculo contigua potissimùm inflammata fuerit; si verò in gibba parte inflammatio hæserit, tunc majorem (*b*) inter respirandum dolorem, ad jugulum usque quandoque protensum, & tussim adesse monet; costas nothas à tumente hepate extrorsum pressas dolere pariter, & in macilentis hepar ab inflammatione tumens circumscriptum tumorem facere, qui hepatis ambitum exprimit.

Facilè autem patet, omnia hæc signa tunc adesse tantùm, quando totum hepar, vel maxima saltem ejus pars inflammata est: parvam enim hujus visceris phlegmonem non comitabuntur tot symptomata, quia præcipuè pendent à vicinis partibus tumente hepate impeditis: videntur enim plura Observata docere, hepar in sua substantia non adeo acutum doloris sensum habere, & quandoque in cadaveribus abscessum hepatis inventum fuisse novi, licèt ægri de nullo dolore partis affectæ conquesti fuissent toto morbi decursu, sed tantùm de gravitatis quodam sensu. Confirmatur & hoc Observationibus *Lamottii* (*c*), inprimis in homine, cui abscessus hypochondrii dextri adeo nudaverat hepar, ut ad volæ manûs amplitudinem ap-

(*a*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 496.
(*b*) Ibid. p. 495.

(*c*) Traité de Chirurgie, Tom. I. pag. 318-329.

pareret, & poſtea pariter exulceraretur: licèt autem hoc viſcus de induſtria digitis vel inſtrumentis Chirurgicis attingeret, æger nihil omnino ſentiebat.

OMNEM CRUOREM CŒLIACÆ, &c. Conſtat ex Anatomicis, ventriculum, pancreas, lienem à cœliaca arteria ramos accipere, meſenterium autem & inteſtina à binis arteriis meſeraicis, ſuperiore nempe & inferiore. Pariter notum eſt, omnem ſanguinem, per has arterias allatum, venoſum redditum, in unam venam-portarum derivari, atque inde per hepar moveri: excipitur fortè quædam portio, quæ à nutritione harum partium ſuperſtes per alias venas, à celeberrimo *Ruyſchio* (*a*) in ultimis ſuis operibus deſcriptas, in ipſam venam cavam non ſalutato priùs hepate, tranſit. Ubi ergo valida inflammatio hepar occupaverit, ſanguis venæ-portarum ſiſtetur ad hæc obſtacula; ideo & ſanguis venoſus viſcerum abdominalium diſtentam jam nimis venam-portarum ingredi non poterit; adeóque nec ex finibus arteriarum in venas nimis plenas tranſire poterit ſanguis. Patet ergo evidenter, omnem humorum circuitum per viſcera abdominalia impediri, ubi hepar infarctum eſt immeabili ſanguine: adeóque ſummus metus eſt, ne diſtenta nimis vaſa rumpantur, vel abolito influxu vitalis humoris in arterias: & effluxu per venas, ſubita ſequatur gangræna (vide §. 419.). Fiunt tunc ſummæ anxietates, dolores ſæpe moleſti in variis abdominis locis, ſed inprimis circa cardiam, utì aliâ occaſione ad §. 632, monui. Succedit tunc ſæpe vomitus vehemens, à quo quandoque levantur. Videtur enim validiſſimâ illâ concuſſione & compreſſione diaphragmatis & viſcerum abdominalium, quæ tempore vomitûs fit, retrogrado motu venoſum ſanguinem in arterias redire poſſe, ſi nempe major eſt reſiſtentia circa arteriarum extrema, quàm eſt vis pellens ſanguinem à latiore arteriarum baſi versùs anguſtiores fines; utì alio in loco (vide §. 141. n°. 1.), ubi de obſtructionis curatione agebatur, dictum fuit. Nullæ enim ſunt valvulæ in venis meſentericis, & docet icterus periodicus, poſt ſummas tales anxietates & vomitus enormes prægreſſos ſequens, bilem retropelli in ſanguinem poſſe. Imò pauló antè ad §. 915, notavi, quòd cera injecta per venam-portarum redierit per arterias hepaticas. Unde intelligimus, quomodo in chronicis morbis, toto hepate ſcirrhoſo reddito, quandoque & inſtar corii aridi contracto (quod in cadaveribus vidi) languidam & morboſam vitam ſatìs diu adhuc protrahere potuerint ægri.

BILIS GENERATIONEM, &c. Omnia enim hæc pendent à libero tranſitu ſanguinis venæ-portarum per hepar. Prout autem tumor inflammatorius in hoc viſcere natus diverſa loca compreſſerit, patet ſatìs, ſecernentia vel excernentia bilem vaſa poſſe impediri. Verùm & turbatur bilis circulatio, quæ talis eſſe videtur. Magnitudo hepatis, pori bilarii amplitudo, copia ſanguinis pro ſecretione bilis ad hepar delati, videntur docere, magnam ſatìs copiam liquidi in hepate ſecerni, illúdque, per amplum emiſſarium in duodenum exire. Verumtamen in homine ſano fæces alvinæ ſolidæ ſunt, unde to-

(*a*) Theſaur. Anatomic. Maxim. n°. CXLVIII. pag. 21. Confer. Ibid. Tab. III.

tum illud, quod in hepate ſecretum, deinde in cavum inteſtinorum effuſum fuit, iterum à contentis inteſtinorum ſeparatum fuit, antequam hæc ad anum uſque pervenerint, adeóque reſorptum à venis bibulis.

Verùm hæc vaſa venoſa reſorbentia duplicia inveniuntur in inteſtinis; vaſa lactea nempe, quæ ad ductum thoracicum tendunt; & venarum meſeraicarum ultimi fines, qui in cavum inteſtinorum hiant. Cùm jam in vaſis lacteis, & in ductu thoracico, nihil bilioſi inveniatur, ſupereſt altera tantùm reſorptionis via, per venas nempe meſeraicas. Sícque bilis hepatica, & fortè pars quædam bilis cyſticæ, denuo cum ſanguine venæ-portarum in hepar venit, & repetitâ hâc circulatione efficacior ad uſus ſuos redditur. Patet autem facilè, ad hanc rem requiri expeditum tranſitum humorum per ultimos fines venæ-potarum in hepate.

ICTERUM PRODUCIT, EJUSQUE EFFECTUS. Ita *Galenus* definivit: (*a*) *Icterus eſt bilis refuſio in cutem, quo fit ut ſuperficies tingatur, luteaque fiat, & vitietur cutis; albæ quoque ventris dejectiones fiunt eo morbo affectis.* Dum nempe bilis, conſuetum exitum in inſteſtina non habens, in ſanguinem redit, & cum illo per totum corpus diſpergitur. Cùm autem diverſus ſit color bilis hepaticæ & cyſticæ, imò & utraque hæc bilis à nativo colore ſuo mutetur ſæpius, hinc & diverſus in ictericis color obſervatur. Quandoque pallidus & ex flavo ſubviridеſcens; ſæpe ſaturatè flavus inſtar croci; aliquando & ex profundo virore nigreſcens, ferè. Duplicem plerumquè ſpeciem icteri ponere ſolent Medici, flavum nempe & nigrum; quamquam (*b*) *Inter hæc extrema infinitæ ſunt colorum varietates.* Quod *Aretæus* optimè notavit. Quia autem oculorum album, in flavum colorem mutatum, ſolet dare primum indicium icteri, hinc Græci ἰκτέρϰ etymon deduxerunt (*c*) *ab* ἴκτις *quo nomine Græci muſtelam ſylveſtrem vocant*, & oculos ſimili colore tinctos habet. *Suidas* autem (*d*) ἀπὸ τῶν ἰκτίνων, hoc eſt, à milvis derivari voluit, quia & in harum avium oculis talis color obſervatur. Latini dixerunt Regium morbum, quòd regali ferè luxu ad curationem ejus opus crederent, (*e*) *lecto etiam & conclavi cultiore, uſu, loco, ludis, laſciviâ, aliis, per quæ mens exhilaretur: ob quæ regius morbus dictus videtur.* Vocaverunt & arquatum vel arcuatum à ſimilitudine iridis, ob varium colorem. Alii dixerunt auriginem à calore flavo.

Dubium tamen moveri poſſet, an hepatis inflammatio icterum producat? Obſervata certiſſima docuerunt, omne impedimentum, tollens liberum exitum bilis cyſticæ in duodenum inteſtinum, poſſe icterum producere. Sic v. gr; in recèns natis infantibus à glutinoſis lentis humoribus, qui in inteſtinis collecti hærent, frequens obſervatur icterus, expulſâ per leve purgans hâc ſuburrâ, facilè curabilis. Obſervavi in quibuſdam mulieribus icterum graviditatis tempore, licèt nec ante graviditatem, nec poſt puerperium, hoc

(*a*) Lib. de Definition. Medic. n°. CCLXXVI. Charter. Tom. II. pag. 264.
(*b*) De cauſ. & ſig. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XV. pag. 45, ad calcem.
(*c*) Petit. Commentar. & Animadverſion. in Aretæ. pag. 187.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Celſ. de Medicin. Lib. III. Cap. XXIV. pag. 176.

morbo afficerentur. Fortè à tumente utero, abdominalia viscera comprimente, & intestina sæpe miro modo à situ removente, hoc fieri potuit: quandoque & durissimas fæces, & magnæ admodum molis, aliquot diebus post puerperium alvo reddebant, & paulò pòst omnis calor ictericus evanescebat: unde non improbabilis suspicio nascitur, colon illo in loco, ubi sub hepate ponitur, fæcibus talibus, accumulatis distentum, ductum cysticum comprimere potuisse. Si ergo tumor inflammatorius in hepate natus tali in loco sit, ut possit comprimere exitum bilis cysticæ, tunc nullum dubium est, quin possit talis hepatitis icterum producere. Verùm non adeo patet, omnem hepatis inflammationem icteri causam esse posse, quatenus nempe venæ-portarum finibus infarctis impediretur bilis secretio; vel ab iisdem vasis inflammatis & tumentibus comprimerentur vicina vascula secretoria, bilem jam separatam à sanguine venæ-portarum in se continentia. Certùm est, bilem hepaticam colore & sapore diversam esse à bile cystica, & artificio summo, & penitus peculiari reptatu, arteriæ numerosissimæ decurrunt per membranas vesicæ felleæ, utì injectiones Anatomicæ docuerunt; unde admodum verosimile videtur peculiarem adeo vasorum apparatum servire hîc singularis liquidi præparationi & secretioni. Præterea naturaliter in hepate nec amaror adest ullus, nec flavus color, adeóque cùm icterus tali colore corporis superficiem deturpet, non ab hepaticis vasis obstructis, sed ab impedito exitu bilis cysticæ in duodenum, ejúsque dein retropulsione in sanguinem, ortum ducere videtur (*a*). Confirmant hanc sententiam illa, quæ in cadaveribus observata fuerunt. Inventi fuerunt abscessus quandoque satìs magni in hepate absque ictero prægresso; utì & alii tumores, qui mole suâ multa vasa vicina comprimere debuerunt. Et contrà, ubi ictero defunctorum cadavera lustrabantur, inventæ fuerunt causæ manifestæ, quæ exitum bilis cysticæ in intestinum duodenum impediverant; & quidem omnium frequentissimè repertæ hîc fuerunt calculosæ concretiones, viam obturantes, de quibus postea adhuc dicendum erit.

Interim tamen hoc notari meretur, quòd sanguis venæ-portarum in se contineat proximam bili materiam, quæ inde postea per secretorios ramos in hepate separabitur: unde si magna pars extremorum finium venæ-portatarum immeabili humore infarcta fuerit, impedietur hæc secretio bilis hepaticæ, & illud liquidum, quod paulò pòst bilis vocaretur, manebit mistum reliquis, & cum sanguine per totum corpus movebitur; adeóque debebit necessariò sanguini induci quædam cacochymia, cùm maneant in sanguine & accumulentur quædam partes; quæ naturaliter non debebant adesse; vel saltem non tantâ copiâ. Ubi post fervidissimas & siccissimas æstates autumnali tempore grassantur epidemicæ febres continuæ remittentes; tunc Observationes Practicæ docuerunt, hepar frequenter affectum fuisse, & infarctum spisso sanguine ad atrabilariam quasi tenacitatem accedente: tunc in talibus ægris non apparet quidem saturatus ille flavus ictericorum

(*a*) Medical. Essays, Tom. I. Artic. XXXII. pag. 305.

color;

color, ſed facies ceracea quaſi eſt, & pallido in dilutiſſimam flavedinem, inclinante colore, morbi hujus ſignum dat. Unde patet, talem ſaltem icteri ſpeciem ab hepatitide, ut cauſâ, ſequi poſſe; cùm jam *Aretæus*, utì paulò antè ad eamdem hanc paragraphum notatum fuit, innumeras poſſe eſſe colorum varietates, in variis icteri ſpeciebus, monuerit. Præterea obſervatur, bilem cyſticam, in putredinem dum incipit vergere, diffundi facillimè per omnia vicina loca, licèt nullum obſtaculum ſit in ductu cyſtico vel choledocho: ſic in cadaveribus frequenter obſervatur, vicinum cyſtidi felleæ colon, omentum, peritonæum bilis colore ſuffundi. Ubi ergo per hepatitidem natam aucto calore bilis cyſtica incipit attenuari, & ad putredinem diſponi, facilè poterit & per vicinum hepar diffundi, cui increſcit veſicula fellis, & cum quo manifeſtis & patulis vaſorum propaginibus cummunionem babet evidentem.

Nato autem ab hepatitide ictero, ſequi debere ejus affectus, ſponte patet: de his autem dicetur ad §. 950.

PUTREFACTIONEM OMNIUM LIQUORUM ET VISCERUM, &c. Ubi hepar infarctum impedit liberum tranſitum ſanguinis venæ-portarum, omnium viſcerum abdominalium, quæ ſanguinem ſuum venoſum in venam-portarum evacuant, turbatur actio, & ſtagnatio naſcitur in illis. Præterea bilis inter omnes humores corporis noſtri maximè in putredinem vergit, & in cadaveribus prima incipientis putredinis ſigna circa hepar obſervari ſolent: ſanguis autem venæ-portarum proximam bili materiem in ſe continet, adeóque patet, quantus hîc ſubitæ corruptelæ metus ſit. Putridiſſimæ diarrhoeæ & dyſenteriæ hepatitidem ſæpe ſequentes, hanc rem confirmant. Videantur & illa quæ ad §. 632, habentur, ubi de anxietate ab impedito tranſitu ſanguinis per venam-portarum agebatur.

§. 919. HABETQUE pariter exitum in ſanitatem, illos morbos, mortem.

Videantur illa quæ ad §. 591, habentur.

§. 920. IN ſanitatem tranſit beneficio Naturæ, vel Artis.

Videantur dicta de duplici hac ſanationis via ad §. 885, ubi de pleuritide, ope Naturæ vel Artis ſanabili, agebatur.

§. 921. PER naturam autem benignâ reſolutione, aut coctione & excretione materiæ morboſæ

Videantur iterum illa quæ in cura pleuritidis ad §. 886, habentur.

§. 922. RESOLUTIONE, si materies recens, lenis, & reliquæ conditiones adsunt (386): tum Ars diluendo, solvendo, leniter movendo, per epithemata, potus, clysmata, negotium promovet.

Quales conditiones requirantur, ut inflammatio resolvendo curari possit, pluribus dictum fuit ad §. 386. Verùm inprimis hîc metuendum est ab acrimonia humoris per hepar movendi: ipsâ enim stagnatione in magnis adeo vasis sanguis venosus abdominalis acrimoniam acquirere poterit, cùm videatur, ut modò dictum fuit, plùs in putredinem vergere ob bilis materiam, quam continet. Præterea à materia atrabilaria soluta & mota, túncque semper acri, quandoque hepatitis producitur (vide §. 916.), & in simili casu facilè patet, nullam benignæ resolutionis spem superesse.

Verùm si nulla adsint signa, quæ functiones corporis multùm læsas docent, anxietas non adeo magna, febris impetus moderatus, tunc blandam resolutionem sperare possumus, quæ solutione concreti, & meabilitate per vasa conciliatâ, obtineri poterit. Ars tunc tantùm subministrat copiam diluentis vehiculi, remedia talia, quæ absque motûs circulatorii augmento solvunt illa, quæ hærere incipiunt in angustiis vasorum hepaticorum: qualia sunt serum lactis recens, juscula diluta, quibus incoquuntur lactucæ, borraginis, buglossi folia, scorzoneræ radices, &c; succi fructuum horæorum recentes, vel leviter cocti, rob ribesiorum, sambuci, & similia cum sale polychresto nitro, tartaro vitriolato, &c. Eliguntur autem inprimis illa, quæ putredini, hîc metuendæ, quàm maximè adversa sunt, & simul mollia satis, cùm blanda humorum indoles ad curam per resolutionem obtinendam semper necessaria sit (vide §. 386.). Leves frictiones hypochondriorum, inprimis dextri, simul adhibitæ prosunt, postquam diluentia illa & resolventia usurpata fuerunt; sic enim solvi jam incipiens materies in hepate, aucto parùm motu venosi sanguinis abdominalis, per frictiones, promoveri poterit; & vasa obstructa liberabuntur. Epithemata jam ex similibus parata (vide §. 890. n°. 2.), eidem scopo inservient. Clysmata autem laudantur pariter, quia & in loco hærentia blandum fotum hepati largiri, & quia remedia solventia sic, injecta, venis bibulis resorpta, directè & integris suis viribus ad locum affectum in hepate pervenire poterunt. Frequenter in febribus autumnalibus levis talis hepatitidis signa inveniuntur: anxietate quâdam circa præcordia potiùs quàm dolore, faciei ceraceo quasi colore, urinis biliosis, levi quandoque flavedine in albo oculorum, inprimis circa angulum majorem cognosci hoc poterit; & solet simili Methodo feliciter curari talis morbus, qui neglectus in principio, vel maximo motu, per vomitoria excitato, dum urgetur materies nondum resoluta, & profundiùs impingitur in extremis vasorum angustiis, chronicos morbos difficillimè curabiles postea producere poterit.

§. 923. COCTIONE, & excretione, dum in morbo hoc per sua signa (916. 917. 918.) cognito, 1°. Alvus fluit biliosis cum pauco cruore ante diem quartum; 2°. urináve excernitur multa, acris, crassa, rubra cum sedimento subalbo, diu continuata, ante diem quartum; 3°. Superveniente dolore mitiori lienis ante signa suppurationis; 4°. hæmorrhagiâ largâ ex nare dextra; 5°. Sudoribus, materie, loco, tempore, continuatione, effectísque, bonis.

Antea ad §. 594, de duplici hac via, quâ morbi terminantur in sanitatem, dictum fuit; per resolutionem nempe stagnantis talem, ut illud cum reliquis humoribus absque ulla sanitatis noxa per vasa fluere possit, vel per coctionem & excretionem materiæ morbi, ubi illa soluta quidem & mobilis reddita fuit, sed simul tamen inepta est, ut integrâ manente sanitate in corpore retineri possit; adeóque requiritur, ut excitatâ quâdam sensibili evacuatione expellatur. In morbis acutis inflammatoriis, qui hactenus pertractati sunt, solicitè fuerunt indagatæ illæ viæ, per quas fidelis Observatio docuerat, materiam morbi coctam cum felici successu exire de corpore: idem jam hâc paragrapho factum est, quæ singulatim expendi merentur.

1. Antea ad §. 830, ubi de peripneumoniæ simili curatione per coctionem & excretionem materiæ morbosæ agebatur, patuit, inflammatorium illud obstruens, quod in angustiis ultimis arteriarum hæserat, solutum & mobile redditum, facere sputa flava, & quandoque dilatatis vasorum extremis pauculum rubri sanguinei sic transprimi simul, quod minora vasa serosa, vel lymphatica dilatata ingressum, & sensim protrusum, tandem per extremos horum fines in trachææ cavum patentes, exire potuit. Quinimo tunc demonstratum fuit, eamdem materiam, ubi per alvum expellebatur, (*a*) biliosam dictam fuisse ab *Hippocrate*, non quòd propriè bilis esset, sed quia flavo calore bilem referret. Idem jam in hepatitide obtinet, & inflammatoria illa materia soluta & mobilis reddita brevì satìs viâ per porum hepaticum in intestinum duodenum venire poterit, sícque per alvum exire. Utì jam minùs periti quandoque rupturam vasorum periculosam metuunt, dum sputa illa flava cum striis sanguineis observant pleuriticis & peripneumonicis, ita & quandoque in hoc casu dysenteria adesse creditur, dum alvus biliosis cum pauco cruore fluit: verùm ubi hepatitis, per hanc viam evacuatâ materie, in sanationem tendit, non adsunt tormina valida abdominis, nec molestus ille circa anum tenesmus, quæ dysenteriam comitantur. Facilè autem patet, talem materiem non semper puram exire, sed in tam longo, fistulæ intestinalis tractu, à duodeno ad anum usque, contentis intestinorum ita permisceri posse, ut non appareat distincta. Verùm novimus, tunc illam exivisse, ex levamine morbi sequente talem evacuationem; hoc enim pro generali

(*a*) Prognostic. Comment. II. Sentent. LV. Charter. Tom. VIII. pag. 654.

criterio in spontaneis talibus alvi fluxibus posuit (*a*) *Hippocrates*, utì ad §. 830. n°. 3, notatum fuit. Interim tamen talem materiem subflavam, lentam, (*b*) *stercoracea pauca habentem, cum hypochondrii & lateris dolore* exivisse, notavit *Hippocrates*. Notum autem est, hypochondrium absque ulla additione apud *Hippocratem* semper significare hypochondrium dextrum. *Galenus* pariter, in loco ad §. 915, citato, biliosas alvi excretiones laudavit in hepatitide. Dicitur autem talem fluxum alvi debère contingere ante quartum diem, quia si diutiùs morbus jam hæserit, vix ulla in sanitatem, absque alio morbo sequente, mutatio sperari poterit, & potiùs suppurationis futuræ metus est.

2. Utì materia inflammatoria soluta in hepate, biliosa vasa intrans commodè per porum hepaticum in intestina delabitur, & per alvum exit, ita & eadem materia ex finibus venæ-portarum obstructis in venam cavam ire potest, sícque circulantibus humoribus permista per varias vias expelli de corpore. Cùm autem per urinas naturali lege plurima exeant de corpore, quæ relicta nocerent, ita & in hoc casu fieri poterit. Videantur illa quæ de excretione salubri materiæ morbosæ per urinam in *Commentariis* §. 594, habentur, utì & ad §. 830, ubi de sanatione peripneumoniæ per similem urinam agitur. *Galenus* in loco modò memorato copiosis urinis profluentibus hepatitidem levari posse tradidit; & *Trallianus* (*c*) radicis apii leve decoctum cum oxymelle commendat in hepatitide, ubi inflammatio concoqui incipit: nam per urinas materia subtrahitur, ait, & tumor imminuitur.

3. Notum est ex Physiologicis, omnem sanguinem lienarem in hepar ire per venam splenicam, adeóque facilè patet, infarcto hepate & liberum humorum motum per lienem impediri tandem. Ubi vero in hepate incipit solvi illud obstaculum, tunc videtur subitò restitui liber motus humorum per vasa lienis, & fortè tunc majori impetu sanguis per arterias lienares irruit, & aliquem molestiæ sensum facit, sed minimè durabilem. Patet facilè, talem mitiorem dolorem lienis non juvare, quatenus excretionem materiæ morbosæ facit, sed tantùm esse signum, quòd hepatis vasa infarcta liberari incipiant, adeóque per alias tunc vias excretio materiæ solutæ & mobilis redditæ erit exspectanda. Simul etiam apparet, tunc mitiorem talem lienis dolorem pro bono signo habendum esse tantùm, ubi nulla signa suppurationis adhuc adsunt; quia in valida hepatitide, & in vomica hepatis jam nata, talis dolor in liene nascitur ideo, quòd vena lienaris impediatur sanguinem suum tradere venæ-portarum. Sic observatur quandoque talis dolor circa lienem, ubi hepar in scirrhum indurescit; utì & etiam sæpius in ictero pertinaci. Præterea, utì ad §. 741, monitum fuit, tensio quædam circa hypochondria ad dextram vel sinistram partem, pro signo est futuræ criticæ hæmorrhagiæ narium, de qua sequenti numero dicetur.

4. Quantùm boni in morbis acutis salubris narium hæmorrhagia faciat, sæpius jam dictum fuit; & inprimis ad §. 741, ubi notabatur, & ipsam

(*a*) Aphorism. Sect. I. n°. 11. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 5.
(*b*) Prædict. Lib. I. Comment. III. n°. CXLVIII. Charter Tom. VIII. pag. 798.
(*c*) Lib. VIII. Cap. 1. pag. 392.

febrim ardentem quandoque sic solvi. Neque talem hæmorrhagiam solùm prodesse, quatenus copiam sanguinis minuit, admodum probabile videtur, cùm longè plùs juvare observetur, quàm aliæ quævis per Artem factæ sanguinis evacuationes. Imò sæpius observavi in morbis, criticâ tali hæmorrhagiâ exire sanguinem magìs nigricantem, neque colore illo rutilo præditum, qui sanguini arterioso proprius est; & quidem summo cum levamine. Vidi non ita pridem in pleuritico juvene post quintam etiam venæ-sectionem vix mitigari potuisse morbum, per nares autem erumpente sanguine crasso, nigricante, satìs copioso, illico sedari febrim, & levari omnia symptomata. Similem effectum & in hypochondrii tumore duro & dolente notavit *Hippocrates* dicens, (*a*) *Accidit autem his, in primo circuitu, etiam sanguinis è naribus profluvium, & plurimùm confert.* Et *Galenus* pariter affirmat, quòd (*b*) *Omnes, quæ in præcordiis,* (hypochondriis) *fiunt, calidæ atque acutæ inflammationes fluxu sanguinis* (hæmorrhagiâ narium) *judicantur.* Verùm addidit, quòd per directum (κατ' ἴξιν) fluere debeat sanguis, (*c*) *ex dextra quidem nare hepate affecto, vel locis in dextris præcordiis positis: ex sinistra autem, liene & locis vicinis*; quod solis Observationibus antiquorum Medicorum constat, utì pluribus ad §. 741, dictum fuit. Fortè tamen quandoque hæc regula & exceptionem patitur. *Heraclidæ* conjugi, febre acutâ laboranti, tertiâ die morbi ictericæ factæ, (*d*) *quarto die sanguis ex nare sinistra probè effluxit*, & septimâ die integre judicata fuit. Verùm quidem est, quod huic mulieri & menstrua ordinatim fluxerint, & simul sudores toto corpore manantes & criticos habuerit, adeóque morbi solutio soli per narem sinistram hæmorrhagiæ tribui non debeat. Verùm & sæpius observatur, non unicâ tantùm, sed pluribus diversis evacuationibus criticis morbos curari, & quidem in simili morbo. Nam *Hippocrates* alibi monuit, in febribus ardentibus, quibusdam ægris sexto die icterum supervenisse, talibúsque profuisse (*e*) per vesicam purgationem, aut alvi exturbationem, aut largam hæmorrhagiam; notátque simul, tres has evacuationes contigisse *Heraclidæ*, qui vigesimo die judicatus est.

5. De sudoribus, morbi materiam subactam jam & mobilem de corpore evacuantibus, dictum fuit ad §. 594. n°. 2, ubi de omnibus, quæ hîc memorantur, agitur. Ipsam bilem, infarcto hepate, in sanguinem regurgitantem per sudores (*f*) amaros exivisse de corpore in ictericis, observavit *Galenus*; & spissum sudorem, lintea croceo colore tingentem, in icterica muliere prodiisse, evanescente post hunc sudorem ictero, vidit *Chomelius* (*g*).

(*a*) Prognostic. Comment. I. Sentent. XXXII. Charter. Tom. VIII. pag. 613.
(*b*) De crisib. Lib. III. cap. III. Charter Tom. VIII. pag. 430.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Hippocrat. Epidemior. Lib. VII. Text. CXL. Ægrot. CXXXIV. Charter. Tom. IX. pag. 599. 600.
(*e*) Ibid. Lib. I. Comment. II. Text. LXV. pag. 66.
(*f*) De Sanitat. tuend. Lib. IV. cap IV. Charter. Tom. VI. pag. 120.
(*g*) Academ. des Scienc. l'an. 1737. Hist. pag. 69.

§. 924. UBI primùm apparet (923. n°. 1.), ſtatim epithematibus, clyſmatibus, fomentis, potibus, victu, medicamentis, ea ſunt ſubminiſtranda, quæ valent diluere, reſolvere, movere, abſtergere, leniter expellere, putredini bilioſæ inprimis obeſſe.

Generalem hanc regulam (cujus ad §. 605. n°. 13, memini), poſuit *Hippocrates* in morborum curationibus, (*a*) *Quæ ducere oportet, quò maximè propendet Natura, eò per loca conferentia ducenda ſunt.* Cùm ergo alvus incipit fluere bilioſis cum pauco cruore ante diem quartum, illam evacuationem promovere oportebit, non quidem per valida purgantia, quæ totum corpus turbant, ſed per lenia illa abſtergentia, quæ materiem morbi ampliùs attenuare valent, & mobilem reddere, & leni ſtimulo ſimul alvum promovent. Serum lactis recens verno vel æſtivo tempore, dum armenta lætè virentibus herbis paſcuntur, optimum eſt, & pro potu communi & medicamenti titulo: efficacius adhuc illud redditur, ſi decoquatur cum herbis illis, quæ planipetalæ lacteſcentes Botanicis ſolent vocari, *ſonchi*, *endiviæ*, *cichorea*, *taraxaca*, *ſcorzoneræ radices*, &c, quarum egregiæ vires in reſolvendo viſcido febrili antea ad §. 614, laudatæ fuerunt, & quæ à *Tralliano* (*b*), pariter in hepatitide commendantur. Cùm autem hîc (vide §. 918,) ſubita putrefactio metuenda ſit, hinc & ſubacida vel aceſcentia ſeliguntur, ut huic malo obviam eatur. *Tamarindi*, *rob ſambuci*, *ribeſiorum*, *ſyrupus è ſucco citri*, diluta in ſero lactis, decocto hordei, avenæ, &c, ideo ſolent dari: tales formulæ in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur. Simul etiam epithemata & fomenta dextro hypochondrio, imò & toto abdomini applicantur, ſimilia ac laudata fuerunt in cura pleuritidis §. 889. n°. 3. Clyſmata autem ex ſimilibus parata injiciuntur frequenter, ut eluantur inteſtina craſſa, & ſimul hâc ſpe, ut pars eorum, ſi diutius retineantur, per venas meſentericas reſorpta, directâ viâ in hepar tendat, ibíque diluendo, reſolvendo, abſtergendo proſit. *Hippocrates* ſic in cura hepatitidis (*c*) betæ decoctum cum melle & nitro laudavit pro clyſmate: dedit ſorbitiones hordeatas cum melle, pro potu mel, aquam, acetum, ſimul permiſta, quæ ſimilem, ac modò dicta, effectum præſtant.

§. 925. SI alter caſus adeſt (923. n°. 2.) utendum dictis (889, ad curam 888. n°. 2.), ínque iis addenda parùm deterſiva.

De promovenda hac excretione materiæ morboſæ jam ſolutæ per renes, in cura peripneumoniæ ad §. 853, & pleuritidis 889. n°. 2, dictum fuit. Illa, quæ paragrapho præcedenti laudata fuerunt, hîc iterum proſunt ferè omnia: inprimis autem ſi largâ copiâ aquæ vel ſeri lactis diluta ſint, ut co-

(*a*) Aphoriſm. Sect. I. n°. XXI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 38.
(*b*) Lib. VIII. cap. 1. pag. 391.
(*c*) Lib. de Intern. Affection. cap. 1. Charter. Tom. VII. pag. 674.

piosum præbeatur urinæ vehiculum: taraxacum & similia vi detergente diureticâ huic scopo pariter inserviunt. Non hîc enim requiruntur acria diuretica, sed leniora tantùm.

§. 926. IN tertio casu (923. n°. 3.) eadem (924. 925.) peragenda; sed lieni simul, & toti viæ ab eo in hepar, fomenta similia danda.

Cùm dolor ille lienis, utì ad §. 923. n°. 3, dictum fuit, sit signum materiæ morbosæ hepar obstruentis, jam mobilis redditæ, sponte patet, nihil aliud requiri, præter illa, quæ modò dicta fuerunt.

§. 927. IN quarto (923. n°. 4.) nares internè & externè emollientibus, tepidis fovendæ, donec ad levamen symptomatum fluxerit sanguis; tum verò, si nimius fluor, compescendus lentè per styptica & diætam; nec nimis citò.

Quibus signis prævideatur futura narium hæmorrhagia in morbis, ad §. 741, dictum fuit; quæ ergo dum adsunt, salubre hoc naturæ molimen promovendum est: quod pulcherrimè fit fomentis tepidis fronti applicatis, & inprimis vapore tepido per nares attracto, qui longè plùs laxat & emollit, quàm ipsa aqua calida. Solent largâ tali & criticâ narium hæmorrhagiâ statim minui omnia symptomata, & rariùs contingit, ut periculum immineat à nimis copioso sanguinis fluxu: simulac enim debilitari incipiunt ægri, & in animi deliquium ferè delabi, contrahitur patula in naribus arteria, & cessat hæmorrhagia. Si verò his signis apparentibus pergeret adhuc sanguis effluere, tunc compesci deberet hæmorrhagia, non aliter: magnum enim periculum immineret recidivæ periculosæ, si intempestivè nimis meticulosus Medicus narium hæmorrhagiam supprimeret. Quomodo autem, & per quæ remedia sisti possit hæmorrhagia narium, & quænam circa hanc rem notanda sint, videri poterit in *Commentariis* §. 743, ubi de hac re egi. Stypticorum formulæ in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur, & quidem diversæ efficaciæ, ut pro re nata adhiberi possint.

§. 928. IN quinto denique (923. n°. 5.) requiritur usus decoctorum diluentium, abstergentiúmque largus.

Sudores tales critici sustinendi sunt largo usu diluentium, & similia ferè ac §. 924, habentur, hîc prosunt. Calida autem sudorifera, quæ movendo celeriùs humores effectum præstant, hîc minùs tuta sunt. Largus seri lactis calidi potus, unà cum tepore lecti, feliciter talem sudorem criticum sustinet & promovet, novóque liquido subministrato sanguini, impedit ne per sudores copiosos liquidissimâ suî parte orbetur nimis.

§. 929. INPRIMIS in his (924, ad 929.) cautio sit, ne aliquid materiæ morbi in loco restet, difficulter postea superandæ: & inde prima, atque benigna icteri species curatur.

Quamdiu motus febrilis durat moderatus, & simul solventia illa remedia adhibentur, possunt obstructiones tales in hepate natæ reserari, & in integrum sanitas restitui: verùm si in melius vergente morbo æger pertæsus curam ulteriorem respuat, vel minùs attentus Medicus morbi residuum non expugnet, solent manere mala chronica curatu difficillima, & inprimis scirrhosæ in hepate indurationes. In febribus autumnalibus epidemicis, post fervidissimas æstates natis, toties hoc contingit, ut levis simul hepatitis adsit; & dum sublatâ febre nondum solutum est omne, quod hepatis vasis infarctum hæserat, sæpe postea languidam vitam ducunt, pallidi, subflavescentes, & difficillimè ad integram sanitatem reducuntur: saltem longè pluribus opus erit postea, ut tollatur hepatis obstructio jam inveterata, quæ in morbi principio faciliùs resolvi potuisset. Hoc autem ideo inprimis fit, quia sanguis venæ-portarum, jam venosus factus, minori impetu movetur, carens jam maximâ parte motûs à corde & arteriis sanguini communicati. Unde *Hippocrates* sub alio quámvis nomine hepatitidem describens, optimè monuit, quòd (*a*) *multis verò jam sedatus*, (non curatus integre) *ejusmodi morbus rursus revertitur; si igitur redierit, periculum est ne æger contabescens pereat:* deinde addit, (*b*) *quum verò cessaverit morbus, optimâ victûs ratione utatur æger:* (*c*) *Lac & serum pro anni tempore per dies quinque & quadraginta bibat..... morbus autem gravis est, multâque curâ indiget.*

De signis autem, quæ docent perfectam sanationem, dicetur §. 931.

§. 930. SI recens, vehemens, sine signis & spe (922. 923.), erit tractanda eisdem cautelis, remediis, Methodo, ac pleuritis (890), paraphrenitis (911), & similes morbi: nisi quòd ea, quæ leniter vi antiphlogisticâ alvum emolliendo subducunt, pota, & per clysma injecta, inprimis hîc prosint.

Quænam curatio requiratur ad morbos inflammatorios, ubi adhuc spes est inflammationem resolvendo curari posse, interímque nulla signa docent, coqui & ad excretionem disponi materiam morbi, satìs explicatum fuit in morbis acutis inflammatoriis hactenus pertractatis: similis enim medela requiritur. Unde & *Hippocrates* simpliciter dixit: (*d*) *Huic* (hepatitidi) *confert, quum dolor detinet, tum alia, tum sanè fomenta, eadem quæ pleuritidi, admovere*; adeóque hæc non repetentur. Verùm leniter alvum subducentia, absque majori motu excitato, hîc inprimis laudantur; quia & conducit intestina crassa nullis fæcibus distenta esse, dum colon notabili suî parte secùndum hepar de-

(*a*) Lib. de Intern. Affection. cap. I. Charter. Tom. VII. pag. 674.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibid. pag. 674. 675.
(*d*) Ibid. cap. XXXIX. pag. 659.

currat;

currat; tum etiam quia illud, quod in hepate hæret immeabile, dum solvitur, facilem viam per ductum hepaticum in intestina invenit. Clysmata autem laudantur ad eumdem finem, tum etiam quia hæc injecta, diúque retenta, sícque per venas meseraicas resorpta, in hepar deferunt integras víxque mutatas remediorum vires. Simile quid indicasse videtur *Aretæus*, dum dicit, (*a*) *Inedia primùm jubenda est, postea cibi paucitas, ut & medicamentis ingredientibus, jecur inane pateat*: id est, ut hæc facilè penetrare in vasorum angustias possint. In *Materia Medica* ad hunc numerum præcipua remedia, quæ hîc conducunt, & quædam formulæ habentur.

§. 931. SIGNA autem perfectæ sanationis, color non ampliùs ictericeus in oculis, facie, urinâ, fæce alvi, cum absentia symptomatum (918).

Effectus hepatitidis præsentis enumerati fuerunt §. 918, qui simul signa diagnostica exhibent hujus morbi. Inter illa signa & color ictericeus numeratur, & quàm varius ille esse possit, tunc dictum fuit. Designat autem semper talis color, bilem, vel bili saltem proximam materiem, in sanguinem regurgitasse, ubi naturaliter adesse non debebat: adeóque vitium esse in illo viscere, quod bili secernendæ & in intestina deducendæ servit. Omnium autem prima coloris icterici indicia in adnata oculorum tunica apparent, & omnium ultima; reliquis hepatitidis symptomatibus jam cessantibus, vel saltem plurimùm imminutis, talis color ibi adhuc manet, quàmvis dilutior. Pariter & in urina intensior flavedo observatur, & fæces alvinæ vel albicant, vel griseo colore argillam ferè referunt, dum bilis vel omnino non, vel saltem longè minori copiâ in duodenum intestinum exit, quàm in sanitate solet.

Ubi ergo nulla ampliùs flavedo in oculis observatur, nec ceraceus ex pallido flavescens color in facie, urina naturalem colorem habet, fæces alvinæ pariter; nullus dolor circa hypochondrium dextrum, nulla anxietas, præsertim repleto ventriculo, vel post majorem paulò corporis motum, percipitur, novimus perfectam sanationem esse, & inprimis si per aliquot septimanas nullum ex his signis redeat. Magnâ enim curâ cavendum est, ne hîc quid maneat morbosi, cùm plurimùm morbi chronici, à neglecta, vel non integre curata hepatitide, originem ducant.

§. 932. UNDE noscitur origo, natura, effectus, curatio secundæ speciei icteri gravioris.

Distinguuntur sic variæ icteri species à diversitate causæ, quæ illas produxit: idem manet huic morbo nomen, dum interim diversam curationem requirit.

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 106. 107.

§. 933. SI autem in hepate inflammato (914. 915.), remedia (922, ad 931.) non, serò, frustra applicata; causa major; tum orietur suppuratio (387. 402.) jecoris, similis ut alibi, nisi quòd ob copiam multi hîc liquidi cruenti & biliosi stagnantis raro bonum pus, nisi in parvis & exterioribus, plerumque verò funesta putredo.

Quomodo & quibus de causis inflammatio in suppurationem tendat, jam antea dictum fuit, tam in Historia inflammationis, quàm in morbis acutis inflammatoriis antea pertractatis: adeóque sufficiet hîc notasse illa, quæ in hepate suppurationem periculosiorem reddunt, quàm in aliis locis corporis.

Totum hepar sanguine plenum est, molle, & friabile viscus, unde *Aretæus* dixit, (*a*) *ac omnino jecur est veluti sanguis gelatus.* Sed sanguis ille proximam bilis materiam habet, & præterea insignis hepatis pars ductibus secretoriis, bilem jam continentibus, constat; unde utì ad §, 918, dictum fuit, omnia hîc adeo in putredinem prona sunt. Sed ad benignam suppurationem (vide 387.) etiam requiritur humorum blanda indoles, adeóque patet, hîc semper funestam putredinem metuendam esse, & longè frequentiùs obtinere quàm benignam suppurationem. Unde *Aetius* dixit, (*b*) *Omnino consimilia ex hepatis ulceribus promanare solent his, quæ à mortuorum corporibus destillant.* Sæpius vidi in defunctis ab hepatitide fœdo spectaculo ex ore & naribus cadaverum amurcosam talem olidissimam materiam exivisse. Ideo & *Hippocrates* pulcherrimè notavit diversum exitum suppurationis in hepate natæ, dicens, (*c*) *Qui suppurato jecore aduruntur, si pus purum albumque fluat, sospites evadunt; in tunica namque his pus inest; si verò qualis amurca fluat, pereunt.* Ubi enim bona suppuratio fit, in uno loco circumscripto pus colligitur: & fortè hoc tunc inprimis fit, quando circa exteriorem convexam hepatis partem vomica hæret, per externam hepatis membranam coercita & tecta: ubi verò in intima substantia hepatis abscessus fit, tunc in amurcæ similem putrilaginem omnia convertuntur, & nulla spes superest.

§. 934. COGNOSCITUR id futurum 1°. Ex signis prægressæ inflammationis in loco, dolore inflammatorio, ictero flavo in oculis, cute, urinâ, fæce alvi apparente, febre acutâ. 2°. Ex absentia resolutionis (923), cocti, excretionis (922), aut sanationis (924, ad 933.) 3°. Ex mutatione symptomatum, remissâ acutie doloris, sequente pulsatione, manente ictero, horroribus vagis. 4°. Ex duratione inflammationis non pessimæ ultra triduum.

Ubi certi sumus hepatitidem inflammatoriam prægressam fuisse, tunc non

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 106.

(*b*) Serm. X. Latin. Edit. pag. 206.

(*c*) Aphorism. Sect. VII. n°. XLV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 316.

adeo difficilis est diagnosis exitûs hujus inflammationis in suppurationem.

1°. Hæc sunt signa ἀναμνηστικά, quæ prægressam inflammationem revocant in cognitionem Medici: de his autem actum fuit.

2°. Tunc enim novimus, inflammatorium illud obstruens manere adhuc in loco, quem priùs occupaverat.

3°. De his signis, quæ inflammationem in partibus corporis internis natam, & in suppurationem tendentem comitari solent, utì & de horroribus illis vagis, dictum fuit ad §. 834, ubi de simili peripneumoniæ exitu agebatur.

4°. Si enim inflammatio validissima fuerit, & pessimis stipata symptomatibus, tunc potiùs lethalem gangrænam, pessimámque corruptionem exspectamus, quàm suppurationem. Verùm ubi manserint omnia signa inflammationis ultra triduum, nec ulla signa resolutionis, vel coctionis excretionísque materiæ morbi apparuerint, in molli adeo viscere vascula, inflammatorio immeabili sanguine distenta, non poterunt sustinere humoris, vitalis, moti fortiùs per febrim, impetum absque ruptura & effusione contenti vasis liquidi, unde tunc pus fit, utì antea in *Commentariis* §. 387, explicatum fuit.

§. 935. FACTUM novimus: 1°. Ex signis (934), prægressis. 2°. Tumore loci. 3°. mutatione symptomatum, loco doloris jam præsente gravitate partis, manente ictero. 4°. Ex debilitate magna, febriculâ hecticâ, siti ingente.

1°. Hoc sponte patet.

2°. Notum est ex Anatomicis, quantum spatium in abdomine occupet hepar, adeóque in variis hypochondrii locis talis tumor apparere poterit. Præterea non tam facilè sensibus deprehenditur talis vomica hepatis, nisi versùs exteriora promineat: si enim circa concavam hepatis partem hæserit, neque magnæ molis fuerit, patet facilè, difficulter distingui posse talem tumorem.

Præterea vesicula fellis, contento liquido distenta, fundo suo prominente ultra limbum costarum, posset & fallere abscessûs specie. Anno 1732, cadaver aperui mulieris pauperculæ, quæ diuturno ictero conflictata, ultimis duobus vitæ mensibus nullos cibos ferre potuerat, sícque lento marasmo confecta perierat. Ante aperturam lustrans cadaver, inveni summam macilentiam, cutim ubique flavissimam, & in ilio dextro tumorem mollem, qui ab ultimo limbo costarum ad cristam ossis ilii usque pertingebat; & cùm dolorem pertinacem ante mortem diu in toto hypochondrio & ilio dextro habuisset, fateor, me suspicatum fuisse, fortè vomicam ingentem hepatis hîc latere posse. Verùm aperto cadavere, sequentia inveni.

Ventriculus erat ingens, flatulentâ materiâ distentus, & à binis suis orificiis pendulus tam profundè descendebat, ut fundus ventriculi tribus tantùm digitis transversis distaret ob osse pubis. Omentum ventriculi fundo nexum & colon, profundiùs adhuc detrusa fuerant: hepar luridi coloris apparebat,

durum, exſuccum, ultra limbum coſtarum dextrarum multùm prominens, ſcirrhoſis tuberculis aſperum: ſed nulla vomica in hepate inveniebatur, verùm venæ-portarum rami per hepar, diſperſi admodum diſtenti erant; ſimiliter & venæ omenti, meſenterii, inteſtinorum, varicoſæ, inveniebantur, & ſanguine turgidæ, licèt reliquum corpus in omnibus partibus appareret exſangue. Verùm tumor ille in ilio dextro apparens, erat fundus veſicæ felleæ, diſtentus contento liquido, ad os ilium dextrum uſque pertingens. Continebat veſica fellea plùs quàm libram liquidi limpidi, inodori, ſaporis leviter ſubſalſi, parùm ſubviridescentis; ſimúlque calculos plurimos diverſæ magnitudinis & figuræ, qui extrinſecus cruſtam duriorem albam habebant, diffracti verò in meditullio continebant materiam admodum flavam, ſed molliorem.

Poſtea legi, fidelibus Obſervatis conſtitiſſe, ſæpius veſicæ felleæ repletæ & protuberantis tumorem pro abſceſſu hepatis habitum fuiſſe (*a*): fatetúrque celeberrimus *Petitus*, conſilio inſtituto inter plures Medicos & Chirurgos, tumorem ſimilem omnium votis habitum fuiſſe pro abſceſſu hepatis, & ipſi traditam fuiſſe provinciam aperiendi hunc tumorem. Verùm diſciſſis jam integumentis ſubſidere incepit ille tumor, unde egregius ille Chirurgus, ſimilium caſuum antea obſervatorum probè memor, ab ulteriori ſectione abſtinuit; prædixítque brevì per alvum prodituram bilem, quæ in cyſtide fellea hæſerat accumulata. Vix applicatus fuerat apparatus Chirurgicus vulneri integumentis abdominis inflicto, quin æger copiam bilis viridis alvo deponeret; & intra paucos dies convaluit. Aliæ plures ſimiles Obſervationes ibidem recenſentur.

Signa diagnoſtica præcipua, quibus à tumente veſica fellea diſtinguitur abſceſſus, ſunt, quòd ſuppurationem comitentur dolor pulſatorius, horrores vagi, & frequentiores & diuturniores; quòd tumor ab abſceſſu factus, non adeo limitatam figuram habeat, neque ſtatim in tali tumore fluctuatio appareat, & primò percipiatur in centro tumoris, omni reliquo ambitu adhuc duro (*b*). Facilè patet, tunc tantùm illam difficultatem diſtinguendi tales tumores adeſſe, ubi occupant illam regionem, ubi veſicula fellis ponitur.

3°. Videantur illa quæ de mutatione ſymptomatum, dum inflammatio in abſceſſum abit, dicta fuerunt ad §. 387, & §. 405.

4°. Antea ad §. 661, ubi de debilitate febrili agebatur, notatum fuit, quandoque ſubitam & ingentem debilitatem fieri, dum aliquid corrupti circa præcordia hæret. Cùm autem in hoc morbo (vide §. 918.) putredinis ſemper metus ſit, rariùs bonum pus hîc producatur (vide §. 933.), intelligitur ratio debilitatis ingentis, quæ abſceſſum hepatis comitari ſolet.

De febricula autem illa hectica, omnes ſuppurationes internas comitante, dictum fuit ad §. 835.

Dùm autem acrimoniam bilioſam, oleoſam, & putrida excrementa viæ

(*a*) Mémoir. de l'Académ. de Chirurg. Tom. I. pag. 155, & ſuiv.

(*b*) Ibid. pag. 161.

primæ sitim febrilem producere antea ad §. 636, probatum fuerit, patet facilè ratio, quare quandoque tanta sitis oriatur in hoc morbo, ut nullo potu expleri possit, utì Observata Practica testantur. Simul etiam solet deleri omnis omnino ciborum appetitus ob eamdem rationem. In homine, cui ab externa contusione valida, nascebatur abscessus in hepate, aderat tantùm ciborum fastidium, ut intra quindecim dierum spatium, alimenti defectu, totus emaciaretur (*a*).

§. 936. TALE apostema vel 1°. Totum depascitur jecur. 2°. Vel rumpitur in cava abdominis, effuso pure sanioso. 3°. Vel per vasa biliosa in intestina. 4°. Vel per venam cavam in cruorem. 5°. Vel elato tumore accrescit peritonæo, atque ibi abscessum externum hepatis format, ibi apparentem.

Sequuntur jam diversi exitus abscessûs in hepate nati.

1°. Antea, ubi de abscessu agebatur §. 406, probatum fuit, pus relictum in loco clauso, augeri continuò, vicina consumere & erodere, quod longè magìs adhuc obtinebit in hepate, cujus substantia adeo mollis & friabilis est. Imò & pus omni notâ bonum hepatis substantiam consumere posse, observavit *Diemerbroeckius* (*b*). In cadavere enim invenit hepar vastæ admodum molis, ex quo, licèt boni coloris & integræ substantiæ esse videretur, eduxit undecim libras civiles puris albi, bene cocti & non fœtentis. Plures similes casus apud *Bonetùm* (*c*) habentur.

2°. Quando vel à copia puris rumpitur abscessus, vel ab acrimonia puris hîc diu stagnantis eroditur membrana pus coercens.

3°. Ex structura hepatis cognita facilè patet, exesis finibus meatuum biliosorum, pus in ductum hepaticum, & hinc in intestina venire posse. Talem hepatitidis suppuratæ exitum videtur notasse *Hippocrates* dicens, (*d*) *hepar dolentes, cardialgici, soporosi, rigorem habentes & alvum turbatam, tenues* (extenuati) *cibum aversantes, multùm exsudantes, purulenta per alvum dejiciunt.*

4°. Et per hanc viam pus ex hepate suppurato exire posse, facilè patet: tunc autem sanguini miscetur, & producit pessima illa mala de quibus §. 941, dicetur. Fortè etiam per metastasin ad alia loca corporis deponi poterit, & vario quidem eventu, pro diversitate partis, quam occupat. Sequens locus *Hippocratis* tale quid indicare videtur: (*e*) *Quibus magnum & crebrum spiritum ducentibus icteri, & febres acutæ cum duris hypochondriis refrigeratæ fuerint, num his abscessus magni secundùm aures suscitantur?* Non multùm tamen boni inde sperandum esse patet ex locis ad §. 840, citatis, & sequenti, (*f*) *Ex hy-*

(*a*) La Motte, Traité complet de Chirug. Tom. I. pag. 318.
(*b*) Anatom. Lib. I. Cap. XIV. pag. 65.
(*c*) Anatom. Pract. Lib. III. Sect. 17. Tom. II. pag. 296.
(*d*) Coac. Prænot. n°. CCCCXLVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 878.
(*e*) Prædiction. Lib. I. Comment. III. n°. CLXVI. Charter. Tom. VIII. pag. 806.
(*f*) Coac. Prænot n°. CCXCIII. Charter. Tom. VIII. pag. 868.

pochondrio diutius afflicto, (diu affecto vel tumente) & *alvo graveolenti*, *abscessus circa aurem occidit*.

5°. Partes inflammatas vicinas accrescere quandoque, antea ad §. 843, dictum fuit: adeóque & hepar tumens contiguo ipsi peritonæo accrescere poterit; sícque bonâ fortunâ abscessus, versùs exteriora tumens, pertundi poterit, & pus collectum evacuari. Verùm talis accretio in omni ambitu, quo peritonæum hepati contiguum est, poterit fieri, & tamen in quovis loco non æquè facilis manui Chirurgi aditus datur. Si enim peritonæo, concavam partem diaphragmatis investienti, accreverit gibba hepatis pars, poterit pus collectum in hepate in cavum pectoris venire, imò & in ipsum pulmonem, & per sputa purulenta ejici; utì in cadavere hominis, à suppuratione hepatis mortui, observavit *Stalpartus Wielus*. Mirabatur enim quòd homo (*a*) *aliquoties sputa purulenta per os tussi egereret, nec ulla sese affecti pulmonis proderent* indicia, sed omnia signa docerent, hepar ægrotare. Post mortem vidit, vomicam hepatis accrevisse diaphragmati in latere dextro, & pulmonem pariter in eodem loco diaphragmati adhæsisse, sícque pus ex hepate in pulmonem venerat, & per sputa educebatur.

§. 937. UBI hepar consumitur, tum tabe lentâ ictericâ, cum febricula assidua, siti intolerabili, debilitate summâ, anxietate inexplicabili, urinâ ferè nigrâ, tympanitide, fluore alvi sanioso, fœtidissimo, diu luctatus, moritur.

Illa mala, quæ fiunt, dum hepar à purulenta vomica consumitur, partim pendent à resorpto pure, cacochymiam purulentam sanguini inducente; partim verò ab impeditis illis functionibus, quæ à visceris hujus integritate pendent. Quotidie enim augetur puris collecti copia, unde immani quantitate quandoque in hepate collectum fuit inventum, sícque distrahendo & premendo partes hepati vicinas plurima mala producere poterit. Unde *Aretæus* inter symptomata, suppuratum hepar comitantia, numerat dolorem acutum (*a*) *ad jugulum usque aut ad summum humerum* pertingentem, quia diaphragma & ipsi nexa pleura distrahitur. Præterea pus illud in loco calido hærens, conquassatum respirationis motu, tenuius, acriúsque redditur, & faciliùs adhuc venis resorbetur. Præcipua mala, quæ pendent à pure nimis diu relicto in abscessu clauso ad §. 406, fuerunt enumerata: & illa erunt hîc tantò pejora, quantò omnia hîc in putredinem magìs prona fuerint (vide §. 918.); unde & major sitis, utì antè dictum fuit. Verùm icterus simul aderit, si abscessus mole suâ premendo impediverit bilis cysticæ liberum exitum: antea enim notatum fuit (§. 918.) non semper icterum comitari hepatis vomicam; & mirabatur *Lamottius*, in magno satìs apostemate hepatis (*c*) nullum icterum adfuisse. Verùm ab externa contusione ortum duxerat, & versùs exteriora

(*a*) Observat. rarior. Cent. I. n°. XLVI. pag. 202.

(*b*) De Caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIII. pag. 41.

(*c*) Traité complet de Chirurg. Tom. I. pag. 327.

turgebat ille abſceſſus in gibba hepatis parte hærens, & puri exitus factus fuerat ſectione, unde minùs comprimere debuit partes interiores.

Anxietas autem ſumma adeſt, quia à tumente abſceſſu, vicinis vaſis per hepar diſtributis compreſſis, ſanguinis venoſi abdominalis per venam-portarum tranſitus impeditur, unde anxietatem fieri ad §. 631, probatum fuit.

Urina autem ſaturatiſſimi & obſcuri coloris, imò ferè nigricantis fit, in peſſimo ictero, vel etiam dum putridum illud & amurcoſum liquamen conſumpti hepatis, ſanguini permiſtum, per urinam exit. Ipſa enim urina ſana, dum putreſcere incipit, fuſcum colorem acquirit.

Putredine autem natâ, extricatur ex humoribus aer, & elaſticus redditur (vide §. 647.), & flatulentam abdominis expanſionem facit, quæ tympanitis vocatur, quia percuſſum manu abdomen inſtar tympani reſonat, de quo morbo poſtea in capitulo *De Hydrope*, plura dicenda erunt. Sufficit hîc notaſſe, putredine natâ in viſceribus abdominalibus, talem expanſionem abdominis fieri paulò ante mortem, peſſimo ſemper omine; & quandoque citò poſt mortem ſic turget abdomen, ut ferè crepet; utì ſæpius in cadaveribus hoc morbo defunctorum vidi. Sic etiam videmus cadavera ſubmerſorum animalium, dum putreſcere incipiunt, tumidiſſimo abdomine emergere, quod paulò pòſt crepat, & horrendam mephitim latè diffundit.

Ultimò tandem, conſumpto hepate, putrida amurcoſa ſanies per inteſtina ruit, vel & per reſorptam hanc putrilaginem totus ſanguis diſſolutus & putrefactus per vaſa meſeraica in inteſtina exit. Talis ſolet eſſe funeſtus exitus phthiſis omnis, utì ad §. 1206, dicetur; & in hoc caſu tantò magìs, quia major putredo adeſt. Unde & *Aretæus* in hoc caſu monet, quòd, ſi malè olentia putredinis inſtar per alvum expellantur, (a) *Poſtea ignis acer* (acris febris) *ſuboritur omniáque in malum prolabuntur; carnes colliquatione tabeſcunt; motus arteriarum parvi ſunt, & ægra ſpiratio; ubi haud ita multò pòſt vitæ finis imponitur.*

§. 938. QUI caſus (937), eò uſque provectus, nullam medelam, vix palliationem capit, hæc nova icteri idea.

Quamdiu nondum magna puris copia in hepate collecta eſt, nec diu ibi hæſit, nec magna corruptela adeſt, aliquid ſperari poteſt; verùm ubi à pure retento, & acriori reddito conſumitur totùm hepar, facilè patet, nullam ſpem ſupereſſe, nullam medelam haberi, ad ſuperandum tale malum.

In morbis autem incurabilibus Medici adhuc illud officium ſupereſt, ut mitigando ſymptomata morbi, tolerabilem magìs vitam miſeris ægris reddat. Sed & ſæpe hîc parùm præſtare poteſt Ars: anxietas enim moleſtiſſima leniri nequit, cùm expediri via ſanguini venoſo abdominalium viſcerum per venam-portarum non poſſit: ſitis inexplebilis, nullo potu ſedatur, ob putridum fomitem, cujus malignitas quotidie augetur: in initio acida grata, multâ aquâ diluta, juvant, ut ſuccus citri, arantiorum, granatorum, acetum, ſpiritus

(a) De cauſ. & ſign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIII. pag. 42.

nitri dulcis, &c, sed provecto magìs morbo, nec ab his ullum ampliùs levamen, & à potu ingurgitato, dum distenditur ventriculus, augetur anxietas. Nulla autem cardiaca summam illam debilitatem à putredine natam levare poterunt. Unde sola mors tot malorum finem facere valet.

§. 939. SI ulcera facta hepatis, & jam rupta effuderint suam materiem in cava abdominis, collecto ibi puri assiduò novum addunt; omne corporis humidum & pabulum in novum pus convertunt, cuncta viscera putrefaciunt; hinc ascitem, mentiendo tympanitidem, creant, unde post lentam, terribilémque tabem, & ejus symptomata, mors: similis ferè priori (938) hæc icteri species, nullâ Arte sanabilis.

Vomicam natam in hepate. dum rumpitur, pus contentum in cavum abdominis effundere posse, extra dubium est; & apud *Bonetum* (*a*) talia Exempla habentur. Quare autem insuperabile, tale malum sit, ad §. 912. 913; ubi de suppurato diaphragmate agebatur, dictum fuit. Longè autem minùs medelam admittet idem morbus ab hepatis abscessu natus, quia & major putredo adesse hîc solet, & major copia puris quotidie generabitur in hepate, ob majorem copiam sanguinis per hoc viscus transmittendi: adeóque augebitur quotidie ascites purulentus, & omnia viscera macerata in putrido hoc pure diffluent. Quare autem tympanitis sequatur, ad §. 937, dictum fuit. Imò & periculum est, ne animi deliquium & subita mors sequantur illo tempore, dum abscessus rumpitur: venæ-portarum enim rami antea à vomica pressi, nunc pure elapso liberi, à sanguine impetuosiùs irruente, rumpi facilè poterunt; præcipuè cùm à pure acriori tam diu accumbente, macerati fuerint, & quasi semiexesi.

Facilè ergo patet, tale malum pariter insanabile esse, neque & hîc curam palliativam multùm boni facere posse.

§. 940. QUOTIES verò suppurata materies & ichor, exesis finibus meatuum biliosorum, in horum amplitudinem, indéque in intestina fluxerint, pro varietate affectatæ viæ, vomitus fœtidos, putrefactos, purulentos, ichorosos, albi, cinericei, fusci, flavi, nigri coloris, vel similes alvi evacuationes producunt, cum summa virium jactura, titulo fluxûs colliquativi, brevì lethales. Novus hic iterum icteri exitus, maximè metuendus.

Cùm meatus biliosi, sensim latiores facti, tandem in unum ductum hepaticum coeant, patet satìs, purulentam materiam, semel hos meatus ingressam, declivi viâ in intestinum duodenum venire posse, indéque in ventriculum, túncque per vomitum exire, vel per totum intestinorum tractum, sícque per alvum expelli.

(*a*) Anatom. Pract. Lib. III. Sect. XVII. Tom. II. pag. 295, & seq.

Bonum

Bonum quidem eſt, purulentam materiem expelli de corpore, verùm ſæpe, antequam exeat, magnam hujus viſceris partem depaſta jam fuit ſuppuratio, & locus ille ulceroſus ad perfectam depurationem deduci nequit, ſine qua conſolidatio obtineri non poterit (vide §. 402.). Quinimo, licèt hoc fieri poſſet, ſæpe per validam ſuppurationem tantùm de hepatis ſubſtantia perit, ut poſtea ejus functiones ad ſanitatem requiſitæ reſtitui nequeant, unde facilè patet, & in hoc caſu in anguſto ſpem eſſe.

Majus autem minúſve diſcrimen demonſtrat copia & qualitas materiæ evacuatæ: ſi enim ingens quantitas boni cæteroquin puris ſic ſubitò exeat de corpore, novimus magnam partem hepatis per ſuppurationem conſumptam eſſe, adeóque & tunc magnum diſcrimen adeſſe. In juvene, ob neglectam in initio morbi ſanguinis detractionem, purulentâ hepatitide laborante, non potuit omni Arte funeſtum exitum avertere *Tulpius*, licèt pus primùm exerneretur (*a*) *per alvum; ſed ſub finem morbi æquè liberaliter per os.* Ubi autem ichoroſum, fœtidum, & varii coloris exit, intelligimus peſſimam conditionem loci ulcerati; inprimis ſi ſimul ſubita ſequatur virium jactura, quæ & in phthiſi conſummata alvi fluxum colliquativum, in ultima funeſti morbi periodo, comitari ſolet. Ita enim quandoque tota ſubſtantia hepatis in ſaniem converſa exit, ut ſola membrana externa; ſed craſſior facta, ſupereſſe inventa fuerit, cavum ſaccum referens; qualia Exempla plura recenſet *Bianchus* (*b*).

Unde *Aretæus* (*c*), poſtquam monuerat, hepate ſuppurato quandoque pus ad inteſtina converti, recenſet diverſitatem materiæ per alvum tunc evacuatæ, malo ferè ſemper cum eventu: ſimul indicat, læſo inſigniter per ſuppurationem validam hepate, alimenta non concoqui, unde quibuſdam poſt ulcus hepatis, etiam ſanatum, hydrops tamen ſequitur. Tunc autem bonam ſpem habet tantùm, (*d*) *ſi omnia remittantur, pus album ſit, læve, æquale, inodorum, venter dejiciat, & cibaria concoquat.* Hæc enim ſigna bonam ſuppurationem cum viſcerum integritate ſuperſtite demonſtrant.

In tali caſu illa, quæ blandè detergunt ulceroſum locum, omnémque putredinem arcent, uſum habent; qualia ad §. 924, laudata fuerunt.

§. 941. SI verò in venæ cavæ exeſos fines, hinc in ipſam, denique in maſſam ſanguinis eadem liquida (940) ſe effuderint, miſcuerintque, teterrima oriuntur, & brevì exitialia, ſymptomata; animi deliquia enormia, frequentia; debilitates ſummæ; pulſus omni modo malus; perturbatio omnium functionum ſimul; mors improviſa. Novus iterum icterus.

Notum eſt, venam cavam inferiorem hepatis ſubſtantiæ quaſi innaſci, & dum ex hepate egreditur per diaphragma tranſire, & illico abire in ſinum

(*a*) Obſerv. Medic. Lib. II. Cap. XXVII. pag. 141.

(*b*) Hiſt. Hepat. Part. II. Cap. IX. §. 5. Tome I. pag. 173.

(*c*) De Cauſ. & ſign. Morb. Diuturn. Lib. I. Cap. XIII. pag. 42.

(*d*) Ibidem.

venosum dextrum: adeóque si subitò boni etiam puris copia sic misceatur sanguini venoso, illud momento pòst pelletur per pulmonis angustias, ibíque poterit hærere, & subitam suffocationem producere. Si autem loco boni puris acer ichor, putridáve sanies, sic sanguinem inundet, & cum illo per totum corpus distribuatur, intelligitur facilè, omnes omnino totius corporis functiones turbari debere simul & semel, ac tenera pulmonum & encephali vasa ab acri humore per illa moto erodi posse, unde subita, & inevitabilis mors fiet. Si vel sola blandi chyli major copia, sanguini subitò permista; febrim excitare possit (vide §. 586. *lit. ε.*); si materia critica soluta & mobilis reddita tantas turbas movere valeat (vide §. 587. 619.) in corpore; quid non metuendum erit ab ichore corrupto sanguini affuso?

Ubi autem sensim sanguini miscetur materia in hepate collecta, nondum penitus à conditionibus boni puris degenerans, fortè illud inde elui posset per urinas, vel per metastasin ad loca minùs periculosa deponi, verùm, utì ad §. 936. n°. 4, dictum fuit, *Hippocratis* Observata (*a*) videntur suadere, non fieri facilè in hoc casu salutarem metastasin. Per urinas autem quandoque exire posse, *Aretæus* monuit dicens, (*b*) *Porro si ad interiora subit abscessus, longè Medico Natura præstat: aut enim ad intestina, aut ad vesicam pus convertet: verùm multò innocentior est in vesicam via.* Et postea subjungit, ubi de excretione materiæ purulentæ in hepate collectæ per alvum egit: (*c*) *Optimum verò est, per lotium crisin fieri; hâc enim securior est minùsque maleficus puris transitus.*

§. 942. QUO quidem casu (941) nulla valida medela habetur; largus autem usus eorum, quæ vires focillant, putredini resistunt, humida restituunt, aliquid proficit.

Ex dictis patet summum metum esse, ne cacochymiâ purulentâ onustus sanguis pessima mala faciat: longè magìs si pus in hepate collectum jam degenerare inceperit in saniem putridam. Sola indicatio Medica tunc hæc est, eluere de sanguine illud corruptum, magnâ copiâ liquidi diluentis & blandè detergentis exhibitâ; putredinem hîc maximè metuendam cavere, vel natam jam emendare, quantùm per Artem possibile est; simúlque blando, & à putredine alieno nutrimento, novos humores suppeditare corpori in locum illorum, quæ jam corrupta eliminari debent de corpore. Serum lactis recentis cum acetosa coctum, juscula carnium cum succo citri vel arantiorum, vinum Rhenanum, decocto panis, oryzæ, avenæ, &c, dilutum, tunc præ reliquis prosunt. Spiritus acidi fossiles, inprimis ex sale marino, alcoholis vini triplâ copiâ permisti, & repetitis destillationibus bene uniti, putredinem emendant quàm efficacissimè; laudantur tunc & aquæ minerales, quatenus per omnia ferè vasa mobiles, abstergunt, abluunt, & per urinæ vias, quan-

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCXCIII. Charter. Tom. VIII. pag. 868.
(*b*) De Caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I Cap. XIII. pag. 42.
(*c*) Ibidem.

doque & per alvum educunt. Verùm magna plerumque debilitas comitari solet hunc morbum, & observant omnes Practici, aquas illas, cæteroquin, adeo salubres, nihil prodesse,, nisi tantùm de viribus vitalibus adhuc supersit in corpore ægro, ut moveri possint. Formulæ tales, quæ in hoc casu conducerent, in *Materia Medica* §. 944, habentur.

§. 943. AT si ultima obtinet mali species (936. n°. 5.), tum deprehensus tumor, lino, ferro ignito, causticis, lanceolâ aperitur; vulnus leniter erodentibus & suppurantibus tam profundè exeditur, donec ad vomicam perventum.

In hoc casu quantocyus via puri in hepate collecto paranda est: optimè enim *Aretæus* monuit, (a) *Si extrà feratur abscessus, ipsum non secare utique malum est: nam si prætermittatur incisio, à pure jecur eroditur, nullàque mortis dilatio est.* Interim tamen, cùm adeo sanguinolentum viscus hepar sit, & omnium venarum originem, & ipsius sanguinis fontem, in hepate statuerint veteres Medici, hinc summum periculum metuebant à sectione; unde *Aretæus* mox subjungit: (b) *Si secare autem malis, profluvii sanguinis periculum instat, statímque hominem perdi contingit; nam sanguinis è jecore profusio coerceri nullo modo potest.* Ideo voluit sectionem instituendam esse ferro candenti, ut simul & secaret & combureret, atque ita metuendam hæmorrhagiam cauterio actuali compesceret eodem momento, quo vulnus infligeretur. Et *Hippocrates* in eodem casu, (c) *quum hepar maximum fuerit, maximéque prominuerit,* inuri jussit. Interim tamen videtur à sectione prudenter institutâ, non tantùm periculum esse lethalis hæmorrhagiæ: dum enim pertunditur talis abscessus, cultelli vel lanceolæ apex hæret in sacco pleno pure, quod removet ad magnam satìs distantiam membranam pus coercentem à vasis suppositis. Præterea Observata docent, viscerum totam substantiam per abscessus purulentos quandoque consumi, absque ulla hæmorrhagia, licèt maxima etiam vasa sanguinea adsint. Docet hoc phthisis, in qua sæpe totus pulmo consumitur, antequam moriantur, nec tamen hæmorrhagiâ pereunt: & in hepatis abscessu, quo pertuso libra una & media puris effluxerat, & in cujus cavo post mortem pugnus circumrotari poterat absque ulla resistentia, mirabatur *Lamottius* (d) nihil sanguinis exivisse. Præterea *Aretæus* (e) voluit, ferrum candens tantùm intrudi debere usque ad puris locum: verùm hæmorrhagiæ metus tantùm esset à vasis exesis, vel cultello lædendis, quæ in profundo hærerent vomicæ; adeóque patet cauterium ne tunc quidem pervenire ad locum, è quo hæmorrhagia metuenda foret. Porrò si escharâ sic inuratur, aliquot sæpe dies requiruntur, antequam illa, optimis etiam remediis emollita, à vivis partibus separata, cadat; quod non sine magno dolore fit: imò sæpe, tali

(a) De Caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIII. pag. 42.
(b) Ibidem.
(c) Lib. de Intern. Affection. Cap. XXX. Charter. Tom. VII. pag. 661.
(d) Traité complet de Chirurgie, Tom. I. pag. 327.
(e) De Caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Cap. XIII. pag. 42.

eschara jam decidua, adhuc scalpello opus est, dum nondum saccus ille purulentus apertus est: qualis casus habetur apud *Bianchum*, (*a*) ubi caustico potentiali, quamvis profunda eschara inusta fuisset, tamen adhuc scalpello pertundi debebat. Cùm autem hoc in casu periculum in mora sit, patet, sectionem ustioni præferendam esse. Præstat autem priùs scalpello dividere integumenta abdominis, ut abscessûs pars prominens in conspectum veniat, & tutò dein, absque ulla læsione partium vicinarum pertundi possit.

Cùm autem eventus, periculosi hujus mali, incertus sit, & qualitas puris emissi ferè tantùm docere possit, an æger superstes esse possit, vel non; monendum priùs est, certam instare perniciem, nisi citò paretur puri in hepate collecto exitus; neque tamen, aperto abscessu, certam salutem promitti posse. Sic Medicus prudenter suæ famæ consulet.

§. 944. SI tum album, æquale, leve, inodorum, specillum non colorans, pus extrorsum exit, spes est: oportet enim ut ulcus tractare (402, ad 413.); simul interna depurantia medicamenta eadem adhibere.

Recensentur hîc boni puris notæ, de quibus antea ad §. 387, utì & aliis in locis dictum fuit: novimus tunc nullam adesse putredinem, sed per benignam suppurationem extrema vasorum, infarcta sanguine immeabili, separata esse, adeóque spem esse sanationis, licèt tamen nondum absit metus: nam & bonâ suppuratione in hoc viscere possunt exhauriri omnes vires, & sensim contabescere æger. Locus *Hippocratis*, ubi prognosis (*b*) illa habetur, ad §. 933, citatus fuit. Quomodo autem ulcus apertum tractari debeat, in capitulo *de Abscessu*, ad numeros in textu positos dictum fuit.

Simul conducent & illa remedia interna, quæ ad §. 942, laudata fuerunt, quorum & formulæ quædam in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur.

§. 945. SI autem flavus, fuscus, lividus, niger, fœtidus, specillum colore iridis inficiens, saniosus, amurcosus ichor prodit, sensim exedetur jecur; consumetur æger; fiéntque ferè symptomata (941).

Omnes enim hæ dotes puris educti designant illud degenerare à conditionibus boni puris præcedenti paragrapho enumeratis; & quidem illo ordine, quo recensentur in textu hæ diversitates puris emissi, periculum infausti exitûs crescit, & major corruptelæ gradus indicatur. Simul etiam tunc novimus, pessimam debere esse conditionem loci, in quo corrupta talis materia hæsit, & sæpe satìs diu.

Interim tamen & Observata Medica docuerunt, quandoque evasisse ægros, licèt aperto abscessu præter pus bonum, & alia exirent. Juveni enim qua-

(*a*) Hist. Hepat. Part. III. Tom. I. pag. 368.

(*b*) Aphorism. Sect. VII. n°. XLV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 316.

tuordecim annorum, postquam calefacto admodum corpore, pedes aquæ frigidæ immersisset, orta fuit febris, quæ tandem abscessum magnum in hepate fecerat, unde totus corporis habitus marcescebat. Aperto dein abscessu & educto pure, dum renovabatur apparatus Chirurgicus, exibat materies sanguinolenta, spissa admodum, quandoque flava, amara, omni dote biliosa, & semper aderant flocculi, qui ipsam hepatis vasculosam substantiam manifestè referebant. Ne autem stagnans in hoc ulcere materia resorberetur & sanguini denuo admisceretur, cannulam argenteam, pluribus foraminulis à latere pertusam, & obtuso apice instructam, immisit aperturæ ulceris peritissimus Chirurgus, ut sic liberrimè semper exire posset collecta materia: ne autem excoriaretur à depluente liquido acriori vicina cutis, laminâ plumbeâ illam tegebat. Febricula lenta, quæ hactenus adfuerat, minuebatur quotidie, redibat solita torositas corpori sensim, & brevì consolidabatur ulcus (*a*). Verùm notatur in miro hoc casu, vomicam hæsisse in anteriori & convexa hepatis regione, nec recensentur talia signa, quæ magnam putredinem simul adfuisse docerent.

Quandoque & alius liquor præter pus exivit, superstite ægro. Ita *Lyserus* in Epistola ad celeberrimum *Thomam Bartholinum* notat, quòd, hepate suppurato, per candens ferramentum via facta fuerit puri, copiosè erumpenti, quod per plures dies confertim effluxit. Dum autem Chirurgus stylum profundè in ulceris cavum demitteret, (*b*) *fluxionem insignem aquæ citrinæ concitat, quæ ad tres & plures libras proruit; quâ cessante pus iterum prodiit, duravitque ultra annum, sed in mediocri quantitate*, & relicta fuit in dextro hypochondrio fistula.

Unde apparet, semper quidem magnum discrimen adesse, ubi à bono pure degenerans materia exit; certum tamen interitum tunc tantùm præsagiri, ubi putrida exit sanies. Unde *Hippocrates* in loco ad §. 933, allegato, & in *Coacis* statuit, (*c*) *Quibus hepar ustis velut amurca prodit, lethale est.* Fæx autem illa nigricans & subpinguis, quæ in oleo olivarum expresso subsidet ἀμόργη dicitur, utì patet ex Dictionario *Erotiani* (*d*), qui plures dictiones *Hippocratis* collegit & explicuit. Designat autem talis amurcosa materia, aperto abscessu profluens, ipsam hepatis substantiam in putrilaginem diffluere.

§. 946. ATQUE rursum si post inflammationem jecinoris adsunt conditiones (392) schirrus ibi nascetur, qui tumore, duritie, incremento, & suam sedem, & vicina lædit, hinc iterum eadem ferè mala, sed lenta producit; mollibus non auscultat; acribus in cancrum (492) horrendùm vertitur, cujus dein terribilia effecta intelliguntur ex (499) comparato cum hac sede affecta: præcipuus scirrhi talis effectus, icterus perpetuus.

(*a*) Académ. des Scienc. l'an. 1630. Hist. pag. 53.

(*b*) Epistol. Medicinal. Centur. II. n°. XXXIII. Tom. II. pag. 639.

(*c*) Coac. Prænot. n°. CCCCLI. Charter. Tom. VIII. pag. 878. Confer. Aphorism. Sect. VII. n°. XLV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 316.

(*d*) Charter. Tom. II. pag. 110.

Quomodo & quibus de causis inflammatio in scirrhum abeat ad §. 392, dictum fuit; & in morbis inflammatoriis, hactenus pertractatis, patuit, quandoque duros tales & indolentes tumores manere, qui solâ mole & pressione vicinorum vasorum molesti sunt, & viscerum, in quibus hærent, functiones turbant. Frequenter autem tales scirrhosas indurationes in hepate inveniri, & ipse in cadaveribus vidi, & fide dignissimæ aliorum Observationes testantur. Aliâ occasione (vide §. 485.) dictum fuit, materiam atrabilariam sanguinis, & bilis, scirrho originem frequenter dare; sed & hæc sæpe hepatitidem producit (vide §. 916.). Accedit præterea, quòd lentiori impetu sanguis venæ-portarum moveatur per hepar; unde, ubi febrilis motus vel sponte suâ, vel per venæ-sectiones, aliáque velocitatem circulationis minuentia remedia, nimis citò sopitur, antequam solutum fuerit illud inflammatorium concretum, vel benignâ suppuratione separatum, tunc talis scirrhosa durities in hepate manet, & postea chronicis morbis difficillimis dat originem. Hunc hepatitidis exitum, optimè notavit *Aretæus* dicens, (*a*) *Verùm si à phlegmone jecur non suppurat, nemini dubium fuerit, tumorem durum subsidentem* (loco ἵζον *Petitus* legit χρονίζοντα temporis progressu) *in scirrhum mutari ac stabiliri; quando continuus dolor non infestat, quúmque adest, obtusus inérsque sentitur*. Et postquam varia mala, quæ scirrhum hepatis comitari, vel sequi solent, enumeravit, dicit, (*b*) *Malorum autem colophon aqua inter cutem* (hydrops.) In hydropicorum autem cadaveribus frequenter inventum fuit hepar scirrhosum, utì postea in capitulo *de hydrope* ad §. 1229, dicetur. Quandoque hepar scirrhosum redditum immaniter mole augetur simul, qualem casum habet *Bonetus*, mulieris, cui post ulcus sub dextra axilla diu apertum, dein imprudenter consolidatum, dolor circa hepar obortus est; & tumor qui sensim auctus icterum producebat, frustra tentatis pluribus remediis, in tantam molem excrevit, ut dies noctésque in sella, dextro latere versùs terram reclinato sedere cogeretur. In cadavere totum hepar scirrhosum repertum fuit, & quatuordecim libras civiles in lance pendens. Alii similes casus ibidem habentur. Aliquoties inveni in cadaveribus totum hepar exsuccum, instar corii rigidi, sed contractum & mole insigniter minutum. Mira hepatis facies deprehensa fuit ab eruditissimo Medico *Cornelio-Henrico-Velso* (*d*) in cadavere hydropicæ mulieris; totum enim hepar erat mole parvum, durum, ac rigidum, & in omni sua superficie tam gibba quàm concava asperum tuberibus solidis & sibi mutuò ferè contiguis, quæ ex basi latiori, ipsi hepatis substantiæ insidente, in apices obtusos & rotundos desinebant; in hepatis discissi interioribus nulli scirrhi nec vomicæ repertæ fuerunt. Nec tamen misera hæc mulier de molestiis in hypochondrio dextro conquesta fuerat, sed quidem circa cardiam; & fatetur egregius ille Vir, quòd in vivente nullum tumorem aut peculiarem duritiem hypochondrii dextri percipere potuerit.

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIII. pag. 42.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Anat. Pract. Lib. III. Sect. XVI. Observ. III. Tom. II. pag. 280.

(*e*) In Dissertatione Inaugurali de mutuo ingressu intestinor. & aliis machinæ humanæ extraordinariis. Lugd. Batav. 1742. pag. 43.

Facilè autem patet, tales tumores ſcirrhoſos premendo vaſa vicina producere omnia ferè eadem mala, ac §. 918, recenſita fuerunt, niſi quòd omnia lentiori gradu procedant, quia tumor inflammatorius augetur velociter, ſcirrhoſus autem lentiſſimè ſolet increſcere. Frequentiùs autem ſcirrhoſæ tales indurationes in hepate naſcuntur, quàm fortè creditur, inprimis ſi febres autumnales, poſt fervidiſſimam æſtatem epidemicè graſſantes, nimis citò corticis Peruviani uſu ſupprimantur: ſolet tunc ſupereſſe color ictericius in oculis, ponderis prementis ſenſus circa præcordia auctus, repleto poſt paſtum ventriculo. Niſi tunc ſubitò ſolventiſſimis remediis, ad §. 924, laudatis, magnâ copiâ & diu ſumptis, ſuccurratur, indomabilis poſtea ſcirrhus manet; languent tales ægri diu, pallidi, ſubicterici, & ſæpe in hydropem tandem incidentes pereunt. Ubi autem confirmatus jam ſcirrhus diu hîc hæſit, & vel per febrim natam, aut acria remedia, agitetur, per vomitoria v. gr. purgantia valida, & ſimilia, in cancrum degenerat, utì antea in ſcirrhi Hiſtoria dictum fuit. Si jam applicentur illa, quæ ad §. 499, de horrendis cancri exulcerati, omnia vicina depaſcentis, effectis dicta fuerunt, ad ſedem in hepate occupatam à ſimili malo, ſatìs patet, quantis cum cruciatibus inevitabilis mors ſequi debeat. Quandoque obſervatum fuit, poſt icterum diuturnum horrendos naſci in abdomine dolores, ſanguinem magnâ copiâ ſurſum & deorſum exire, unde animi deliquium & mors: tunc veroſimile videtur, cancroſum acrem ichorem eroſiſſe vaſa. *Bonetus* (*a*) ex *Ballonio* talem caſum recenſet, ubi hepar poſt mortem, cancri modo affectum, reperiebatur.

Quare autem, & quo in caſu icterus perpetuus ſcirrhum hepatis comitetur, explicatum fuit ad §. 918.

§. 947. UNDE patet, id malum per ſua ſigna cognitum (946), mitiſſimè tractandum, ſanari vix unquam.

Quando de ſcirrho agebatur, patuit, quanta ſit difficultas in curatione etiam illis locis, ubi manubus acceſſus datur, & epithemata, frictiones, ſuffumigia adhiberi poſſunt: ſimul conſtitit, quantâ cautelâ opus ſit, ut determinetur, an cura debeat adhiberi, cùm tantus metus ſit in ſcirrho, inveterato inprimis, ne in cancrum degeneret. Evidens ergo eſt, ſummâ prudentiâ opus eſſe, ut talis morbus tractetur, & ſola illa tuta eſſe, quæ abſque acrimonia, abſque augmento velocitatis humorum, ſolvendi vim exſerunt, de quibus antea jam dictum fuit. Sed & ſimul patet, talibus remediis incipientem in viſceribus ſcirrhum ſuperari poſſe, non verò ſufficere, ut duriſſima & lapidea ferè moles ſcirrhoſa in hepate tollatur. Unde & *Galenus* dicit, (*b*) *jecoris verò ſcirrhum recentem, ſæpe curavimus; inveteratum verò neque ipſe ſanare potui, neque alium, qui poſſet novi. Omnes enim ita affectos omnino ſequitur* (hydrops) *hyderus. Plurimi autem longiore temporis*

(*a*) Anatom. Pract. Lib. III. Sect. 17. Obſerv. V. Tom. II. pag. 299.

(*b*) Method. Medend. ad Glaucon. Lib. II. Cap. VII. Charter Tom. X. pag. 380.

ſpatio intereunt: nonnullos verò brevì perire vidi, quibus alvus multa dejiciebat. Notandum autem, quòd *Galenus* inveteratum ſcirrhum hîc non vocaverit, qui per annos jam duraſſet, nam in textu habetur ἐκταθέντα δ' εἰς πλείους ἡμέρας, quod non adeo longum temporis ſpatium ſignificat. Videtur autem admodum probabile, celeriter ex hoc morbo periiſſe illos, quibus ſcirrho in cancrum jam degenerante, acris ichor in inteſtina depluens, immedicabilem & ſubitò lethalem hypercatharſin fecerat.

§. 948. SI autem in parva modò parte jecoris, exigua talis inflammatio hæſit, calculo, ſchirro exiguo, puſtulæ, exiguo abſceſſui, originem dabit: quæ per ſe parùm, ſed ortâ febre, multa mala pariunt.

Docuit Anatome, & inprimis injectiones *Ruyſchianæ*, viſcerum fabricam ex vaſorum textura conſtare, quam pro informi parenchymate antiquitas Medica habuit: ſed & in partibus corporis humani, hac Arte præparatis, per microſcopia manifeſtè videmus, vaſa in omni ferè puncto ramulis emiſſis inter ſe communicare, atque ita obſtructione exiguâ natâ in quodam loco, non illico intercipi omnem humoris vitalis per partem affectam motum, ſed per alios vaſorum ramulos liberos, per anaſtomoſin communicantes, viam fieri. Hoc autem requirebatur, ne à levi obſtructione ſtatim inſigniter lædi poſſet viſcerum actio. Si ergo in hepatis exigua, parte talis inflammatiuncula hæſerit, non producet magna mala, & ideo vix cognita negligitur; dum tamen in loco affecto ſimiles effectus producit, licèt minores, ac valida inflammatio in toto hepate nata. Poterit ergo & inde manere parvus ſcirrhus, quandoque & minimus calculus, dum humores in hepate ſecreti, imò & ſanguis venæ portarum humorem ſecernendum continens, adeo in concretionem calculoſam pronus eſt, utì ad §. 916, dictum fuit. Dum evolvimus Scripta illorum, qui in cadaveribus demortuorum cauſas morborum ſcrutati ſunt, invenimus ſatìs frequenter repertas fuiſſe, & in hepate, & in aliis viſceribus, leves tales vix animadverſorum morborum reliquias, quæ nullis indiciis in viventibus ſe manifeſtaverant. Idem toties oſervaverunt & Anatomici, qui violentâ morte peremptorum hominum cadavera in uſus Academicos quotannis diſſecant. Interim tamen & hoc verum eſt, durum talem tumorem, licèt exiguum, premere tamen & utcumque impedire ipſi adjacencia vaſa, effectu quidem non adeo ſenſibili, dum pacato motu per vaſa moventur humores; verùm ubi per febrem velociùs moti humores vaſa ſimul plùs diſtendunt, tunc in omni ambitu duri talis tuberculi facilè inflammatio naſcitur, & per viciniam propagatur, unde plurima mala fiunt. Sic obſervamus ſcirrhum in mammis in corporibus euchymis ſæpe per plures annos manere innoxium, nec mole augeri: ubi verò ab alia cauſa febris excitata movet celeriùs ſanguinem, augetur ſubitò, & brevì in crancrum degenerat. Patet ergo facilè, ob eamdem rationem & in hépate à ſimilibus cauſis, licèt in initio levibus, multa mala produci poſſe.

§. 949.

§. 949. TANDEM etiam inflammatio hepatis desinit subitò in mortem, si causæ inflammationis tam validæ, ut nihil per totum jecur transire queat, febre simul intensâ urgente: tum strictum ad fines, dilatatum ad vasa hepar, nullam functionem obit; fit icterus subitus & ingens; rumpuntur vasa; effunditur sanguis & bilis, moritur illico æger. Id futurum prædicit. 1°. Vis morbi in hepate cognita. 2°. Summa & subita resolutio virium: at verò jam fieri docet vomitus, aut secessus sanguinis, bilis, fæcis amurcosæ, viridis, nigræ, foetidissimæ, cadaverosæ, singultus magnus, perpetuus; febris intensissima; sitis inexstinguibilis, subitus admodum pallor.

Huc usque considerati fuerunt, diversi hepatitidis exitus, dum vel in sanitatem benignâ resolutione (§. 922.), vel coctione & excretione materiæ morbosæ (§. 923.) terminabatur, vel in alios morbos abibat, factâ suppuratione (§. 933.), vel relicto scirrho (§. 946.). Superest jam, ut consideremus, quomodo pessima hepatitis quandoque mortem, & subitò quidem, producat, ut medelâ efficaci illico adhibitâ succurratur, vel saltem, si Arte omni major morbus fuerit, ex signis observatis mortem brevì secuturam prævideat Medicus, & prædicat, sícque omni culpâ vacet. Ideo *Hippocrates* monet (*a*) *Medicum providentiæ* (prognosis) *studio incumbere*: (*b*) *Sanos etenim omnes ægrotos efficere nemo potest*: (*c*) *Sic enim eum omnes meritò admirabuntur, & Medicus optimus censebitur. Namque & eos, qui servari possunt, multò etiam meliùs servare poterit, longè antè singulorum curationem præmeditatus, & eos, qui tum obituri mortem, tum evasuri sint, si præviderit, prædixeritque, omni prorsus culpâ vacabit.*

Ubi ergo materiæ inflammatoriæ, angustiis vasorum impactæ, tenacitas maxima est, & copia tanta, ut obstruendis omnibus vasis sufficiat, simúlque febris valida urgeat sanguinem in loca obstructa, totum hepar tumet, omnia vicina comprimit, adeóque & bilis exitum in intestina impedit; unde subitò ictericus color per totum corpus diffunditur. Verùm cùm adeo friabile hepar sit, & mollia omnino ac pulposa vasa habeat, illa, jam distenta ultra modum, tantam vim sustinere diu non poterunt absque ruptura; hinc effundentur humores in cavum abdominis, & cita mors sequetur. Præterea in tali casu aboletur influxus vitalis humoris in arterias, effluxus per venas, túncque gangræna adest (vide §. 419.) brevì omnia hîc putrefaciens. Validissima autem talis, & subitò perimens hepatitis, rarò fit, nisi ubi subitò tenax materies, fusa & mobilis reddita, in hepar irruit, & simulac semel omnia ejus vasa opplet. Ita *Hippocrates* monet, quòd quandoque ab atra bile, in hepar irruente, dolor (*d*) *acutus invadit, ac sæpe derepentè æger animam efflavit.* Subitam talem

(*a*) Prognostic. Comment. I. Sentent. I. Charter. Tom. VIII. pag. 583.
(*b*) Ibid. Sentent. I. pag. 584.
(*c*) Ibid. Sentent. III. pag. 585.
(*d*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 659.

vaſorum rupturam, & enormem hinc hæmorrhagiam pariter in hepatitide metuiſſe videtur *Aræteus*. Sic enim habet: (*a*) *Sanguinis utique profluvia è jecore omnium maxima fiunt; neque abs re. Venarum enim radicatio eſt jecur; itaque in ipſo magna vomica* (phlegmone) *haud ita frequenter, neque in particulis magìs præcipuis oritur, homo enim vitâ excedens prævenit.* Et paulò pòſt ſubjungit ſequentia: (*b*) *At ſi quâ magnâ injuriâ, ut putà verbere, longâ ciborum multorum, vitioſorùmque corruptione, ebrietate, vehementi refrigeratione, phlegmone in portis jecoris excitatur, tunc ægrotus celerrimè jugulatur.* Ita etiam ſi caloribus æſtivis, vel validiſſimo corporis motu, pinguedo omenti fuſa magnâ copiâ & impetu in hepar ruat, &, difficiliùs tranſire potens per vaſa minima, obſtruat ultimos venæ-portarum fines, ruptis vaſis, ſubita mors fit. Calido æſtivo tempore hoc quandoque obſervatur in armentis, quæ lætis in paſcuis pingueſcunt: incipiunt languere, angi ſubitò, vertiginoſa fieri, oculi flaveſcunt, paulò pòſt concidunt mortua, & totum abdomen plenum ſanguine invenitur. In equis, inprimis obeſioribus, poſt quietem ſubitò validiſſimo curſu exercitatis, idem quoque contingit ſatìs frequenter, & pariter ſanguis extravaſatus, quandoque & fuſæ pinguedinis aliquot libræ inventæ fuerunt in abdominis cavo.

Signa autem funeſti talis in hepatitide eventûs ſunt:

1°. Si v. gr; in atrabilario corpore, vel in homine valde obeſo, calidiſſimâ tempeſtate, & exercitio corporis, ſtagnantia dudum in motum deducta fuerint, vel ſi quis ſudante poſt validum motum corpore frigidiſſimæ aquæ ſe immerſerit ſubitò, tunc novimus tales cauſas prægreſſas fuiſſe, unde jure tale malum metuitur. Si tunc ſubitò ingens anxietas, ob denegatum ſanguini venæ-portarum per hepar tranſitum (vide §. 631.), ſequatur, in tumorem elevetur hypochondrium dextrum, oculi flaveſcere incipiant, febris valida inſurgat, novimus jam adeſſe illum morbum, & quidem periculoſiſſimum.

2°. Signa hîc recenſita docent, vel vaſa rupta ſanguinem largâ copiâ fundere, túncque ſumma illa & ſubita virium reſolutio obſervatur, & ſubitus pallor oritur in vultu; vel gangrænâ natâ, omnia jam putreſcere. Quandoque, ruptis vaſis hepatis, ſanguis in cavum abdominis delabitur; aliquando & in inteſtina vel ventriculum venit, túncque ſurſum vel deorſum expellitur. Memorabilis talis caſus habetur apud *Veſalium* (*c*) de celebri Juriſconſulto, qui languidâ valetudine dudum vixerat; cúmque nonnulla per tranſennam percunctatus fuerat de morbo ſuo *Veſalium*, qui circa hepar hærere obſtructionem dixit, promiſit ſe ſequenti die adfuturum Anatomicæ demonſtrationi, circa viſcera abdominalia inſtituendæ, ut nempe morbi ſui ſedem attentè conſideraret. Verùm eodem die, paucis poſtea horis inter cœnam de mira corporis imbecillitate conqueſtus fuit, ac impeditâ reſpiratione; & paulò pòſt exſpiravit. *Veſalius* ſequenti die tam ſubitæ mortis cauſam in cadavere inquirens, invenit univerſum corporis ſanguinem adhuc calentem in peritonæi cavum confluxiſſe, rupto

(*a*) De cauſ. & ſign. Morbor. Acut. Lib. II. Cap. VII. pag. 19.
(*b*) Ibidem.

(*c*) Epiſtol. de rad. Chinæ. Operum; Tom. II. pag. 674.

venæ-portarum trunco. Hepar totum candidum erat, & multis tuberculis asperum, & tota anterior jecoris pars, & universa sinistra sedes, instar lapidis indurata erat; posterior verò pars, ubi vena cava hæret, putredine vitiata & mollis apparebat. Si autem in chronicis & lentis talibus hepatis morbis tandem rumpantur vasa, an non idem metuendum erit, dum subitò infarcto toto hepate, febris acuta urget sanguinem valido impetu in loca obstructa? In Epidemicis *Hippocratis* talis casus habetur, qui hoc docet. Nam (*a*) *Chartadi febris ardens oborta est, bilis, vomitus multus, & deorsum dejectio, insomnia, & ad lienem tumor rotundus* observabatur, signum dans, sanguinis transitum ex liene per hepar impediri: eâdem die sanguis ad congii mensuram per alvum exivit, repetitâ etiam vice; tertiâ vice grumos concreti sanguinis excrevit: aderat autem anxietas circa cardiam, quæ postea augebatur; accedebant animi deliquia, & dilirium; sub vesperam magna jactatio corporis præ anxietate: pedes frigescebant, pectore & capite incalescentibus, & instante jam morte parvis sudoribus diffluebat: (*b*) *ubi verò sibi aliquid infrà demitti velle dixisset, defixus oculis, non longâ interpositâ morâ vitam finivit.* Qui omnia hujus morbi phœnomena considerat, non dubitabit, ægrum hunc acutissimâ hepatitide laborantem, ruptis vasis, sanguine per alvum effuso, subitò periisse. Unde & in *Coacis*, dixit: (*c*) *Sanguinem splendidum dejicere, malum est, tum aliàs, tum si quis dolor adfuerit:* Et alibi, (*d*) *Lethale autem & alvum sanguinem dejicere, multâ grumosâ dejectione: iterùmque alba ac liquida cum ventre in tumorem elevato.* Ubi notandum, quòd alba illa & liquida dejectio, cum ventris tumore, satìs indicent bilem non venire in intestina, adeóque circa hepar malum latere.

Inde etiam apparet, quare *Hippocrates* (*e*) sanguinis vomitum cum febre damnaverit.

Ubi autem unà cum febre intensissima, & siti inexplebili, per alvum olidissima & cadaverosum fœtorem spirans amurca exit, certò novimus hepatis inflammationem in gangrænam abiisse, totúmque hoc viscus pessimâ putrilagine corrumpi, adeóque certam mortem instare. Singultum autem in hoc morbo pro pessimo signo haberi, jam antea ex *Hippocratis* locis ad §. 915, citatis, constitit. Verùm & singultus oriri potest ab effuso copioso sanguine, utì aliâ occasione ad §. 659, monitum fuit. Pleraque ex pessimis illis symptomatibus, dum hepatitis in subitam mortem tendit, habet *Aretæus*, (*f*) *Ignis enim in profundo corpore depascitur; obscurus, acer: venarum motus torpent: doloris species variæ & diversæ sunt. Nonnunquam enim dextra in parte defigitur, adeo ut acutum telum adactum esse videatur; interdum torminibus similis est: rursum verò interdum dolor cum summa gravitate conjungitur, atque inter dolendum virium debilitas vocisque casus incidit....* (*g*) *Colore ex atro viridique*

(*a*) Lib. VII. Ægrot. XIV. Charter. Tom. IX. pag. 558.
(*b*) Ibid. pag. 559.
(*c*) N°. DCV. Charter. Tom. VIII. pag. 882.
(*d*) Ibid. n°. DCXI.
(*e*) Aphorism. Sect. VII. n°. XXXVII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 311.
(*f*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VII. pag. 19.
(*g*) Ibid. pag. 20.

permixto infecti sunt, plumbeâ scilicet specie. . . . . magna est in corpore segnities, extrema frigent, tremor adest, horrores, singultus inanis convulsioni similis, morbus regius, pura bilis, totúmque corpus bilioso colore suffunditur.

§. 950. EX his omnibus expositis (914, ad 950.) intelligi possunt infinita symptomata in morbis acutis occurrentia; quorum ignota ratio inanes malignitatis fabulas produxit: nam ab hepate omnia viscera abdominis, adeóque omnes illorum actiones, digestionis, assimilationis, nutritionis, refectionis sanguinis, excretionis alvinæ, pendent. In hepate triplex, facilè in calore putrescens humor, sanguis multus & solutus, bilis vesicaria, & hepatica: hepatis cum diaphragmate & corde magna vicinitas: finibus biliosis obstructis facilè liquor portarum biliosus in cavam transit. Tum ex iis solis perspicitur, quàm varia, quàm multiplex icteri idea: Cur aliquando facilè sanetur, & quando: cur sæpe sit pertinacissimus: cur sæpe citò, sæpe tardè admodum occidat: cur per vices accedat, maneat, abeat, redeat: Cur cum tantis anxietatibus, vomitu, dolore, convulsione, præcedentibus, appareat, quiescat, redeat; & quid tum denotet: Cur in acutis tam calamitosus ante septimum diem: Cur tam inexpugnabilis in iisdem post septimum diem: Cur dysenteriâ largâ, citò desinente, tam bene sanetur: Cur missio sanguinis tam parùm hos morbos juvet: Cur in omni morbo acuto adeo attendendum sit ad hypochondriorum dolores, tumores, retrosursum elevationes: Cur color oculorum, urinæque tam citò icterum præsentem & abeuntem designent: Cur vitia inflammatoria, suppuratoria, gangrænosa, scirrhosa, cancrosa, lienis, ventriculi, omenti, mesenterii, intestinorum, semper ipsum hepar adeo violenter infestent: Cur tam enormiter vitia inflammatoria hepatis vicissim & scirrhosa illa afficiant: Cur jecur tam immensum augeri, tumere, iterúmque exsiccari possit: Cur hydrops à malo hepatis, & tympanitis eò crudelior: Cur ab hydrope extenuatio, & exsiccatio hepatis, cum prætumido liene: quæ dysenteria hepatica? &c. Sunt enim infinita, quæ huc spectant.

Sequuntur jam corollaria quædam Practica, quæ ex illis, quæ hactenus de hepatitide dicta sunt, sequuntur, & multùm lucis tam cognitioni, quàm curationi morborum affundunt.

QUORUM IGNOTA RATIO, &c. In febribus acutis duplex inprimis discrimen observaverunt Medici: vel enim aderat validior sanguinis circumductio, cum calore magno totius corporis, respiratione citâ, anhelosâ pulsu celeri, forti, magno: videbant tunc omnia, quæ humorum copiam, motûs cele-

ritatem minuunt, insigniter prodesse, ut venæ-sectionem, diluentia, nitrosa, &c; & sæpe feliciter per Artem sanari hos morbos, licèt in initio invaderent summo cum impetu. Verùm & aliud febrium acutarum genus observatur pejus longè & periculosius, ubi illico vires prosternuntur; calor longè mitior adest, sæpe & frigus extremorum, anxietas magna, pulsus celerrimus, debilis, maximè inæqualis sæpe quasi evanescens sub digito tangentis Medici, sitis sæpe vix ulla. Has febres ob subitam illam, etiam in robustis, virium prostrationem, absque ullis evacuationibus factis, malignas vocaverunt Medici, & non sine ratione. Docuit jam Observatio, in talibus febribus profuisse illa remedia, quæ vires oppressas erigerent, & aromatico stimulo incitarent utcumque: scordium, ruta, angelica, & similia, alexipharmaca dicta, dabantur in his febribus optato cum successu, dum largâ copiâ aquæ infusa, addito pauco vino, vel aceto, calido potabantur. Dum enim his impletum foret corpus, blandus sudor solebat sequi, per quem surgebant vires vitales, & expellebatur sæpe de corpore epidemicum illud miasma, quod omnia hæc mala fecerat. Ubi autem prioribus febribus, in quibus magnus calor, inflammatoria sanguinis spissitudo aderant, talis medela fiebat, omnia ruebant in pejus, & summo periculo exponebantur ægri. Unde *Sydenhamus*, utì ad §. 736. dictum fuit, (*a*) adeo insurgebat in illud malignitatis vocabulum, quod Medici omnibus morbis gravioribus applicabant, etiam inflammatoriis; & calido regimine ac sudoribus vi expressis, perdebant plures ægros, qui bonâ Medendi Methodo servari potuissent.

Cùm autem in hepatitide magna sæpe adsit anxietas (vide §. 631.), & ab impedito libero transitu per venam-portarum impediri, vel turbari saltem debeant omnium viscerum abdominalium functiones, magna quandoque debilitas simul adsit ob corruptam sæpe in hoc morbo bilem, circa præcordia hærentem (vide §. 661.), minùs periti quandoque tractaverunt hepatitidem inflammatoriam pro febre tali maligna, magno certè ægrorum damno. Sedula Observatio causarum hepatitidis (§. 916.), & effectuum (§. 918.), qui simul signa morbi præsentis sunt, non patietur attentum Medicum hîc falli.

IN HEPATE TRIPLEX, &c. Bilis inter humores inquilinos corporis acerrima est, & citò putrescens (*b*); sanguis ipse venæ-portarum proximam bilis materiam continet: verùm bilis efficacia talis est, ut sanguinem solvat; unde post diuturnum icterum, soluto nimis sanguine à bile admista solet immedicabilis hydrops sequi. Præterea sanguis venosus, ab intestinis & ventriculo redux, continet fluidissimam partem, quam venæ mesentericæ resorpserant; ex liene per venam splenicam veniens sanguis dilutus est & attenuatus; omenti sanguis venosus habet in se resorptum tenuissimum rorem, qui in cavum abdominis ex arteriis exhalaverat: unde patet ratio, quare sanguis venæ-portarum dilutus sit & solutus, quámvis venosus jam redditus perdiderit multa, per arteriosas secretiones inde ablata: omnibus enim bene consideratis, videntur plura reddi huic sanguini, quàm inde secesserant. Verùm talis sanguis, in maximo trunco venæ-portarum & majoribus ejus ramis, obstructo hepate, sta-

(*a*) Schedul. monitor. de nov. febr. ingress. pag. 681. 682.

(*b*) Boerhaav. Institution. Medic. §. 99.

gnans, in loco adeo calido, respirationis perpetuâ actione conquassatus, proximam bilis facilè putrescentis, materiam continens, citò corrumpitur; & ideo, utì ad §. 933, dictum fuit, suppuratione in hepate natâ, raro bonum pus fit, sed potiùs metuenda est funesta putredo.

HEPATIS CUM DIAPHRAGMATE ET CORDE MAGNA VICINITAS. Quàm largâ superficie hepar diaphragma tangat, ex Anatomicis notum est: quinimo contiguo hepate diaphragmatis dextra pars magìs sursum premitur in thoracem, quàm sinistra (a). Præterea diaphragmatis superficies abdomen spectans, undique tegitur peritonæo, præterquam circa cavam venam, ubi hepar nudum contingit (b). Non mirum ergo hepatis morbos diaphragma sæpe etiam afficere, cujus rei exemplum ad §. 936. n°. 5, habetur.

Verùm & magnam viciniam cum corde habet: nam inter hepar & pericardium, cor continens, tenuis tendinea diaphragmatis pars interjacet. Præterea vena cava inferior hepati innascitur, & ubi ex hepate emergit mox diaphragma penetrat, & facit sinum venosum dextrum. Ex quibus patet hepatis morbos insignes & vicino cordi nocere posse.

FINIBUS BILIOSIS OBSTRUCTIS, &c. Quidquid enim per venam-portarum fluit, duplici viâ inde exit: vel enim per canales secretorios venit in porum hepaticum; vel per fines ultimos venæ-portarum in ramos venæ cavæ, per hepatis totam substantiam distributos, pergit, sícque in cavam, sinum venosum & cor dextrum. Cùm autem bilis hepatica, à sanguine venæ-portarum secreta, ipso sanguine sit tenuior, si obstaculum hæreat circa fines biliosos, patet satìs, quòd facilè materia hæc biliosa unà cum sanguine dilabatur in venam cavam, totámque sanguinis massam cachexiâ biliosâ inficiat. Verum quidem est, canales bilem à sanguine venæ-portarum secretum ferentes difficiliùs obstrui, cùm ex angustiis in latiorem canalis partem sit hujus liquidi motus; sed circa ingressum ductûs communis in intestinum duodenum major angustia est, & ibi sæpe nascuntur obstacula. Præterea, utì jam antè notatum fuit, bilis, imò & ipse sanguis venæ-portarum bili proximam materiam continens, admodum inclinat in calculosas concretiones, quæ semel natæ, & auctæ quotidie, has vias obstruere possunt. Deinde omnes tumores in hepate nati, inflammatorii, suppuratorii, scirrhosi, steatomatosi, &c, premendo vicinas partes, quibus adjacent, tale impedimentum producere poterunt. Videantur illa quæ ad §. 119, de hac re dicta fuerunt.

Verùm utì, obstructis canalibus biliosis, transitus fit materiæ biliosæ in venam cavam, sic & obstaculo nato circa ultimos fines venæ-portarum, ita ut sanguis in venam difficulter transire possit, quandoque videntur sic dilatari rami secretorii bilem vehentes, ut & sanguinem transmittant, qui tunc in duodenum exit sæpe largâ copiâ, & sursum vel deorsum expellitur de corpore. Ab atrabilaria tenacitate inprimis difficilis talis transitus sanguinis ex ultimis finibus venæ-portarum in cavam nasci solet, & puto me in Praxi tales casus sæpius observasse, & ferè semper in macilentis hominibus, atrabilariæ temperiei; inprimis in illis, qui tabaci fumo abutentes quotidie, ingentem copiam

(a) Albin. Hist. Muscul. Lib. III. Cap. LXXXI. pag. 300.

(b) Ibid. pag. 308.

ſalivæ exſpuendo, perdunt; quæ cæterùm deglutita ſanguini redditur, unde ſeceſſerat. Vidi ſic hominem, cui poſt anxietatem circa præcordia, & cardialgiam moleſtam, oriebatur ſanguinis vomitus, & paulò pòſt per alvum magnâ copiâ etiam exibat, unde intra paucas horas defecit. In cadavere, cum quibuſdam amicis, in Anatome ſatìs verſatis, luſtravi magna cum cura omnia viſcera abdominalia, nec ullum vas ruptum invenire potuimus, nullam inſignem labem in ullo viſcere obſervavimus. Plures poſtea tales caſus vidi, ſed non ſemper funeſtos; imò plurimos vidi evaſiſſe, & poſtea ſatìs ſanos vixiſſe, licèt tam valida ſanguinis evacuatio contigiſſet, ut convellerentur præ inanitione ſubita vaſorum. Facilè tamen patet, ſemper magnum diſcrimen adeſſe, licèt & multi evadant poſt talem ſanguinis vomitum vel ſeceſſum. In omnibus illis vomitum cruentum præceſſerat tenſio abdominis moleſta, & diu afflixerat cardialgia, inprimis repleto ab aſſumptis cibis ventriculo. Verùm antea, ubi de *Anxietate frebili* agebatur, notatum fuit, licèt in hepate hæreret obſtaculum, præcipuum tamen ægritudinis ſenſum circa cardiam percipi ab ægris, unde & illud ſymptoma hanc opinionem confirmat. Videntur autem illi evadere, quibus non ruptis vel eroſis vaſis, ſanguis effunditur, ſed dilatatis vaſis bilioſis exit in duodenum; unde & illa, quæ in anguſtis finibus venæ-portarum hæſerant infarcta, omni peſſione ſanguinis à tergo urgentis liberata, retropelluntur in vaſa majora (vide §. 140, & 400.) & ſolvitur feliciter hepatis obſtructio.

Similia in Praxi videns, incepi intelligere, quare *Hippocrates* dixerit, (*a*) *Qui ſanguinem vomunt, ſi citra febrem, ſalutare: ſi cum febre, malum. Hic affectus refrigerantibus & adſtringentibus curandus eſt.* Talia adhibui certè cum optimo ſucceſſu, ut dilatatis & diſtractis vaſis rediret debita firmitas: juvat etiam, quòd, multo ſanguine evacuato, ægríſque talibus multùm debilitatis, vaſa minori copiâ liquidi, & lentiùs moti, repleta, ſponte ſuâ contrahantur. Alius adhuc apud *Hippocratem* memorabilis locus habetur, qui huc ſpectare videtur: (*b*) *Quibus dolores hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, hi ſanguine per alvum dejecto ſervantur; non autem dejecto moriuntur.*

QUAM VARIA, QUAM MULTIPLEX ICTERI IDEA. Quid icterus ſit, & quomodo mutato colore corporis, & inprimis in tunica adnata, diſtinguatur, antea ad §. 918, dictum fuit. Semper autem ſupponit vel impeditam ſecretionem bilis à ſanguine venæ-portarum, vel impedimentum tollens liberum exitum bilis ſecretæ in inteſtinum duodenum. Primùm ergo differt icterus, prout bilis hepatica vel cyſtica, vel utraque, in ſanguinem regurgitat: deinde & differt pro varia indole ipſius bilis, cùm & illa colore, & aliis ſuis attributis, admodum diverſa eſſe poſſit.

Verùm ingens varietas icteri eſt ratione cauſæ, quæ ſecretionem bilis vel ejus liberum exitum in duodenum impedit. Videmus enim in præcedentibus, talem cauſam quandoque eſſe inflammationem, & quidem iterum vario intenſitatis gradu diverſam: deinde & ſuppuratio, inflammationem ſequens, icte-

(*a*) Aphoriſm. Sect. VII. n°. XXXVII. Charter. Tom. IX, Part. II. pag. 311.

(*b*) Coac. Prænot. n°. CCXCVI. Charter. Tom. VIII. pag. 868.

rum producere poterit, vel jam natum unà cum inflammatione valida incipiente perennare faciet. Sed & pro diversis viis, quibus pus, in hepate collectum, sibi parat exitum, recensitæ fuerunt icteri species variæ. Ultimò & scirrhus, vel benignus, vel jam in cancrum degenerans, ictero originem frequenter dedit. Si jam simul consideretur, partes hepati vicinas, & inprimis circa cavam hepatis regionem locatas, à similibus causis tumentes, bilis exitum impedire posse, patebit satìs, quàm multiplex icteri idea sit, & quòd idem nomine morbus à diversissimis producatur causis; quarum tamen cognitio accurata tantam lucem adfert curationi instituendæ, utì & ad formandam prognosin circa facilem vel difficilem, possibilem vel impossibilem, icteri sanationem.

CUR ALIQUANDO FACILE SANETUR, ET QUANDO? Occurrunt tales icteri quandoque, qui satìs citò sanantur, quando nempe causa illos producens levior est, vel obstaculum, impediens liberum bilis exitum, sponte suâ removetur, vel saltem levi negotio tolli potest. Sic v. gr; à leviori hepatitide, quæ per benignam resolutionem (§. 922.), vel coctionem & excretionem causæ morbosæ (§. 923.), curari potest, natus icterus facilè cedit. Ita ubi in gravidis vel ab utero tumente, vel à fæcibus duris in colo intestino collectis (vide §. 918.), compresso ductu cystico vel communi fit icterus, excusso fœtu & expulsis fæcibus, sponte suâ cedit hoc malum. In recèns natis infantibus frequenter talis icterus facilè curabilis observatur: illo enim tempore, quo in utero materno latuit infans, respirationis motus non egit in contenta abdominis, unde accumulatur in cystide fellea bilis; mucosa viscida obliniunt totam intestinorum seriem, tenax meconium magnâ solet copiâ adesse; hinc sæpe impeditur exitus bilis in duodenum, & dilatandis facilè in hepate vasis retrogreditur in sanguinem, & sic icterum producit. Quandoque & in infantibus ubera ducentibus colostrum caseosum in duodeno hærens simile impedimentum præbet. Saponis Veneti scrupulus in aquæ unciis tribus dilutus, addendo unciam syrupi cichorei cum rheo, si cochleatim detur sæpius de die, solvit hæc concreta, abstergit blandè intestini latera, & simul hanc saburram per alvum expellit; sícque cita sequitur sanatio. Imò & in adultis pituitosa colluvies in primis viis hærens, icteri causa fuit: per attenuantia mobilis ubi reddita fuit talis materies, dein per vomitoria aut purgantia facilè excutitur; de qua re videantur illa, quæ de cura glutinosi spontanei, §. 69, & sequentibus dicta, fuerunt. Talis icteri, à pituita nati, meminit etiam *Hippocrates*, & addit quòd (*a*) *hic icterus minimè est lethalis, brevique sanescit.* Quandoque & contingit, bilem in cystide fellea diu hærentem (ut in literatis sedentariam vitam degentibus, frequenter fit) inspissatam & viscidiorem redditam difficiliùs exire posse; túncque *Galenus* (*b*) notavit, idem contingere vesicæ felleæ, quòd in vesica urinaria à retenta nimis diu urina observatur, nempe illam quasi paralyticam fieri, nec commodè posse suarum fibrarum ope bilem jam spissiorem exprimere. Illis sine febre icterus nascebatur, (*c*) *urgente in dextro hypochondrio gravitatis cujusdam sen-*

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XL. Charter. Tom. VII. pag. 666.
(*b*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. ultimo. Charter. Ibid. pag. 504.
(*c*) Ibidem.

su; affirmátque *Galenus*, se tales, præmissis aperientibus remediis, dato purgante cholagogo, sæpe uno die sanasse. Si nondum cederet parùm pertinacius malum, dabat potentiora aperientia, & dein vehementius purgans, quo cærulea potiùs quàm flava bilis expellebatur, sequente pariter sanatione felici & subitâ.

CUR SÆPE SIT PERTINACISSIMUS. Si nempe causa icteri talis fuerit, ut vel omnino non, vel difficillimè tolli possit, vel per morbum destructa fuerit aut adeo mutata hepatis fabrica, ut postea bilis secretio & excretio nunquam rite perfici possint. In cadavere dissecto cervicem vesicæ felleæ tophis obturatam vidit *Benedictus* (*a*): sed noverunt Chirurgi, quàm difficile sit tumores in tophum induratos resolvere, etiam in locis, ad quæ manubus accessus datur: turgebat autem hæc vesicula fellis sero pellucido insipido, quod ad ignem coagulabatur instar albuminis ovi; unde patet bilis bonæ secretionem in hoc ægro jam abolitam fuisse. Inventus fuit & ductus cysticus omnino concrevisse, ita ut stylus immissus per aperturam ductûs communis, nullo modo potuerit penetrare in ductum cysticum, nec vesicâ felleâ, quæ bile plena duorum pugnorum magnitudinem habebat, compressâ, vel guttula contentæ bilis exiverit: imò discissâ vesicâ felleâ non poterat distingui ullo modo apertura ductûs cystici ex vesica fellea exeuntis (*b*). Quandoque etiam, licèt via ex cystide fellea in duodenum aperta sit, jam adeo degeneravit hepatis fabrica, ut morbus æquè incurabilis maneat, utì docet celeberrimi viri *Duverneyi* junioris sequens Observatio (*c*). In cadavere virginis triginta circiter annorum, post icterum nato hydrope ascite mortuæ, inventum fuit hepar obscurè flavescentis coloris, pro magna suî parte exsiccatum; vesiculâ fellis in saccum ingentem dilatatâ, & qui levi vi dilacerabatur, continebat hydatides copiosas, & materiam quamdam partim glutinosam, partim lymphaticam & biliosam, unà cum grumis nigris, qui intra digitos contriti, colore flavo illos inficiebant; apertura autem ductûs biliferi ad duodenum usque adeo patula erat, ut digitum minimum facilè admitteret, unde facilis via erat contentis in vesica fellea ad intestinum duodenum; & fœmina, quæ ægræ adfuerat morbi tempore, testabatur, per alvum exivisse, dum viveret, omnia similia his, quæ in cadaveris vesica fellea deprehendebantur. Unde patet nova ratio pertinaciæ icteri, licèt viæ apertæ sint, ob insignem morbosam hepatis degenerationem. Ex antè dictis patet etiam, à scirrho hepatis natum icterum debere esse pertinacissimum.

CUR SÆPE CITO, SÆPE TARDE ADMODUM OCCIDAT. Ubi atrabilaria materies, in aliis visceribus collecta, soluta, & acris facta, impetu subito in hepar ruit, cita mors sequitur; utì etiam ubi adeo valida inflammatio hepatis est, ut vel rumpantur vasa, vel fiat gangræna, brevì totam, visceris substantiam in putridum tabum resolvens, utì præcedenti paragrapho dictum fuit. Quando autem ulcus in hepate natum est, tunc nisi ad exteriora tumeat &

(*a*) Vestibul. Theatr. Tabidor. Exercitat. Dianoetic. XX. pag. 58.
(*b*) Medical Essays, Tom. II. n°. XXI. pag. 310.
(*c*) Académ. des Scienc. l'an. 1701. Mémoir. pag. 195.

pertundi possit, lentior mors, quámvis certa, sequitur (vide §. 937.). Longè autem diuturnior icterus est, ubi à scirrho, calculosis concretionibus atrabilario sanguine tenacissimo sensim in hepar aggesto, producitur. Curavi sexagenariam mulierem, quæ per duodecim annos laboraverat ictero, in initio per periodos redeunte, sed ultimo anno manebat continuus, & nigro ferme colore totum corpus tingebat, solis oculis profundissimâ flavedine perfusis, ita ut horrorem omnibus illam videntibus incuteret misera ægra. Pertinaci usu succi graminis, seri lactis & similium, verno tempore; æstivis mensibus, aquis spadanis; hyeme, magnâ copiâ saponis Veneti cum melle, tandem incepit solvi impacta hepati materies, & secutus fuit alvi fluxus per integros sex menses durans, & cum levamine omnium symptomatum: evacuabatur autem materia argillacea, olidissima, granulis asperis parvis, calculosis, undique resperfa. Dum autem vires bono victu sustinebantur, & in lauta re constitutæ nihil deesset, à tam pertinaci morbo evasit, & supervixit sana satìs per plures adhuc annos. Integro biennio hanc medelam adhibuit constantissimè, quod rarò in difficillimis chronicis morbis impetrare ab ægris possunt Medici; tantò autem magìs mirabar ægrotæ longanimitatem, quod primis octodecim mensibus vix proficerent omnia hæc Artis molimina, omnésque ejus consanguinei & amici suaderent, ut missis omnibus remediis pacatâ mente exspectaret mortem, quam certam & unicam malorum medelam prævidebant.

CUR PER VICES ACCEDAT, &c. Tales icteri in Praxi sæpius occurrunt, primò satìs leves, & longis intervallis redeuntes; dein ingravescente malo redeunt citiùs, & affligunt vehementiùs. In initio sæpe non detegitur à Medicis, vel minùs peritis, vel non satìs attentis, morbus hic, dum post levem cardialgiam, & anxietatem aliquam circa præcordia, sequenti die, levis flavedo in adnata oculi apparet, & urina parùm coloratior mingitur; tales ægri optimè postea se habere videntur, donec post aliquot menses, in quibusdam citiùs, in aliis seriùs, redeant improvisò eadem symptomata. Cùm autem flavo illo colore apparente in oculis omnes molestiæ, quæ paulò antè adfuerant, cessent, hinc multi Medici hunc icterum criticum crediderunt, & salutarem. Imò & *Sydenhamus* minùs rectè hujus morbi causam intellexisse videtur; sub nomine enim colicæ hypochondriacæ, aut hystericæ, illum morbum descripsit sequentibus: (a) *Regionem ventriculi, nonnunquam & paulò inferiorem, dolor haud mitior, quàm in passione colica iliacâve primùm obsidet, quem vomitiones sequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc verò flavæ. His accedit (quod sæpe observavi) major animi dejectio desperatióque, quàm in morbo alio quocumque. Post diem unum alterúmve facessit dolor, qui post paucas septimanas revertitur, nihilò leniùs sæviens quàm antequam solveretur paroxysmus. Icterum quandoque satìs spectabilem comitem sibi adsciscit, intra dies pauculos sponte evanescentem.* Hæc autem descriptio exactissimè quadrat morbo jam adultiori; primi enim insultus leniores ferè semper esse solent, & levem tantùm flavedinem in oculorum albo faciunt, de die tan-

(a) Sect. IV, Cap. VII. pag. 267.

tùm obſervabilem, nam ad lumen candelæ omnia leviter flaveſcentia apparent alba; verùm in urina ſemper adeſt flavedo ſatìs conſpicua, etiam in primis hujus morbi inſultibus. Cùm autem frequentes habuerim occaſiones hunc morbum videndi, non inutile erit illum hîc paulò accuratiùs deſcribere.

In juniore ætate rariùs occurrit, ſed adultos, & in ſenium jam vergentes frequentiùs corripit; & præcipuè quidem illos, qui diuturno mœrore afflicti, vel & memores iras diu noctúque ſub pectore verſant, omnium maximè ſedentariam vitam agentes (hinc literatis Viris frequens morbus) utì & lautiùs viventes, dum poſt paſtum, pleno admodum ventriculo, menſis aſſident prono corpore, ſícque omnia abdominalia viſcera comprimunt. Incipiunt conqueri de quadam tenſione moleſta circa præcordia, & ponderis quaſi gravantis ſenſu: quibuſdam aliquot à paſtu horis acris ſatìs cardiæ dolor fit, quem vidi quandoque per plures menſes præceſſiſſe icterum talem periodicum. Obſervatur tunc levis quandoque flavedo in cantho majori oculorum; urinæ parùm plùs coloratæ ſunt, & per alvum biliosa excrementa deponuntur. Poſtea ſubitò, nullâ ſæpe causâ procatarcticâ accedente, oritur inexplicabilis anxietas, dolor intolerabilis circa cardiam, imò etiam per totum abdomen, quem tunc colicum vel iliacum dolorem credunt; accedit febris, vomitus enormis, & dum per aliquot horas hæc ſymptomata duraverunt, remittunt, ſed totum corpus icterico colore perfunditur. In quibuſdam vidi primo tali inſultu totam faciem & pectus flaveſcere, non verò reliquas partes corporis; urina tingitur, ſaturatiſſimo colore flavo, & ſatìs commodè ſe habent: quoſdam & moleſtus dolor lumbos & latera obſidet, antequam icterici fiant, quod & videtur obſervaſſe *Hippocrates* dicens, (a) *Quibus lumborum dolor & lateris ſine cauſa manifeſta, hi regium morbum incurrunt.* Poſt viginti quatuor horas, quandoque citiùs, quandoque ſeriùs, tales ægri commodè ſe habent, & cùm pondus illud gravans præcordia non ampliùs ſentiant, integram ſanitatem brevì futuram confidunt. Urinæ ſenſim fiunt minùs coloratæ, flavus cutis color evaneſcit ſucceſſivè, & poſt paucos dies nihil omnino de morbo ſupereſſe videtur. In quibuſdam etiam vidi intolerabilem pruritum adfuiſſe toto tempore, dum corporis cutis bile perfusâ flaveſcebat. Verùm poſt aliquot ſeptimanas, quandoque etiam poſt aliquot menſes, tota hæc malorum ſeries eodem ordine redit; & ubi plures tales inſultus paſſi ſunt ægri, manet perpetuus icterus, ſubinde quidem ingraveſcens; ſed non tam validis ſymptomatibus inſultus ſtipatur: color ictericius tunc ſaturatiſſimus per univerſum corpus diffunditur, ipſa ſaliva amareſcit (quod rariùs tamen obſervatur), tandem, procedente tempore, nigreſcunt ferè toto corpore, pedes incipiunt tumere ſenſim magìs magíſque, denique & abdomen; & hydropici pereunt.

Quandoque & contingit, inſultum hujus morbi adeo validum eſſe & febrim comitem adeo intenſam, ut vera hepatis inflammatio ſequatur cum ſubita quandoque morte; aliquando & hepatis ſuppuratio adeo periculoſa, qualis

(a) Coac. Prænot. n°. cccxxv. Charter. Tom. VIII. pag. 870.

casus in (a) *Actis Edenburgensibus* habetur. Frequentiùs autem prior morbi decursus obtinet, tandem, nisi curetur, lentâ morte finiendus. Fæces alvinæ quandoque aliquot diebus ante hunc paroxysmum incipiunt esse albæ, griseæ, argillaceæ; quandoque in primis morbi insultibus incipiunt flava per alvum prodire, dum simul ictericus color in cute & urina apparet.

Omnia hæc symptomata manifestè docent, morbi hujus causam esse impedimentum, quod bilis cysticæ exitum in intestinum duodenum prohibet; unde bilis retenta, copiâ aucta quotidie vesicam felleam distendit magìs magísque, donec vel mole collectæ bilis, vel majori acrimoniâ stagnando natâ, aut obstaculi impedientis, in cervicem angustiorem vesiculæ felleæ pulsi, irritatione, oriantur dolores, spasmi abdominales, vomitus enormes, corporis inquietissimæ jactationes ob anxietatem vix tolerandam. Omnibus autem his, adeo validis concussionibus, & inprimis validissimâ pressione diaphragmatis & musculorum abdominalium simul agentium, expeditur illud obstaculum bilis egressum impediens, vel bilis in cystide contenta retroprimitur in sanguinem; sic causa nimis distendens vesicam felleam tollitur, vel saltem insigniter minuitur, sed icterus fit; & si causa, exitum bilis impediens, non fuerit simul remota, sensim iterum accumulatâ bile eadem redit tragœdia. Verùm ubi sæpius in sanguinem retropressa bilis fuit, sic dilatantur hæc vasa, ut hoc fieri possit longè minori vi; & tandem videtur fieri facillimè, túncque manet icterus perpetuus, subinde quidem saturati magìs coloris, post levem anxietatem perceptam vel lenem vomitum, sed nunquam tunc tanta cum vehementia redeunt hæc symptomata, cùm levior vis sufficiat ad retro urgendam bilem per hepar in venam cavam.

Sæpe miratus fui, tales ægros, licèt continuo ictero laborarent, tamen & appetitum satìs integrum habuisse, digestionem ciborum utcumque successisse, alvi evacuationem pariter. Fortè hepatica, bilis tunc copiosior & acrior pro tempore supplet cysticæ bilis defectum. Fortè etiam pars bilis cysticæ in hepar retrogressæ in porum hepaticum venire potest, sícque bilis hepaticæ actionem augere. Vias enim adesse ex poro hepatico in cystidem felleam docuit Anatome. Omnes tamen tales ægri emaciantur plùs minúsve, & tandem diuturnitate morbi, nimis dissoluto à bile admista sanguine, hydrops nascitur.

Patet ex omnibus his, quodvis obstaculum, bilis exitum ex vesica fellea impediens, posse hujus morbi causam esse, & variam esse difficultatem curæ, prout hæc causa faciliùs vel difficiliùs tolli potest. Quandoque vidi, bilem, instar tenacis glutinis cohærentem, vomitu redditam fuisse, nunquam postea redeunte ictero. Verùm Observationes numerosissimæ docuerunt, frequentissimam periodici icteri causam esse calculosas concretiones in vesica fellea natas, & ubique apud Auctores tales casus inveniuntur: bilis enim retenta satìs citò calculos producit: quod & observavi in bile, quam sponte in vase vitreo puro reliqueram, ut putresceret; in fundo enim vasis grumos calculosos inveni. Inter plurimos, quibus hoc morbo laborantibus Medicinam feci,

(a) Tom. II. n°. XXIX. pag. 345. & suiv.

nullum vidi ferè curatum fuisse, quin in fæcibus alvinis calculi majores minorésve reperti fuerint (quas ideo semper solicitè inspiciendas curavi). Plura cadavera hunc morbum passorum dissecui, & semper inveni tales calculos. Magnitudo autem & figura horum variant admodum, utì & durities & color. Omnium frequentissimi mihi occurerunt tales, qui externè colorem & unctuositatem ferè saponis Veneti habebant, diffracti verò nucleum ostendebant flavum. Septuaginta tales calculos adhuc servo diversæ magnitudinis, pyramidalis ferè figuræ omnes, quos per alvum excrevit vetula, quæ postea ab hoc morbo per plures annos immunis vixit. Centum & ultrà tales calculos ex vesica fellea eduxi alterius vetulæ, quæ post diuturnum icterum hydropica perierat. Dum hæc scribo, curam habeo illustrissimæ matronæ, quæ per biennium jam ictero laborat, & quotidie ferè calculos per alvum excernere incipit; nigros quandoque & durissimos, subinde albos nigris punctis variegatos, rariùs flavescentes, qui molliores sunt; simul & magna satìs copia sabuli quasi crassioris in fæcibus invenitur. Plùs quàm ducenti jam calculi prodierunt, quorum maximi tamen pisum mole non superant; unde adhuc majores latere suspicor, licèt icterus jam minui incipiat. Ante paucos menses in cadavere nobilissimi Viri, post icterum periodicum aliquoties perpessum hepatitide mortui, inveni in intestinis tenuibus calculum, colore hystricis Americani adeo famosum lapidem referentem, in exteriori superficie satìs mollem, sed nucleum longè duriorem & magìs fusci coloris habentem.

Patet jam facilè, tales calculos icterum non producere, nisi exitum bilis ex vesica fellea impediverint; adeóque potuerunt inveniri in cadaveribus, licèt icterum non animadverterint Medici, neque inde concludi potest, quòd causæ icterum producentis vice fungi non possint tales concretiones calculosæ. Simul & intelligitur, calculis his situm mutantibus, liberam denuo viam fieri posse bili in intestina, imò & quandoque unà cum ictero fæces alvinas flavescere; dum nempe validis illis inter vomendum conatibus, qui icteros hos comitari solent, aliquid bilis in duodenum exprimitur; calculis quidem impedientibus liberum exitum, non tamen adeo exactè obturantibus, quin magnâ tali vi adhibitâ aliquid adhuc exprimi possit. Certè omnia symptomata similia observamus, ubi calculus vesicæ liberam urinæ emissionem impedit. Sic apparet, malè *Helmontium* (*a*) in Medicos insurgere, quòd icteri causam ponerent in obturatione ductûs cystici; ut nempe suum fermentum stercoreum, de quo tam multa somniaverat, stabiliret.

Quandoque & contingit, quámvis rariùs, bilis cysticæ exitum impediri, & fæces albescere, absque ullo colore icterico in cute observato. Verùm tunc bilis retinetur quidem in cystide fellea, sed nimis tenax & viscida in hepatis vasa regurgitare nequit, sed sensim auctâ copiâ immaniter distendit cystidem felleam; qualis casus satìs mirus habetur (*b*) in puero duodecim an-

(*a*) Ortus Medicin. Tractat. *Scholarum Humoristarum passiva deceptio atque ignorantia*. Cap. v. pag. 820, & seq.

(*b*) Medical Essays n°. xxx. Tom. II. pag. 352.

norum, qui delapſus ex alto, dextrum hypochondrium validè contuderat & deinde poſt varia mala perpeſſa hydropicus factus perierat. In cadavere inventa fuit cyſtis fellea prodigioſæ molis, continens octo libras bilis ſpiſſioris, ex qua jam varii ſacci concentrici formati fuerant, tantò firmioris conſiſtentiæ, quantò magìs propinqui erant cyſtidis lateribus; illi verò qui versùs centrum cyſtidis hærebant, teneriores erant & minùs opaci: ductus communis cholidochus ſolitò amplior erat, plenus multis lapillis ſpongioſis & parvis, flaveſcentis coloris, qui aquæ immiſſi innatabant: interim tamen notatur, præter colorem album fæcum alvinarum nulla adfuiſſe icteri ſymptomata in hoc puero.

Ubi ergo tales icteri periodici mihi occurrebant in Praxi, ab optimo Præceptore monitus primò, & dein in hæc ſententia Medicorum Obſervationum lectione confirmatus, ſemper cogitavi de calculis in cyſtide fellea hærentibus, atque ad hunc ſcopum totam indicationem curatoriam direxi, ſatìs felici ſæpe ſucceſſu.

Sponte patet, duo tantùm hîc prodeſſe poſſe, vel ut ſolvantur calculi concreti, vel ut expediantur viæ, per quas tranſire poſſint in duodenum; tunc enim ſpes eſt, per alvum cum reliquis contentis inteſtinorum exire poſſe.

Multa tentavi, ut invenirem menſtruum, quod ſolveret hæc concreta calculoſa, & ſimul tutò & integris viribus pervenire poſſet ad illa loca; ſed nondum fui tam felix, ut tale quid detegere potuerim. Verum quidem eſt, quòd largo & continuo uſu ſucci graminis, taraxaci, cichorei, fumariæ & ſimilium, obſervaverim, minuta quaſi fragmenta calculorum cum fæcibus alvinis exiviſſe, imò quandoque excrementa alvina dura extrinſecus his grumis quaſi aſpera fuiſſe, & in tranſitu per anum excoriaſſe finem inteſtini recti; verùm non certus ideo eram, quòd forent calculorum comminutorum partes, cùm in cadaveribus tales minores aſperi calculi, imò & ſabulum in veſica fellea, ductu hepatico, & ipſa hepatis ſubſtantia, quandoque inventa fuerint. Memorabilem talem caſum vidit *Veſalius* in cadavere *Proſperi Martelli*, Patricii Florentini, qui multis annis morbo regio laboraverat, ac dein ſubitâ morte perierat. Invenit enim (*a*) *Bilis veſiculam duorum pugnorum magnitudinem facilè adæquantem, & exiguis lapillis quodammodo plenam, qui invicem connexis granis ſeminibúſve milii, aut potiùs aſperæ ſuperficiei vulgaris Officinarum tutiæ, erant ſimillimi.* Videtur ergo quandoque contingere, bilem retentam in grumos minores tantùm concreſcere, neque etiam longo temporis ſpatio in majores calculos formari; & falsò quis crederet, dum hæc quandoque alvo exeunt, quòd vi remediorum in partes minores comminuti fuiſſent majores calculi.

Præcipua ergo curationis ſpes eſt, ut calculi hîc hærentes, ſenſim dilatatis viis, exeant per anguſtum ſatìs collum cyſtidis felleæ, & inde per ductum cyſticum & communem in inteſtinum duodenum. Anatome docet quidem, arctam hanc viam eſſe: verùm Obſervationes certiſſimæ & ſatìs numeroſæ docuerunt, miro modo illam dilatari poſſe, ut magni etiam ſatìs cal-

(*a*) Epiſtol. de radic. Chinæ. Tom. II. pag. 674.

culi extium inveniant. Idem etiam contingere videmus in ureteribus, qui miro modo dilatantur in illis, qui sæpius calculos renales excreverunt; & vidi illos in cadavere hominis calculosi, adeo amplos, ut digitum indicem facilè intromittere potuerim. Sed & videmus automatico motu in his morbis moliri naturam horum calculorum expulsionem, enormis enim vomitus solet comitari colicas illas ictericas dictas, ut violentis illis concussibus abdominis propellatur calculus. Verùm & similis vomitus excitatur, dum calculus à rene per ureteres in vesicam depellitur, utì noverunt omnes Medici. Ubi autem semel dilatatæ hæ viæ calculum majoris utcumque molis transmiserunt, tunc postea minori cum molestia & plures expelluntur, utì ex Observationibus jam memoratis constat. Imò non facilè desperandum esse de expulsione magnorum calculorum Experimenta Practica persuadent. Vidi in propriæ uxoris matre, post plures periodicos tales icteri paroxysmos, subitò ortum fuisse dolorem satìs intensum, cum animi ferè deliquio, & quidem in illo loco (quem digito monstrabat) ubi duodenum locatur: post quadrantem horæ cessabat dolor, cúmque solicitè lustrabantur fæces alvinæ, post biduum in illis fuit inventus calculus (quem adhuc servo) pollicis articulum æquans, albicans exteriùs & durior, unctuosus tamen, in meditullio habebat nucleum flavum & molliorem. Cùm autem in illo calculo binas quasi foveas ejus superficiei impressas observarem, suspicabar & alios adfuisse ipsi adjacentes; & postea adhuc bini alii, magnitudine non multùm cedentes priori, prodierunt. Deinde autem satìs bene se habuit, ab ictero illo libera. Plures similes casus in Praxi vidi, & in *Historia Medica* adhuc longè majorum calculorum per anum excretorum Exempla habentur, ubi omnia symptomata docuerant illos non fuisse genitos in intestinis, vel diuturnâ in illis morâ insigniter mole auctos, sed ex vesica fellea expulsos, intra paucorum dierum spatium exivisse per anum, & manifestâ sedis dolentis mutatione transitum suum per intestinalem fistulam indicasse, dum vel asperitate, vel majori mole, nonnisi cum quadam difficultate propelli poterunt. Talibus autem recensendis immorari inutile duxi, cùm hactenus dicta sufficiant ad demonstrandum, quòd in icteris periodicis de calculo, ut causâ, semper cogitandum sit; nec facilè desperandum de possibili horum calculorum egressu ex cystide fellea in duodenum, licèt etiam satìs magnæ molis fuerint, cùm miris modis arctæ hæ adeo viæ dilatari possint, utì docuerunt ægri, sanati à pertinaci ictero post talium calculorum expulsionem, & Observata Ananomica in cadaveribus evicerunt pariter. Celeberrimus *Laurentius Heisterus* in vesica fellea cadaveris fœminini publicè dissecti invenit calculum nucis juglandis magnitudine, intensè flavum sed satìs fragilem. Verùm ductûs communis in duodenum hiantis orificium, quòd cæteroquin nonnisi accuratâ inspectione detegi potest, adeo amplum erat, ut digitus minimus facillìmè immitti potuerit; procul dubio à calculis talibus majoribus, qui antea exiverant, eò usque dilatatum.

Cura autem talibus ægris adhibenda est, vel illo tempore, dum magna illa anxietas, vomitus, dolor adsunt; vel dum hæc jam cessârunt, & icterus successit,

(a) Acta Physico-Medica Natur. Curios. Vol. I. pag. 404.

Illo tempore, dum molestissima illa symptomata urgent, nihil melius est, quàm dare magnam copiam decocti hordei cum melle; sic faciliùs vomunt repleto parùm ventriculo: & præterea vomitus ille diutius sustinetur, dum nauseanti adhuc stomacho post singulos vomitus molle tale remedium ingeritur. Salubre enim hoc naturæ molimen conducit quàm optimè, ut loco suo moveantur calculi, & bilis accumulata exprimatur, si nondum penitus impeditus sit exitus; vel saltem reprimatur in hepar cum levamine omnium malorum. Prodest & idem remedium formâ clysmatis injectum, ut eluantur crassæ fæces in colo hærentes, quæ, utì antè monitum jam fuit, vias has impedire possunt. Ubi verò intolerabilis anxietas, & nimis violentus vomitus, aut dolor acerrimus, urgent, opiata dantur cum successu optimo, ut compescantur illæ turbæ. Nec nocebit hoc calculorum expulsioni, imò observatum fuit, potiùs prodesse: summæ enim fiunt tunc inprimis molestiæ, quando calculus in angustiis ductûs cystici, vel & in ductu communi prope duodenum hæret, constrictis sæpe ab irritatione asperiori, vel mole majoris calculi, his partibus adeo, ut nullo modo transire possit. Opiata autem, utì omnibus Medicis notum est, dolorem sopiendo, simul spasmo contractas partes resolvunt, sícque faciliorem exitum parant; unde etiam ob eamdem rationem, ubi calculus à renibus delapsus in ureterum angustiis hæret tam felici cum successu opiatis utuntur Medici, dum simul decoctis emollientissimis, oleo àmygdalarum copioso, balneis, &c, lubricant vias. Ubi autem signa docent, inflammationem metuendam esse, vel plena satìs sanguine vasa à validis illis vomendi conatibus nimis distenti vel & rumpi posse tunc sanguinis missio conducit; quæ cæteroquin, ut facilè patet, ad tollendam morbi causam nihil efficere valet.

Postquam illa symptomata sedata sunt, sæpe intra paucos dies tales ægri se integre sanatos credunt, & omnem ulteriorem curationem respuunt. Sed seriò monendi sunt, latere adhuc mali radicem, unde postea repullulabunt denuo dira hæc symptomata, nisi tollatur. Indicatio tunc est, ut solvantur vel expellantur illæ concretiones calculosæ; quod eò feliciùs fiet, quò citiùs hoc malum cognoscitur, & cognito efficax medela adhibetur. In initio enim molliores sunt, & minores illi calculi; hinc fortè vel solvi poterunt, vel saltem faciliùs expelli. Videntur enim *Glissonii* Observata evincere (vide §. 916.), quòd (*a*) hyemali tempore in bobus natæ incrustationes calculosæ vasorum solvantur denuo, dum verno tempore recens gramen pascuntur armenta. Ante multos annos hominem curavi ab hoc morbo, qui, quotidiano labore sibi & suis victum parare coactus, expensis remediorum impar erat; simul tamen constantis animi & recuperandæ salutis avidissimus: hinc promittens curationem facilè persuasi illi, ut solo gramine viveret. Decoquebat magnam quantitatem graminis in aqua pura, & decocto melle edulcorato, utebatur pro potu communi: tenerum gramen verno tempore pullulans, vel & post primam sectionem renascens, incoquebat carnium jusculo, illóque solo ferè utebatur cibo. Primo tempore curæ liberè fatebatur talem victum sibi minùs placere, sed sensim assuetus absque ullo postea fastidio sumpsit, & per

(*a*) Anatom. Hepat. Cap. VII. pag. 105.

integrum

integrum ferè biennium, ſolis hyemalibus menſibus, ſaltem pro parte, exceptis. Narrabat mihi, ſe ſolo ſapore optima jam poſſe diſtinguere paſcua, & clam debere ſibi victum in pratis colligere, dum ruſtici experti, quàm magnam copiam graminis quotidie abſumeret, illum vi abigerent. Sanatus autem fuit à pertinaciſſimo ictero ſolâ hâc Methodo, licèt jam ſaliva ipſi amareſceret; & vidi illum pluribus annis poſtea incolumi ſanitate frui. Multis profuit, quotidie ſi potarent ſex vel octo libras ſeri lactis recentis per menſes: illud enim totam graminis efficaciam habet, dempto butyro & coloſtro caſeoſo; ſed non omnium ventriculus patitur tantam copiam potûs quotidie. Ideo meraciſſima decocta ex gramine, taraxaco, fumariâ, cichoreo & ſimilibus dedi, cum ſero lactis parata, & in libra talis decocti unciam mediam ſalis polychreſti diſſolvi; dein addidi uncias duas vel tres ſyrupi quinque radicum aperientium, fumariæ, vel ſimilis: horâ ante jentaculum, prandium, & cœnam, tertiam partem talis decocti ſumebant per trimeſtre ſpatium; dein æſtivis menſibus aquas ſpadanas, autumnali verò & hyemali tempore dedi magnam copiam ſaponis Veneti, ſuperbibendo decoctum quinque radicum aperientium. Sic vidi pertinaci uſu talium remediorum ſanatos fuiſſe tales icteros, & ſemper in fæcibus tunc inveni calculos, vel grumos ſaltem calculoſos magnâ ſatìs copiâ. Simul monebam, ut ſæpius de die volâ manûs dextrum hypochondrium circa illum locum, ubi fundus veſicæ felleæ infra hepatis lumbum eminet, concuteretur; equitationibus, vectionibus in rheda, deambulationibus corpus moverent, ut ſic moti & ad ſe mutuò attriti calculi, minuerentur, vel ſaltem illorum incrementum impediretur, ſícque ad faciliorem exitum diſponerentur.

Ubi autem calculi in veſica fellea hærentes admodum magni, ſunt vel viæ, per quas tranſire debent, non ſatìs dilatabiles, tunc parùm ſpei ſupereſt, cùm hactenus non ſint cognita remedia, quæ calculum talem certò ſolvere poſſent. Obſervata docuerunt, quandoque tumentem retentâ bile cyſtidem felleam accreviſſe peritonæo, & inflammatione, & ſuppuratione ſequente feciſſe ulcera fiſtuloſa, ex quibus dilatatis ingentes calculi educti fuerunt, qui ex veſica fellea, in fundo ſuo per ſuppurationem apertâ, viam ſibi fecerant. Unde non ſine ratione celeberrimus *Petitus*, (*a*) tamquam poſſibilem & utilem propoſuit ſectionem veſicæ felleæ, ut educerentur calculi; ſi nempe conſtaret, fundum cyſtidis felleæ peritonæo accreviſſe. Signa autem, quibus hoc cognoſci poteſt, ibi recenſentur, & plures Obſervationes ibi habentur, quæ hanc rem illuſtrant; dum nempe pro abſceſſu habebatur tumor veſicæ felleæ diſtentæ, & pertundebatur. Notandum autem, periiſſe illos, quibus bilis, non accretâ peritonæo veſicâ felleâ, in abdominis cavum per vulnus factum decidere poterat, adeóque hoc priùs ſolicitè indagandum eſſe, meritò inculcatur. Fortè primâ fronte audax apparebit facinus talia moliri; ſed certè audacior ille fuit, qui primus ex veſica urinaria ſectione calculum educere tentavit.

(*a*) Mémoir. de l'Académ. de Chirurg. Tom. I. pag. 155-188.

CUR IN ACUTIS TAM CALAMITOSUS ANTE SEPTIMUM DIEM? Acutos morbos ſimpliciter vocari, qui quidem velociter & cum periculo decurrunt, ſed tamen quatuordecim dierum ſpatium percurrere ſolent, imò ad vigeſimum uſque diem quandoque extenduntur, antea ad §. 564, dictum fuit. Velociſſimi autem morbi, qui ante ſeptimum diem finiebantur, ſimúlque periculum comes habebant, vocabantur peracuti. Verùm ex illis, quæ ad §. 587, & §. 741, de criſi & diebus criticis dicta fuerunt, conſtitit, coctionem materiæ morboſæ, & mutationem morbi in melius, in morbi augmento exſpectari non poſſe, ſed tantùm ubi ſtatum jam adeptus eſt morbus, vel jam incipit ſequentibus diebus minui. Ubi ergo in acutis ante ſeptimum diem icterus fit, ſemper ſuſpectus eſt, quia potiùs morbi augmentum deſignat, & hepatis hactenus liberi, infarctum à materia adhuc cruda. Per febrim enim acutam fuſa & mota omenti pinguedo, vel & atrabilaria materia, peſſimam hepatitidem (vide §. 916) producere poterit. Unde *Hippocrates* dixit, (*a*) *Quibus per febres, ante ſeptimum diem, aurigines oboriuntur, malum*. Verùm prudentiſſimè ſubjungit: *Niſi humores per alvum cedant*. Si enim pulſa in hepar materia difficulter quidem tranſeat, híncque obſtructionem faciat, tamen ſatìs citò, dilatatis vaſis bilioſis, in inteſtina venire poteſt, per alvum ruit, & liberatur hepar; túncque tranſitus eſt quaſi materiæ minùs meabilis, per febrim motæ quidem in venam-portarum, ſed non diu ibi hærentis, & abſque damno hepati inflicto per ductum hepaticum in duodenum inteſtinum expulſæ. Vidi plures tales caſus, & inter illos hominem curandum habui, qui mediâ nocte in aquam delapſus, ſummopere territus hinc, ſequenti die acutâ ſatìs pleuritide in latere ſiniſtro ægrotare incepit: quarto die morbi color ictericus in oculis aderat, & hypochondria admodum tumebant; verùm eodem die veſperì quinquies alvum depoſuit cum levamine, & perrexit alvi fluxus uſque ad diei noni finem. Materia alvo excreta primò erat flava, ſatìs fœtida, dein fuſca, ultimò cinerei coloris, olidiſſima: die decimâ quartâ largus ſudor criticus morbo finem impoſuit. Fortè & ex his intelligitur alter locus *Hippocratis*, ubi legitur, (*b*) *In bilioſa febre morbus regius, ante ſeptimum diem, cum rigore ſuccedens, febrem ſolvit: citra rigorem verò intempeſtivè obortus, lethale*. Icterus enim talis obſtrui quidem hepar deſignat, ſed rigor comitans ſuadet, non diu in venæ-portarum anguſtiis hæſuram illam materiam immeabilem, ſed jam ſolvi & mobilem fieri, utì pluribus probatum fuit in *Commentariis* §. 741, dum de rigore critico, qui febrim ardentem ſolvit, dicebatur.

Damnoſum autem fuiſſe icterum in morbis acutis ante ſeptimum diem, ſi nulla evacuatio tolleret materiam, quâ hepar gravabatur, conſtat ex pluribus Obſervationibus *Hippocraticis*, quarum mentio facta fuit ad §. 923. n°. 4. Et in loco ibidem citato, notatur, largam evacuationem (*c*) per alvum, urinam, aut hæmorrhagiam narium, & quandoque omnia hæc ſimul, profuiſſe: alium.

(*a*) Aphoriſm. Sect. IV. n°. LXII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 174.

(*b*) Lib de Morbor. Acutor. vict. Comment. IV. text. LXXI. Charter. Tom. XI. pag. 163.

(*c*) Epidem. Lib. I. Comment. II. text. LXV. Charter. Tom. IX. pag. 66.

verò ægrum, cui ſexto morbi die icterus natus fuerat, nec ullam ex his evacuationibus habuerat, periiſſe. Sed & alibi (*a*) de *Hermocrate* legitur, qui ſexto morbi die ictericus factus fuit, verùm urinæ erant tenues, & deliravit; & licèt morbus in longius ſpatium temporis protractus fuerit, tamen vegeſimo-ſeptimo die mortuus eſt. Alvo quidem vigeſimo-quarto die tenuia liquida & copioſa prodierunt, ſed nullo cum levamine, cùm ſerò nimis hoc factum fuerit. Tota enim ſpes felicis eventûs in hoc caſu eſt, ut citò exeant de corpore illa quæ in hepar per vim morbi pulſa fuerant.

CUR TAM INEXPUGNABILIS IN IISDEM POST SEPTIMUM DIEM. Materiam morbi, in acutis inflammatoriis morbis coctam & mobilem redditam, per metaſtaſin, relictâ priori ſede, alia loca occupare poſſe, & novos morbos producere, patuit ex illis quæ ad 593, dicta fuerunt. Et ad §. 839, & §. 841, conſtitit, materiam talem etiam ad hepar venire, & quandoque per illud tranſire ſolummodo cum quadam difficultate, aliquando & in hepate manere, & abſceſſum periculoſum producere, & difficillimè curabilem, utì ad 936, pluribus explicatum fuit. Licèt ergo poſt ſeptimum diem ſperare liceat, non ampliùs crudam materiam in hepar impelli, ſed coctam jam & ſubactam, adeóque minùs noxiam; tamen & multa mala metuenda ſunt, niſi citò inde iterum exeat. Unde prudenter hoc diſtinxit *Hippocrates* dicens, (*b*) *Quibus per febres die ſeptimo, aut nono, aut decimo-quarto, icterus obortus fuerit, bonum:* (in *Coacis* habetur (*c*) etiam judicatorium; & ſimul laudatur, ſi undecimo die hoc contigerit) *niſi dextrum hypochondrium durum ſit, alioqui minimè bonum.* Si enim indureſcat hypochondrium, ſignum eſt, materiam illuc delatam retineri, ibíque vel vomicam excitare, vel liquidiori parte diſſipatâ, ſcirrhum naſci; unde alibi generale hoc Practicum axioma poſuit, (*d*) *Ictericis jecur durum fieri, malum.*

Cùm autem criticas perturbationes ſæpe comitetur anxietas, abſque ſignis pulmonis infarcti, fortè frequentiùs, quàm creditur, tales metaſtaſes materiæ morboſæ coctæ & mobilis redditæ ad hepar fiunt, ita tamen ut ibi non hæreat diu, neque ſæpe eò uſque impediat liquidorum per venæ-portarum tranſitum, ut icterus inde fiat; de qua re videri poſſunt illa, quæ in *Commentariis* §. 633, habentur.

CUR DYSENTERIA LARGA, &c. Quia tunc per inteſtina exit illud, quod hepar gravaverat; cùm verò, utì in initio hujus paragraphi dictum fuit, in hepate contenti humores facilè putreſcant, hinc acrior ſemper talis materia in tranſitu per inteſtina dolorem facit & tormina, ſive difficultatem inteſtinorum. Verùm citò deſinere debet, ut ſalutaris ſit, evacuatâ nempe omni materiâ morboſâ, & non læſâ inde viſceris integritate. Secus enim corrupto hepate, diuturna & inſanabilis dyſenteria naſcitur. In illis febribus epide-

(*a*) Epidemior. Lib. III. Comment. I. Ægrot. II. text. v-xii. Charter. Tom. IX. pag. 210, & ſequ.

(*b*) Aphoriſm. Sect. IV. n°. lxiv. Ibid. Part. II. pag. 175.

(*c*) Coac. Prænot. n°. cxxii. Charter. Tom. VIII. pag. 858.

(*d*) Aphoriſm. Sect. VI. n°. xlii. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 275.

micis ab *Hippocrate* (*a*) descriptis, in quibus ægris quibusdam sexto die morbus regius accidebat, notat, plerisque morbum in dysenteriam desiisse, sícque multos sospites evasisse. Laudavit (*b*) & dysenteriam non longam in lienosis. Verùm omnis humor lienis in venam-portarum derivatur, & inde per hepar in intestina venire poterit. Unde iterum patet, solemnem satìs hanc Naturæ viam esse, ut materia morbosa ex aliis locis corporis in hepar deferatur, atque inde fluxu dysenterico eliminetur de corpore.

CUR MISSIO SANGUINIS, &c. Missio sanguinis ad curandam inflammationem triplicem ob causam adhiberi solet, ut nempe læsio ulterior vasorum inflammatorum impediatùr, copiâ sanguinis & ejus impetu in vasa obstructa imminutis (§. 396.); vel ut vasis distentis ab immeabili materie restituantur oscillationes elasticæ per imminutionem distendentis liquidi (§. 398.); vel denique ut moleculæ obstruentes, minuto impetu liquidi à tergo urgentis, retroprimi possint in loca latiora, sícque obstructio solvi (§. 400.). Facilè autem patet, omnes hos effectus missionis sanguinis minorem efficaciam habere in sananda hepatis inflammatione, cùm sanguis venæ-portarum jam venosus sit, antequam in convergentium ramorum angustias denuo pellatur, adeóque cordis & arteriarum efficacia in hunc sanguinem admodum debilis sit: ubi verò inflammatio hæret circa fines arteriæ hepaticæ, tunc major effectus, similis nempe ut in reliquo corpore, à sanguinis evacuatione exspectari poterit. Non tamen ideo repudiatur venæ-sectio, tamquam inutilis omnino in hoc morbo; nimium enim impetum febrilem compescere poterit (§. 610.), calorem minuere, & depletis vasis, diluentibus & attenuantibus remediis, faciliorem ingressum & miscelam facere.

CUR IN OMNI MORBO ACUTO ADEO ATTENDENDUM, &c. Sparsim in *Hippocratis* Operibus videmus, quòd in morbis quàm maximè attenderit ad variam hypochondriorum conditionem, & longè frequentiùs illorum mentionem fecerit, quàm pulsûs. Videantur illa quæ ad §. 701, & 735, de hypochondriorum statu, ut signo in morbis, habentur, ubi pluribus de hac re actum fuit. De hypochondriorum retrosursum elevatione ad §. 909, tamquam signo paraphrenitidis, pariter dictum fuit.

CUR COLOR OCULORUM, URINÆQUE, &c. Constans Observatio est, prima icteri signa in oculis & urina apparere. Bilis autem, cùm saponacea sit, facillimè in aquosa parte sanguinis solvitur, & cum illa, per talia vasa moventur, quæ tenuitate suâ & sanguinem rubrum & ejus serum excludunt. Verùm tunica adnata oculi tota talibus inprimis vasis constat, & nudis ferè, vel saltem tenuissimâ tantùm membranâ tectis; hinc color flavus à bile sanguini permista statim ibi animadvertitur. Renum verò vasa, urinam secernentia, pariter excludunt sanguinem rubrum & serum, solam aquosam partem sanguinis cum salibus & oleis sanguinis acrioribus redditis, ipsi permistis, ad-

(*a*) Epidem. Lib. I. Commment. II. text. LXV, & sequ. Charter. Tom. IX. pag. 66, & sequ.

(*b*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXVI. Charter. Tom. VIII. pag. 879. Confer. Aphorism. Sect. VI. n°. XLVIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 281.

mittunt, unde ob eamdem rationem, bile ſanguini admiſtâ, ſtatim tingitur urina. In reliquis verò partibus corporis cutis craſſior impedit, quominus tam citò flavedo appareat, vel copioſa vaſa ſanguine rubro plena, colorem flavum minorum vaſorum obfuſcant, ut in labiis v. gr; ubi pariter craſſa cutis abeſt. In diuturno verò ictero ſolvitur ſanguis à bile admiſta, pars rubra ſanguinis ſenſim minuitur, copia bilis in ſanguinem retropulſæ augetur quotidie, unde tunc totus corporis habitus flaveſcit, ſimúlque fæces alvinæ, nullâ bile tinctæ ampliùs, apparent albæ, vel griſei coloris; & ſimulac illæ denuo flaveſcere incipiunt, urinæ & cutis flavedo minuitur. Interim tamen videtur bilis non facilè tranſire per illa vaſa, quæ chylum vehunt, vel lac à ſanguine ſeparant: nam chylus in vaſis lacteis, cyſternâ lumbari, ductu thoracico, ſemper albus invenitur, & dulcis, licèt naturaliter in ſanis bilis contentis inteſtinorum permiſceatur. Vidi ictericam mulierem, cui facies & totum pectus ſaturatâ flavedine tingebantur, reliquæ corporis partes non; infans, quem lactabat, non repudiavit ubera materna, & lac inveni albi coloris abſque ulla amaritie. Difficiliùs etiam tranſit per intricatam fabricam glandularum ſalivalium, nam in ictero incipiente nunquam memini ægros de amaro ſalivæ ſapore conqueri; in icteris autem inveteratis quandoque hoc contigiſſe obſervavi, ſed non ſemper. Tandem in pertinaciſſimis icteris adeo corrumpitur bilioſâ cacochymiâ ſanguis, ut vix aliquid de florido & rubicundo cruore ſuperſit, & omnes partes internæ & externæ bile tingantur, nequidem ipſis oſſibus & cartilaginibus exceptis: quinimo & tenuiſſima fluida, quæ per oculorum vaſa fluunt, ita tinguntur, ut omnia objecta flavo colore appareant perfuſa, quod bis ſe obſervaſſe (a) teſtatur celeberrimus *Fridericus Hoffmannus*.

CUR VITIA INFLAMMATORIA, SUPPURATORIA, &c. Primò, quia hepar pluribus partium memoratarum incumbit cavâ ſuâ parte, adeóque vel ſolâ viciniâ hæ partes malè affectæ nocere hepati poſſunt. Secundò, quia ſanguis venoſus à viſceribus abdominalibus redux in truncum venæ-portarum confluit, atque inde per totum hepar diſtribuitur, ſícque facilè vitia in his viſceribus nata hepati communicantur, vel ſaltem turbatur in hepate bilis ſecretio, ad quam omnium horum viſcerum ſanguis venoſus requiritur, ut demonſtratur in Phyſiologicis (b).

CUR TAM ENORMITER, &c. Ob eamdem rationem: nam impeditur, hepate obſtructo, liber tranſitus ſanguinis per venæ-portarum anguſtias, adeóque & venæ viſcerum abdominalium chylopoieſi inſervientium evacuari nequeunt, dum arteriæ pergunt adferre; unde omnia hæc vaſa plena manent & diſtrahuntur. Sic intelligitur ratio illius anxietatis circa præcordia, dum malè affectum eſt hepar; utì etiam quare dolores validi diverſa ſæpe abdominis loca occupant, utì & lumbos, quibus meſenterium affigitur, dum mali cauſa in hepate hæret. Hinc toties nephritidi, inteſtinorum inflamma-

(a) Medic. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Cap. XII. Theſ. Patholog. §. IV. pag. 353.

(b) Boerhaav. Inſtitut Med. §. 350. n°. 4.

tioni, aut ſpaſmodicæ contractioni adſcribuntur illi dolores, dum paulò pòſt ſequens icterus veram cauſam demonſtrat; quod & ſibi contigiſſe *Mortonus* (*a*) candidè fatetur.

CUR JECUR TAM IMMENSUM AUGERI, &c. Quantam molem hepar acquirere poſſit, dum ſuppuratione factâ abſceſſus ingentes ibi puris copiam colligunt, antea ad §. 936, patuit. Verùm & obſtructione hîc natâ, dum pergunt huc adferri humores, vaſa hepatis mollia & pulpoſa diſtenduntur facilè, ſícque moles hujus viſceris augetur ſæpe immaniter; qualis caſus hepatis ſcirrhoſi ad §. 946, habetur. Sed hæc dilatatio vaſorum, quæ hujus viſceris ſubſtantiam conſtituunt, tunc locum habebit, ſi humores ad hepar venientes nullam aliam viam inveniant, per quam exire poſſint. Videtur autem quandoque contingere obſtructis biliofis in hepate meatibus, ita dilatari ultimos fines venæ-portarum, qui cum venæ cavæ ramulis per hepar diſperſis communicant, ut facillimus tranſitus ſanguinis ex vena-portarum in cavam fiat; tunc minùs urgebuntur vaſa obſtructa, nec dilatabuntur; imò collabentur tandem, & concreſcent cum liquido contento quieſcente, ſícque hepar minuetur mole, exſuccum & aridum quaſi reddetur. Præterea detectæ fuerunt quædam venæ in meſenterio, quæ non exeunt in venam magnam meſentericam, ſed (*b*) *deferunt ſanguinem ſuum venoſum in ipſam venam cavam*: hinc non improbabile videtur, impedimento nato circa venæ-portarum anguſtias in hepate, ſanguinem, per binas arterias meſentericas allatum, & per hanc viam redire poſſe ad cor, inſalutato hepate. Fortè etiam & retrogrado motu venoſus ſanguis in arterias redire poteſt, cùm hîc nullæ ſint valvulæ, utì aliâ occaſione ad §. 918, jam monitum fuit. Dum hoc fit, omni functione hepatis ſublatâ, languidam vitam trahunt tales ægri, illúdque viſcus incredibiliter mole minuitur.

Vidit in cadavere viri, aſcitem cum tympanitide paſſi, & cui ſanguis ſurſum & deorſum copioſè exiverat, lienem tumidum *Tulpius* (*c*), hepar verò aridum & retorridum. In mulieris ictericæ ſimul & hydropicæ cadavere invenit (*d*) *jecur aridum, atrum, exſuccum, & inſtar corrugati corii ita in ſe contractum, ut vix æquaret geminum pugnum.* Exſucca & arida talia jecinora aliquoties in cadaveribus ictericorum & mihi videre contigit.

CUR HYDROPS A MALO HEPATIS ET TYMPANITIS EO CRUDELIOR. Poſtea, ubi de hydrope agetur, demonſtrabitur, defectum partis craſſioris rubræ in ſanguine diſponere ad hydropem: verùm in ictero pertinaci, bile continuò regurgitante in ſanguinem, ille ſic diſſolvitur, ut nulla penitus rubedo ſuperſit. Præterea in Phyſiologicis (*e*) inter alios uſus omenti & ille recenſetur quòd venoſis oſculis bibulis reſorbeat tenuiſſimum illum halitum, qui in abdomine vivi & ſani animalis ſemper adeſt: cùm autem venoſus ſanguis omenti omnis in hepar eat, ſi in hoc viſcere inpedimentum fuerit, non poterunt venæ

(*a*) Phiſiolog. Lib. III. Cap. XIII. Hiſtor. II. pag. 137. 138.
(*b*) Boerhaav. Inſtitut Medic. §. 336.
(*c*) Obſerv. Medic. Lib. II. Cap. XXXV. pag. 153.
(*d*) Ibid. Cap. XXXVI. pag. 154.
(*e*) Boerhaav. Intiſtut. Medic. §. 331.

omenti evacuari, adeóque & impedietur illa resorptio à nimia venarum plenitudine, colligetur in abdomine latex ille tenuissimus, sícque ascites nasci poterit. Noverunt autem omnes Practici, quàm rarò curetur hydrops, cujus causa malè affectis visceribus, inprimis ab hepate pendet. Licèt enim per punctionem abdominis, aut aliâ quacumque Methodo, evacuentur aquæ, superstes tamen manet insuperabilis sæpe causa, hydropem regenerans, & sæpe satìs citò.

Putredinem autem in morbis hepatis quàm maximè metuendam esse, patuit ex illis, quæ ad §. 918, & 933, dicta sunt; & antea ad §. 647, ubi de causa materiali ructuum & flatuum agebatur, constitit, per ipsam putredinem extricari aerem latentem in fluidis nostris, & elasticum fieri denuo; adeóque patet ratio, quare & tympanites sequatur, utì jam ad §. 939, monitum fuit, & postea in capitulo *de Hydrope* pluribus dicetur.

CUR AB HYDROPE EXTENUATIO, &c. Paulò antè de hac re dictum fuit, dum dicebatur de causis, unde hepar adeo exsiccari possit.

QUÆ DYSENTERIA HEPATICA? Si collecta in hepate materies per porum hepaticum in intestina viam invenerit, quæ acrimoniâ suâ irritando tormina & dolores sæpe validos, cum continuo tenesmo deponendi alvum, producit. Dum sic evacuari potest materia morbosa, manente visceris hujus integritate, salubris erit talis dysenteria; utì paulò antè Observationibus *Hippocraticis* confirmatum fuit. Ubi verò pus ex hepatis abscessu, acrius jam redditum, in intestina depluit, longè periculosior dysenteria est. Si verò corrupti hepatis liquamen putridissimum, vel scirrhi in cancrum degenerantis acris ichor, in intestina venerint, lethalis sequitur dysenteria, nullâ Arte curabilis. Non sine ratione *Hippocrates* malas dixit esse dysenterias, quæ cum hepatis (*a*) inflammatione invadebant. Salubres verò illæ dysenteriæ, quas observaverat in Epidemicis, in ægris quibus sexto morbi die icteri fiebant, contingebant circa morbi finem; quod magnum discrimen facit.

(*a*) Prædiction. Lib. II. Cap. XIII. Charter. Tom. VIII. pag. 821.



VENTRICULI INFLAMMATIO.

§. 951. UT reliquæ partes, ita quoque ſtomachus verâ inflammatione corripi poteſt. Cujus ſigna, & effectus hæc ferè habentur: dolor ardens, fixus, pungens in ipſo ſtomachi loco; ejus exacerbatio in ipſo puncto, quo aliquid ei ingeritur; vomitus dolentiſſimus ſtatim ab omni ingeſto, cum ſingultu dolorifico; anxietas ſumma & perpetua circa præcordia; febris acuta continua. Ejus cauſæ, generales inflammationes; vel vicinia aliorum; vel acria ingeſta.

Cùm antea (§. 373.) demonſtratum fuerit, omnem partem corporis, in qua reticulares arteriarum diſtributiones, vel lymphaticorum arterioſorum ortus, inflammationis ſedem eſſe; patet ſatìs & in ventriculo talem morbum obtinere poſſe. Arte enim *Ruyſchianâ* demonſtratur, numeroſiſſimas arterias per ventriculi ſubſtantiam diſtribui, & innumeris anaſtomoſibus inter ſe mutuò uniri, ut à variata preſſione quibuſdam locis impeditis, libera tamen maneret humorum circumductio per reliqua; & ideo etiam à quatuor diverſis ramis ſuas arterias ventriculus accipit (*a*). Non adeo frequens tamen mentio hujus morbi apud Medicos occurrit, & apud *Hippocratem* tantùm generalia de præcordiorum inflammationibus habentur.

Si autem illa, quæ §. 382, de ſignis inflammationis dicta fuerunt, applicentur ventriculo, poterit haberi diagnoſis hujus morbi: præcipua autem ſigna ſunt ſequentia.

DOLOR ARDENS, FIXUS, &c. Superiorem & anteriorem abdominis partem ventriculum occupare, pro parte hepate tegi, lienem ipſi à ſiniſtris adjacere, pancreas verò ſupponi, & diaphragmatis partem ventriculo contiguam eſſe, ejúſque orificium ſuperius per diaphragma tranſire, ex Anatomicis notum eſt; unde in vicinis partibus nata inflammatio diagnoſin dubiam fortè facere poſſet. Accedit, quòd ventriculi ſitus mutetur in eodem homine, prout aut vacuus, aut flatibus vel ingeſtis diſtentus eſt. Præterea quandoque & miræ varietates in ſitu viſcerum obſervantur, & præſertim in ventriculo, utì aliâ occaſione ad §. 169, ubi de vulnerum prognoſi agebatur, memoravi.

EJUS EXACERBATIO, &c. Illud ſignum ferè pathognomonicon eſt, dum ab ingeſtis etiam parcâ copiâ, & talibus, quæ cæteroquin facilè fert ventriculus, exacerbatur dolor. Si enim in vicinis ventriculo partibus inflammatio

(*a*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 77.

tio

tio hæserit, illa irritatur quidem à ventriculo distento, sed non illico sentitur doloris exacerbatio, si parùm simul in ventriculum ingeratur. Solet tunc illico sequi vomitus, sed summo cum dolore, dum pars hæc inflammata convellitur, ac diaphragmate & musculis abdominalibus simul agentibus, validissimè comprimitur. Quare autem & singultus sequatur ventriculi inflammationem, patet ex illis, quæ antea ad §. 659, de singultu dicta fuerunt.

ANXIETAS SUMMA, &c. Numerosissimos nervos per ventriculum distribui docet Anatome; imò par octavum vicinum & contiguum esse superiori ventriculi orificio, omnibus notum est; quod par nervorum per omnia viscera abdominalia se distribuit. Dum ergo tumentes partes inflammatæ ventriculi distrahunt & irritant nervos vicinos, molestissimi spasmi in omnibus visceribus abdominalibus excitantur, unde anxietatem nasci antea (§. 633.) demonstratum fuit. Hinc observantur à venenis assumptis tantæ anxietates, dum adhuc in ventriculo hærent; imò dum bilis corrupta ventriculum irritat, vel adeo facilè putrefacienda piscium hepata majori copiâ fuerunt assumpta, intolerabilis anxietas nascitur, donec vomitu hæc excussa de ventriculo fuerint.

FEBRIS ACUTA CONTINUA, quæ omnes inflammationes alicujus momenti, inprimis in visceribus, comitari solet. Ratio autem hujus rei in Historia Inflammationis, §. 382. n°. 8, data fuit.

De causis verò generalibus inflammationis jam sæpius dictum fuit, quæ omnes & hîc locum habere possunt. Omnium fortè frequentissima causa hujus mali est potus gelidus, calefacto priùs à laboribus corpore; de cujus noxa jam sæpius in præcedentibus morbis inflammatoriis dictum fuit. Verùm directè in ventriculum delabitur talis potus, adeóque ibi inprimis mala producet; & quandoque subito spasmo sic stringitur utrumque orificium ventriculi, ut sursum vel deorsum ne guttula quidem exire possit; præcipuè si maximam copiam potûs gelidissimi, à laboribus æstuans homo & sitibundus, simul & semel ingurgitaverit; à qua causa mortem post intolerabiles anxietates intra paucas horas factam vidi. Celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* (a) plures similes casus recenset inflammationis ventriculi ab hac causâ natæ, & meritò statuit, hunc morbum sæpius contingere, ac quidem vulgò creditur.

Vicinas autem partes inflammatas simile malum in ventriculo producere posse, satìs patet, & in partibus externis corporis sæpe videmus inflammationem per vicina loca se dispergere latiùs. Hinc non mirum in hepatitide, paraphrenitide, &c, defunctorum cadaveribus, ventriculum inflammatum; imò jam gangrænosum, inventum fuisse, qualia Exempla plura sparsim apud *Bonetum* habentur.

ACRIA INGESTA. Ventriculum humanum sine magno damno acriora multa ferre, quotidianis Experimentis constat, qualia plurima recenset *Swalvius* in eleganti tractatu de *Querelis ventriculi*. Multa enim, quæ inter deglutiendum, si tangerent fauces, acrimoniâ suâ illas læderent, impunè sæpe ventriculo recipiuntur. Acerrimis aromatibus, pipere, zingibere, &c, languentem à

(a) Opusc. Pathologico-Pract. decad. 2. Dissert. VII. n°. 29. pag. 466.

quotidiana crapula ventriculum excitare solent helluones: Medici acerrimos bulbos contritos, cum aliis remediis mistos, formâ pilulari toties exhiberi jussit Hippocrates (a); atque illas ficus exhibebat ante cibum hydropicis. Interim observatum fuit acria admodum, nullis demulcentibus obvoluta, ventriculum rodere, dolores acerrimos, spasmos horrendos, & inflammationem pessimam producere. Imò dum subitâ morte peremptorum cadavera lustrant Medici, ut ad Judices de causa mortis referant, si inflammatum ventriculum aut erosum invenerint, acre venenum ingestum fuisse suspicantur. Plures casus habet, qui hanc rem confirmant, *Wepferus* (b). Sed & alia sunt, in quibus tanta acrimonia sensibus non detegitur, & quæ tamen latente stimulo, sed vix domabili, post spasmos summos inflammationem in ventriculo faciunt. Talem casum habet *Fridericus Hoffmannus* (c), ubi à granis octo vitri antimonii, in substantia exhibiti, vomitus enormis cum dolore acerbissimo excitabatur, dein convulsio & mors. In cadavere ventriculi pars inferior inflammata erat, & vitri antimonii pulvis tunicæ ventriculi interiori adhuc adhærebat.

Præterea observatum fuit, acrem materiam, vel in corpore genitam, vel aliis viis quàm per deglutitionem corpus ingressam, in ventriculum deponi, & pessimas inflammationes & gangrænam sæpe facere. *Helmontius* cadaver secuit hominis peste mortui post septem à morbi invasione horas: vomitus continuus cum cephalalgia adfuerant: invenit os stomachi (d) *escharâ nigrâ jam cauterizatum*. In alio, qui sedecim horarum spatio obierat à peste, invenit (e) *stomachum illius triplici escharâ jam perfectâ pertusum*. Sed & celeberrimi *Sydenhami* Observata, aliâ occasione (§. 634.) jam memorata, videntur suadere, pestis contagium sæpe radices quasi figere in ventriculo, nisi per sudores diffletur de corpore, antequam hîc inflammationem validam produxerit; in febre enim pestilentiali aderat anxietas cum vomitu perpetuo, quæ cessabant (f) simulac sudor prodiret copiosus; & omnino tollebantur, si tali sudore diu protracto expelleretur susceptum virus. Quandoque & variolas pessimas, & morbillos (sed in his rariùs) talia symptomata comitantur, quæ metum faciunt ventriculi inflammati: hinc ideo suspectum signum habetur in variolis, si post eruptionem anxietas, vomitus, ardor circa præcordia adsint; metus enim est, ne & pustulæ variolosæ ipsum ventriculum obsideant, & periculosam ibi inflammationem faciant. Idem & à prodagræ materia, non ampliùs in artus deposita, vel imprudenti medelâ retropulsa, observavit contigisse *Fridericus Hoffmannus* (g).

(a) Lib. de Morborum Acutor. Vict. Comment. IV. Text. cv. Charter. Tom. XI. pag. 183.
(b) Cicut. Aquatic. Histor. & nox. Cap. xxi. pag. 274, & sequ.
(c) Opuscul. Pathologico-Practic. Decad. II. Dissertat. VII. §. xviii. pag. 456.
(d) Ortus Medicin. Tractat. *Tumulus pestis*. pag. 842. 843.
(e) Ibid. pag. 867.
(f) Sect. II. Cap. ii. pag. 153.
(g) Opuscul. Pathologico-Practic. Decad. II. Dissertat. VII. §. xxiii. pag. 460.

§. 952. BREVI plerumque lethalis fit, nisi subitò curetur, ob læsam necessariam functionem, & infinitos nervos connexos.

Quanta sit necessitas in cura inflammationis diluentium remediorum, in præcedentibus satìs patuit: verùm inflammatus validè ventriculus à lenissimo etiam potu irritatur, adeóque hâc viâ diluens liquidum subministrari nequit. Præterea nervosissima ventriculi substantia à tumore inflammatorio irritata & dolens, totum corpus turbare potest miris modis, & inprimis cerebri functiones lædere; quod optimè *Galenus* notavit, dicens, (*a*) *Nam cerebrum ventriculo, & ventriculus cerebro, suas affectiones transmittit, propter nervorum à cerebro ad os ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic parti, quàm ulli reliquarum corporis partium, acutior est.* Videantur illa quæ circa hanc rem dicta fuerunt ad §. 701, ubi de delirio in febribus nato à sordibus circa præcordia hærentibus agebatur. Sed & ipsas vires vitales à simili causa prosterni antea ad §. 661, demonstratum fuit: & *Celsus* notavit, percusso stomacho, non tantùm sequi singultum & bilis vomitum; & assumpta statim reddi, sed & (*b*) *venarum motus elanguescunt, sudores tenues oriuntur per quos extremæ partes frigescunt;* quæ omnia mortis imminentis signa sunt. Ex quibus facilè patet, summum periculum in hoc morbo adesse.

§. 953. IN sanitatem; morbos suppuratorios, scirrhosos cancrosos, gangrænosos; vel in subitam mortem convulsionibus acceleratam, transire, ut reliqui inflammati, solet.

De vario exitu morborum inflammatoriorum, qui viscera occupant, jam sæpius dictum fuit, & omnia illa etiam in hoc morbo obtinent.

Verùm hoc peculiare habet ventriculi inflammatio, quòd, convulsionibus sævissimis ortis, sæpe subitam mortem faciat. Dum venena acria ventriculum rodunt & inflammant, vel & alia, non habentia tantam acrimoniam, sed singulari modo noxia, nervos hìc dispositos irritant, ex *Wepferi* (*c*) Observatis plurimis constat, horrendas convulsiones fieri. Quotidiana Observata Practica docent, infantes, acri acido colostro ventriculum plenum habentes, convulsos mori quàm subitissimè. Sed & insignis casus (*d*) docet, quàm horrenda mala ventriculi inflammationem comitentur. In juvene enim bonæ temperiei primis jam morbi incepti horis pulsus oppressus erat, & sæpe intermittens, paulò pòst, licèt jam ter vena secta fuisset, extrema frigebant ut in cadavere, vertigo summa sequebatur & cæcitas, delirium ferox, ardoris interni intolerabilis sensus, convulsiones musculorum faciei, sitis immanis, & simul horror summus, dum liquida allata videbat, ita ut hydropho-

(*a*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. IX. Charter. Tom. VII. pag. 438. 439.

(*b*) De Medicin. Lib. V. Cap. XXVI. n°. XV. pag. 287.

(*c*) Cicut. Aquat. Histor. & nox. passim.

(*d*) Medical. Essays, Tom. I. n°. 29. pag. 284.

bus ferè esset. Leniebantur post sanguinis missionem symptomata, sed paulò pòst recrudescentia idem remedium suadebant; ita ut undecies misso sanguine tandem à tantis malis adhuc evaserit incolumis.

§. 954. SIMULAC præsens per sua signa scitur (951), statim validâ sanguinis missione, si opus repetitâ; potu lenissimo nutriente, emolliente, antiphlogistico, causæ contrario; clysmatibus, fomentísque similibus, diligentissimè utendum. Cavendum summopere ab omni acri, maximè autem à vomitu.

Largam sanguinis missionem summum remedium esse in inflammationis initio, jam sæpius demonstratum fuit, tam in cura generali inflammationis, quàm in morbis inflammatoriis antè pertractatis: & modò recensitus casus docuit, quantùm venæ-sectio audacter repetita valuerit in hoc morbo, jam tot horrendis symptomatibus stipato. Præterea laudati fuerunt diluentes potus, addito nitro, melle, rob sambuci, &c. Verùm hîc major difficultas est, nam à minimo acri irritatur inflammatus ventriculus, & augentur omnia mala: ideo hæc remedia, licèt meritò laudentur optima in curatione inflammationis, vix audemus dare, vel tantùm adeo diluta, ut oculus non læderetur ab his instillatis. In *Materia Medica* ad hunc numerum habetur talis potus leniens, qui tamen ob trifolium acetosum admistum, & rob ribesiorum, vix ferri posset, si dolentissima foret ventriculi inflammatio; vitelli ovi admisti tamen utcumque obvolvent reliquorum acrimoniam. Verùm lactis serum recens, decoctum hordei, avenæ, panis, & similia, addito ovi vitello sufficient pro nutrione levi, quæ hîc tantùm requiritur. Jusculum dilutum, ex pulli carne paratum, blandissimum pariter est, & si in singulis libris horum decem vel duodecim grana nitri diluantur, ferri poterit facillimè. Præterea & hoc notandum est, talia debere dari parvâ copiâ simul, ne distendatur ab ingestis ventriculus, nam & inde omnium malorum augmentum fieret. Si autem causa cognita fuerit, quæ acrimoniâ suâ rodendo inflammationem fecisset, dantur simul opposita huic acrimoniæ remedia: sic v. gr; in infantibus, ab acido acri in ventriculo hærente convulsis, dantur absorbentia terrestria, quæ & blanda sunt, & simul acidum absorbendo enervant.

Cùm autem non possint intra breve tempus diluentia & attenuantia ingeri magnâ copiâ, conamur per alias vias hæc in corpus introducere. Huc faciunt balnea, fomenta, epithemata, & inprimis clysmata, sæpius applicata & diu retenta, ut venis bibulis intestinorum resorberi possint.

Simul facilè patet, quanta malorum exacerbatio debeat fieri, dum stomachicis vulgò dictis remediis (quæ solent ferè laudari spirituosa, amara, aromatica acria, & in frigidis ventriculi morbis pulchrum usum habent) imperiti hunc morbum aggrediuntur. Longè adhuc pejùs cum miseris ægris agitur, si Medici fallaci illâ & periculosâ regulâ utantur, *vomitus*

vomitu curatur (vide §. 659.). Dúmque vident ægros tales à minimo liquido ingesto frequenter vomere, statuunt malignam in ventriculo hærentem saburram morbi causam esse, & vomitorio dato illam expellere conantur. Candidè fatetur (*a*) *Sydenhamus* (vide locum citatum ad §. 634.) se hîc errasse, & dum viderat in febribus epidemicis autumnalibus, in quibus anxietas circa præcordia aderat, & nausea perpetua & vomendi conatus, tam pulchre successisse emeticum, post venæ-sectionem præmissam, in initio morbi datum; dedit in febre ardenti pestilentiali, ubi vomitus ab incipiente inflammatione ventriculi oriebatur; sed pessimo cum successu. Celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* notabilem casum habet, qui docet funestum eventum vomitorii in hoc morbo dati. Canonicus Halberstadiensis, perfectè sanus, irâ vehementer excanduit, dein vinum calidum superbibit: sequenti die dolores summi circa præcordia, angustia, conatus vomendi, ardor stomachi aderant: vocatus Medicus dedit vomitorium ex sulphure aurato antimonii, unde ter vomuit æger, sed cum symptomatum omnium augmento, & (*b*) *intra decem horarum spatium, convulsionibus accedentibus, est exstinctus. Dissecto post mortem cadavere, in fundo ventriculi plures videbantur maculæ, partim nigræ, partim rubræ*, &c. Jam in gangrænam abiverant loca inflammata tam ruditer concussa & pressa à vomendi conatu.

§. 955. SI in suppuratum abit, multa mala, maximè nausea, vomitus, dolor, succedunt, quæ sæpe mirabilia apparent, ignoratâ causâ, raro curantur; cognitâ (951) per curam abscessûs tractari requirunt (402, ad 413.)

Quámvis inflammationis curam per benignam resolutionem semper habeant in voto Medici, tamen non semper illa succedit, sive ob morbi magnitudinem, sive ob neglectum efficacis medelæ in morbi initio: tunc sequitur suppuratio, & hæc sola optabilis est, cùm reliqui inflammationis exitus sint pejores. Cùm autem illo tempore, dum inflammatio in suppurationem transit, augeantur symptomata (vide §. 387.), patet satis, quantis cum malis ægri conflictari debeant, dum suppuratio in ventriculo fit. Tunc post diu tolerata hæc mala oritur puris vomitus, sæpe & ruptis vel erosis vasis multo sanguine intermisto, cum levamine symptomatum; quandoque & exeso per ulcus natum ventriculo lethalis hæmorrhagia sequitur. Talis casus habetur in *Actis Parisinis* (*c*). Homo continuo dolore ventriculi laboraverat per tres septimanas; cardialgia & nausea frequentes fuerant, ultimísque vitæ diebus multùm sanguinis sursum & deorsum evacuaverat. Post mortem invenit celeberrimus *Littrius* in ventriculo ulcus rotundum, quinque lineas æquans diametro, & mediam lineam profundum; ad distantiam pollicis cum dimidio à pyloro: multùm sanguinis in cavo ventriculi & intestinorum, reperiebatur.

(*a*) Sect. II. Cap. II. pag. 148.
(*b*) Opuscul. Pathologico-Practic. Decad. II. Dissertat. VII. §. XVII. pag. 454.
(*c*) Academ. des Scienc. année 1704. Hist. pag. 36.

Quandoque & tale ulcus, dum peritonæo accrevit ventriculus, extrorsum aperitur, & relinquit fistulam, per quam toto vitæ tempore pars ingestorum exit. Vidi sexagenariam mulierem, quæ jam per duodecim annos tale fistulosum ulcus gerebat, absque multo incommodo; & vidi contentorum ventriculi partem exire per hanc aperturam. Longè mirabilior casus legitur in *Diariis* Eruditorum (*a*), de puella, cui ex abscessu hypochondrii sinistri unà cum fragmentis costarum cariosis exibant contenta ventriculi, & quidem tantâ copiâ & tam citò, ut cogeretur singulis ferè horæ quadrantibus cibum sumere, præ ingenti fame & debilitate; & nisi ulceris patens admodum orificium fasciâ appressâ clauderetur, omnia ingesta exibant statim. Sensim tamen angustior facta fuit ulceris apertura, & supervixit diu, viribus adeo auctis, ut rusticis laboribus consuetis exercendis par fuerit, & per viginti tres annos illud malum tolerare potuerit.

Si ex signis prægressis inflammationis ventriculi satìs validæ, nec pessimæ tamen, suspicio nascatur, in ventriculo apostema fieri, decocta mollissima ex althæa, malva, consolida majore, seminibus lini, &c, parcâ copiâ simul, sæpe repetitis vicibus danda, ut emolliatur vomica, & ad rupturam citam disponatur: ubi pus sursum vel deorsum prodiens, & levamen malorum, docent, abscessum ruptum esse, tunc lenissimis detergentibus, & postea consolidantibus opus erit, utì antea in cura abscessûs, numeris in textu citatis, dictum fuit. Verùm dum consolidandum est tale ulcus, caveri debet, ne à copiosis ingestis ventriculus distendatur; distraherentur enim denuo illa, quæ coire inceperant. Satìs autem patet, difficilem fore curationem, cùm omnia ingesta ulcus alluere debeant, & motu peristaltico ventriculus continuò agitetur: solum jus carnium, cum oryza, hordeo, pane, &c, coctum, tunc conduceret: fortè & per clysteres nutrientes possent satìs sustineri vires per plures dies, cùm ulcus jam purum est, ut, quiescente sic ventriculo, consolidatio citiùs fieret.

§. 956. UBI scirrhum, cancrúmve procreat, tum enormes illos vomitus, dolores intolerabiles, ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos, ad omnia medicamenta aspera insurgentes, excitat.

Alter exitus inflammationis, de quo in præcedentibus pariter sæpius dictum fuit. Plures tales ægri occurrunt quotidie qui se beatos crederent, nisi alimentis indigerent quotidie: sentiunt enim dolores molestissimos ab ingestis, quandoque statim à pastu, quandoque post unam alterámve horam: nullum levamen sentiunt à decantatissimis etiam stomachicis remediis, imò ab omnibus acrioribus dolores augentur; omnium maximè à purgantibus aut emeticis validis. Vidi plures tales miseros, qui, dolorum impatientes, aliquot post cibum sumptum horis digito in fauces immisso evomebant omnia, ut levamen haberent doloris. Semper tunc suspicandum de scirrhosis tumori-

(*a*) Journal des Sçavans, mois d'Août 1737. pag. 534.

bus, ventriculum aut vicina loca obsidentibus; quod & cadaverum sectio confirmavit. Ante aliquot annos nobilem matronam Anglicam vidi tali morbo laborantem, & unà cum amico integerrimo (cujus præmaturam mortem lugeo) *Godefrido du Bois*, in *Academia Franequerana* Medecinæ & Philosophiæ Professore, deliberavi, quomodo succurri posset huic miseræ, quæ jam per plures annos cum hoc malo conflictabatur. Frustra tentata fuerunt omnia: levamen aliquod à blandissimis remediis & opiatis quandoque habuit. In cadavere inventus fuit ventriculus ovo anserino non major; pylorus & proxima intestini duodeni portio, utì & pancreas, scirrhosa erant, & durissima. In homine, qui diu de ventriculi dolore conquestus fuerat, cum vomitu continuo & animi deliquiis, invenit *Ruyschius* fundum ventriculi obsessum (*a*) *tumore scirrhoso pugni ferè magnitudine, materiâ tenaci & atrâ referto, qualem materiam quoque paucis horis ante mortem vomitione rejecerat.* His similia & apud *Bonetum* (*b*) plura habentur.

Scirrhus autem, quamdiu benignus adhuc manet, pondere & mole suâ distrahendo partes adeo sensiles plurimùm quidem mali producere poterit; verùm ubi temporis diuturnitate, aut acrium medicamentorum usu, in cancrosam malignitatem vergere incipit, horrendi dolores inde fient, utì ex illis, quæ antea de *Scirrho & Cancro* dicta fuerunt, facilè patet. Insignis talis casus describitur à celeberrimo *Petito* (*c*). Mulier corripiebatur dolore cum febre: aderant simul nausea & vomitus cum dolore colico: iteratis venæ-sectionibus, aliisque remediis à peritissimo Medico præscriptis, levamen habuit quidem, sed reliquias morbi nondum eradicati neglexit, diætæ regulas minùs observans. Cùm langueret diu, empiricum consuluit, qui & validissimis emeticis, & clysmatibus primò lenioribus, dein acerrimis, in pessimum statum redegit miserrimam ægram. Prudentiorum dein consilio usa, levamen quidem percepit, sed tandem periit. In cadavere inventa fuit pars ventriculi colo intestino vicino firmiter adhærens, & cum illo in massam scirrhosam magnam concreta: dissecto ventriculo, inventum ulcus nigrum fœtidissimum duos pollices in diametro habens, quod integumentis concretis cum hoc scirrho, viam versùs exteriora fecerat ichori & puri. Plura adhuc maximè notanda circa hoc malum ibidem recensentur, sed modò dicta docent, fidelibus Observationibus constare, scirrhum ventriculi in cancrosum ulcus degenerasse.

§. 957. SOLIS lenibus, ad hos morbos requisitis, medelis pacatur (490. 491. 506. 507. 508. 509. 511); raro curatur: aquæ Medicatæ fontium maximè hîc efficaces.

Omnia illa, quæ laudata fuerunt in cura scirrhi & cancri, hîc locum ha-

(*a*) Observation. Anatomico-Chirurgic. n°. xxxix. pag. 39.
(*b*) Anatom. Practic. Lib. III. Sect. VII. pag. 68, & seq.
(*c*) Academ. des Scienc. année 1716, Mémoir. pag. 395, & suiv.

bent exceptis his, quæ situs & conditio ventriculi non admittunt, licèt in externis partibus corporis scirrhosis vel cancrosis adhiberi possint.

Præcipuum est, ut nihil in victu exhibeatur, quod exasperare possit hæc mala: jura carnium, cum oryza cocta, vel mollissimis oleribus, hîc sunt præcipua: vitelli ovorum, cremores hordei, avenæ & similia parcâ copiâ simul data; ab his enim magnum solamen in doloribus illis chronicis circa ventriculum solet percipi. Ubi verò scirrhus adhuc recens est, magna copia saponis Veneti profuit, sed diuturno usu, ita ut drachmas duas quotidie per plures menses sumerent ægri: summum enim dissolvens est & satìs mite; si autem ab hoc assumpto dolores augeantur, abstinendum est illico; tunc enim metuendum est, jam in cancrosam indolem degenerare scirrhum, qui tunc nequidem illud remedium ferre potest. Prosunt & aquæ Medicatæ Spadanæ, vel his similes, quæ mirâ vi solvendi concreta in corpore valent; neque interim acrimoniam magnam habent.

Ex dictis simul apparet, quantâ prudentiâ opus sit, dum medela fit hominibus, qui de chronicis illis abdominis doloribus, à cibo assumpto exacerbatis, conqueruntur.

§. 958. LIENIS, pancreatis, omenti, inflammati, suppurati, gangrænosi, scirrhosi, cancrosi, origo, natura, effectus, cognitio, prævisio, curatio, palliatio; ex iisdem dictis (914, ad 958.) oriri possunt.

Superessent jam & alii morbi inflammatorii viscerum quorumdam abdominalium pertractandi, verùm omnia hactenus dicta in prioribus repetenda forent. Locus enim tantùm diversus est, & situ ex Anatomicis bene cognito, & functione ex Physiologicis intellectâ, non est difficilis diagnosis horum morborum. Omnes autem exitus inflammationis hîc iterum obtinent, & cura similis est. Hinc sufficiet paucis videre præcipua, quæ hîc observaverunt Auctores fide dignissimi. De intestinorum autem inflammatione peculiariter agendum est, quia ibi multa notanda occurrunt, quæ tantùm in illis partibus locum habent; & ob eamdem rationem etiam renum inflammatio seorsim pertractabitur.

LIENIS. Satìs frequens mentio morborum lienis apud Veteres fit, ita tamen ut meritò suspicari liceat, quòd quandoque & morbos vicinarum partium sub titulo lienis malè affecti descripserint. Intestini coli enim flexus lieni proximus est; hinc fæces induratæ, flatus impediti ab his fæcibus, circa lienis regionem tumores & dolores facere poterunt, licèt nullum in liene vitium hæreat. Ita *Trallianus* de (*a*) *lienis inflatione* scripsit, & in cura hujus morbi laudavit talia remedia, quæ carminativam, sive flatus discutientem, vim egregiam possident. Verùm facilè patet, flatus in ventriculi & intestinorum cavo

(*a*) Lib. VIII. Cap. XI. pag. 479. Confer. Galen. Method. Medend. ad Glaucon. Lib. II. Cap. VII. Charter. Tom. X. pag. 379.

suam

ſuam ſedem præcipuè habere. Ita & *Hippocrates* acutorum dolorum cauſam in liene, qui etiam (*a*) *ad humerum, claviculam, mammam ac ilia tranſeunt*, poſuit ingurgitationem ficuum viridium, pomorum, uvarum, & muſti copioſi uſum. Sed omnia hæc flatulenta admodum ſunt, & in fermentationem quàm maximè prona, ſolent, primis viis nocere primò, antequam ſanguini permiſta alias partes afficere poſſunt: unde & talia in cura commendat, quìqus hæc ſaburra ſurſum & deorſum expelli poſſet. Præterea notat, quòd (*b*) *lien interdum eodem die magnus, & interdum minor evadit:* (*c*) *& quum quidem ſublatus* (lien) *fuerit, dolores acuti incidunt; quum verò mollis fuerit, ſine dolore eſt.* Verùm ſatìs apparet, obſtructionem aut inflammationem lienis tam ſubitis mutationibus obnoxiam non eſſe; in colo verò inteſtino circa illum locum, ubi lieni contiguum eſt, frequentes ſatìs cauſas eſſe, unde tales tumores ſubitanei, & dein iterum ſubſidentes, naſci poſſint. Si jam ſimul cogitetur, frequentem mentionem fieri ſcirrhi lienis ſatìs citò curati, tam apud veteres Medicos quàm recentiores, vix dubium eſt, fæces induratas, circa flexum coli hærentes, talium tumorum cauſam fuiſſe, cùm ſcirrhus non tam ſubitò reſolvi poſſit, & plerumque ad omnia rebellis maneat, utì nimis notum eſt.

Præterea cùm ex Veterum opinione lien atrabilarii ſucci apotheca foret, morbos melancholicos ſub titulo affectionum lienis deſcripſerunt; ita etiam ſcorbutum, utì poſtea patebit, quando de his morbis dicendum erit.

Interim tamen negari nequit, inflammationem quandoque lienem occupare, nam cadaverum ſectiones docuerunt, inflammationis effectus in liene obſervatos fuiſſe. Verùm minùs frequenter, quàm alia viſcera lienem inflammari, notavit *Trallianus* (*d*). Præcipua ſigna autem inflammati lienis ſunt, febris acuta continua, dolor in loco lienis, quandoque ad humerum, mammam & claviculam ſiniſtri lateris protenſus. Licèt autem & functiones læſæ partem affectam in morbis denotent, cùm lien ſoli hepati inſervire tantùm videatur, non poterimus accurata ſigna ex hoc fonte colligere, eò quòd hepatis læſio vitia lienis tardiùs tantùm ſequi ſoleat. Quinimo Experimenta docuerunt in vivis animalibus capta, lienem ligatis ejus vaſis inutilem reddi, imò & exſtirpari poſſe integre, & tamen animalia diu poſtea adhuc ſupervixiſſe, abſque notabili ſanitatis noxa (*e*).

Non videtur improbabile, quandoque ſub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, & abſque magno damno, cùm cura pleuritidis & huic morbo curando conveniat. Celebris apud Batavos Hagæ-comitum Medicus, *Antonius Haenus*, cui plurimas & utiliſſimas Obſervationes Practicas ex cadaverum ſectione hauſtas me debere, gratus recordor, talem mihi caſum tranſmiſit, qui hoc confirmat. Homo triginta quatuor annorum à Medico tractabatur ut pleuriticus, & quidem tali cum ſucceſſu, ut ſecundo

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XXVII. Charter. Tom. VII. pag. 657.
(*b*) Ibid. Cap. XXXII. pag. 662.
(*c*) Ibid. Cap. XXXV. pag. 663.

(*d*) Lib. VIII. Cap. XII pag. 484.
(*e*) Malpig. de Liene, Cap. VI. pag. 114. Brunner. de Pancreate. Præfat. pag. 9.

jam morbi die à febre & dolore finiſtri lateris ferè integre liber ſe ſanatum crederet, omnémque medelam negligeret poſtea, ſed infelici cum eventu. Languit enim poſtea, & faſſus fuit, ſe ſemper obtuſum dolorem in loco priùs affecto percepiſſe. Poſt paucas ſeptimanas, à primo morbi inſultu, inſignem habuit in dextro crure tumorem, ſponte poſtea evanidum: ſimilem tumorem deinde percepit in dextro latere perquam magnum: ſponte etiam poſtea evaneſcentem. Similis tumor denique apparuit in femore ſiniſtro, & illo manente, novus tumor occupavit internam brachii dextri partem, mollis & pugno major. Succeſſit deinde dyſenteria, aſcites, unà cum hydrope anaſarca totius corporis, proſtratio virium & mors.

In cadavere biduo poſt mortem diſſecto, apparuerunt ſequentia. Abdomen turgidum, lividum ubique, præſertim in latere ſiniſtro. Omentum breviſſimum vix duos digitos longum, macilentum. Inteſtina omnia turgidiſſima, & ferè per totam longitudinem, craſſa æquè ac tenuia, inflammata, & pluribus in locis jam gangrænoſa. Lympha non admodum copioſa in abdominis cavo. Ventriculus pariter turgidiſſimus, ſiniſtrâ ac maximè ſuperiori parte longè latéque gangrænoſus: pancreas flaccidum, parvum: meſenterium integrum, exſangue. Meſocolon exhibuit plura friabilia corpuſcula obſcurè viridia, mole, colore, figurâ referentia capparidum gemmas, quæ aceto vel muriâ conditæ menſis adhibentur. Hepar perquam magnum erat, in parte inferiore magìs fuſcum, quàm naturaliter eſſe ſolet. Lien inferiore parte peritonæo accretus, pure albo, craſſo copioſo plenus: copia quædam ſimilis puri aquæ, in cavo abdominis repertæ, innatabat. Tumor brachii lanceolâ apertus, dedit idem colore ac conſiſtentiâ pus, ac in liene deprehendebatur. Pulmones hinc inde membranæ pleuræ adhærebant concreti.

Tota hæc Hiſtoria docet, lienem inflammatum, ægri incuriâ non integre ſanatum, in ſuppurationem abiviſſe, pus reſorptum ad varia loca corporis metaſtaſin feciſſe; tandémque purulentâ cacochymiâ totum ſanguinem corrupiſſe. Simul notandum, hepatis molem inſigniter auctam fuiſſe, dum ſplenis purulentâ labe conſumpti, functio ceſſabat; quod & *Malpighius* & *Brunnerus* obſervaverant in animalibus, quibus ſplenem exſecuerant, vel ligatis vaſis illum reddiderant omnino inutilem.

Videtur autem & *Hippocrates* obſervaſſe lienis ſuppurationem; ſic enim habet: (*a*) *quum maximus lien, & ſublatus maximè fuerit, decem magnis cruſtis inurito;* utì in hepatis vomica conſuluerat, ad pus educendum. Et in alio loco, antea ad §. 488, citato, de lienoſis agens, monet quòd (*b*) *progreſſu verò temporis, quibuſdam morbus in hydropem degenerat & contabeſcunt; quibuſdam verò ſplen ſuppuratur, & uſti conſaneſcunt; quibuſdam etiam durus & magnus exiſtens conſeneſcit.* Nihil autem magìs incitat Medicos ut diligenter evolvant priſcorum Medicorum volumina, quàm dum vi-

(*a*) Lib. Intern Affection. Cap. XXXII. Charter. Tom. VII. pag. 662. Confer. Ibid, Cap. XXXIII, XXXIV, pag. 663, Cap. XXXV. pag. 664.

(*b*) Lib. de Affection. Cap. V. Charter. Ibid. pag. 625. 626.

dent difficillimis casibus affundi à Veterum Observationibus, vixque aliquid in Praxi occurrere dubii, quin inveniamus apud illos. In modò memorata morbi Historia præter spem ægri, qui se sanum credebat, funesta lienis suppuratio secuta fuerat. Verùm pulchre hoc monuerat *Aretæus*, dum de hoc morbo agit, dicens: (*a*) *Incrementi autem notæ sunt febres, dolores & horrores: multoties enim horrent: nonnunquam verò non horrent, quum brevi caliditate & dolore vacant: hac de causa interdum & in splene abscessus oriens latuit: rarum enim & sensu carens in sanitate quoque viscus est.* Exitum autem talis morbi notavit *Hippocrates* dicens, (*b*) *Qui lienosi dysenteriâ corripiuntur, iis, obortâ longâ dysenteriâ, hydrops aut lienteria succedit, ac intereunt.* Paulò pòst tamen dicit, (*c*) *Lienosis dysenteria succedens, bonum.* Verùm materia lienem occupans per venam splenicam facili viâ in hepar tendit; & §. 950, vidimus, dysenteriâ largâ, citò desinente, tam bene sanari hepatis morbos. Binas has prognoses unitas distinctiùs legimus *in Coacis*, ita: (*d*) *Dysenteria non longa splenicis commoda est; longa verò, mala: desinente enim, si hydropes aut lienteriæ fiunt, lethale est.*

Lienis verò scirrhus longè frequentiùs occurrit, unde dixit *Aretæus*, (*e*) *Lieni familiaris longus morbus est, quem σκίῤῥον nominant.* Talis autem tumor duritie, & pondere vicinas partes miro modo lædere & distrahere potest, & vehementissimos dolores facere. In cadavere muliebri celeberrimus *Ruyschius* lienem invenit octuplò majorem, quàm naturaliter esse solet, (*f*) & *bilanci impositus, quatuor libras pendens in pelvim descenderat.* Bis in cadavere vidi ipse lienem scirrhosum ingentem ad pelvim usque prolapsum: plura talia collegit *Drelincurtius* (g). Neque adeo mirum videtur, lienem mole & pondere auctum, propriâ gravitate descendere, sensim elongatis vasis versùs inferiora abdominis; sed rarus casus docuit tumentem lienem & sursum adscendere posse. Invenit hoc in homine, post diuturnam febrim intermittentem, hydropico facto, *Lamottius* (*h*). In ejus cadavere lien mole insigniter auctus diaphragmatis sinistram partem sursum truserat, ita ut parvum tantùm spatium inter summitatem lienis & axillam inveniretur. Ubi autem lien, dum indurescit, simul mole minuitur, tunc credibile est, faciliùs tolerari illud malum. In homine enim sexagenario (qui nunquam questus fuerat de dolore aut alio malo, unde suspicio mutati adeo insigniter lienis nasci potuisset) celeberrimus *Littrius* (*i*) invenit lienem integre petrefactum, sed tantùm unciam cum dimidia ponderantem: violentâ autem morte perierat ille homo, hinc & diutius superstes esse potuisset.

(*a*) De Causf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib I. Cap. XIV. pag. 43.
(*b*) Aphorism. Sect. VI. n°. XLIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 275.
(*c*) Ibid. n°. XLVIII. pag. 281.
(*d*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXVI. Charter. Tom. VIII. pag. 879.
(*e*) De Causf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIV. pag. 43.
(*f*) Observat. Anatomico-Chirurg. n°. LXII. pag. 58.
(*g*) Differt. Anat. Pract. de Lienosis. Cap. XVII. Opusc. omn. pag. 768.
(*h*) Traité complet. de Chirurgie, Tom. II. pag. 169. 170.
(*i*) Académ. des Scienc. année 1700. Histoir. pag. 50.

Ubi autem ſcirrhus lienis in cancrum degenerat, tunc vicina omnia depaſcitur, & poſt intolerabiles cruciatus, eroſis vaſis, ſubitam & lethalem hæmorrhagiam producit. Lethalem talem per alvum hæmorrhagiam vidit *Drenlincurtii* (*a*) pater, in fœmina, cujus lien cancroſus ſubjectum colon arroſerat.

PANCREATIS. Cùm illud ponatur intra duplicaturam meſocoli, & uno extremo ſuo adhæreat duodeno, ubi illud pyloro continuatum incurvatur, transverſaliter ponè ventriculum pergat ferè ad lienem uſque, & in hoc itinere portio duodeni inter pancreas & lumborum vertebras locetur; patet ſatìs, difficiliùs morbos pancreatis diſtingui poſſe, cùm non tam facilè tangi poſſit quàm lien, & dum tumet pancreas, ventriculum & duodenum neceſſariò comprimere debere. Poſſet ergo inflammatio pancreatis quandoque cum ventriculi aut duodeni ſimili morbo confundi; ſed inde in curatione nullum damnum orietur, cùm ſimilis omnino medela requiratur. Cùm autem pancreatis uſus ſit, ſecretum ſuâ fabricâ ſanguine liquorem, ſalivæ ſimillimum, inteſtino duodeno infundere, non tam ſubitò advertetur noxa in corpore ex læſa functione pancreatis, ut inde ſigna talis morbi præſentis hauriri poſſent. Directis enim Experimentis, in vivis animalibus inſtitutis, celeberrimus *Brunnerus* refutavit *Sylvianam* illam hypotheſin, de effervescentia ſucci pancreatici cum bile in inteſtino duodeno, à qua rite ſe habente chylopoieſis ferè integrum opus deducebatur, & cujus vitiis omnium ferè morborum origo tribuebatur. Simul tunc ex iiſdem Experimentis patuit, ligato vel deſtructo ductu pancreatico, etiam inſigni parte pancreatis abſciſsâ (profundiùs enim latet, ut integrè exſcindi potuiſſet ſuperſtite animali) canes ſupervixiſſe abſque notabili ſanitatis detrimento (*b*). Tumores autem pancreatis inflammati, ſuppurati, ſcirrhoſi, cancroſi, peſſimè afficere poſſe vicinas partes, ſponte patet. Quandoque & pancreas ſcirrhoſum adeo intumuit, ut extrinſecus tumor percipi potuerit; qualis caſus memoratus fuit antea ad §. 488. Aliquando licèt inſigniter mole auctum fuerit, tamen foris nullus tumor conſpicuus apparet. Ex *Riolano* illud confirmat *Graafius* (*c*) Exemplo illuſtriſſimi Viri *Auguſtini Thuani*, qui habitûs melancolici per quadriennium de dolore circa regionem coli, cum ſenſu ponderis ad regionem ſtomachi, dum erectus ſtaret, vel ambularet, conqueſtus fuit: nec tumebant tamen ei hypochondria. In cadavere defuncti inventum hepar, rotundum inſtar ſphæræ, farctum & transfixum gypſeâ pituitâ ſebum referente. Pancreas mole & pondere hepar æquabat, totum ſcirrhoſum, multis globulis ſpecie ovi columbini conſtans. Lien exilis, vix unciam ponderans. Plures ibi caſus colligit *Graafius* pancreatis, ulcerati, ſcirrhoſi, cancroſi, calculoſi, &c. Unde meritò in Praxi verſati Medici, cum chronici illi dolores abdominis adſunt, talem cauſam ſuſpicantur, & blandiſſima tantùm remedia

(*a*) Differt. Anat. Pract. de Lienoſis, Cap. XIV. Opuſc. omn. pag. 763.

(*b*) Brunner. Experim. nova circa Pancreas, pag. 12, 15, 16, & ſeq. & à pag. 23. ad 56. uti & apud eumdem Brunnerum de glandulis duodeni, pag. 118.

(*c*) De ſucco Pancreat. Cap. VII. pag. 108. & ſeq.

exibent prudenter, ne acrioribus exhibitis irritentur talia mala.

OMENTI. Illud, utì ex Anatomicis notum est, à fundo ventriculi, supra intestina extenditur, ad umbilicum usque; quandoque longè profundiùs descendit; aliquando regionem epigastricam non excedit suâ longitudine, magnam enim hîc in cadaveribus, diversitatem invenerunt Anatomici, quoad variam omenti extensionem. Præterea omentum, licèt maximâ suî parte intestinis supersternatur, tamen & vasis hepar ingredientibus, duodeno, colo, pancreati, lieni adnectitur, adeóque pro diversitate loci, quem morbus omenti occupat, varia possent fieri mala. Unde etiam videtur difficultas in diagnosi talium morborum nasci. Præterea Observationes certissimæ docuerunt, magnam omenti partem, post vulnera abdominis erumpentem, abscissam fuisse, superstite ægro, & absque magno sanitatis damno. *Galenus* gladiatori vulnerato integrum ferè omentum abscidit, qui tamen (*a*) *sanatus quidem confestim est, sed tamen adeo facilè & patiebatur, & lædebatur à frigido externo, ut non sustineret nudum habere ventrem*; & hoc tantùm incommodi, habuit, quòd à frigore externo abdomen magìs defendere debuerit. Frequentes tales casus in bellis hodiernis docuerunt, insignem partem omenti sæpe resectam fuisse, absque tali incommodo sequente. Unde patet, non facilè ex læsis functionibus signa hauriri posse, quæ docerent omenti morbos. Quinimo *Ruyschius* observavit omenti integram consumptionem frequenter, (*b*) *non solùm in brutis, verùm etiam in hominibus, subitò ab angina, suffocatis, ut & à carnifice strangulatis*, in quibus ante mortem nulla hujus rei suspicio fuerat. In morbis chronicis, & inprimis in hydropicis, sæpe omentum periisse observatum fuit, quod minùs mirum videtur.

Si inflammatum omentum, dein in suppurationem abierit, aut gangrænam, effuso pure vel ichore gangrænoso, sequentur eadem mala, ac §. 912, enumerata fuerunt.

Ubi verò in scirrhosos tumores induruit omentum, tunc pressione & distractione partium, quibus contiguum est vel adhæret, plurima mala producere potest, inprimis dum moles indurati omenti magna est; cæteroquin minùs nocet. Contigit quandoque mulieribus, post puerperium felix, jam in integrum restitutis, tumorem durum & oblongum in abdomine habere: quandoque per plures annos tales tumores manent, ferè absque dolore, & solâ mole ferè molesti sunt. In cadavere quodam detexit *Ruyschius* (*c*) talem tumorem factum fuisse ab omento duos ferè digitos crasso, tres digitos lato, spithamam cum dimidia longo & scirrhoso. Videtur omentum in gravidis ab utero adscendente, & visceribus loco motis, comprimi ac convolvi in seipsum, túncque talem tumorem producere. Ita & tumor abdominis ab omento osseo facto inventus fuit (*d*). Mirabilem magìs adhuc casum descripsit jam sæpius antea laudatus *Antonius Haenus*, (*e*) ubi in hydropicæ cadavere reperit omentum in compactam &

(*a*) De Usu part. Lib. IV. Cap. IX. Charter Tom. IV. pag. 377.

(*b*) Observat. Anatom. n°. XIX. pag. 23.

(*c*) Observat. Anatomico-Chirurg. n°. LXIII. pag. 59.


(*d*) Académ. des Scienc. année 1732, Histoir. pag. 48.

(*e*) Histor. Anatomic. Medica morbi miri incurabilis, & seq. Hagæ Batavor, 1744. in 8°.

vastam molem concretum, duos digitos latos crassum ubique, nisi quòd in ambitu parùm gracilesceret: hujus monstrosi omenti ope ventriculus, colon, duodenum ac jejunum ita coaluerant in unum, ut non nisi destruendo à se invicem divelli potuerint.

Cautela autem adhibenda in tractandis malis recensitis lienis, pancreatis & omenti, ex antè dictis facilè hauriri poterit.





INTESTINORUM INFLAMMATIO.

§. 959. INTESTINA, maximè tenuia, & frequentissimè, in suis membranis acutâ inflammatione, ut ventriculus, infestantur, à caussis communibus inflammationis huc delatis; vel à materie acri potûs, cibi, condimenti, medicamenti, veneni, assumptâ, huc delatâ, in plicis valvulosis retentâ hærente; tum etiam ab acri, putrida, fœtida materie purulenta, ichorosa, gangrænosa, biliosa, atrabilaria, ex œsophago, stomacho, hepate, liene, pancreate, omento, huc appellente, hærente, rodente; denique ab convulsione ingente prægressa, flatus creante, motum sistente, sícque inflammationem producente.

Generales inflammationis caufas §. 375. 376. 377, recensitas & in intestinis locum habere posse satìs evidens est, inprimis postquam ex Anatome constitit, innumeras arteriolas per membranas intestinorum distribui. Præterea in febrium Historia (§. 593.) notatum fuit, febrim in alium sæpe morbum desinere, dum per febrim mutati humores ad quædam loca corporis deponuntur, & nova mala producunt. Pluribus ibi Exemplis Practicis probatum fuit, morbos acutos inflammatorios inprimis à se mutuò differre, ratione loci versùs quem materia inflammatoria per febrim prægressam deponitur. Notat *Sydenhamus* per tres annos & ultrà, talem obtinuisse morborum epidemicorum idolem, ut plerumque versùs intestina deponerent febrilem materiam, (*a*) nunc dysenterias, nunc tormina absque dejectionibus, quandoque & acerbissimos dolores colicos & iliacos, producentes. A febre tamen oriebatur morbus, qui (*b*) per horas aliquot tantùm affligens in atrocissimum intestinorum dolorem desinebat. Quinimo iliacam passionem tunc propriè vocandam esse voluit, ubi à tumultuante febre (*c*) *in ventriculum & proxima intestina deponuntur humores acres & maligni*, ubi autem (*d*) à fæcibus induratis, herniis, &c, oriretur malum, tunc *affectionem iliacam notham* appellare maluit.

Tenuia autem intestina frequentiùs inflammari, quàm crassa, Observationes Practicæ confirmare videntur; nam in hoc morbo intolerabilis ille dolor medium abdominis, sive umbilicalem regionem frequentissimè occupat, ubi naturalis tenuium intestinorum situs est. Fortè etiam crassorum intestinorum talis est constitutio, ut minùs facilè afficiantur, quàm tenuia, cùm stercoraceæ materiæ jam subputridæ & acriori servandæ inserviant. Præterea omne acre ingestum, vel morâ in ventriculo aut intestinis tale redditum, pri-

(*a*) Sect. IV. Cap. I. pag. 211. & seq.
(*b*) Ibid. Cap. VII. pag. 259.
(*c*) Sect. I. Cap. IV. ubi de Ileo, pag. 90, 91.
(*d*) Ibid. pag. 90.

mò noxam inferet intestinis tenuibus, antequam ad crassa pervenire possit.

Licèt omnia illa, quæ intestinalem fistulam obturant, impediendo liberum transitum, adeóque distentis intestinis, etiam remotæ inflammationis causæ esse possent; tamen nisi simul major acrimonia adsit, raro hunc morbum faciunt adeo acutum, sed potiùs chronica & difficilia mala, quales casus ad §. 719, ubi de variis quæ per diarrhæam exeunt quandoque de corpore agebatur, enumerati fuerunt. Verùm si lentæ tali & concretæ pituitæ permistum fuerit acre, tunc & intestina facilè inde inflammantur, nisi citò expellatur hæc saburra, vel corrigatur illa acrimonia. Ita *Galenus* (vide §. 71.) in se ipso acerrimum abdominis dolorem expertus est, ac si terebrâ perforaretur: injecto autem oleo rutaceo, excrevit per alvum humorem, (a) *qui vitro fuso tum colore tum consistentiâ consimilis est*, quo facto dolor sedabatur. Verùm iners talis pituita tantum dolorem non fecisset, si nulla acrimonia ipsi permista fuisset. Frequens ergo causa inflammationis intestinorum est acrimonia illorum, quæ in cavo horum continentur. Talis autem acrimonia vel ingestis debetur, vel in aliis visceribus nata ad intestina pervenit, quæ jam consideranda erunt.

POTUS, CIBI, CONDIMENTI. Quanta mala fieri possint à liquidis fermentantibus, & sæpe in ipso actu fermentationis suppressis, dum potantur, antea ad §. 646, & sequentes, dictum fuit, ubi de ructibus & flatibus agebatur. Nascitur enim illo tempore dum fermentatio fit, mirus stimulus, etiam in talibus quæ antea omni carebant acrimoniâ (vide §. 605. n°. 11.). Inde spasmi horrendi quandoque fiunt in ventriculo & intestinis, quos brevì inflammatio & lethalis gangræna sequitur, nisi citò sedari possint. Quandoque & talia potantur, quæ vel actu acida sunt, vel citò in debilibus corporibus acescere possunt, & acrimoniâ suâ lædere intestina: qualia sunt cerevisia vappida, vinum acre acidum, &c. Verùm & cibi tales ingeruntur quandoque, qui similem noxam facere possunt. In debilibus infantibus lac ingestum sæpe acescit, colostro caseoso intestina infarciuntur, quod morâ acriùs factum intestina rodit & inflammat; unde ideo & volvulo tot infantes pereunt, post diros abdominis dolores, utì omnes Practici noverunt. Si autem consideremus ea, quæ condimenti titulo assumutur, inter illa invenimus talia, quæ cuti applicata illam eroderent; utì acerrima aromata, allium, raphanus rusticanus, &c. Unde miramur, non sæpius ab his inflammari ventriculum & intestina, & procul dubio frequentiùs hæc nocerent, nisi mucus blandus defenderet horum viscerum latera, & sitis ab his assumptis excitata copiam aquosi potûs posceret, quo diluitur & enervatur nimia talium assumptorum acrimonia. Videantur & illa quæ ad §. 586. *lit.* α, habentur.

MEDICAMENTI, VENENI, Quámvis hæc primò ventriculum afficere soleant, & ideo de illis ad §. 951, ut causis inflammationis ventriculi dictum fuerit, tamen & quandoque contentis ventriculi copiosioribus permista in illum minus agunt, sed postea in intestina propulsa, & valvulosis horum jugis irretita manent diu eidem loco affixa, & inflammationem ibi excitant. Notum est, resinam ex gialapæ radice paratam, dum à calore mollescit, om-

(a) De Loc. Affect. Lib. II. Cap. v. Charter. Tom. VII. pag. 405.

nibus

nibus obviis corporibus pertinacissimè adhærere, & simul satìs acrem esse, unde à Medicis frequentiùs observati fuerunt dolores molesti abdominis, & hypercatharses periculosæ ab hoc remedio, nisi priùs diu cum saccharo trita, vel cum vitello ovi subacta suam tenacitatem deposuerit. Similia & à colocynthidis pulpa & aliis pluribus nata fuerunt mala. Longè magìs ab arsenico & aliis acribus venenis, de quibus videatur sæpius jam laudatus *Wepferi de Cicuta Aquatica* Tractatus.

TUM ETIAM AB ACRI PUTRIDA, &c. Ad §. 719, ubi de diarrhœa febrili agebatur, patuit ex diversis corporis locis ad intestina posse venire materiam, quæ per alvum excernitur, illámque admodum variam esse. Quinimo cholera docet, omnes humores totius corporis, subitò satìs in intestina ruere, magno cum impetu, ita ut robustissimus homo intra paucas horas omnes vires perdat, & à mera inanitione sæpe convulsiones sequantur, venenatâ quasi vi fuso toto sanguine, & per vasa meseraica in ventriculum & intestina expulso; dum enim ex hoc morbo resurgunt ægri, debiles, pallidi, exhausti omnino apparent. Si ergo alicubi in corpore stabuletur corrupti liquidi, purulenti, ichorosi, &c, copia, illud ad intestina delatum acrimoniâ suâ illa rodere & inflammare poterit. Unde inter effecta atræ bilis turgentis & motæ, inflammationes, exulcerationes, putrefactiones intestinorum recensentur, §. 1104, & pessimum scorbutum similia etiam mala facere, ad §. 1151. n°. 4, notatur, de quibus postea dicetur.

CONVULSIONE INGENTE PRÆGRESSA, &c. Notum est ex Physiologicis, in intestinis esse mirabilem illum motum vermicularem, peristalticum dictum, per quem ingesta ad latera intestinorum apprimùntur, & successivè emulgentur, omni solubili per vasa lactea & venas meseraicas resorpto, tandémque exsuccæ fæces ad intestinum rectum usque promoventur, ut excludantur de corpore. Fibris musculosis intestina ambientibus hunc motum perfici pariter constat, illúmque diu post mortem superesse, & silentem jam calore, vel & irritando intestina, excitari denuo posse (vide *Commentaria*, §. 648.). Simul ibidem varia Experimenta recensita fuerunt, quæ docent, acria applicata intestinis spasmos excitasse in his fibris muscularibus, per quos intestinum constringeretur validissimè, non tantùm in loco cui acre applicatum fuerat, verùm etiam in vicinis pluribus locis eodem tempore sic contricta fuisse intestina, ut omnis transitus contentis intercluderetur. Quod & pulchro Experimento in rana vivente facto confirmavit *Peyerus* (*a*).

Acria ergo ingesta, vel ex aliis corporis locis ad intestina delata, possunt & convulsionem talem facere, sícque & hâc ratione intestinorum inflammationem producere.

Verùm quandoque & tales spasmi fiunt in intestinis ab aliis longè causis, quæ ad cognitas acrimoniæ classes reduci nullo modo possunt. Illud latens morbosum in corpore, quod ad extremos artus delatum exquisita illa podagræ tormenta facit, si ex imprudenti medela, vel effœti corporis languore,

(*a*) Parerg. Anatom. Exercit. I. Cap. IX. pag. 47.

ad solita loca deponi impeditur, sæpe in visceribus abdominalibus horrendos spasmos excitat (vide §. 1273.); unde sic stringuntur intestina, ut in locis contractis, omni effluxu & influxu liquidi vitalis impeditis, subita & lethalis gangræna sequatur. Verum quidem est, & hîc acrimoniam culpari adhuc fortè posse, dum ligamenta, tendines, membranæ, à podagra diuturna in calcem convertuntur. Verùm in hystericis & hypochondriacis à solo motu spirituum perturbato nasci tales spasmos, in visceribus æquè ac aliis quibusvis corporis partibus, nimis notum est. *Sydenhamus*, qui optimè hos morbos tam varia sub specie latere, & minùs peritos fallere monuit, notavit, quandoque & (*a*) iliacæ passioni similia symptomata producere. Verum quidem est, quòd icterum periodicum à calculis vesicæ felleæ natum confuderit cum illis doloribus, qui à simplici spasmo absque hac causa fiunt; sed tamen disertè notat, & sævissimos tales dolores observatos fuisse in hystericis & hypochondriacis absque ictero sequente, & remediis anti hystericis feliciter curatos fuisse. Multi homines sunt, qui pavimento lapideo frigido diu insistentes, illico molesta tormina in abdomine sentiunt; utì aliâ occasione ad §. 650. n°. 3, notavi; ubi & plura habentur, quæ docent, convulsiones tales intestinorum, flatus creantes, excitari posse, & sanari, dum causæ & remedia applicantur aliis omnino corporis partibus.

§. 960. NATA his locis, contrahit intestina, cavitatem claudit; transitum appulsi impedit; fistulam loco obstructo altiorem, ipsúmque ventriculum immaniter inflat, extendit, dilacerat, inflammat; hinc dolorem acutissimum, ardentem, fixum, creat, pérque omnem inflammatum locum extendit; convulsiones violentas, ubi appulsis irritatur, producit in diaphragmate & abdominalibus musculis; alvum claudit; vomitum excitat ingestorum, & appulsorum, citiùs, tardiúsve post assumptionem, prout superiùs, vel profundiùs hæsit; flatus dolentes; tormina cum borborygmis acutissima; ileum; volvulum; abscessum; gangrænam; scirrhum; cancrum; febrim acutissimam; debilitatem ex dolore acerbissimo summam; mortem citissimam, producit.

Intestina humana longè alio modo se habent in vivente, ac suadere videretur sæpe cadaverum inspectio; ibi enim plerumque inflata, & patulam admodum cavitatem habentia, conspiciuntur. Verùm docuerunt vulnera abdominis, & vivorum animalium sectiones intestina sana, inprimis tenuia, solida satis esse & crassa in sua substantia, & angustâ tantùm cavitate prædita, quæ adhuc à jugis dependentibus, & extremis vasorum prominentibus in tunica villosa multùm minuitur, ne ingesta nimis citò dilaberentur. Homines multi-

(*a*) Dissertat. Epistolar. ubi de Hyster. pag. 488. Confer. Sect. IV. Cap. VII. pag. 267.

intra unam alterámve horam plures libras aquæ ſpadanæ potant, & ne gutta quidem per alvum exit; unde probatur evidenter, naturaliter ſatìs anguſtum eſſe inteſtinorum cavum. Ubi ergo inflammatorius tumor naſcitur in quodam inteſtinorum loco, non mirum, integre claudi illud ſpatium, ita ut nihil tranſmitti poſſit. Accedit, quòd dolor acutiſſimus, inflammationis inteſtinorum comes, validiſſimo ſpaſmo faciat contrahi inteſtinum in loco dolente, utì pluribus probatum fuit paragrapho præcedenti. *Ruyſchius* (*a*) in cadaveribus hujus morbi cauſam aliquoties invenit eſſe tantam coarctationem, ut nihil tranſire potuerit. Neque hoc mirum videbitur, ſi conſideremus in coryza leviter inflammatam membranam narium adeo tumere, ut per patula adeo narium cava nullum aerem omnino ducere poſſit homo.

Tali ergo obſtaculo nato, quod omnem tranſitum impedit, ſiſtuntur ad hunc locum omnia ingeſta; aer liberè tranſire non potens, rareſcens, diſtrahit illam partem inteſtini, quæ inter locum inflammatum & ventriculum hæret, imò & ipſum ventriculum, donec per ructus expellatur. Sed eâdem causâ manente, redeunt continuò iidem effectus, utì antea, ubi de ructibus & flatibus agebatur, fuſiùs explicatum fuit. Quandoque & in pluribus ſimul inteſtini locis talis morbus hæret, utì cadaverum hoc morbo defunctorum ſectiones docuerunt; túncque inter bina loca contracta interceptus aer deglutitus, vel ex contentis inteſtinorum fermentantibus aut putreſcentibus genitus, calore corporis rarefactus, horrendum in modum diſtendere poteſt inteſtinalem fiſtulam cum ſummo dolore; ſícque ab hac diſtractione nova denuo inflammatio naſci poterit, unde dolor, priùs in uno vel altero loco hærens, per abdomen diſpergitur latiùs. Vidit *Ruyſchius* (*b*) in puellæ, talibus doloribus enectæ, cadavere coli illam partem, quæ rectum inteſtinum nominari incipit, adeo enormiter extenſam, ut omnia abdominis viſcera occultaret. Patet ſatìs, quàm enormes dolores à tanta diſtractione partium adeo acuti ſensûs fieri debeant. Plura ſimilia enormiter tumentium inteſtinorum Exempla apud *Bonetum* (*c*) videri poſſunt.

Verùm ubi aſſumpta per motum periſtalticum appellunt ad locum inflammatum, illúmque urgent, tunc augetur quàm maximè dolor. Ideo licèt dolor fixus maneat in hoc morbo, tamen per intervalla augetur immaniter; quod & *Sydenhamus* notavit dicens, (*d*) *Subinde remittitur dolor, mox recrudeſcit paroxyſmus, quem æger præſentiens, vultu miſerabili atque ejulatu, ceu præſentem exhorret & averſatur.* Sæpius & idem illud in ægris obſervavi, & videtur hoc fieri vel à contentis inteſtinorum cavo cibis potibúſve, vel à flatibus ad locum inflammatum uſque propulſis. Dum enim in vivis animalibus diſſectis examinamus motum illum periſtalticum, vermicularem dictum, quia utì vermes, annulis corpus ſuum conſtituentibus ſucceſſivè contractis, progrediuntur, ita & inteſtinorum fibræ orbiculares ſucceſſivo ordine con-

(*a*) Obſervat. Anatomico-Chirurgic. n°. xci. pag. 85.
(*b*) Ibid. n°. xcii. pag. 86.
(*c*) Lib. III. Sect. IV. Tom. II. pag. 214.
(*d*) Sect. IV. Cap. vii. pag. 259.

tractæ promovent contenta per fiſtulam inteſtinalem, hâc lege, ut ubi per aliquod ſpatium propulſa fuerint hæc contenta ſimili motu ſed retrogrado iterum retropellantur per aliquam inteſtini longitudinem : ita tamen ut motus propellens efficacior ſit motu retrogrado ; ſícque ſenſim hæc per totam inteſtinorum longitudinem deducuntur, ut in hoc tranſitu omne ſolubile inde per venas bibulas inteſtinorum exhauriri poſſit. Ubi ergo per motum periſtalticum contenta appellunt ad locum inflammatum, tunc doloris augmentum fit; dum hæc iterum retro urgentur, minùs dolent. Præterea videmus in vivis animalibus motum periſtalticum per aliquot minuta ceſſare quandoque, dein iterum renovari : ex quibus intelligitur ratio hujus phœnomeni in hoc morbo.

Verùm à tali irritatione convulſiones fieri in diaphragmate & muſculis abdominalibus, atque inde nauſeam & vomitum excitari, patet ex illis, quæ ad §. 642, & §. 656, dicta fuerunt; imò & ad §. 656, dictum fuit, à pertinaci vomitu viciſſim & ileum produci. Citiùs autem vel ſeriùs evomentur aſſumpta, prout hæc inflammatio majori vel minori diſtantiâ à ventriculo ſedem fixerit; de qua re etiam dictum fuit ad §. 656.

FLATUS DOLENTES ; TORMINA CUM BORBORYGMIS ACUTISSIMA. Ad paragraphum præcedentem jam notatum fuit, Experimentis certis conſtitiſſe, quòd irritatione factâ in quodam loco inteſtini, non tantùm contraheretur ille locus, ſed & in pluribus locis vicinis idem contingeret : intercipiuntur hinc flatus cum dolore, & paulò pòſt, ſolutis his ſpaſmis, incluſus aer cum ſono levi & murmure per inteſtina oberrans, borborygmos facit, donec paulò pòſt renoventur illi ſpaſmi, ſimúlque dolores. Cùm autem inflammatio nata in quadam parte inteſtini, ſi durat morbus, ſe latiùs diſpergere ſoleat, patet ſatìs, quàm enormes dolores fieri debeant, dum à flatibus diſtrahuntur partes illæ inflammatæ. Notavit hæc ſymptomata in hoc morbo *Aretæus*, (*a*) *dolor oberrans*, ... *ructus inanes nihil proficientes*, *alvus flatibus perſtrepens*, *qui ad podicem uſque properant ; ſed ibi exitus intercluditur*. Hinc apparet, quare *Sydenhamus* (*b*) obſervaverit, ſub initio morbi non ita certò ad unum aliquod punctum determinari dolorem, dum in diverſis locis inteſtini talis contractio fit : verùm ubi tota vis morbi unum locum urget, tunc in puncto quaſi figitur dolor, & atrociſſimus evadit, ſæpe nullo modo remittens, donec gangræna nata ſubitò omnem dolorem tollat. Apparet ſimul, quare tunc fiat alvi adſtrictio, omni omnino tranſitu impedito.

ILEUM, VOLVULUM. Ubi inflammatio inteſtinorum omnem tranſitum impedit, tunc vocatur ileus ; ita enim *Galenus* definivit. Ileus (*c*) *eſt phlegmone inteſtinorum*, *quo malo nec flatus infrà*, *nec dejectiones tranſmittuntur*, *tormina ſequuntur vehementia*, *cruciatúſque intolerabiles*. Unde alibi ſic habet, (*d*) *In ileis nihil ſubit deorſum*, *idque hujus affectionis proprium eſt inſeparabile* : *vomitus autem non ſemper adeſt*, *ſed cum perniciosè ægrotant*.

(*a*) De cauſ. & ſign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 18.

(*b*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 259.

(*c*) Defin. Medic. n°. CCLXXIII. Charter. Tom. II. pag. 264.

(*d*) Hippocrat. Aphoriſm. V. Sect. VII. n°. X. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 296.

Similia & de hoc morbo habet *Hippocrates* dicens, (*a*) *Resiccatur enim simul intestinum, & constipatur ex inflammatione, ita ut neque flatus, neque alimenta pertranseant, sed venter durus sit, & vomat interdum.* Unde ilei nomen ἀπὸ τȣ̃ ειλέειν optimè deduceretur quòd coarctare, cogere, concludere aut in arctum retroducere significat. Ubi verò idem vocabulum cum aspiratione εἰλέειν scribitur, tunc potiùs significat vertere, volvere, implicare, insinuare. Atque sic à revolutione flatuum per angustos superiorum intestinorum anfractus hunc affectum *Aretæus* vocavit (*b*) εἰλεόν; & inde etiam receptum ubique jam volvuli nomen videtur desumptum fuisse. *Celsus* (*c*) tamen simpliciter tenuioris intestini morbum vocavit; & Græcam vocem εἰλεόν sine adspiratione reliquit, nec Latino vocabulo explicuit; verùm in capite sequenti de plenioris intestini morbo agens, dicit, (*d*) *Intestinum verti videtur*, quod accedit potiùs ad significationem ejusdem vocis; quando cum adspiratione scribitur. Fortè & volvulus ideo vocatus fuit, quia, ut *Cœlius Aurelianus* habet, (*e*) *vel quòd existiment ægrotantes, convolvi atque torqueri suorum intestinorum vetricula* (sinuosos anfractus)...... *vel quòd vehementiâ dolorum supra eas partes, quæ patiuntur, ægrotantes arcuati convolutique plicentur.* Videmus enim miseros illos acerbissima hæc tormenta lenire conantes, dum antrorsum flexo corpore quasi convolvuntur. Postea inprimis videtur volvuli nomen retentum fuisse, quòd crediderint multi, violentis illis spasmis intestina sic convolvi & complicari, ut proprium cavum angustarent, vel & integre clauderent; vel potiùs quando intestini pars contracta proximam dilatatam ingredietur, quam & vocaverunt intro-susceptionem intestini. Vix enim concipi potest, quomodo intestina, mesenterio annexa, ita circumtorqueri possent, ut cavum illorum inde clauderetur. Putrefacto priùs mesenterio, quod *Ruyschius* (*f*) se semel atque iterum vidisse testatur, adeóque nexu illo soluto, hoc quidem fieri posset; verùm tunc à gangræna mesenterii jam mors sequeretur, antequam hoc fieret, cùm ejus læsiones adeo periculosæ sint, utì antea ad §. 170. n°. 3, probatum fuit. Illæ verò intro-susceptiones intestini frequenter observatæ fuerunt in cadaveribus, ubi intestinum spasmo contractum, hinc tenue & angustum redditum, in contiguam ejusdem intestini partem ingreditur sæpe ad notabilem longitudinem; sícque liberum transitum per cavum intestini intercipit. Bis hoc publicè demonstravit *Ruyschius* (*g*). Pluribus in locis intestina sic involuta vidit in cadavere puellæ, convulsionibus mortuæ *Willisius*, (*h*) *Nempe partis unius superficies convexa, in alterius concavam, tamquam in vaginam fuit intrusa & altè*

(*a*) De Morb. Lib. III. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. pag. 588.

(*b*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 18.

(*c*) De Medicin. Lib. IV. Cap. XIII. pag. 221.

(*d*) Ibid. pag. 223.

(*e*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XVII. n°. CXXXVIII. pag. 235.

(*f*) Observat. Anatomico-Chirurg. n°. XCI. pag. 84.

(*g*) Ibid. pag. 85.

(*h*) Patholog. Cerebr. ubi de Morb. Convulsiv. Cap. VIII. Observ. IV. p. 107.

recondita. Absque ratione ergo *Helmontius* volvulum intestinorum impossibilem esse dixit, dum in ditissimo cive Antuerpiensi (qui octoginta mille libras sanaturo obtulerat, dimissis veredariis quoquoversus), ileo, intra hebdomadam exstincto, inveniebatur post mortem (*a*) *durum stercus in gracili intestino sedecim digitis supra monoculum* (cœcum) *hæsitasse.* Nemo negat ab infarctis immeabili materiâ intestinis hunc morbum nasci posse, sed temere inde concluditur, hanc causam solam & unicam esse. Verum quidem est, quòd consideranti intestinorum cum mesenterio nexum mirabilem, eorumdem glabritiem summam & lubricitatem, difficilis videri debeat ille mutuus intestinorum ingressus. In cadaveribus difficulter efficere possumus, ut intestini pars proximam ingrediatur, & dum hoc factum fuit, mox iterum elabitur. In brutorum viventium adhuc intestinis incassum tentatum fuit morbum hunc imitari. Interim autopsia docuit, hoc factum fuisse: imò frequentiùs, quàm vulgò credi solet, utì pluribus fide dignissimis Observatis probatur in pulcherrima Dissertatione clarissimi *Velsii* (*b*). Inprimis autem in juniorum cadaveribus occurrunt, utì eruditissimus Auctor monuit, & ipse aliquoties vidi. Distinxit autem volvulum in perfectum & imperfectum. Perfectus erat, cùm portio intestini, unà cum mesenterii parte sibi adhærente, subierit proximam à morbosa causa ampliorem redditam. Imperfectus dicitur, dum pars à mesenterio aversa proximam partem ingreditur, reliquâ parte, mesenterio annexâ naturaliter adhuc dum explanatâ. Ad satìs magnam longitudinem intestinum contractum sic ingredi posse partem proximam *Peyerus* (*c*) docuit, inveniens partem susceptam quatuor digitos transversos longam fuisse. Neque semper superior pars inferiorem ingreditur, sed & contrarium observatum fuit. Mesenterium autem in perfecto volvulo semper simul ingreditur, sícque locum arctat, & impedit facilem evolutionem suscepti intestini. Vidit autem manifestè *Peyerus* (*d*) in lacessitis ranæ viventis intestinis sic volvulum nasci, dum quædam loca ampliora vicinas intestini portiones intra se recipiebant, & sinu suo absconditas aliquamdiu detinebant, donec fibris se denuo exporrigentibus, pars recondita ex latibulo suo prodiret. Pulchrum hoc Experimentum docet & torminum & volvuli originem & causam: credibile enim admodum videtur, absque dolore insigni non fieri & hanc intestini contractionem, & contracti intestini unà cum parte mesenterii annexa ingressum in vicinam partem dilatatam: cessant autem hæc tormina, dum iterum evolvuntur intestina, redeunt ab eadem causa renovata. Hinc intelligitur & alia ratio, cur in hujus morbi principio sæpe dolores illi acerbi per intervalla tantùm affligant: ubi verò susceptum intestinum ad tantam longitudinem ingressum fuit, vel ab inflammatione intumuit, ut iterum evolvi nequeat, tunc manet dolor fixus, urens, in eodem loco semper persistens. Optimè id notavit *Sydenhamus* de hoc morbo agens; ita enim habet (*e*) *Sub initio hujus morbi non ita certò ad unum ali-*

(*a*) Ort. Medicin. Tractat. de Flatib. n°. XXX. XXXI. pag. 339.

(*b*) Dissertatio Inaugural. de Mutuo Intestinor. Ingressu, &c. Lug. Batav. 1742. pag. 2. 3, & seq.

(*c*) Parerg. Anatom. Exercit. I. Cap. IX. pag. 46.

(*d*) Ibid. pag. 47.

(*e*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 259. 260.

quod punctum determinatur dolor, atque in ejusdem progressu; neque tam crebra est vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quò autem magìs augetur dolor, eò obstinatiùs in puncto figitur, vomituritio succedit frequentior, & major alvi adstrictio. Notat autem, quòd pergente hujus morbi atrociâ motus peristalticus omnino invertatur, omnia remedia cathartica data, fiant illico vomitoria; imò enemata injecta & (*a*) suppositoria ano immissa, cum fæcibus alvinis per totam intestinorum longitudinem sursum lata, vomitu rejiciuntur. Stercoraceam illam vomitionem & Medici antiqui observaverunt in hoc morbo, (*b*) & tamquam funestum præsagium damnaverunt. Fuerunt clari Viri, qui illam inversionem motûs peristaltici negaverunt, credentes sufficere ad hanc rem diaphragmatis & musculorum abdominalium convulsivam actionem, quæ excitabatur, dum à ventriculo ad morbi sedem in intestino usque, interceptâ liberâ viâ, repleta omnia forent: stercoraceum autem illum odorem produci à mora contentorum in ventriculo & intestinis. Verùm stercus propriè dicendum tantùm in crassis intestinis invenitur, in tenuibus naturaliter nunquam, & in morbis fortè rarissimè. Vidi chronica talia mala, ubi scirrho impediente viam, ægri vix unquam alvum deponebant, sed post quatuor, quinque, imò octo dies oriebatur summa anxietas, & revomebant omnia, quæ toto hoc tempore sumpserant, nec apparebat stercoreus ille odor in his, quæ vomitu rejiciebantur. Excussâ hâc gravante saburrâ commodè valebant, appetebant, reficiebantur ab assumptis, donec simili temporis intervallo idem vomitus rediret: & per plures annos tale malum toleratum novi. Nec contrarium evincere videntur illa Experimenta, quæ ligando intestinum tenue in vivis animalibus facta fuerunt (*c*); nam in his non potuerunt transire illa, quæ inter anum & ligaturam in fistula intestinali hærebant: neque inde explicari poterit, quomodo clysmata injecta vomitu excussa fuerint, utì certissimè in ileo factum novimus; nam & probatissimi Auctores hoc observaverunt, & ipse manifestè vidi. Difficile fortè videbitur, quomodo ex crassis contenta venire possint in ileum intestinum; utì etiam quomodo locum illum, ubi volvulus hæret, superare potuerint. Verùm si consideretur inverso hoc peristaltico motu ileum evacuari, cæci finem urgeri quàm maximè, & latera ejus distrahi, apparebit & hoc fieri posse. Si autem in volvulo pars superior intestini inferiorem in se susceperit, non est interclusa via penitus retrogrado motu propulsis intestinorum contentis. Difficiliùs procul dubio hoc contingere poterit, ubi pars inferior dilatata susceperit superiorem: sed notandum, quòd stercoraceus ille vomitus soleat ferè tantùm contingere, dum in pessimo statu versatur æger, & gangræna jam adest, vel saltem brevì sequitur: notum autem est partes inflammatas tensissimas flaccescere, dum inflammatio in gangrænam mutatur. Unde & *Hippocrates* & *Galenus* in locis modò

(*a*) Diemerbroek. Anatom. Lib. I. Cap. VII. pag. 36.

(*b*) Hippocrat. de Victûs Ration. Sanor. Lib. III. Cap. VII. Charter. Tom. VI. pag. 487. Galen. De Loc. Affect. Lib. VI. Cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 509. Æginet. Lib. III. Cap. XLIV. pag. 45, versâ.

(*c*) Académ. des Scienc. ann. 1713. Mémoir. pag. 470.

citatis monent, rarò vel nunquam emergere ileo correptos, si stercus vomuerint.

ABSCESSUM, GANGRÆNAM, &c. Omnes inflammationis effectus sequi hîc posse, satìs patet. Sed acutissima febris, intestinorum inflammationem comitans, nisi statim efficaci medelâ succurratur, brevì gangrænam lethalem facit, dum in constrictis spasmo partibus, validè simul inflammatis omnis influxus & effluxus vitalis humoris subitò tollitur. Verùm & acerbissimus dolor (ob quem *Aretæus* dixit, (*a*) *ita viventibus mori beatum est*) febrim auget; gangrænam accelerat (vide §. 226.). Unde alio in loco manifestè indicat, quòd (*b*) *multi quidem vi torminum repentè intereunt; aliis intestinum suppurat, deinde nigricans, tunc & putrefactum excidit, atque ita deficiunt.* Ideo & mediocris volvuli symptomata tantùm recensuisse videtur, ratus in vehementissimo volvulo, inter morbi initium & mortem mox secuturam, præter enormes dolores nihil observari à Medico posse. Simul vires etiam in robustissimis hominibus illico solvuntur; unde & *Aretæus* inter mediocris volvuli symptomata talem virium resolutionem (*c*) ἔκλυσιν recenset. Verùm antea ad §. 661, ubi de debilitate febrili agebatur, dictum fuit, noxios humores, aut & venenata in primis viis hærentia, omnes vires prosternere quàm citissimè: & videmus in sanissimis paulò antè hominibus, ab hernia incarcerata inflammato intestino, mox omnes vires labascere. Unde videtur nervosissimis his partibus talis proprietas inesse, ut malè affectæ statim illam partem corporis mutent, unde virium animalium & vitalium integritas & constantia pendent. Hujus rei causa à priori fortè difficulter explicari posset, sed sufficit Medico per fideles Observationes facti veritatem cognoscere.

Hinc intelligimus rationem, quare quandoque, licèt rariùs, in infantibus subitò mortuis inveniatur volvulus, absque ullo inflammationis aut gangrænæ natæ indicio (*d*). In his enim, ab acerbitate doloris illico convulsis, dum ab acri contento intestina irritantur, mors sequitur, antequam inflammatio nasci potuerit. In adultorum verò cadaveribus, hoc morbo defunctorum, semper, quantùm novi, inflammationis signa inventa fuerunt, vel saltem talia, quæ ex inflammatione, ut causâ, sequuntur.

§. 961. QUAMDIU in gradu inflammatorio subsistit, doloris iliaci nomine imponit incautis, frigori, flatui, vento, periculoso successu adscribitur, calidis tractatur, & carminantibus, eventu funestissimo.

Cùm sæpe oriantur molesti abdominis dolores absque inflammatione prægressa, inprimis in talibus, qui genus nervosum admodum mobile habent; & quidem à levibus sæpe causis, frigore pedum, &c; & flatibus explosis

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. v. pag. 105.
(*b*) De caus. & sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. vi. pag. 18.

(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide Cornel. Henric. Velf. Diss. antè citatam.

sedentur

sedentur hæc mala sæpe satìs citò ; ideo statim ferè omnes confugiunt ad carminantia dicta remedia, sive flatus discutientia, quæ omnia calefacientem vim possident. Videmus jam apud antiquos Medicos calida talia remedia data fuisse, quæ κόλικα vocabantur. Tale remedium *Celsus* (*a*) laudat à *Cassio* inventum, quod acria satìs aromata continet, piper longum & rotundum, costum, &c. Verùm optimè hoc laudat in morbo intestini plenioris, de quo dicit: (*b*) *In plerisque post frigora cruditatésque oritur, deinde quiescit; & per ætatem sæpe repetens sic cruciat, ut vitæ spatio nihil demat.* Ex qua descriptione satìs patet, hunc morbum non fuisse inflammatorium. Ita & *Aretæus* in illo casu, *ubi,*(*c*) *absque inflammatione ob corruptionem, aut ingens frigus,* ileus provenerit, venæ-sectionem omittendam suadet, & ad flatus evocandos cuminum & rutam laudat; sed simul mollia & oleosa adhibet internè & externè. Præterea veteres Medici similibus medicamentis, aquæ infusis copiosæ, potissimùm utebantur, túncque facilè ferri possunt. Verùm hodie Officinæ luxuriant spiritibus illis simplicibus & compositis aromaticis, cum spiritu vini paratis, qui à vi flatus discutiente laudantur, & in vulgus nota sunt. Unde rarò contingit Medicum in his morbis vocari, antequam ægri copiam similium sumpserint: facilè autem patet, quàm immaniter malum augeri debeat, ubi intestinorum inflammatio talibus irritatur. Vidi octavâ horâ jam lethalem ileum, dum sex uncias spiritus ex seminibus levistici destillati miser æger hauserat. Hinc multi pereunt, qui fortè servari potuissent. Quinimò, licèt à solo spasmo absque inflammatione dolor abdominis oriatur, minimè tutum est audacter similia sumere, quia semper periculum est, nisi subitò levent, quòd pessimè nocere possint. Licèt enim ab inflammatione morbus non duxerit originem, convulsionem tamen intestinorum, flatus creantem, inflammatio facilè sequi poterit, utì ad §. 959, patuit. Longè tutius est leniora talia aromatica remedia, ut semina quatuor calida majora, aut minora dicta in Officinis, aquæ infusa dare; tunc enim vix nocebunt unquam. Verùm ubi ex signis novimus, inflammationem adesse, tunc etiam ab his abstinendum est.

§. 962. COGNOSCITUR autem facilè pro vera inflammatione ex febre acuta continua comite; siti ingente, calore magno, pulsu duro, dolore igneo, urinâ flammeâ, debilitate subitaneâ.

Quàm maximè ergo attendendum ad signa, quæ inflammationem in hoc morbo præsentem docent; quæ satìs evidentia sunt, ut peritus Medicus hìc falli nequeat. Ubi ab inflammatione fit hic morbus, tunc solet febris plerumque præcedere,(*d*) *quæ per horas aliquot tantùm affligens in hunc morbum desinit;* utì *Sydenhamus* optimè notavit: idémque in pleuritide, anginâ, aliísque morbis inflammatoriis, pariter observatum fuit nempe febrim per aliquot

(*a*) De Medicin. Lib. IV. Cap. XIV. pag. 223. 224.
(*b*) Ibid. pag. 224.
(*c*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. V. pag. 105.
(*d*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 259.

tempus præcedere, & dein sequi inflammationem in hac illâve parte corporis. Ubi verò absque febre prægressa intestinorum convulsio sævos dolores produxerit, tunc, inflammatione natâ, febris sequitur. Simul tunc adsunt omnia illa symptomata, quæ & febrim acutam continuam & inflammationem comitari solent: sitis nempe, calor, & reliqua. De debilitate summa in hoc morbo ad §. 960, dictum fuit. Verùm omnia hæc symptomata adsunt in initio morbi; & cùm subitò in perniciem tendat, nisi succuratur, illico mutantur, & citò in contraria ferè abeunt: calori magno succedit frigus, dolor cessat, pulsus antea durus & fortis fit debilis, intermittens, celerrimus tamen, quod optimè *Aretæus* (*a*) notavit. Adest quandoque tanta constrictio ani, ut clysma injici nequeat; quod symptoma pariter (*b*) *Aretæus* notavit, utì & (*c*) *Hippocrates*. Ex his videtur etiam intelligi posse, quare in alio loco legatur, (*d*) *At si, remisso volvulo, febris eum prehenderit, desperatus est, fortassis enim soluta alvus inferior interficiet.* Si enim à spasmo valido volvulus natus perstiterit diutius, sequitur inflammatio, quam febris comitatur quidem, sed cùm citissimè tunc soleat gangreæna sequi, remittit, imò integre cessat dolor brevì, & tunc, gangrænoso intestini affecti loco non ampliùs resistente contentis, illa per alvum ruunt, & moritur æger; non quidem ob hanc alvi evacuationem, sed ob gangrænam intestini, utì postea ad §. 969, dicetur.

§. 963. SI flexum coli occupat (959), facit colicum dictum dolorem; si recti intestini ultima infestat, tum pro hæmorrhoidibus cœcis haberi solet: solvitur dysenteriâ blandâ, sub-cruentâ, biliosâ.

Quámvis Observata Practica doceant, inflammationem, ileum, volvulum, in tenuibus intestinis obtinere frequentiùs, tamen & per totum crassi intestini tractum fieri posse, & fabricæ similitudo suadet, & Observationes evicerunt omnino. In colo intestino volvulum invenit *Ruyschius* (*e*). In cadavere pueri, ex gravissima iliaca passione mortui, invenit *Hildanus* (*f*), intestinum cæcum contractum in intestinum ileum se insinuasse, illúdque adeo obturasse, ut nihil ex tenuibus intestinis in colon venire posset. Findebat intestinum ileum, ut eximeret cæcum, quod invenit ubique inflammatum & tumidum, & in fundo cæci scirrhum exulceratum vidit. Imò affirmat, se plura cadavera hoc morbo defunctorum inspexisse, sempérque invenisse principium & originem hujus morbi fuisse circa intestinum cæcum: hinc existimabat, valvulam *Bauhini*, inflammato cæco intestino, adeo contrahi, ut nihil ex ileo in crassum intestinum venire posset; unde & in ileo distento morbus propagabatur, & omnia circumjacentia gangræna & sphacelo corripiebantur. Verùm antè dicta satìs evin-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 18. 19.

(*b*) Ibid. pag. 18.

(*c*) Lib. de Affection. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 626.

(*d*) Hippocrat. de Morbis Lib. III. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. pag. 588.

(*e*) Adversar. Anatomic. Decad. III. §. V. pag. 17.

(*f*) Observat. Chirurg. Cent. I. n°. LXI. pag. 49.

cunt, & in aliis locis originem hujus mali Obſervatam fuiſſe; & videtur *Hildanus* ex ſingulari Obſervatione nimis properaſſe ad ſtatuendam perpetuam incipientis hujus morbi ſedem, inprimis cùm ipſe fateatur, tetram adeo mephitin ſpiraſſe cadavera defunctorum ab hoc morbo, ut vix potuerit exactè omnia conſiderare. In cadavere hominis diu multúmque colicis doloribus, inferiorem, præcipuè abdominis partem, infeſtantibus, laborantis, inventum fuit cæcum inteſtinum in pelvim deſcendiſſe, ibíque cum ſuperiori parte inteſtini recti firmiter concreviſſe: ab hoc loco ſurſum reflexa progredientis inteſtini pars angulum valde acutum cum cæco faciebat, & dein conſueto modo ſub hepate adſcendens infra ventriculi fundum porrigebatur, denique deſcendebat more ſolito, & terminabatur in inteſtinum rectum. Verùm in loco cohæſionis, & in vicinia, cæcum & rectum erant gangrænoſa, & ulcus, digitum mediocrem facilè admittens, inveniebatur in eodem loco, ubi cæcum cum recto concreverat (*a*). Conſtat ergo certiſſimis Obſervatis, & in inteſtinis craſſis eumdem morbum obtinere, unde mirum videbatur multis colici morbi mentionem non fieri apud *Hippocratem*, qui videtur univerſali nomine ilei omnes hos morbos deſcripſiſſe. Apud *Aretæum* tamen hæc pulcherrimè diſtinguuntur, qui optimè notat, varias ſæpe partes corporis accuſari, quibus colon inflammatum accumbit, prout nempe in hac illâve parte hujus inteſtini morbus hæret: dolor (*b*) *Modò ad coſtas uſque ſuperiores adſcendit, quando & ſpeciem lateris morbi præ ſe fert (ſi quidem & iſti febricitant); modò ſub ſpurias coſtas in dextram aut in lævam partem deſcendit ſic, ut jecur aut lien dolere videantur. Item & ilia nonnunquam dolore torquentur. Colon namque prægrande eſt, & quoquoverſum ſe circumvolvens.* Imò & notat illa ſymptomata, quæ ægros infeſtant, dum coli pars inferior, ubi in rectum abit, inflammatur: (*c*) *Quidam ſunt etiam, quibus & in ſacro oſſe dolor inhæreſcit, & in femoribus, & in illis locis quibus teſtes appenduntur, Græci κρεμαςῆρας appellant.* Quàmvis autem, inteſtino recto inflammato, & collum veſicæ, & adjacentia his ſeminum receptacula, affici poſſe videantur, tamen dolor ille femorum & teſtium potiùs ad nephritici mali ſigna pertinet, utì poſtea §. 993, dicetur. Monuit autem *Galenus* coli vehementem dolorem à Medicis quandoque renibus affectis adſcribi, & viciſſim renum cruciatus quandoque ad colum referri. Fatetur interim ipſe, hunc errorem facilè contingere, nec tamen ægris periculoſum eſſe, dicens, (*d*) *Igitur ab initio horum affectuum diſtinctio difficilis eſt, quo tempore neque magnam præſidiorum differentiam ipſi requirunt.* Et poſtea ſubjungit: *Quapropter nullum in curatione augurandum eſt damnum nobis evenire, quòd in primo horum morborum inſultu eos difficulter diſcernamus; tunc enim neque externis, neque internis, differentibus egent auxiliis, ſed ſufficiunt ea, quæ dolorem leniant.* Quænam ſigna diſtinguant nephritidem à dolore colico, poſtea dicetur, ubi de hoc morbo agendum erit.

Alterum, quod notandum eſt in craſſorum inteſtinorum inflammatione, hoc

(*a*) Philoſophical Tranſactions n°. CCCCXXII. pag. 236. Abridgem. Tom VII. pag. 517.

(*b*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VI. pag. 19.

(*c*) Ibidem.

(*d*) De Loc. Affect. Lib. VI. Cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 508.

est, quòd facilior sanationis spes affulgeat; unde *Aretæus* dixit, (*a*) *In hoc malo periculum tantò levius est, quantò κῶλον, id est, laxum intestinum tenuibus corpulentius, pinguius, & noxæ tolerantius est.* In eadem opinione fuit & *Celsus*; ita enim habet, (*b*) *Intra ipsa verò intestina consistunt duo morbi: quorum unus in tenuiore, alter in pleniore est. Prior acutus est: insequens esse longus potest.* Voluit autem hunc morbum præcipuè circa intestinum cæcum hærere, & ideo in dextra magìs parte dolores observari statuit. Cùm autem crassa intestina accumulandis & diu sæpe retinendis fæcibus destinata sint, hinc distensionem à retentis absque magna noxa ferunt, nec turbatur tam citò reliquorum intestinorum actio; si obstaculum in crassis intestinis natum fuerit. Præterea per clysmata injecta ad locum affectum apta remedia facilè pervenire poterunt; adeóque patet, meritò haberi inflammationem in crassis intestinis minùs periculosam, & faciliùs curabilem, quàm si in tenuibus intestinis idem morbus fuerit.

Ubi autem rectum intestinum inflammatur, tunc similia oriuntur symptomata, ac dum vasa hæmorrhoidalia, crasso sanguine turgida, intestini recti cavum arctant, vicina comprimunt, fæcibus alvinis viam præcludunt, cum tenesmo tamen continuo & molesto alvum exonerandi. Unde apparet, sæpe illud malum haberi pro hæmorrhoidibus cæcis, quæ dicuntur adesse, dum omnia symptomata, hæmorrhoides tumentes comitari solita, ægrum infestant, & nullus tumor in parte ani exteriori apparet, sed varicosa vasa intus latent. Accedit, quòd ab hæmorrhoidibus tumentibus sæpe & inflammetur intestinum rectum. Neque ille error multùm nocebit, cùm similem medelam ferè poscat uterque morbus, febris tamen acuta, inflammationis validæ comes, præcipuam distinctionem hîc faciet. Cùm autem in viris collum vesicæ intestino recto contiguum sit, & illud irritatum stranguriam molestam facit sæpe; quòd & *Hippocrates* (*c*) monuit: verùm & idem malum ab hæmorrhoidibus cæcis tumentibus fieri, quotidiana Observata testantur, imò & integram urinæ suppressionem ab eadem causa natam fuisse novi, quæ ruptis vasis tumentibus, & sanguine copioso per anum excreto, sanabatur statim.

Patet, satìs adhuc faciliùs curabilem esse inflammationem intestini recti, quàm coli, cùm & topicorum efficacia, inprimis balneorum & fomentorum, hîc immediatè loco affecto applicari possit, & diutius absque vitæ periculo tolerari hoc malum, dum totus reliquus intestinorum tractus morbo vacat. Ubi autem soluta materies inflammatoria per vasorum extrema dilatata exit, & partem affectam liberat, tunc exit per alvum, sed cum dolore & molestia; hinc dicitur solvi dysenteriâ, sed blandâ, sub-cruentâ & biliosâ: similis enim tunc exit materia à loco inflammato, ac per sputa educebatur in peripneumonia per coctionem & excretionem materiæ morbosæ; de qua re videantur illa, quæ ad §. 830, habentur. Cùm autem intestinum rectum copioso muco oblinatur, ut fæces commodiùs exire possint, & ille mucus, inflammato hoc intestino & irritato, copiâ magnâ simul exire solet; quod idem in aliis parti-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. vi. pag. 19.

(*b*) De Medicin. Lib. IV Cap. xiii. pag. 221. Confer. Ibid. Cap. xiv. pag. 223.

(*c*) Aphorism. Sect. V. n°. lviii. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 230.

bus corporis muco naturaliter madentibus, obtinere videmus, si inflammatione corripiantur. Notum v. gr. est quanta copia muci excernatur, dum tonsillæ, uvula, velum pendulum palatinum, inflammantur; de qua re vide §. 805. Molestissimum in hoc affectu symptoma est tenesmus, quod & *Hippocrates* notavit, dicens, (*a*) *Si rectum intestinum obsideat inflammatio, dolor prehendat ac febris, & ad alvum exonerandam crebrò desideat, nihilque dejiciat, & à pituita videatur anus procidere, interdum etiam urinæ stillicidium opprimat; qui morbus oritur, quum pituita ex corpore in rectum intestinum incubuerit.* Inde & intelligitur ratio, quare alio in loco dixerit *Hippocrates* quòd (*b*) *tenesmus in dysenteriam* transit; ubi nempe, inflammato recto intestino, tenesmus oritur, & dein morbus per blandam & sub-cruentam dysenteriam solvitur. Uti etiam, quare alibi monuerit quòd, (*c*) *quum tenesmus prehenderit, sanguis & mucus secedunt;* & paulò pòst addat: *Ac fit quidem ex iisdem, à quibus & dysenteria: verùm imbecillior, & brevis miniméque lethalis.* Notandum enim, dysenteriam molestam quidem esse, sed non semper noxiam, imò quandoque salutarem, si nempe morbosa materia evacuetur, quod in genere notavit *Hippocrates* dicens, (*d*) *Hujusmodi enim egestiones etiam eos, qui priùs sunt in corporibus, morbos sanant; antiquiores quidem diutiore tempore, recentiores autem in paucis diebus submovere possunt.*

Sic expensis illis, quæ spectant diversitatem in hoc morbo, prout varia intestinorum loca occupat; sequitur, ut videamus illa quæ ad curationem requiruntur.

§. 964. SIMULAC noscitur præsens per signa (959. 960.) in eo statu statim, maximo molimine tentanda sanatio, quæ acquiritur 1°. Missione largâ, & repetitâ sanguinis, ut in pleuritide (890). 2°. Assiduo injectu clysmatum laxantium, diluentium antiphlogisticorum, sæpe repetitorum ad tertiam, quartam, & ultrà, vicem uno die. 3°. Potu assiduo calido eorumdem, additis prudenter opiatis, & iis, quæ causæ singulari compertæ (959) adversa sunt. 4°. Fomentis ex similibus toti abdomini applicatis, maximè ex junioribus, vivis, validis, sanis, animalibus impositis. 5°. Atque interim cautè cavendo ab omni acri, impetum augente, calefaciente, potu, cibo, medicamento, motu animi affectu. 6°. Tamdiu persistendo in usu horum, donec omne malum sedatum sit, nec tribus diebus redierit.

Dolor intolerabilis, & gangrænæ subitò lethalis ingens discrimen, efficacem & promptam medelam postulant; hinc citò debent omnia adhiberi, quæ ratio & usus docuerunt in hoc morbo prodesse posse.

(*a*) Lib. de Fistul. Cap. v. Charter. Tom. XII. pag. 143.
(*b*) De Morb. Lib. I. Cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 533.
(*c*) Lib. de Affection. Cap. VII. Charter. ibid. pag. 628.
(*d*) Prædiction. Lib. II. Cap. XIII. Charter. Tom. VIII. pag. 821.

1°. Quàm efficax remedium sit in inflammationis curatione sanguinis missio, jam sæpius dictum fuit; & unanimis optimorum Medicorum consensus hujus auxilii usum probat. Verùm optimè *Aretæus* in curatione hujus morbi dixit, (*a*) *Quocirca neque remedium remedium ullum morbo inferius, neque debilius à Medico adhiberi opus est*; unde jubet, (*b*) *venam in cubito magnâ sectione* aperiendam esse, ut multus subitò sanguis exeat, ad animi etiam deliquium usque. Tantam enim meritò dolorum acerbitatem agnovit in hoc affectu, ut magnum quid putaverit, si, in animi deliquium lapsi, post validam sanguinis evacuationem, ægri per pauculum temporis spatium illos cruciatus non sentirent, licèt nondum causa morbi remota foret. Verùm audacem hanc sanguinis missionem tunc tantùm laudavit *Aretæus*, ubi constiterit, causam morbi esse inflammationem; si enim absque hac fuerit, tunc venæ-sectionem omittendam esse voluit. Interim tamen, si à mero spasmo ortus hic morbus fuerit, nisi subitò levetur antispasmodicis aliísve demulcentibus remediis, metuenda est inflammatio, ut morbi jam facti sequela; adeóque & tunc utilis erit venæ-sectio, sed moderatâ magìs copiâ. Quinimo, utì ad §. 141 dictum fuit, *Galenus* largam sanguinis missionem laudavit non tantùm in febribus ardentissimis, & maximis inflammationibus, verùm etiam in doloribus vehementissimis. Si ergo ingens dolor urget, absque febre acuta comite, aut magno calore, tamen & sanguinis missio conducet ad præcavendam inflammationem, quæ semper sequetur, si pergat morbus. Testatur enim celeberrimus *Simsonus*, (*c*) se magnum numerum aperuisse cadaverum volvulo defunctorum, sempérque invenisse validam inflammationem intestinorum. Unde meritò statuitur, hunc morbum vel inflammationem ut causam agnoscere, vel illam brevì producere. Venæ-sectionis autem repetendæ necessitas indicatur à doloris, febris, caloris, intensitate; de qua re satìs copiosè dictum fuit ad §. 890. n°. 1, ubi de pleuritidis curatione agebatur.

2°. Quantum usum habeant clysmata mollia & refrigerantia ad compescendum nimium febris impetum, antea ad §. 610, dictum fuit; adeóque & hoc effectu juvare poterunt, cùm inflammationis in corpore natæ resolutio tunc tantùm sperari possit, quando sedatus humorum motus adest (vide §. 386.). Præterea si in crassis intestinis morbus hæserit, loco inflammato applicabuntur sic mollissima fomenta quæ & vasa infarcta laxabunt, & humores immeabiles diluent. Ubi verò tenuia intestina inflammata sunt, tunc quidem clysmata huc usque non pervenient naturaliter, sed tamen crassa intestina, repleta talibus remediis, balneum quasi præbent omnibus vicinis, adeóque & sic prodesse poterunt. Nihil enim magìs juvat spasmo constrictas partes, quàm emollientissimorum remediorum calida applicatio; unde simul tutissimum & efficax doloris lenimen sperari poterit (vide §. 234.). Decoctum hordei, avenæ, seminum lini & similium, addito melle & oleo lini, sufficiunt pro hac indicatione. Unde & *Celsus* uti voluit, (*d*) *Percolato ptisanæ cremore cum oleo*

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. v. pag. 105.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Medical Essays Tom. V. Part. II. pag. 664.
(*d*) De Medicin. Lib. IV. Capag. xii. p. 222.

& melle sic, ut praeterea nihil adjiciatur.... Si dolor non quiescit, etiam in alvum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos calidi olei dare. Quantum autem remedium sit oleum molle & calidum ad leniendos dolores, à distractione partium nervosarum ortos, constitit Exemplo (*a*) *Galeni* ad §. 164, recensito. Unde & *Aretæus*, stercore priùs excreto, oleum calidum cum ruta injici jussit: (*b*) *Id enim si intus moretur, fomentum intestinis propitium est.* Frequenter autem hæc repeti possunt, imò debent, ut leniatur, acerbus ille dolor, & laxentur spasmo constrictæ partes. Quandoque contingit, licèt rariùs, tantam esse ani constrictionem, ut tubulum pro clysmate injiciendo non admittat; quod & observavit celeberrimus *Fridericus Hoffmanus* (*c*). Mollissimis unguentis tunc anum illinire oportet, vel & balneo vaporis, dum sellæ perforatæ insidet æger, fovere, donec laxetur.

3°. Omnia illa laxantia, attenuantia, antiphlogistica remedia, quæ in pleuritide laudata fuerunt, hîc etiam conveniunt: verùm cùm inflammationem intestinorum spasmus semper comitari soleat, hinc omnium mollissima remedia hîc conveniunt. Et ob eamdem causam prudens opiatorum usus commendatur, cùm nullum ad spasmos solvendos remedium potentius opio habeatur; utì quotidianæ Observationes docent. Verùm hæc non conveniunt, nisi priùs sanguinis missio & clysmata adhibita fuerint, inflammationis augmentum impediatur: secùs enim contingere posset, ut per opiata sopito doloris sensu, causa doloris, inflammatio nempe, destrueret, gangrænâ natâ, partem affectam. Ita *Aretæus* post largam sanguinis missionem, aquam tepidam cum oleo potatam, clysmata oleosa, fomenta, &c, laudat anodyna medicamenta, & inprimis (*d*) *ex viperis medicamentum, plùs consuetâ portione potui datum.* Verùm illud est *theriaca Andromachi*, qui *Mithridatio Damocratis* viperinas carnes addidit, & opii quantitatem auxit. Notandum præterea, quòd majorem solitò quantitatem hujus remedii dari jusserit, ut eò efficaciùs dolor & spasmus compescerentur. Laudavit pariter & opiatorum circumspectum usum *Trallianus* (*e*), ubi vires robustæ essent, & dolor magnus, & urgens. Prudentissimè autem addit, ubi vires robustæ sunt; nam ubi hic morbus in perniciem vergit, pulsus fit debilis & intermittens, utì ad §. 969, dicetur; sequitur gangræna, cum subita doloris acerbissimi abolitione, & mors. Si jam opiatum datum fuerit, inopinatum illud doloris lenimen adscribitur exhibito remedio, utì & mors brevì sequens, cum magna Medici infamia. *Sydenhamus*, ob summum candorem & exactissimam morborum Observationem adeo æstimatus, simili Methodo usus fuit: post venæ sectionem liberaliorem, (*f*) dabat laudanum liquidum; si verò noxii humores, vel saburra ab ingestis, ventriculum gravarent, tenui liquido potato, (*g*) *& per vomitum rejecto*, eluebat hæc, ne relicta nocerent; quod & *Aretæus* (*h*) suaserat.

(*a*) Hippocrat. Lib. de Articul. Comment. I. text. LXII. Charter. Tom XII. pag. 323.
(*b*) De Curat. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. V. pag. 105.
(*c*) Medicin. Ration. Systemat. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. XII. ubi de Enarration. morbor. Observ. IV. pag. 552.
(*d*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. V. pag. 106.
(*e*) Lib. X. Cap. I. pag. 578.
(*f*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 260.
(*g*) Ibid. pag. 261.
(*h*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. V. pag. 106.

In doloribus autem vehementioribus largiori dosi & iteratâ usus fuit; imò alibi dixit *Sydenhamus*, quòd, ubi cathartico dato post venæ-sectionem, dolor & vomituritio redierint, alvo manente constipatâ, tunc omni quartâ vel sextâ horâ dederit paregoricum, (*a*) *donec intestinis quies omnimoda inducatur, ac proinde motus eorum naturalis deorsum versùs restituatur.* Tunc enim, spasmis his solutis, catharticum remedium alvum solvet, licèt cæteroquin narcotica alvum strictam reddere soleant.

Cùm autem ad §. 959, dictum fuerit, à materie acri, & quidem varia, hunc morbum oriri sæpius, simul & eliguntur talia, quæ causæ acri cognitæ opposita sunt. Si ab acri acido, ut in infantibus sæpe fit, oriatur morbus, acidum absorbentia & enervantia exhibentur: & contrà si à putrida materia natum fuerit hoc malum, acida & acescentia optimum remedium exhibent, inprimis si multâ aquâ diluantur. Cæterùm aqua, oleum, emollientia decocta, omnem acrimoniam enervant, adeóque semper prosunt, etiam in illis casibus, ubi de singulari acrimoniæ indole dubium est, vel ubi erosæ partes sola blandissima tantùm ferre possunt.

4°. Omnia enim, quæ prodesse possunt, simul & semel adhibenda sunt, ut levamen doloris fieri possit, & periculosæ inflammationis sequelæ caveantur. Quod pariter commendans *Aretæus* dixit, (*b*) *Ubique enim quisque omnia dolorem levantia faciens juvat.* Ita & *Celsus* laudat (*c*) *calida cataplasmata admovere, eáque imponere à mammis usque ad inguina, & spinam, ac sæpe mutare* . . . . . (imò) *demittere totum hominem in calidum oleum;* ut omnia reddantur laxa quàm maximè, & sic inducatur toti abdomini talis mollities, quæ spasmo quàm maximè opposita est, in quo omnia rigent. Vidi in homine, qui bidui spatio ex hoc morbo periit, totum abdomen complanatum fuisse, dum musculi abdominales, tetanodes facti, compresserant omnia supposita. Hinc monuit *Sydenhamus*, (*d*) *intestina nonnunquam quasi injectâ fasciâ constringi.* Verùm ad §. 234, pluribus veterum Medicorum Observatis probatum fuit, pinguia humida calida, optimum remedium dare ad tetanum sanandum, si rigentes & convulsæ partes continuò his foveantur. Imò *Celsus* in tetani cura pariter ac in hoc morbo utile dixit, (*e*) *in calidum oleum totum descendere, vel in aquam calidam, in qua fœnum græcum decoctum sit, & adjecta olei pars tertia.* Pluribus Observationibus probatur (*f*), quàm pulchre profuerit balnei usus in hoc morbo.

Verùm imprimis hîc laudatur tepor ille naturalis, qui ex vivis & sanis animalibus abdomini impositis habetur, ubi simul & subtilissimum exhalans de animalis corpore balneum quasi vaporis exhibet. Calidum adhuc, de recèns mactati animalis abdomine evulsum, omentum, oleo molli & penetrabili plenum, pulchrum pariter in hoc morbo remedium dat, sed non semper illo tempore, dum requiritur, præstò est: (*g*) *Catulum viventem nudo ventri indesinenter accumbere*

(*a*) Schedul. Monitor. de novæ febris ingressu, pag. 672. 673.

(*b*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II, Cap. v. pag. 106.

(*c*) De Medicin. Lib. IV. Cap. XIII. pag. 222. Confer. Hippocrat. de morb. Lib. III. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. pag. 588.

(*d*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 259.

(*e*) De Medicin. Lib. IV. Cap. III. pag. 195.

(*f*) Medical Essays Tom. III. pag. 373.

bere jubebat *Sydenhamus* per integrum biduum vel triduum, dum ileum curabat

Præterea & (a) *Aretæus* & (b) *Celsus* laudaverunt cucurbitarum, satìs numerosarum, applicationem, absque scarificatione, nisi hac viâ sanguinem evacuare voluerit Medicus; tunc enim (c) duas vel tres pertundendas esse dixit *Celsus*, per reliquas spiritum tantùm evocandum esse: de qua re videantur illa, quæ de cucurbitarum usu, & præsenti ab illis levamine in doloribus flatulentis abdominis, dicta fuerunt ad §. 650.

5°. Ex omnibus, quæ de cura inflammationis in genere dicta fuerunt, satìs constitit, mollia remedia, & quæ, absque acrimonia, vel motu aucto, potenti solvendi efficaciâ valent, hìc tantùm locum habere; perniciosum inprimis hìc esse calidorum remediorum usum, utì antea ad §. 961, dictum fuit. Interim tamen apud summos in Arte Viros legimus, cum successu adhibita fuisse etiam acriora remedia, inprimis purgantia, & multa alia tentata fuisse, ad recuperandum liberum ingestorum transitum per intestinalis fistulæ cavum, quæ considerationem merentur.

Notandum enim est, præter inflammationem intestinorum hìc sæpius adesse simul impedimentum, quòd cavum intestinorum obstruit, & quod removeri debet ut curatio fiat. Si impedimentum illud fiat à tumore inflammatorio solo, tunc patet satìs, omnia, quæ modò laudata fuerunt, convenire; & quidem sola, cùm irritatio loci inflammati per stimulum medicamentorum purgantium, vel aliorum acrium, semper noxia sit. Verùm si materia immeabilis in cavo intestinorum hæserit, sive hæc præexstiterit ante inflammationem natam, sive collecta fuerit illo tempore, dum inflammatione tumens intestinum proprium cavum arctaverit; illa loco moveri debebit necessariò, ut sanatio obtineatur. Præterea si volvulus factus fuerit, & ille extricari debebit, ut libera per intestinorum cavum via restituatur. Notum est, ingesta sensim promoveri à ventriculo ad anum usque per motum peristalticum, unde Medici videntur tentasse purgantibus stimulis aucto hoc motu propellere obstacula, quæ hìc hærebant, nec naturali & pacato motûs peristaltici impetu poterant promoveri. Præterea ex Experimento *Peyeri* antea memorato patuit, in ranæ intestinis volvulum denuo extricari per ipsum intestinorum vermicularem motum; & ideo videntur Medici sperasse, per purgantia aucto hoc motu & susceptionem intestini evolvi posse. Alii gravia metallica corpora deglutienda dederunt ægris, ut hæc delapsa per intestinorum cavum pondere suo removerent hærens obstaculum: sícque varia admodum tentata fuerunt, felici quandoque cum successu, quandoque non. Unde expendi meretur, quid hìc dictet prudentia, quid docuerit usus.

Certum est, inflammationi intestinorum priùs medelam fieri debere, per venæ-sectionem, fomenta, clysmata mollissima, &c; & malè fecisse illos, qui crudum adhuc morbum talibus irritantibus tractaverunt, non præmissis reliquis. Sapiens Vetustas in hoc morbo curando hanc normam tenuit.

(a) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. v. pag. 106.
(b) De Medicin. Lib. IV. Cap. XIII. pag. 221.
(c) Ibid. pag. 221. 222.

Hippocrates priùs sanguinem (*a*) *è capite & cubitis* detrahebat, ægrum in solio aquæ calidæ collocabat, oleo illinebat, tepentes & humidos fotus admovebat. Dein suppositorio applicato tentabat educere, exusta circa rectum intestinum stercora; dein clysmata injiciebat. Ubi hæc incassum tentata fuerant, tunc (*b*) *folle fabrili indito in ventrem flatus immittendus, ut tum ventrem, tum intestinum contractum distendas, deinde extracto folle clysma injiciendum ex non admodum calefacientibus, sed stercora dissolventibus ac emollientibus. Deinde obturatâ sede spongiâ, in aqua calida desideat, clysma continens.* Videmus hîc, efficacem curam antiphlogisticam præmissam fuisse, antequam aere per follem impulso conaretur intestini latera dilatare, ut fæces descendere possent: præterea ex alio loco patet, quòd hanc curam adhibuerit, (*c*) *quum, stercore acervatim combusto in intestino, pituita circa hoc colligitur, intestinúmque, his nimirum confertim induratis, intumescit, nullúmque ex his medicamentis, quæ per superiora bibuntur, recipit, sed vomitione rejicit; neque admota per inferiora infusa* (clysmata) *recipit.* Disertè autem monuit *Trallianus*, de eadem hac curatione agens, sequentia: (*d*) *Nam si citra inflammationem præcedentem frigidus colicus ileosúsque affectus sit, confert tunc uti curatione per utrem. Sin autem, inflammatione prægressâ, adstrictio alvi oborta sit, hæc curandi ratio, præterquam quòd nihil juvet, maximè etiam nocebit.* Eamdem & cautelam de purgantibus exhibendis tradidit dicens, (*e*) *At si colicum affectum ob inflammationem intestini fieri contingat, neque omnino exhibere audebis purgationem in his, & præcipuè in initio, cum inflammatio nondum ad coctionem pervenerit. Qui enim medicamenta ventri ducendo apta præbere non dubitârunt, ægrotantibus periculorum auctores & mortis exstiterunt.* Sic etiam *Aretæus* post audacem venæ sectionem ad animi deliquium usque, post clysmata, fomenta, cucurbitas, theriacam, &c, tandem addit, (*f*) *Si neque dolor remittitur, neque flatus, neque stercus dejicitur, purgatorium pharmacum quod hieram vocant necessariò dandum est.* Horum vestigia legens *Sydenhamus*, ubi (*g*) *dolor cum vomitu per spatium bidui triduìve omnino cessaverit*, tunc dedit purgans remedium. In alio loco, post præmissam liberaliorum venæ-sectionem, (*h*) *postero die catharticum aliquod lenitivum* præscribebat; sed erat in tali morbo, in cujus initio nec dolor adeo fixus erat, nec tam creber vomitus, nec alvus adeo pertinaciter vim catharticorum eludebat. Ubi autem fortioribus purgantibus opus esse credebat, tunc (*i*) anodynis priùs utebatur, ut intestinorum spasmos compesceret.

Verùm & clysmatum formâ fuerunt exhibita purgantia, præmissis priùs antiphlogisticis remediis, & cum felici quandoque successu. Notum enim est quadruplam dosin purgantium per clysma injectam, eumdem præstare effectum, ac si simplex dosis ore assumeretur. Omnium efficacissimum reme-

(*a*) De Morb. Lib. III. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. pag. 588.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Lib. de Affection. Cap. VI. Charter. Ibid. pag. 626.
(*d*) Lib X. Cap. I. pag. 582.
(*e*) Ibid. pag. 589.
(*f*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. V. pag. 106.
(*g*) Sect. I. Cap. IV. ubi de ileo, pag. 91.
(*h*) Sect. IV. Cap. VII. pag. 260.
(*i*) Schedul. monitor. de nov. febr. ingress. pag. 672.

dium invenit *Sydenhamus* (*a*), si fumus nicotianæ validissimè in anum insuffla retur. Licèt autem *Fridericus Hoffmanus* propriâ experientiâ de hac re nihil determinet, affirmat tamen, (*b*) *quòd experimentum hoc in equis, ad alvum validè adstrictam, aperiendam, maximæ sit virtutis*, séque novisse, (*c*) *homines quosdam plebeios, acroci intestinorum dolore vexatos, fumi tabacini solâ deglutitione, ab omnibus cruciatibus in instanti fuisse liberatos.* Monet *Heisterus* quòd (*d*) *debet autem fumus ille tam diu in anum inspirari, donec dejectionis stimulum satìs vehementem ægri persentiscant:* inprimis autem prodesse si ex præstantiori nicotiana fumus applicetur. Fatetur autem celeberrimus Vir, se tantam efficaciam hujus remedii in herniis incarceratis curandis observasse, ut nunquam scalpello opus habuerit. Delineavit & instrumentum, quo commodè applicatio hujus remedii fieri poterit.

Circa usum autem gravium metallicorum corporum deglutitorum discrepant multùm inter se Auctores. *Helmontius* audacter dixit, neminem ileo perire, si (*e*) globuli plumbei sclopetarii deglutiantur, ut sub pondere propellant impedimentum in intestinis hærens: credidit autem eò citiorem & feliciorem sanationem fieri, quò plures & majores haurirentur, dum simul æger erecto situ stet, vel ambulet. Verùm si consideremus, intestinum supra locum obstructum expandi, gravia hæc deglutita ibi hærebunt in dilatato intestino, nec directè in obstaculum pondere suo gravitabunt. Si verò volvulus adsit, ita ut pars superior intestini contracta in inferiorem dilatatam recipiatur, poterunt hæc nocere potiùs, dum augebunt hanc intro-susceptionem, protrudendo intestinum susceptum ulteriùs in proximam partem dilatatam. Unde non sine ratione dixit *Sydenhamus* quod hæc, (*f*) *præterquam quod parùm conduunt, noxam sæpe haud contemnendam inferunt.* Qui varios intestinorum gyros considerat, satìs intelliget, non tantùm boni exspectari posse ab his deglutitis, ac quidem multi credidisse videntur. Verùm argenti vivi usum, quem pariter improbavit *Sydenhamus* (*g*), laudaverunt clari in Arte Medica Viri. Testatur *Heersius*, (*h*) se sæpius illud dedisse, illúdque sine noxa, momento citiùs, eductis secum obviis fæcibus per intestina transivisse. *Zacutus Lusitanus* (*i*) monet, multos in ileo desperato, haustis libris tribus argenti vivi in aqua calida, ab imminente morte liberatos fuisse. Satìs tutò illud sumi posse, si citò iterum elabatur de corpore, numerosæ satìs Observationes docuerunt; cúmque admodum penetrabile sit, & post aurum ponderosissimum, poterit expedire vias. Fortè & omnium tutissimè majori copiâ sumitur, tunc enim collectum manet, & faciliùs per alvum elabitur, & citiùs. Ubi enim diu hæret

(*a*) Schedul. monitor. de nov. febr. ingress. pag. 671.
(*b*) Medicin. Rational. Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. v. ubi de cautel. & Observat. Clinic. §. iv. pag. 335.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Institut Chirurgic. Part. II. Sect. V. Cap. CLXI. §. VI. pag. 1101.
(*e*) Ort. Medicin. Tractat. de flatib. §. XXXI. pag. 339.
(*f*) Sect. I. Cap. IV. ubi de ileo, pag. 91.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Observat. Med. Lib. I. Observ. 11. pag. 37.
(*i*) De Medicor. Princ. Historia. Lib II. Hist. LXXIX. pag. 358.

in corpore, & venas bibulas intestinorum ingressum sanguini miscetur, tunc longè alia producere posset. Ante aliquot annos & in Anglia & in Scotia (*a*) panaceæ instar ferè laudabatur, si manè uncia una aut altera argenti vivi sumeretur, quod multi fecerunt per plures hebdomadas; absque ulla sensibili evacuatione auctâ. Interim tamen constitit, licèt non illico nocuerit postea tamen damna intulisse: miri & sæpe insuperabiles morbi illorum, qui argentum vivum quotidie ad sua artificia adhibent, satìs evincunt, cautè hîc procedendum esse. Celeberrimus *Fridericus Hoffmanus* dedit in hoc morbo mulieri quadragenariæ libram mediam purissimi argenti vivi, dato priùs pingui juscu-lo; (*b*) *desuper bibendum brodium carnis cum aliquot unciis olei amygdalarum dulcium*, lenémque per conclave deambulationem suasit. Post quinque horas solvebatur alvus, & simul uncia circiter argenti vivi exibat cum levamine omnium symptomatum; verùm per quatuordecim dies, & ultrà, fæcibus alvinis permista apparebat portio argenti vivi. Sed quod notandum, restauratis jam viribus, tremor in artubus, & impotentia in pedibus, manebant ultra mensis spatium. Verùm Observationes docent, hæc mala obtinere in illis, qui argentum vivum imprudentiùs tractaverunt, adeóque & meritò suspicari quis potest, argentum vivum, non simul & semel de corpore elapsum, hæc mala produxisse, dum diutius hæsit in corpore. Negari tamen non potest, in morbo hoc adeo periculoso, tentari posse & usum remedii, licèt suspecti, si spes sit, imminentem mortem sic evitari posse.

Verùm & alia à Medicis cum successu in hoc morbo tentata legimus, quæ tamen primâ fronte potiùs nocitura viderentur. Patuit enim ex modò dictis, calidos potus ex laxantibus, diluentibus, &c, & ex iisdem parata fomenta, ab omnibus Medicis adeo laudari in hoc morbo; hinc mirum videbitur, per Observationes constitisse, actu frigida, prioribus incassum tentatis, sanasse ægros, cùm de illorum salute omnes jam desperarent. *Fridericus Hoffmannus* (*c*) in muliere, quæ gravissimis abdominis doloribus, ob menses per vehementem terrorem suppressos, torquebatur, venæ-sectionem, clysmata emollientia & plura alia incassum tentaverat: *Nabothus*, qui cum ipso tractabat hanc ægram, aquam frigidam exhibendam proposuit: fatetur candidus ille vir, quòd abhorruerit ab hac Methodo, & assenserit tandem, ne morosus nimis videretur. Verùm feliciùs successit cura, quàm crediderat, dum darent, (*b*) *aquæ frigidæ simplicis potum ad duos cyathos de die per vices sumendum, tecto priùs probè corpore & pedibus.* Subsecuto enim largo sudore, & postea placido somno, omnis dolor abdominis cessavit. Affirmabat autem *Nabothus*, quòd lintea, aquâ frigidâ madida, in tali casu applicasset cum successu. Similem casum ex *Ludovico Septalio* in eodem loco recenset, ubi & ille pariter, antea laudatis usus, sed frustra in nobili Hispano, ad contraria transivit; & licèt mors præ foribus esse videretur, pulsu non ampliùs sensibili, cum sudoribus frigidis, dedit aquam multam nive etiam refrigeratam, lætissimo cum eventu. Cùm autem temeraria adeo

(*a*) Medical. Essays, Tom. III. pag. 387.

(*b*) Medicin. Ration. Systematic. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. IV. ubi de Enarration. Morbor. Observat. III.

(*c*) Ibid. Cap. V. ubi de Enarration. Morbor. Observat. V. 349.

videatur hæc curatio, non inutile credo & illam alio casu confirmare. Homo viginti septem annorum de levi dolore abdominis incepit conqueri, & insuetâ alvi constipatione; clysmata varia, purgantia, aliáque tentata fuerant, verùm nullæ prodibant fæces, & ingesta quævis evomebat. Balnea calida, cutis calida à vivente agno detracta abdomini applicata, sanguinis missio repetita, nihil profecerant; cúmque desperatus jam haberetur, octavâ die morbi deducebatur in cubiculum frigidum, corpore inferiori nudato, & singulis minutis secundis pedes perfundebantur aquâ frigidâ, sensim adscendendo, donec ultimò ad pubem usque frigidæ affusio pertingeret: subinde obambulabat, pedibus insistebat frigido & madido pavimento, alternatim pedes vasi aquâ frigidâ pleno immergebat. Æger auctas inde vires percipiebat, & per medium horæ levabatur; verùm mox dolebat ut antè; semel vomebat, abdomen tumebat plùs quàm antea, tormina acutissima percipiebat, sed post pauca minuta largam & liquidam alvi evacuationem habuit, intermistis paucis fæcibus induratis, cum magno levamine; & postea decrescente febre, fæcibus induratis copiosis excretis, tridui spatio ab hac Methodo adhibita, ex tanto discrimine evasit (a). Mirus & casus ibi habetur, in quo alvi pertinacissima constipatio, plurimis remediis per quadraginta tres dies tentata, soluta fuit intra decem minuta, dum crura & femora aquâ frigidâ bis intra minutum horæ perfunderentur.

Sed & apud veteres Medicos hinc inde quædam inveniuntur, quæ docent, & illos quandoque similia tentasse. *Trallianus* (b) in curatione colici affectûs, ex calidis & biliosis humoribus orti, dicit, se frigidâ aquâ usum fuisse in ægris, quibus vires firmæ erant, & partes principes omni noxâ carebant: imò & actu frigida per anum immisisse se dicit cum successu. *Hippocrates* (c) *in tetano, juvene carnoso, æstate mediâ, frigidæ copiosæ* laudavit affusionem; utì & ad (d) inflammationes recentes,(e) *Erysipelas etiam non ulceratum.* Imò convulsiones, (f) *frigidâ copiosè affusâ*, levari, & dolorem solvi monuit. Verùm in hoc morbo & pertinax intestinorum spasmus, & inflammatio adsunt, cum dolore immani.

Patet ex modò recensitis, quantùm felix audacia Medentum in desperatis etiam morbis quandoque possit, & si quis similia ut temeraria damnet, noverit *Celsum* jam dixisse, dum de Methodo vetusti Medici *Petronis*, aquam frigidam febricitantibus exhibentis, agebat; (g) *Sed cùm eadem omnibus convenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.* Et Alibi, (h) *Quin etiam morborum in iisdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates sunt, &, qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis sæpe restituitur.*

Longè adhuc audacius meritò videbitur, abdomen discindere, intestina educere, volvuli locum quærere, inventum digitis explicare, dein intestina reponere, & abdomen consuere. *Barbettus* (i) hoc proposuerat tamquam meliùs, quàm certè morti ægrum tradere. Verùm apud *Bonetum* (k) à ju-

(a) Medical Essays, Tom. V. Part. II. pag. 893.
(b) Lib. X. Cap. I. pag. 585.
(c) Aphorism. Sect. V. n°. XXI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 206.
(d) Ibid. n°. XXIII. pag. 208.
(e) Ibidem.
(f) Ibid. n°. XXV. pag. 210.
(g) De Medicin. Lib. III. Cap. IX. pag. 138.
(h) Ibid. Lib. I. Præfation. pag. 19.
(i) Anatom. Practic. Lib. IV. Cap. I.
(k) Anat. Pract. Lib. III. Sect. XIV. Tom. II. pag. 228.

vene & audaci Chirurgo in illustri matrona hoc factum fuisse legitur, felicissimo cum successu: & olim, jubente *Nukkio* (celeberrimo quondam apud Batavos Anatomes Professore) in fœmina quinquagenaria à dexterrimo Chirurgo idem factum fuisse, ita ut ultra viginti adhuc annos supervixerit hæc ægra, probatis constat Testibus (*a*). Similia & *Praxagoram* quondam jussisse, imò intestina discindenda, & stercore exempto consuenda denuo memoriæ tradidit *Cælius Aurelianus*, sed addit, (*b*) *Magnificam mortem Praxagoram magìs, quàm curationem voluisse scribere.* Verùm non tam facilè determinare quis poterit, an volvulus adsit, vel non; neque tam facilè cognosci poterit locus, ubi hæreat. Solet enim, ubi morbus ille in perniciem tendit, abdomen tensum turgere, & dolere per totum. Unde satìs patet, nihil nisi ultimam necessitatem suadere posse, ut crudeli operatione, diviso abdomine, gyri omnes intestinorum evolvantur, ut morbi sedes quæratur in vivente homine.

6°. Licèt per illa, quæ hactenus tradita fuerunt, dolor cessaverit, febrísque remiserit, tamen debemus cogitare, partem illam intestinorum, ubi morbus hæsit, diu adhuc retinere talem sensibilitatem, ut facillimè denuo dolor, spasmus, inflammatio recrudescere possint, si vel levis irritatio accesserit ab ingestis, vel acrioribus, vel difficilioris digestionis. Omnia enim assumpta huc venire debent, & ideo *Sydenhamus* (*c*) probè gnarus, hunc morbum præ aliis omnibus in recidivam maximè pronum esse, tenuem victum, solo inprimis jusculo pulli gallinacei, commendat, & tali tantùm quantitate, quæ ad vitam sustinendam sufficere posset. Cavendum enim etiam est, ne majori copiâ graventur cibi, etiam tenuis & facillimæ digestionis, & ideo parùm simul, sed repetitis vicibus, detur, ut tempus concedatur distentis sæpe antea enormiter intestinis, quo iterum contrahi, possint & amissum robur sensim recuperare. Ideo & *Celsus* cavendum jussit à cibo inflante & valido; etiam postquam dolor & febricula jam quieverant, ne intestina adhuc imbecilla lædantur, solam aquam pro potu concedebat, monens, (*d*) *Nam sive quid vinolentum sive acidum est, id huic morbo alienum est.* Imò & diu postea adhuc à balneis, ambulationibus, aliísque corporis motibus abstinendum suadet: (*e*) *Nam facilè id malum redire consuevit, & cùm frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.*

§. 965. SI malo hoc (959. 960.) prægresso; nec debitis remediis curato; & ultra triduum semper cum vehementia persistente, loco doloris, ardoris, distractionis, successerit horror vagus per totum corpus sine causa, obtusus cum gravitate dolor in loco, signum erit ibidem formari abscessum, unde intra quatuordecim dies eo rupto effluet pus; quòd si in cava abdominis effluit,

(*a*) Corn. Henr. Velf. Dissertat. Inaug. pag. 19.
(*b*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XVII. n°. CLXV. pag. 244.
(*c*) Sect. I. Cap. IV. ubi de ileo pag. 92. Confer. Sect. IV. Cap. VII. pag. 266.
(*d*) De Medicin. Lib. IV. Cap. XIII. pag. 222.
(*e*) Ibid. pag. 223

facit mala multa similia (939), si autem effluit in cava intestinorum, facit dysenteriam purulentam magnam, parvam, longam, brevem, prout ulceris ibi facti natura dabit, inde sæpe integre intestinorum membranæ exeunt, & sæpe tabes fit.

De signis illis, quæ docent inflammationem partium internarum in suppurationem abire jam sæpius dictum fuit in præcedentium morborum acutorum inflammatoriorum Historia; omnia hîc eadem obtinent. Sed abscessus in intestinis natus duplici viâ poterit exonerari à pure contento, vel in cavum abdominis, vel in cavum intestinorum. Quænam mala metuenda sint, dum abscessu rupto pus in cavum abdominis, depluit, dictum fuit ad §. 912, & 939. Ubi autem in cavum intestinorum pus venit, facilem viam per alvum invenit, & sæpe inde evadunt ægri, succedente dysenteriâ purulentâ, quæ pro diversa magnitudine abscessûs ejúsque variâ conditione citiùs sanabitur, vel diutius protrahetur, utì sponte patet. Quandoque & intestina inflammata peritonæo accrescunt, túncque abscessus ibi natus poterit extrorsum aperiri, simili modo, ut in hepatis & ventriculi inflammatione dictum fuit. Rariùs tamen hoc contingere videtur, saltem hujus rei apud Observatores rara mentio habetur. *Aretæus* tamen testatur, quòd in quodam ægro abscessum coli in dextra parte prope jecur dissecuerit, (*a*) *multúmque inde puris effusum est, multùm quoque per renes & vesicam, ad plures dies emanavit; unde & sanitatem homo adeptus est.* Si verò abscessus talis diu clausus manet, pus morâ tenuius & acrius redditum, venis bibulis in tota superficie sacci talis purulenti hiantibus resorptum, sanguini permiscebitur, & cacochymiam purulentam producere poterit (vide §. 406.), unde tabes metuenda est, utì ad §. 1214, dicetur.

Cùm autem inflammatio (vide §. 374.), & illam sequens suppuratio omnium frequentissimè hæreat in tunica cellulosa, talísque in intestinis manifestè deprehendatur ab Anatomicis; contingit quandoque, ut per tumorem suppuratorium, in hac cellulosa hærentem, secedat separata à reliquis tunica interior villosa, & exeat per alvum referens figurâ suâ cavum intestinalem tubum; non sine ægrorum & adstantium insigni metu, qui ipsum intestinum sic egredi putant, nullámque sanationis spem superesse. Pulchre hoc observavit *Aretæus* dysenteticis quandoque contingere: (*b*) *Nonnunquam oblongum quiddam in pluribus non discretum, instar sani intestini dejicitur, & ignaris rei suspicionem præbuit intestini, at negotium ita se habet. Intestinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ sunt, & altera alteri obliquè superinjecta est: igitur quum earum connexio* (διπλόη) *dissolvitur, interior tunica secundùm longitudinem abscedens foràs egreditur; exterior sola intus remanet, & carnosa efficitur, & cicatrice solidatur; sanescúntque homines & noxâ soluti vivunt. Id verò inferius intestinum solùm patitur; in causa est tunicarum carnosa substantia.* Similia & apud

(*a*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 37.

(*b*) Ibid. Lib. II. Cap. IX. pag. 61.

recentiores Medicos habentur Observata, quæ confirmant *Aretæi* dicta. Nam & intestini recti (*a*) interior tunica separabatur, & ægri postea integram sanitatem recuperabant. Interim tamen idem per totum intestinorum tractum contingere posse, videtur admodum verosimile, licèt tunc rariùs membranam integram cavam referat, sed sæpe informis muci specie appareat, dum alvo excernitur. Verùm si talis mucus in aqua pura reponatur, tunc manifestè apparet structura membranosa & vasculosa fabrica. Vidit in cadavere phthisici, qui & fistulâ ani laboraverat, celeberrimus *Simsonus* (*b*) villosam tunicam intestinorum plurimis in locis deesse, & abrasas partes copiosas in intestinorum cavo reperiebat. Verùm jam diu ante mortem miser ille homo nullos solidos cibos ferre potuerat, ob molestiam, quam inde percipiebat in ventriculo & intestinis, & tribus septimanis ante mortem solam tantùm aquam parcissimâ copiâ simul deglutitam ferre poterat. Pluribus aliis Observatis ibidem probatur, tunicam internam intestinorum satìs levibus de causis secedere posse, & iterum renasci; nam & à fæcibus durioribus, per crassa intestina propulsis, quandoque illam deteri observatum fuit, & in dysenteriam passis diuturnam magna copia talis muci secessit, licèt postea integrâ sanitate fruerentur.

§. *966.* SIMULAC id (*965*) adesse noscitur, statim inhibendus omnis victus, unde stercus multum, durum, crassum, acre nascitur; æger pascendus solis jusculis cum leniter detersivis radicibus incoctis; decocta balsamica, detergentia, multùm bibenda, & instar clysmatum injicienda; aut aquæ fontanæ medicatæ largâ copiâ bibendæ, in his pergendum usque ad perfectam sanationem.

Ubi signa docent, abscessum talem fieri in intestinis omnia illa facienda sunt, quæ ad §. 402, dicta fuerunt. Maturatio ergo crudi inflammatorii promovenda est, & cùm exitus puri jam facto commodissimus sit ille, quo in intestinorum cavum venit, ut per alvum exeat. Hinc clysmata ex decocto herbarum emollientium sæpius injecta, & similia decocta potata proderunt, ut interna intestinorum superficies laxetur & emolliatur. Ubi autem ex levamine doloris, & pure per alvum prodeunte, novimus abscessum ruptum esse, tunc infusis herbarum vulnerariarum, agrimoniæ, veronicæ, virgæ aureæ, hyperici & similium, addito melle, leviter detergimus locum ulcerosum, ut ad conditionem puri vulneris, & sic ad consolidationem disponatur. Omnium autem maximè hîc cavendum est, ne talia ingerantur titulo cibi & potûs, quæ acria sunt, vel in calore corporis nostri citò in acrem indolem degenerare possunt: utì etiam cavenda sunt omnia, quæ crassas fæces producunt. Optimum ergo est solo jure carnium uti; hoc enim vires sustinere poterit satìs, nec ullam ferè crassam materiam in intestinis relinquit.

(*a*) Tulp. Observat. Medicar. Lib. III. Cap. XVII.
Anton. Benevoli Observazione XVIII. pag. 150.
(*b*) Medical Essays, Tom. V. Part. II. pag. 655.

Ob

Ob eamdem causam & serum lactis, ab omni caseo bene depuratum, prodest; lac autem non conducit, quia & citò acescit, & crassas copiosas fæces in intestinis producit, utì manifestè apparet in infantibus solo lacte materno viventibus. Jusculis carnium jam radices scorzoneræ, sisari, cichorei, & similia incoqui poterunt (vide talem formulam in *Materia Medica* ad hunc numerum): sed tunc percolanda sunt hæc juscula, ne aliquid crassi per intestina transeat, ante quam ulcus sanatum fuerit. Copiosus autem usus infusorum vulnerariorum, seri lactis recentis, aquarum medicatarum, conducit, ut eluatur de sanguine quidquid de pure hîc collecto resorptum fuerit, simúlque diluantur omnes humores, qui in intestina derivantur, inprimis bilis, ne irritare ulcus valeant. Simul etiam aquæ minerales ferratæ, ubi ulcus jam purum fuerit, leniter adstringendo, cicatrisationem loci affecti promovebunt. Ubi jam per aliquot dies nullum pus exire observatur per alvum, nullúsque dolor in abdomine superest, tunc sensim solidiores cibi dari poterunt, ex hordeo, oryzâ, pane, carnibus juniorum animalium, &c, donec tandem ad consuetum in sanitate victum perveniatur.

§. 967. SI verò morbus habuerit causas violentissimas (959), & produxerit sævissima symptomata (960), poterit facilè in illo loco (959. 963.) producere gangrænam (388), miserrimè dein lethalem.

Videantur illa quæ ad §. 960, de gangræna, satìs citò plerumque validam intestinorum inflammationem sequenti, dicta sunt.

§. 968. QUAM futuram ex iisdem Observatis prægressis facilè prævidemus (967), si simul nulla benignæ resolutionis (963) vel medelæ (964), signa apparuerint.

Si dolor acerrimus, uno in loco fixus manens, adfuerit, febris valida, alvus pertinacissimè clausa, omnia ingesta vomitu rejiciantur, medela in initio morbi neglecta fuerit, vel absque ullo levamine adhibita, tunc novimus, talem intestinorum inflammationem in gangrænam tendere.

§. 969. EAM fieri docent signa prægressa (968), tum subita, & sine causa, remissio acerrimi doloris, manente pulsu debili, intermittente, sudore frigido, dysenteriâ fœtidâ, cinereâ, ichorosâ, lividâ, nigrâ, fæcum sine sensu demissione; unde brevì placida mors.

Quàm periculosa sit in morbis acutis inflammatoriis subita illa doloris summi remissio, jam in Historia pleuritidis ad §. 904, dictum fuit: idem hîc obtinet, & minùs peritos quandoque turpissimè fallit. Dolor enim acerbissimus, alvi pertinacissima constipatio, pessimam intestinorum inflammationem comitari solent: dum verò morbus ille in perniciem tendit inevitabilem, & dolor cessat, & alvus plerumque solvitur, unde adstantes, & quandoque Medici,

ægrum in vado esse credunt, dum paulò pòst moritur. Verùm facies cadaverosa plumbeus labiorum color, extremorum frigus, anxietas, abdomen plerumque inflatum, pulsus celerrimus & debilis, perito Medico certissima signa exhibent instantis mortis. Unde meritò *Hippocrates* dixit, (*a*) *A vehementi partium alvinarum dolore, extremorum refrigeratio, malum.* Ubi enim gangræna partem inflammatam occupat, dolor cessat, & pars antea tensa & dura flaccescit, hinc sæpe restituitur liber transitus ad anum usque, per gangrænam natam, jam tabescente intestino. Verùm exercitatissimi Medici tunc semper pessima metuebant, dum cum talibus signis alvus antea clausa solveretur. Sic *Baglivus* sequens axioma Practicum statuit: (*b*) *Gravi iliaco si supervenit alvi fluxus, paucis pòst horis morietur, nam sphacelata sunt omnia; hinc lethalis fluxus. Et si iliaco tumor ventris veniat, & flatus copiosi pedendo exeant, brevì morietur.* Confirmavit eamdem rem & suis Observatis *Tulpius* (*c*), & alii plures.

Sed & mirus casus docuit fæculentam materiam, in intestinis volvulo occlusis retentam, rupto intestino in abdominis cavum exivisse, & deinde morâ partem intestini recti corrupisse, ita ut foramen ibi in cadavere inventum fuerit, per quod fæces illæ ingressæ per anum exire potuerint: sed lethali pariter cum eventu, licèt morbus diutius protraheretur, nam ad decimum tertium diem usque æger, volvulo triplici in intestino ileo laborans, vitam protraxit: quod rarò fieri solet (*d*).

Illa autem, quæ in iliacis desperatis ante mortem per alvum exeunt, olidissima sunt, partim ob retentam diu in intestinis materiam, febrili æstu magis etiam putrefactam; partim etiam, quia gangrænosarum partium jam diffluentium tabus corruptus simul exit. Solet plerumque & absque ægrorum sensu tunc alvus evacuari, qualem alvi dejectionem ut lethalem damnavit (*e*) *Hippocrates*, utì alio in loco (ad §. 719.) jam dictum fuit.

§. 970. MALUM id, eò usque provectum, rarò medelam capit; curandum prius; cæterùm sola Methodus (966) prodest.

Quidquid enim gangrænâ correptum fuit, putrescit; & sola curatio in eo consistit, ut fiat suppuratio in omni ambitu loci gangrænosi, per quam solutis fibris, quæ nectunt gangrænam parti sanæ, fiat integra separatio partis mortuæ à vicinis vasis vivis (vide §. 444.). Verùm dum hæc separatio fit, gangrænosa crusta in tabum putridum soluta depluit, utì in partibus externis gangrænâ affectis manifestè observatur; & si tale liquamen putridum in cavum abdominis delabatur, omnia viscera brevì corrumpentur: rarò enim contingit, ut gangræna solam internam superficiem intestini occupet, ex-

(*a*) Aphorism. Sect. VII. n°. XXVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 304.
(*b*) Prax. Medic. Lib. I. pag. 111.
(*c*) Observat. Med. Lib. II. Cap. XLI. pag. 161.
(*d*) River. Observat. Centur. III, n°. XXVI. pag. 63.
(*e*) Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LXXX Charter. Tom. VIII. pag. 750. Confer. Coac. Prænot. n°. DCXXXI. Ibid. pag. 890.

ternâ ejus parte adhuc manente vivâ & ſanâ; tunc enim poſſet hæc materia per alvum exire. Verum quidem eſt, pluribus Obſervationibus conſtitiſſe (vide §. 317.), inſignem partem tubi inteſtinalis, gangrænâ corrupti, ſeparatam fuiſſe, ſuperſtite vitâ, imò & ſanitate adhuc ſatìs commodâ fruentibus poſtea ægris: ſed ſemper tunc extrorſum patebat via ichori gangrænoſo, & manui Chirugi dabatur aditus, ut corrupta auferre poſſet, & unire ſeparata, vel ſaltem ſuperiorem inteſtini partem ita affigere externo ulceris margini, ut artificioſa ibi pateret excrementis via, quæ in hoc caſu, ſeparatâ parte gangrænosâ, in abdominis cavum decidere neceſſariò deberent. Præterea ubi poſt validam inflammationem inteſtinorum gangræna ſequitur, ſimul illico proſternuntur vires vitales: ex quibus omnibus rite conſideratis ſatìs patet, tale malum raròr, vel nunquam medelam capere.

Cùm autem omnis gangræna curetur tantùm ſuppuratione natâ, patet, ſatìs eamdem Methodum requiri, quæ §. 966, laudata fuit. Antea ad §. 447, dictum fuit de uſu corticis Peruviani ad gangrænæ progreſſum ſiſtendum, & promovendam ſeparationem eſcharæ gangrænoſæ; túncque nondum occaſionem habueram ex propriis Obſervatis aliquid de hujus Methodi efficacia ſtatuendi. Hodie certus ſum propriis, illíſque ſatìs numeroſis, Experimentis, immortales gratias deberi celebri Chirurgo *Rushwortho*, qui de genere humano optimè meritus fuit, dum hoc remedium publici juris fecit. Verùm, licèt impediatur gangrænæ progreſſus, & ſeparatio bona ſequatur, tamen eadem difficultas manet, niſi poſt ſeparationem factam continuitas tubi inteſtinalis adhuc ſuperſit.

§. 971. **A**T ſi cauſæ (392) hîc ſcirrhum produxerint, longè alia mali idea naſcitur, quæ clarè certè pernoſcenda.

Quænam ſint illæ cauſæ, quæ ſcirrhum ex inflammatione producant, ad §. 392, dictum fuit. Cùm autem magnâ cautelâ hîc opus ſit, dum ſcirrhus adeſt, multùm intereſt noviſſe ſigna, quæ hoc docent.

§. 972. **E**RGO, ſi in inteſtinis dictis (959. 963.) inflammatio cum conditionibus (392), diu perdurans, nec in ſummam ſævitiem (960) adſcendens, nec reſolutione (963), nec medicamentis (964), nec ſuppuratione (965) ſoluta, deinde reliquerit in loco affecto ſtuporem, gravitatem, diſtractionem conſtantem, cogitandum eſt, ſcirrhum ibi naſci.

Ubi ergo ſigna docuerint inflammationem adeſſe, neque tamen adeo validam, ut peſſima ſymptomata illico producat, diu tamen maneat morbus; ſenſim quidem levatus, ſed tamen aliqua ſemper priſtini mali veſtigia ſuperſint, vel per intervalla recrudeſcant, licèt leviora, inprimis poſt cibum copioſiorem vel difficilioris digeſtionis aſſumptum; nulla quoque indicia fuerint ſuppurationis hîc natæ; tunc meritò ſuſpicari ſcirrhum licet, qui con-

ſtantem moleſtiam faciet, licèt non adeo magnam, ſi minoris molis fuerit. Gravitatis & diſtractionis quidam ſenſus tunc ſolet percipi, inprimis quando ſaltant, vel de gradibus celeriter deſcendunt. Tactu externo raro percipi poteſt, niſi in macilentis hominibus, & quidem tunc, niſi in magnam ſatis molem increverit. Verùm antequam talem magnitudinem habuerit, plurima jam mala producit, quæ & ſcirrhi effecta ſunt, & ſimul ejus præſentis ſigna dant, quæ ſequenti paragrapho recenſentur.

§. 973. QUI ſi naturam ſuam (392) ſequens, effectúſque ſuos (486) producens in hoc loco (959. 963.) multa, gravia, pertinacia mala producit; qualia inprimis, ſtupor, pondus, incrementum, aſſiduò aucta; hinc cavitatis inteſtinalis anguſtatio; fæcum ibi & chyli ſtagnatio; horum in locum reſiſtentem actio, maximè putridâ ob moram materie; hinc inteſtini occluſio; intorſio; ingeſtorum remora; ileus; volvulus; vel, ab acri irritante, dyſenteria ſiccior; convulſio; ſingultus; vomitus; dolor aſſiduus, febris; macies; atrophia; mors.

Scirrhus, quamdiu in cancroſam malignitatem nondum degenerat, tumor durus & indolens eſt (vide §. 392.), adeóque facilè toleratur. Verùm nocere hîc poteſt inſigniter arctando inteſtini cavum; imò quandoque illud totum occludendo, dum auctus mole omnia vicina comprimit. *Hollerius* (a) obſervavit, inteſtinum colon, quâ parte reni vicinum eſt, collectâ velut cartilagine durâ in ſcirrhum obduruiſſe, interceptâ omnino interiori cavitate: in parte dextra colon ampliſſimum erat: poſt longa multorum annorum tormina defecit æger. *Ruyſchius* invenit inteſtinum rectum adeo incraſſatum, (b) *ut pollicis craſſitiem ferè ſuperaret; & ita induratum, ut anceps hærerem an carnoſum, an verò cartilagineum eſſet dicendum. Cavitas quoque dicti inteſtini ſtraminis latitudinem haud ſuperabat, & ..... tam firmiter erat connatum oſſi ſacro*, ut cuneo & malleo ſeparare debuerit. Similem alium caſum & ibi recenſet, indurati in ſchirrum inteſtini. Ad §. 486, habetur ille caſus memorabilis nobilis pueri, in cujus cadavere inventus fuit ſcirrhus in ileo inteſtino, prope illum locum, ubi ultimus ejus finis inteſtino colo inſeritur. Hæc ſufficiunt, ut demonſtretur Obſervationibus certis, hoc malum in inteſtinis obtinere. Imò admodum veroſimile videtur, frequentiùs tales ſcirrhos hîc latere, quàm creditur, & chronicis malis pertinaciſſimis originem dare. Vidi nobilem matronam, jam ſeptuagenariam ferè, quæ raro admodum alvum deponebat, licèt appetitu valens ſatis comederet: ſexto, ſeptimo, quandoque & octavo die oriebatur magna anxietas, dolor abdominis, & dein vomitu rejiciebat copioſam ſaburram, quæ cibi toto hoc tempore comeſti reliquias manifeſtè oſtendebat. Hoc facto, appetitu valebat ut antè, & optimè ſe ha-

(a) De Morb. Intern. Lib. I. Cap. XLI. pag. 325.
(b) Obſervat. Anatomico-Chirurg. nº. XCV. pag. 89.
(c) Nº. XCVI. pag. 89. 90.

bebat, donec simili periodo eadem mala redirent. Toleravit autem has molestias per duodecim annos. Quámvis autem cadaver defunctæ inspicere non licuerit, justa suspicio similis causæ in hoc morbo videtur, & postea aliquot similes casus in Praxi vidi. Quamdiu verò scirrhus benignus est, dolores non sunt assidui, sed per intervalla tantùm recrudescunt; & in talis morbi initio tantùm molestiam percipiunt, ubi duriores vel copiosiores cibos ingurgitaverunt; postea, auctâ scirrhi magnitudine, frequentiùs eadem mala redeunt.

Patet autem satìs, ingesta, impedito libero transitu, hîc accumulata, distendendo intestina, dolorem facere posse; utì etiam dum morâ corrumpuntur & acria facta irritant has partes. Simul etiam intelligitur, tantò diutius absque jactura virium ferri posse tale malum, quò scirrhus hæserit in loco magìs distanti à Pyloro, & contrà. Tandem toties distractis per accumulatam materiam intestinis perit, vel maximè saltem debilitatur illorum actio in ingesta, debita resorptio chyli impeditur; unde tandem atrophia, & mors: nisi scirrhus, in cancrum degenerans, aut nova inflammatio intestinorum à compressione aut distractione nata, citiùs morbo finem fecerit.

§. 974. MEDICAMENTA parùm valent, quæcumque demum sint: victus sit (966). Sic fertur diu, sine magno malo.

Quàm difficilè sit scirrhum curare, etiam in illis locis, ubi manubus accessus datur, ubi fomenta, suffumigia, &c, directè loco affecto applicari possunt, antea dictum fuit ad §. 490; unde facilè patet, parùm hîc sperandum esse à remediis etiam decantatissimis. Si enim incipiens hîc nasci scirrhus tepore blando corporis interni, salivâ, succo pancreatico, bile utraque huc derivatis continuò, agitatione perpetuâ per motum diaphragmatis & musculorum abdominalium, resolvi non potuerit, quid sperandum erit à remediis? Chemici quidam jactaverunt se posse arcanis suis scirrhos dissolvere, sed Experimentum Artis suæ incassum fecerunt in scirrhis partium internarum. Hinc nihil superest nisi ut tolerabile reddatur malum, quod tolli nequit. Verùm scirrhus intestinorum inprimis ideo molestus est, quia arctando intestinum, contentis præcludit liberam viam; hinc si dilutissima tantùm sumantur & mollissima alimenta, hoc præcavetur: similis ergo victus hîc convenit, ac laudatus fuit ad §. 966.

§. 975. SI autem scirrhus ille hoc loco conceptus per causas (492. 495.), signis (497. 498.) cognoscitur, tum verò miserrimus rerum status, & immedicabilis cernitur: qui intelligi potest ex (498) collatis cum natura, functione, nervosâ texturâ intestini: maximè autem dysenteria acerrima, assidua, rebellis, cuncta, per quæ vadit, exurens, erodens, consumens, cum convulsionibus acerrimis, doloribus omni patientiâ majoribus, fixis, diuturnis, donec tandem mors unico sit miseriæ solatio.

Quænam causæ sint, quæ scirrhum in cancrum convertunt, ad numeros hîc citatos, dictum fuit, simúlque recensita sunt pessima mala, quæ à cancro fiunt in partibus externis, ubi hæc omnia oculis lustrari possunt. Si jam cogitemus ichorem cancrosum, qui cutim vicinam erodit & qui linteamina applicata instar aquæ stygiæ destruit, in intestini cavum depluere, facilè concipimus, quàm horrenda debeant sequi mala; nullâ Arte superabilia, & solâ morte terminanda.

§. 976. SI simulac scirrhi præsentia noscitur (972) tractatur Methodo (974), hoc malum (975) multùm cavetur. Sed si, ad id superandum, acria (490. n°. 3. 495. 502.) applicata imprudenter, maximè per valida purgantia, tum cancer illic oritur, sævítque: tum autem potus ex solo lactis recentis sero; victus ex jusculis farinosis; carnosísve solis cum vitellis ovi; clysmata blandissima ex solo decocto seminum lini, foliorum solani Officinarum, vel capitum papaveris albi, injicienda; medicamenta summopere demulcentia, anodyna, leniter opiata, non facilè in acre transeuntia, danda.

Si per signa antè enumerata scirrhum adesse cognoscitur, nihil superest, nisi ut vitentur omnia, quæ scirrhum in cancrum convertere possunt, de quibus videantur illa, quæ in cancri Historia dicta sunt. Solent autem sæpe ægri, gravans illud pondus in abdomine dudum jam experti, urgere Medicos, ut purgantibus datis expellatur illud molestum; & dum prudentiores Medici illis morem gerere nolunt, ad obvios quosvis agyrtas confugiunt, qui acerrimis solent uti purgantibus, utì & emeticis violentissimis; túncque per usum horum remediorum idem fit, ac si quis scirrhum jam antiquum, & brevì cancrosum futurum, manubus rudissimè perfricaret. Ubi tale malum jam adest, satìs patet, nullam superesse medelam, solam curam palliativam locum habere, quæ mitigando symptomata morbum lenit. Omnia ergo, quæ ingeruntur, adeo blanda esse debent, ut oculo instillata nullum dolorem facerent; simúlque talia, ut calore corporis non facilè degenerent in acrimoniam etiam levissimam. Aqua pura optima foret pro potu, vel & serum lactis tenuissimum & recens; dúmque illo utuntur tales ægri, subinde acidum absorbentia, in tenuissimum pollinem trita, dare convenit, ut si fortè illud acescere inciperet in primis viis, statim enervaretur hæc acrimonia. Vitellus ovi, qui crudo vulneri si illinatur, nullum dolorem excitat, unà cum carnium jusculis & farinosis mollissimis, pariter ob eamdem rationem convenit. Ut autem acer ichor in intestina depluens enervetur, clysmata mollissima unà cum anodynis injiciuntur; sic enim & diluitur illa acrimonia, & intestinorum latera blandâ tali mucilagine obducta defenduntur. Interno usu similia conveniunt, additis opiatis, ut sævus dolor leniatur: de quorum usu videantur illa quæ ad §. 202, & 229, habentur.

Videtur autem *Trallianus* cancrum intestinorum observasse, & dysenteriam

pessimam inde natam; sic enim habet: (*a*) *Si intestina ulcus aut inflammatio quædam obsideat, hæ notæ præcedunt. Inter initia morbi, cruenta, dein saniosa excernuntur, multis primò ramenta, postea pinguia descendunt, & si maligus fuerit affectus, fæculenta fœdi odoris, postremò ubi in cancrum jam degeneraverit, varia excrementa, & nigra, cum quibusdam putridarum carnium particulis per alvum redduntur. Quin etiam febris cum multa siti comitatur; nec non cibi fastidium, unde corpus emarcescit: tormina quoque cum sonitu intestina exercent, dolórque ingens & vigiliæ ægrum infestant.* Quæ descriptio satìs convenit illis, quæ in miseris talibus ægris observantur. Cancrum in intestino colo se vidisse, testatur *Petrus Salius Diversus* (*b*), à quo miser homo per plures menses cruciatus, tandem iliacus factus perierat.

§. 977. HINC demum liquet, cur Practicis toties occurrant dolores œsophagi, oris ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, intestini ilei, intestini coli, adeo sævi, fixi, pertinaces, intolerabiles, insuperabiles: quòd in omni ileo vero sit semper causa Physica transitum contentorum per intestinum absolutè impediens, quæcumque demum hæc fuerit, sive in ipsa scilicet intestini fabrica malè affecta, sive in materie quadam cavum occupante, quæ multiplex quidem deprehensa fuit: item quàm sit multiplex, miráque omni modo, dysenteria, quàm malè in hujusmodi malis sæpe accusetur acrimonia quædam hectica humorum singularis, & contra eam fictam dentur nocentia medicamenta: quantâ sit prudentiâ opus Medico daturo purgans in magno dolore illarum partium: quænam sæpe sit illa post hæc in nonnullis sequens, immedicabilis hypercatharsis: quàm varia remedia, & Methodus Medendi requirantur ad dysenterias curandas: quàm vanum, fallax, & damnosum sit, ad has commendare unum, qualecumque demum sit, medicamentum proprium, aut unam universalem Medendi Methodum. Et infinita similia.

Omnes qui in luculenta Praxi versantur, noverunt, toties occurrere difficillima illa mala, quæ ægris molestiam summam, Medicis tædium parant, dum diversis Methodis tentantes hos morbos, nihil proficiunt. Antea ad §. 797, ubi de angina scirrhosa agebatur, patuit, œsophagum scirrhosum redditum, vel & à vicinis tumoribus similibus compressum, sensim sic angustari, ut tandem nihil cibi vel potûs transmittere possit, sícque lenta & miserrima mors sequatur. Frequenter satìs occurrunt cardialgiæ molestissimæ ad omnia remedia rebelles, lenientibus solis aliquod levamen præbentibus. Miram autem diversitatem in his doloribus Practica Observata docuerunt. Vidi qui

(*a*) Lib. VIII. Cap. VIII. pag. 433.

(*b*) De Affectib. Particular. Cap. XI. pag. 280.

commodè se haberent ventriculo vacuo, sed unâ alterâve horâ post pastum miserrimè torquebantur per tres quatuórve horas; dein iterum cessabat dolor, vel saltem minuebatur multùm. Et contrà alios novi ægros, qui vacuo ventriculo se pejùs habebant. Vidi mulieres, quæ pessimâ cardialgiâ quotidie ferè corripiebantur; ubi verò gravidis distendi inciperet abdomen, liberæ erant ab hoc dolore, qui post puerperium redibat denuo. Verùm notum est, ventriculum mutare situm suum dum plenus est, & in gravidis pleraque viscera abdominalia ab utero tumente moventur loco. An tunc tumor talis scirrhosus pondere suo minùs premit vel distrahit partes vicinas, vel illas quibus cohæret, dum ab utero adsurgente sustinetur, & simile quid contingit in quibusdam ventriculo repleto? Fortè illud non penitus improbabile videtur. Si verò consideremus illa, quæ cadaverum sectiones docuerunt, invenimus scirrhosos tumores, ulcera cancrosa, pertinacissimorum talium dolorum causas fuisse. In cadavere hominis, qui per sex ferè annos dolore cardiæ laboraverat, inveniebatur tumor ingens, magnam partem cavi thoracis implens, unà cum œsophago transiens per diaphragma, & ponè partem posteriorem ventriculi porrectus ad pylorum usque, utrumque ventriculi orificium comprimens. Adeo autem durus erat ille tumor, ut cultello vix discindi potuerit (*a*). In cadavere phthisici juvenis, qui insigni ardore supra sinistrum ventriculi orificium, omnia remedia eludente, laboraverat, invenit celeberrimus *Heisterus* (*b*) in œsophago, duos pollices supra diaphragma, foramen pollicis latitudine, oris nigricantibus undique cinctum. His similia in scirrhi Historia ad §. 484, habentur. Verùm & illa, quæ de morbis inflammatoriis viscerum hactenus dicta sunt, demonstrant, & in his scirrhos nasci: ideóque meritò peritos Medicos in doloribus chronicis abdominalibus talem causam suspicari, & cavere, ne imprudenti medelâ exasperent hos morbos.

QUOD IN OMNI ILEO VERO, &c. *Sydenhamus*, utì ad §. 959, dictum fuit, tunc tantùm iliacam passionem propriè vocandam esse voluit, ubi à tumultuante febre in ventriculum & intestina proxima deponerentur acres humores: quando autem à fæcibus induratis aliísve similibus causis ortum duceret morbus, tunc affectionem iliacam notham dixit. Verùm ex illis, quæ ad §. 960, allegata fuerunt, patuit (*c*) *Hippocratem* & (*d*) *Galenum* ileum vocasse intestinorum inflammationem, quæ ita claudit cavum, ut nihil transmitti possit, adeóque hæc definitio potiùs retinenda videtur. Hæc jam obturatio tubi intestinalis poterit fieri vel ab ipsa fabrica intestini tumente; vel à tumore quocumque latera intestini comprimente; vel & à materia immeabili in cavo intestini collectâ; sic tunc in tali casu inflammatio accedat, morbus vocabitur ileus.

Tumores inflammatorios, suppuratorios, scirrhosos, cartilagineas indurationes intestinorum, hunc morbum producere posse satìs constat ex illis, quæ hactenus dicta sunt. Verùm & diversa materia intestinis infarcta deprehensa

(*a*) Medical Essays Vol. III. nº. 26. pag. 356.

(*b*) Acta Physico-Medica Academ. Natur. Curiosor. Tom. I. pag. 392.

(*c*) De Morb. Lib. III. Cap. XIII. Charter. Tom. VII pag. 588.

(*d*) Definition. Medicar. nº. CCLXXIII. Charter. Tom. II. pag. 264.

fuit

fuit. In quibusdam hominibus, sedentariam vitam agentibus, & crassa edulia, non facilè subigenda, ingerentibus, inprimis si inertior simul bilis fuerit, in intestino duodeno, quod satìs contractum est, & valvulas copiosas habet, accumulatur talis materies, quæ expresso liquido, indurescit, obturat intestini cavum, & dein ileum producit: qualem casum vidi, & ex *Helmontio* ad §. 960, simile Exemplum habetur. Vidi in virgine, quæ pruna copiosa comederat, simúlque omnia ossicula deglutiverat, hunc morbum natum fuisse; à quo tamen feliciter evasit, per alvum excretâ incredibili copiâ horum. Similis casus & apud *Bonetum* (*a*) legitur, sed infausti eventûs: ibi enim cerasorum & prunorum nuclei, imprudenter deglutiti post summas miserias integro triennio toleratas, mortem fecerant. In puella duodecim annorum deglutitum pruni ossiculum crustâ calculosâ obductum, ano excretum fuit post sexennium, postquam pariter graves & diuturnas molestias produxerat (*b*), & dolores colicos acerrimos. Verùm hæc obstacula in intestinis nata ab ingestis pendebant. Sed & mucus, naturaliter obducens intestinorum latera, collectus, inspissatus, intestini cavum obturare potuit, utì constat ex binis *Fernelii* Observationibus ad §. 719, recensitis. Hoc tamen videtur constare Practicis Experimentis, talia obstacula in crassis intestinis hærentia, diutius tolerari, quàm si in tenuibus eadem forent; neque ileum producere, nisi inflammatio accesserit.

ITEM QUAM MULTIPLEX, MIRAQUE OMNI MODO, DYSENTERIA? Antea ad §. 721, dictum fuit, tunc dysenteriam vocari morbum, dum alvi fluxum molesta comitantur tormina, & tenesmus adest frequens deponendi alvum, cum dolore satìs acri. Omnis ergo acrimonia rodens & irritans intestina, sive ab ingestis nata, sive ab humoribus biliosis, atrabilariis, ichorosis, cancrosis, in intestina derivatis, poterit dysenteriam facere. Unde satìs apparet, quàm multiplex dysenteria sit, quoad causas, unde producitur. Verùm & mira sæpe talis causæ invenitur subtilitas, contagio communicato inficiens sanos. Antea ad §. 722, dictum fuit, Medicum, dum moribundi dysenterici fæces alvinas examinat, illico in eumdem morbum delapsum fuisse; multósque sibi hunc morbum contraxisse, dum linteamina, dysentericorum fæcibus conspurcata, mundarent. Integri quandoque exercitus hoc morbo corripiuntur. Verùm quidem est, quandoque in potu communi latere posse stimulos salinos, vitriolicos, arsenicales, &c; aliquando & semi-corrupti & suffocati frumenti fracedinem hunc morbum produxisse, dum pane inde confecto vesci coguntur milites, utì & crudorum fructuum imprudentem ingurgitationem, constat. Interim tamen observaverunt Medici Castrenses, quandoque dysenteriam grassari, licèt causæ procatarcticæ non adfuerint manifestæ, sed lateat infesti stimuli natura: tunc sæpe in ipso morbi initio illico prosternuntur vires, non à copia excretæ materiæ exhausto corpore, sed venenatâ quasi vi suscepti miasmatis morbosi, deleto omni robore in sanissimis etiam paulò antè hominibus.

(*a*) Sepulchret. sive Anatom. Practic. Lib. III. Sect. XIV. Observ. XVII. p. 222.

(*b*) Medical Essays, Tom. I. n°. XXXII. pag. 301.

QUAM MALE IN HUJUSMODI MALIS, &c. Notum est in febribus hecticis, tabescente sensim corpore, multùm boni exspectari à diæta lactea, & equitatione. Verùm si cancrosum ulcus in ventriculo, intestinísve lateat, & sensim corpus doloribus contabescat, à motu equitationis irritabitur tale malum. Imò & lac, cùm duras fæces alvinas producere possit, tunc non conveniet, licèt adeo blandum sit & utile. Dum in tali casu putridissima per alvum exeunt, si tunc acidis acrioribus quis tentaret oppugnare hanc putredinem, exasperaret pessimè dolentem partem.

QUANTA SIT PRUDENTIA OPUS, &c. Sæpe enim solent accusari acres humores, vel fæces accumulatæ, ac si ab his semper penderent omnes abdominis dolores; unde imperiti credunt, nihil magìs conducere, quàm purgante dato expellere illud noxium. Verùm si inflammationis signa talem dolorem comitentur, patuit ex antè dictis, quanto cum discrimine daretur purgans, antequam per venæ-sectionem, & alia idonea remedia, prospectum fuerit inflammationi. In chronicis autem doloribus abdominalibus pariter magnâ cautelâ opus est; sæpe enim à scirrho fiunt, qui acrioribus purgantibus irritatus facilè in cancrum degenerat.


QUÆNAM SÆPE SIT ILLA, &c. Hypercatharsis dicitur purgatio immodica per alvum post medicamentum purgans exhibitum. Apud veteres Medicos, quibus acerrima purgantia in usu erant, ut helleborus, elaterium, grana Cnidia, euphorbium & similia, frequentiùs contigit hypercatharsis; unde in *Epidemicis* (*a*) tales casus recensentur; & in *Aphroismis* monetur quòd si (*b*) *profusæ purgationi convulsio aut singultus succedit, malum;* exhausto nempe corpore per nimis validam & diuturnam alvi evacuationem. Verùm in hoc casu solet fieri, dum scirrhus, jam in cancrum degenerare paratus, purgantibus irritatur, & acrem saniem stillans continuò rodit & irritat intestina, unde pergit alvus fluere, donec moriantur.


QUAM VARIA REMEDIA, ET METHODUS, &c. Paulò antè dictum fuit, quàm multiplex sit dysenteria; unde facilè patet pro varietate causæ etiam diversitatem medelæ requiri. Si ab acri & semi-putrida bile ortum duxerit, valent illa, quæ sursum aut deorsum evacuant, modò viscera firma sint & integra. Si hâc sponte vel per Artem evacuatâ, cruda & excoriata intestina pergant molestum tenesmum alvi deponendæ excitare, mollissima decocta, bolus Armena, terræ sigillatæ, & similia, quæ demulcendo agunt, optatum præstant effectum; & inprimis opiata, quæ pulcherrimè tunc prosunt dolorem sopiendo. Quandoque & venæ-sectio & cura anti-phlogistica requiritur, si simul adsit inflammatio. Si tabefactum in morbis chronicis hepar acrem ichorem in intestina demittat, vomitorium datum sæpe lethalem hypercatharsin inducit. Si à cancri, in visceribus hærentis sanie dysenteria fit, sola curatio palliativa & demulcens prodest, dum à purganti-

(*a*) Epidem. Lib. V. text. XIII. Charter. Tom. IX. pag. 337. Ibid. text. XXIX. pag. 343.

(*b*) Aphorism. Sect. V. n°. IV. Charter. Ibid. Part. II. pag. 196. Confer. Ibid. Sect. VII. n°. XLI. pag. 313.

bus exaſperatur inſanabile malum. Si à dyſenterici moribundi fœtore ſanus inficiatur, & à putrido miaſmate ſuſcepto omnes vires illico proſternantur, vinum Rhenanum, & acetum ſimplex, vel & medicatum aromatibus penetrabiliſſimis, efficacem medelam præſtat; imò & acetum, aquâ dilutum, clyſmate injectum profuiſſe viſum fuit, utì & ſerum lactis, acidulum jam, largâ copiâ potatum, & formâ clyſmatis adhibitum. Contrà verò dum in debilibus infantibus ab acida acrimonia in inteſtinis hærente dyſenteria naſcitur, præcipua medela petitur ab illis quæ acidum abſorbendi & enervandi vim habent. Patet ergo, nullum ſpecificum & univerſale remedium haberi ad omnes dyſenterias, atque Methodum curandi legitimam tantùm deduci poſſe ex intellectu cauſæ, adeóque & illam neceſſariò variam eſſe debere.





APHTHÆ.

§. 978. QUUM verò in multis morbis acutis cum visceribus inflammatis aphthæ oriantur, de his nunc paucis agendum.

Aphtharum nomen apud veteres Medicos occurrit quidem, sed non videntur intellexisse semper hoc nomine morbum illum, de quo hîc agitur. Frequenter enim hoc nomen dederunt ulcusculis parvis os internum occupantibus, quæ solitaria sæpe observantur, vel saltem pauca numero; in medio albam maculam vel flavescentem habent, in toto suî ambitu rubra, inflammata & dolentia. Si aphtharum descriptio legatur apud *Aetium* (*a*), manifestè patebit, illum talia ulcuscula aphthas vocasse, quas & infantibus familiares esse dixit, & ut plurimùm facilè curabiles. Frequenter talia ulcuscula in parte interiori labiorum, buccarum, gingivis, linguâ videmus; & sæpe solo melle rosarum illito curantur citò; inprimis si una alteráve guttula spiritûs salis marini, vel vitrioli, ad singulas mellis rosarum drachmas addatur. Et *Aetius* adstringentia remedia, cydonea, mespila, &c, in aphtharum curatione laudavit; quæ in aphthis, morbos acutos inflammatorios comitantibus, minimè conducerent, utì postea patebit. Quinimo videmus, *Hippocratem* similia ulcuscula, in aliis corporis locis nata, eodem aphtharum nomine vocasse. Ita pulmonis fistulam (*b*) aphthis aliquando laborare dixit, & pudenda pariter; túncque laudavit myrti baccas in vino decoctas, (*c*) *Deinde mali Punici dulcis putamina vino decocta*, & similia, quæ flaccidas illas & humidas partes roborare, & putredinem hîc metuendam præcavere valent: quandoque tamen & (*d*) molles pinguedines, ad leniendum molestum, qui quandoque adest, dolorem, adhibuit. Vidi aliquoties hæc pudendorum ulcuscula, absque ullo symptomate, quod luis venereæ suspicionem facere posset, primò molesta ob pruritum vix tolerabilem, dein acerbissimum dolorem facientia cum tumore labiorum vulvæ, & inveni esse simillima illis ulcusculis, quæ in ore interno reperiuntur, & sub nomine aphtharum à veteribus Medicis fuerunt descripta. Hæc autem eò magìs confirmantur, quia *Hippocrates* ab eadem causa, & (*e*) in ore & in pudendis nata talia ulcuscula, monuit: quum, (*f*) *Annus austrinus, humidus & mollis exstitisset*. Licèt au-

(*a*) Lib. VIII. Cap. XLII. pag. 159, versâ,

(*b*) De Morb. Lib. II. Cap. XVIII. Charter. Tom. VII. pag. 570.

(*c*) Lib. de Natur. Mulieb. Cap. LXI. Charter. Tom. VII. pag. 714.

(*d*) Ibid. Cap. LXXXV. pag. 718. Cap. XCVIII. pag. 721. Confer. de Mulier. Morb. Lib. I. Cap. XXXIII. ibid. pag. 749.

(*e*) Epidem. Lib. III. Comment III. text. XII. Charter. Tom. IX. pag. 261.

(*f*) Ibid. text. VIII. pag. 259.

tem illa ulcuſcula ſæpe ſatìs citò ſanentur abſque multo remediorum apparatu, quandoque tamen in ſubitam putredinem, omnia depaſcentem vicina, degenerant, niſi efficaciſſimis remediis illico coerceatur incipiens corruptela. Vidi vigeſimo octavo labentis ſæculi anno epidemicè graſſatum fuiſſe hoc malum, quod, apud plebem ſæpe neglectum, erodebat genas, labia, gingivas cum intolerabili fœtore, præcipuè in junioribus; in adultis enim minùs frequenter occurrebat morbus, nec tam citò depaſcebat omnia vicina. Plerumque primò apparebat in gena alterutra tuberculum durum, dolens, circa illum locum, ubi parotidis emiſſarium aperitur: fiebat levis excoriatio in genæ parte interiori, & poſt paucas horas locus excoriatus albâ quaſi cruſtâ tegebatur, unde in ſuppurationem vergere credebant ſæpe hunc morbum minùs noſcentes. Verùm applicatis emollientibus ſerpebat malum velociter, fœtor ingens oriebatur, & niſi ſpiritu ſalis marini applicato coerceretur illico hæc putredo, nigreſcebat locus affectus, & in putridiſſimum tabum diffluebat. Perfectiſſimè hunc morbum deſcripſit (a) & varias ejus ſpecies, *Aretæus*, utì aliâ occaſione, ad §. 816, jam dictum fuit. Pariter & *Aetius* (b) notavit, quandoque in ulcera depaſcentia abire, túncque acria ſatìs remedia adhibuit. Hinc intelligitur, quare *Celſus* vocaverit ea (c) *Serpentia ulcera oris, quæ ἄφθας Græci nominant*: qui etiam alio in loco, de cura horum ulcerum agens, laudat talia, (d) *Quæ adurendo, cruſtas ulceribus inducant*, ubi leniora medicamenta parùm proficiebant: adhibuit autem in hunc uſum alumen, chalcitidem, atramentum ſutorium.

An autem veteres Medici noverint aphthas mox deſcribendas, quæ morbis acutis ſuperveniunt, non adeo liquidò conſtat. *Hippocrates* quidem (e), dum morbos ætatum deſcribit, recèns natis aphthas familiares eſſe dixit; & adhuc hodie in hac ætate frequentiſſimè obſervantur, utì §. 982, dicetur. Præterea alibi de muliere lactante, quæ acutâ febre laborabat, dicit: (f) *Huic ex reliquorum incendio lingua ſuccenſa eſt. Sub hoc tempus lingua etiam velut denſâ grandine* (ὥσπερ χαλαζώδει πύκνῳ) *exaſperabatur.* Notum autem eſt, quòd χάλαζα & χαλάζιον vocentur tubercula quædam pellucida, inſtar grandinis in palpebris ſæpius obſervata, lento quodam humore diſtenta. Verùm aphthæ quandoque albæ & pellucidæ ſunt inſtar margaritarum, & tunc ſatìs referunt has palpebrarum ſic dictas grandines (vide §. 985.); adeóque non improbabile videtur, in hac ægra aphthas adfuiſſe. Illa autem aphtharum deſcriptio, quæ apud *Julium Pollucem* habetur, ſatìs convenit: ſic autem ibi legitur, (g) *Aphtha, exulceratio, & abſceſſus ſuperficie tenus dealbans linguam, vel pariſthmia, vel uvulam, vel guttur.* Ubi notandum, quòd hæc deſcriptio contineat utramque aphtharum ſpeciem, ulcuſcula nempe illa oris interni veteribus Medicis inprimis memorata; & dein illas aphthas, de qui-

(a) De cauſ. & ſign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IX. pag. 7.
(b) Lib. VIII Cap. XLII. pag. 159, verſâ.
(c) De Medicin. Lib. II. Cap 1. pag. 46.
(d) Ibid. Lib. VI. Cap. XI. pag. 387.
(e) Aphoriſm. Sect. III. n°. XXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 119.
(f) Epidem. Lib. IV. text. VI. Charter. Tom. IX. pag. 314.
(g) Lib. IV. Cap. XXV. Sect. 200. pag. 470.

bus hîc agitur, quæ superficiem linguæ & faucium dealbant, vel potiùs albâ crustâ tegunt, utì omnibus notum est, qui hunc morbum viderunt. Pulchre autem convenit *abscessûs* vocabulum: nam antea ad §. 402, dictum fuit, hoc nomine vocari etiam illud Naturæ humanæ molimen per quod à sanguine separantur quædam nocitura, & ad certa corporis loca deponuntur; quod omnino convenit aphthis, quæ in decursu morbi acuti oriuntur, utì postea adhuc pluribus dicendum erit. Ex quibus omnibus, ut puto, concludere licèt, aphtharum talium vestigia in Veterum monumentis inveniri.

§. 979. SUNT autem parva, rotunda, superficiaria ulcuscula, os internum occupantia.

Sequitur jam descriptio aphtharum: ulcuscula vocantur, utì videtur recepto more, dum Antiquorum aphthæ tali nomine donabantur. Propriè enim loquendo ulcuscula non sunt, sed pustularum in morem supra superficiem partium oris interni elevantur, & dum separatæ decidunt, integram omnino partem, cui adhæserunt, relinquunt; cùm Veterum aphthæ manifestum cavum ulcerosum, licèt exiguum, habeant. Optimè hoc notavit *Vincentius Ketelaer* (*a*), qui in uliginosis Zelandiæ locis Praxim Medicam exercens, frequentissimas ibi in morbis aphthas viderat, & brevem, sed optimum, Tractatum de aphthis conscripsit.

§. 980. QUÆ examinata accuratè, videntur esse ultimi emissarii, quo in os liquor secretus effunditur salivosus mucosúsque, exulcerationes, factæ ex obturatione ejus canalis extremi per humorem lentum, viscidúmque eò delatum.

In Physiologicis demonstratur, (*b*) magnam tenuis liquidi copiam per omnem superficiem oris interni prodire, cibis inter manducandum admiscendam; simúlque & cryptulas mucosas numerosissimas in linguæ dorso, tonsillis, velo palatino, pharynge, œsophago, &c, adesse, quæ spissiorem humorem, lubricandis his partibus servientem, eructant. Si os hominis sani inspiciatur, videmus omnes has partes æquabiliter humidas in omni puncto; unde meritò concluditur, ubique talia esse emissaria, quæ hoc liquidum transmittunt, quod & injectiones Anatomicæ pulchre confirmaverunt. Videntur jam aphthæ fieri, dum ille humor, subitò lentior redditus, per ultimum finem horum emissariorum propelli nequit, sed ibi hæret, & extremum talis vasculi obturat; interim à tergo urgentis liquidi vi elevatur ultra superficiem extremam canalis obstructi, sícque aphtham producit. Sedula inspectio aphtharum, dum primò prodeunt, hinc inde solitariæ, hanc sententiam confirmare videtur: ubi enim denso agmine hæc loca jam occupant, tunc non

(*a*) Commentar. de Aphth. Nostratib. pag. 13.

(*b*) Boerhaav. Institution. Medicar. §. 65.

facilè distinguuntur singulæ. Pulchriùs adhuc illud apparet, quando crustis aphthosis deciduis renascuntur novæ, utì frequentissimè fieri solet: tunc enim in tersa superficie partium oris interni apparent punctula minima albicantia, inprimis si per lentem lustrentur hæc loca; quæ subitò aucta, vicinis contiguis unita, intra paucas sæpe horas similem crustam aphthosam producunt, ac erat illa, quæ paulò antè separata deciderat. Patet simul inde, nonnisi impropriè aphthas dici posse exulcerationes.

§. 981. HINC occupant omnia loca, ubi talia emissaria hiant: adeóque labia, gingivas, genas internas, linguam, palatum, fauces, tonsillas, uvulam, gulam, stomachum, intestina tenuia, ubique ferè eâdem specie.

Omnes partes in textu enumeratas occupant, sícque facilè distinguuntur à sordibus illis, quæ linguam quandoque in morbis acutis crassâ satìs crustâ tegunt. Dictum enim fuit antea, quando de febre ardenti agebatur (§. 739.), per æstum ingentem hujus morbi omnia exsiccari, túncque & exhalantium vasorum extrema in lingua, exsucca & arida facta, emori quasi, & impetu vitalis liquidi, urgentis à tergo, protrudi, & eminere; túncque sordidam linguam apparere, crustâ flavescente, fuscâ, vel & nigrâ tectam. Sed & similis causa aphthis progenerandis statim assignata fuit. Verùm notandum est, in lingua adesse numerosos folliculos mucosos, unde leviter tantùm si obtuso instrumento radatur vel prematur linguæ superficies, ingens copia muci prodit. Præterea in Physiologicis (*a*) notatur, externam membranam linguæ in vaginulas erectas protendi, quæ papillas nerveas eminentes tegunt, & defendunt. Sed & illæ vaginulæ exsiccatæ, emortuæ, cum muco, per æstum febris inspissato, hìc collecto, partem magnam illarum sordium constituunt; quæ in lingua observantur in talibus febribus; licèt & minora exhalantium vasorum extrema, similiter affecta, crustam hanc linguæ insidentem augeant. Ideo lingua in tali morbo in dorso has sordes habet tantùm, non verò in parte sua inferiori, & reliquæ oris interni partes siccæ quidem sunt, sed tali crustâ non teguntur. Aphthæ verò nunquam linguam solam, sed omnes oris interni partes plùs minúsve occupant, & quandoque in faucibus jam adsunt densæ (vide §. 984), dum in lingua nullum adhuc illarum vestigium apparet. Verùm omnes oris interni partes oculis patent, & videmus, depressâ linguâ, profundè in faucibus aphthas hærere; sed tamen inde non certi sumus, aphthas per ventriculum & intestina distribui simili modo. Dum autem aphthæ incipiunt solvi & decidere, tunc videmus integras laminas exspui ab ægris; & simul observamus, perfectè similes crustas per alvum prodire, & quidem tantâ copiâ, ut illud non possit attribui crustis talibus deglutitis, quæ ex faucibus vel œsophago deciderant. *Ketelaer* tantâ copiâ per aliquot dies ore & ano rejici aphthas viderat, (*b*) *ut aliquot pelves vel matulæ con-*

(*a*) Boerhaav. Institution. Medicar. §. 485. | (*b*) Comment. de Aphth. Nostratib. pag. 15.

gestas eas vix capiant. Minùs mirum hoc videbitur, si consideremus, illas decidere, iterúmque repullulare similes, & quidem repetitis vicibus. Unde videtur meritò concludi posse, aphthas etiam in ventriculo & intestinis hærere.

§. 982. GENTIBUS Borealibus, paludosa loca inhabitantibus, tempestate calidâ, pluviosâ, infantibus, senibúsque, frequentes.

Certum est in calidioribus regionibus vel omnino non, vel rarissimè occurrere. Periti & exercitati Medici, qui in talibus locis Praxim Medicam exercuerant, ad Septentrionales oras dum pervenerant, mirati fuerunt morbum hunc, quem nunquam viderant. Mihi ipsi, olim in Patria Praxim facienti, nihil frequentiùs occurrebat, quàm aphthas videre in morbis acutis. Viennæ autem, per quinque jam annos degenti, ne semel quidem illas adhuc videre contigit. Hinc fuit *Ketelaer* (*a*) in illa opinione, quòd in calidis regionibus corporum humanorum habitus cùm rarior sit, & ad diaphoresin & sudores magìs comparatus, ibi in morbis per sudores sæpe difflentur, quæ sub humidiori & frigidiori cœlo, & in corporibus non adeo in sudorem pronis, per hanc viam non tam facilè exeunt de corpore; dicítque se observasse, (*b*) sudorem copiosiorem & urinas uberiores reddidisse aphthas tutiores & leviores; & contrà omnia, quæ has evacuationes minuebant, nocuisse. Fortè & notari meretur, quòd & quandoque in illis locis, ubi aphthæ non occurrunt, observentur frequentissimè exanthemata miliaria dicta, alba & rubra, in externa corporis superficie. An tunc ad externam cutim deponitur simile quid, ac in aliis locis per primarum viarum corporis superficiem dispergitur? Certè exanthemata illa miliaria acutos morbos quoscumque, utì & febres continuas comitantur frequenter: odor peculiaris, ingratus, vappidum acetum utcumque referens, per loca dispergitur, in quibus tales ægri decumbunt; qualem odorem quandoque & apud aphthosos observavi. Miliaria alba pustulas minimas, pellucido liquore plenas, exhibent, ultra epidermidis superficiem eminentes pro parte; dein quasi turbidior fit liquor contentus his pustulis, exsiccantur, decidunt, renascuntur similes satìs frequenter. Sed & in aphthis plura observantur his satìs similia. Anxietas circa præcordia, debilitas, somnolentia levis, inæqualis, perpetua, præcedunt aphthas: & similia symptomata ante eruptionem miliarium observantur, & post eruptionem factam minuuntur. Subitò quandoque disparent miliaria exanthemata summo cum periculo ægrotantis, sed & observatur, intra paucas horas quandoque disparere aphthas, illico recrudescente febre, cum molestæ oppressionis sensu circa præcordia, quæ non levantur, nisi denuo aphthæ prodierint. Omnia tamen hæc dubii tantùm instar propono, ut illi, quibus & aphthas & miliaria exanthemata frequenter videre contigit, judicent, in quantum conveniant binæ illæ separationes materiæ morbosæ ad diversa corporis loca de-

(*a*) Comment. de Aphth. Nostrat. pag. 30. | (*b*) Ibid. pag. 31.

positæ.

positæ. Dissimulandum enim non est, alia quædam symptomata præcedere & comitari miliarium eruptionem, quæ in aphthosis non observantur.

Omnium frequentissimæ occurrunt aphthæ, ubi in depressis & humidis locis homines habitare coguntur. Hinc in Zelandia (*a*) aquis undique cinctâ, & congestis aggeribus ab inundatione defensâ, adeo frequentes aphthæ sunt, ut endemium morbum illius loci dixerit *Ketelaer*; inprimis autumno, si humida & calida fuerit tempestas.

Quàmvis autem in omni ætate & sexu aphthæ observentur, tamen recèns natis familiares magìs sunt, & ut plurimùm satìs benignæ, absque morbo validiori prægresso. Imò rarò occurrit, infantes primis à nativitate septimanis ab his immunes esse. Adeo autem tunc mites esse solent, ut solicitæ etiam de salute prolium matres vix Medicum vocent: sed syrupo violarum cum melle, vel & syrupi rhei aliquâ quantitate additâ, quem subinde lingendum exhibent, crustas illas aphthosas emolliunt, & satìs citò decidere faciunt. Senibus in febribus continuis satìs frequenter aphthæ oriuntur, sed, ob vires effœtas, semper admodum periculosæ.

§. 983. SOLENT autem aphthas in ore apparituras præcedere febris continua putrida, aut intermittens, continua facta, incipiens cum diarrhœa, vel dysenteria; magna & perpetua, nausea; vomitus; prostratus appetitus; anxietas ingens, sæpe repetens, circa præcordia; debilitas magna; evacuatio quæcumque humorum; stupor & hebetudo; somnolentia levis, inæqualis, perpetua; perpetua querela de pondere & dolore circa stomachum.

Considerandа jam sunt illa, quæ aphthas solent præcedere, & simul signa dant, quæ has metuendas esse docent.

Certum est, si recèns natos infantes excipiamus, rarissimè observari aphthas, nisi in febribus continuis; præcipuè in febribus autumnalibus, quæ frequenter sunt intermittentes, in continuas degenerantes; vel, licèt in initio statim continuæ appareant, postea mitescente morbo intermittentium typum induunt. Semel tantùm vidi in muliere quinquagenaria aphthas post tertianæ exquisitæ aliquot paroxysmos; & quidem medio mense Julio, dum illæ febres adhuc vernalium indolem habent. Celeberrimus *Boerhaavius* bis tantùm viderat, absque morbo prægresso prodiisse aphthas densas, sed in solis labiis, & in hominibus adultis, cum felici eventu. Semel mihi contigit videre in puella annua, absque ullo morbo præcedente, aphthas densissimas & fuscas, totum os internum occupantes: à quibus pariter sanata fuit feliciter, nec febricitabat toto tempore, quo aphthæ aderant, víxque aliam molestiam ullam videbatur pati, quàm difficiliorem deglutitionem; & deciduis aphthis cruda interni oris superficies ab attactu cibi & potûs dolebat, quod tamen bidui spatio cessabat.

(*a*) Commentar. de Aphth. Nostratib. pag. 32.

Ketelaer, qui tot aphthosis Medicinam fecerat, testatur, se (*a*) *Plurimis adfuisse, qui in summa apyrexia aphthis tenerentur, quique præsensisse nullam febrim, ab omnique graviori malo se immunes fuisse assseverarent.* Additque etiam, in nuper editis infantibus præeuntes febres non semper observari.

Frequenter inprimis aphthæ sequuntur illas febres, quæ *cum diarrhœa vel dysenteria* incipiunt, utì *Sydenhamus* monuit; (*b*) *Inprimis ubi corpus diu fuerit excalefactum, & materiæ peccantis evacuatio medicamentis adstringentibus impedita, non exacto priùs per cathartica morbi fomite.* Notat & postea (*c*), eodem tempore, quo dysenteriæ epidemicæ grassabantur, febrim quamdam exortam fuisse absque dysenteria comite, quam tamen febrim dysentericam vocabat, quia omnia eadem symptomata habebat, quæ dysentericorum febrim comitabantur, & quandoque etiam mitiora alvi tormina. Observavit autem quòd hæc febris, (*d*) *Ad aphthas* (producendas) *cùm jam discessum meditaretur, erat propensior,* ac ulla alia febris species, quam hactenus viderat. Simul & hoc notandum, quòd in eadem illa febre sudores fuerint (*e*) *rari ac parci*, cùm in epidemica constitutione, quæ hanc præcesserat, copiosissimi sudores profluerent. Hæc Observatio *Sydenhami* videtur confirmare illam opinionem de qua præcedenti paragrapho dictum fuit; nempe, aphthas tunc inprimis sequi, quando vel ex morbi peculiari indole, vel ex corporum constitutione singulari, sudores minùs copiosi & faciles prodirent.]

MAGNA ET PERPETUA NAUSEA, &c. Antea ad §. 642 dictum fuit, à sordibus biliosis, putridis, glutinosis, nauseam, sæpius oriri; & in febribus, ubi hæc symptomata adsunt, absque signis inflammationis ventriculi aut vicinorum huic viscerum, meritò talis causæ præsentiam suspicari Medicos, satìs antea demonstratum fuit. Talia autem in primis viis hærentia, per febrim adhuc magìs corrupta, pro parte intestinorum venis bibulis resorpta, sanguinem inficiunt tali materiâ, quæ nunquam in sanorum humorum indolem mutari potest, sed inde expelli debet, ut sanitas redeat. Observavit autem *Ketelaer* (*f*) periculosiores & graviores aphthas prodiisse, ubi in initio morbum negligentes ægri nullum Medicum advocassent, antequam attritæ penitus vires forent; túncque nullæ poterant tutò fieri evacuationes, quæ in initio morbi administrari debuissent.

ANXIETAS INGENS, SÆPE REPETENS, CIRCA PRÆCORDIA. Ad §. 587, ubi de crisi agebatur, & ad §. 619, pariter notatum fuit, miras sæpe turbas, & nova, illáque sæpe satìs molesta symptomata excitari, dum materies morbosa subacta, & mobilis reddita, vel per evacuationes criticas expelletur brevì de corpore, vel per metastasin loca quædam corporis occupabit: inprimis autem anxietatem & inquietam corporis agitationem comitari perturbationes illas criticas, ad §. 633, monitum fuit, & pluribus ex *Hippocrate* locis confirmatum. Criticam autem esse metastasin illam depositionem materiæ

(*a*) Comment. de Aph. Nostrat. pag. 26.
(*b*) Sect. IV. Cap. III. pag. 222.
(*c*) Ibid. Cap. IV. pag. 236.
(*d*) Ibid. pag. 237.
(*e*) Ibid. pag. 236.
(*f*) Commentar. de Aphth. Nostratib. pag. 40.

morbosæ ad superficiem oris interni & primarum viarum, unde aphthæ oriuntur, plurima docent Observata. Sæpe vidi, criticis diebus prodire aphthas, cum morbi insigni levamine; & longè minùs tutas inveni, dum alio morbi tempore erumperent. *Ketelaer*, qui unà cum Praxi Medica & alia tractare debebat, munere Gymnasiarchæ fungens, adeo obscura & confusa credebat crisium signa offerri in morbis, ut ferè frustraneam illorum Observationem putaret, & perfectas crises, quæ statis diebus morbos plenissimè solverent, quàm rarissimè in Zelandia occurrere affirmaret; aphtharum sedulâ Observatione, & quotidianâ ferè, coactus tamen fuit fateri, (*a*) *Nihilò tamen minùs imperfectas* (crises), *quæ lentè & sensim exstirpant quidquid in corpore malorum est, frequentissimè dari*; quibus aphthas adnumerabat. Verùm aliis in locis fatetur quòd, (*b*) *Quæ ante septimum morbi diem aphthæ suboriuntur, multò molestiores & lethaliores sunt iis quæ septimo vel nono die proveniunt;* & quòd omnium optimæ sunt, (*c*) *Quæ constantibus viribus, adultâ ætate, post conflictum Naturæ & morbi, cum signis concoctionis, à septimo vel nono morbi die, non ita magnâ copiâ, pacatis plerisque symptomatibus*, & *inprimis cessante aut multùm remittente febre, emergunt.* Damnavit autem illas aphthas, quæ ante subactam morbi materiam prodeunt. Manifestè autem ex his iterum patet, Veterum doctrinam de crisi & criticis diebus pulchre confirmari, etiam per Observationes illorum, qui de hac re dubitabant, modò attenti ad omnia morbum quemdam per totum suî decursum prosequerentur. Cùm ergo aphthæ in morbis revera criticæ sint, non mirum, & perturbationes criticas præcedere, anxietatem nempe circa præcordia.

Verùm illa anxietas repetitis vicibus invadit, quia aphthis jam deciduis sæpe succedunt novæ, à simili materia morbosa, nondum penitus expulsâ de corpore, versùs eadem hæc loca depositâ. Quandoque enim tanta est materiæ morbosæ copia, vel vires per morbi vehementiam adeo fractæ, ut non possit illa separatio critica per aphthas fieri unico impetu. Tales autem aphthas *Ketelaer* meritò periculosas affirmat, (*d*) *Quæ aliquoties evanescendo repetitis ictibus & insultibus Naturæ negotium facessunt.* Verùm notari hîc meretur, quòd tempestate calidâ & pluviosâ, quando aphthæ frequentes (§. 982.) occurrunt, *Hippocrates* jam monuerit, in morbis crises sæpe deficere, vel difficiles observari: (*e*) ἀκρισίαι πολλαί, τὰ δὲ δύσκριτα.

Antea, ubi de generali febrium Historia agebatur, triplex febrium exitus (§. 591.) memoratus fuit, nempe in mortem, alium morbum, vel sanitatem. Atque ibi dictum fuit (§. 592.), aphthas in primis viis natas frequentem satis causam mortis ex febre esse, quatenus densissimæ obsident quandoque ventriculum & intestina; sicque vasa illa tegunt, per quæ nova liquida in locum perditorum ingeri debent. Propriè tamen pertinent ad illam mutationem febris, per quam in alium morbum desinit, deponendo materiam criticam in vasa quæ-

(*a*) Comment. de Aphth. Nostratib. pag. 19.
(*b*) Ibid. pag. 25.
(*c*) Ibid. pag. 39.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Epidem. Lib. III. Comment. III. Text. XVII. Charter. Tom. IX. pag. 263.

dam obstructa vel dilatata (§. 593.), utì ex hactenus dictis evidenter apparet.

DEBILITAS MAGNA. Cùm morbo jam adulto oriantur aphthæ, & quandoque diarrhœas, dysenterias, & quamcumque validam evacuationem, præcedere aphthas observatum fuerit; mirum non est, debiles sæpe jam ægros esse, antequam aphthæ prodeant. Verùm hîc intelligitur illa (a) *refugiente animo virium præcipitatio*, quæ & subita est, & major, quàm morbi vis & diuturnitas, vel evacuationum copia, efficere poterant. Talis autem subita debilitas aphthas periculosas præcedere inprimis solet; túncque videtur materia morbi, soluta quidem & mobilis reddita, adeo tamen malignam indolem habere, ut dum humori vitali mista per vasa fluit, omnes omnino vires prosternat, antequam ad superficiem primarum viarum deponatur: illâ autem depositione factâ, vires denuo solent insurgere. Verùm & summa talis debilitas in petechiis, miliaribus exanthematibus, pessimísque variolis, quandoque observatur, antequam illorum morborum virus versùs corporis superficiem erumpat. Præterea ad §. 661, ubi de debilitate, tamquam symptomate febrili, agebatur, notatum fuit, quandoque in morbis aliquid circa præcordia hærere, quod venenatâ quasi vi omnes vires uno momento prosternit, licèt nullæ aliæ causæ prægressæ fuerint, quibus tanta, & tam subita, virium jactura attribui posset; utì pluribus ibi probatum fuit. Verùm sequenti paragrapho dicetur, pessimas aphthas, & ut plurimùm lethales, adscendere sensim ex œsophago, dum nullæ adhuc in oris interni partibus observantur. Tunc autem admodum probabile est, circa ventriculi orificium priùs jam hæsisse, antequam in imis faucibus appareant; adeóque & hâc ratione ingens debilitas aphthas præcedere poterit, antequam nempe in ore vel faucibus conspicuæ fiant, licèt in interioribus jam diutius hæserint.

MAGNA EVACUATIO QUÆCUMQUE HUMORUM. Inprimis talium, per quæ tenuiora liquida de corpore subducuntur. Sic post sudores nocturnos diu toleratos in ultimo phthisis stadio aphthas sæpe nasci observavi.

STUPOR ET HEBETUDO, &c. Hæc symptomata aphthas futuras præcedere, *Ketelaer* (b) notavit; & rarissimè hoc signum fallit; ita ut ægrorum custodes in illis locis, ubi aphthæ familiares occurrunt, illico aphthas præsagiant, dum somnolentum & torpidum ægrum decumbere observant. Cùm autem aphtharum materia, unà cum lympha, per tenuia admodum vasa feratur, simúlque talem lentorem lymphæ, cui permista est, inducat, ut per ultima horum extrema liberè exire non possit, sed illa obstruat (vide §. 980.); non mirum est, dum toti massæ humorum talis materia inhæret (nondum per metastasin delata versùs superficiem primarum viarum) si & immeabilitas tenuissimæ lymphæ concilietur per hunc lentorem morbosum. Verùm inde nasci coma febrile, dictum fuit antea ad §. 704. Et postea inter causas ipsius apoplexiæ talis humorum dispositio, §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, recensebitur.

PERPETUA QUERELA DE PONDERE ET DOLORE CIRCA STOMACHUM. Inprimis in hoc casu, ubi jam in ventriculo & œsophago aphthæ hærent, antequam in faucibus & ore appareant; conqueruntur tales ægri sæpe, quòd

(a) Ketelaer. Comment. de Aphth. Nostratib. pag. 37.

(b) Ibid. pag. 28.

tunc sentiant, ac si durum & rigidum obstaculum in œsophago, hæreret quod & potui deglutiendo obsistit, dum per hunc tubum in ventriculum descendit. Sæpius observavi & singultum, aphthas in ore apparituras brevì, præcedere, qui tunc fieri videtur, dum aphthosæ crustæ superius ventriculi orificium obsident, illúdque suâ mole irritant. Tunc enim similis irritatio continua ibi oritur, ac fit in hominibus sanis, dum majores offas subitò deglutiunt difficulter transituras per finem œsophagi, unde solet sæpe tunc singultus nasci.

§. 984. SOLET in initio aliquando hinc inde sparsa apparere solitaria pustula, jam primò in lingua, in labiorum angulis, in faucibus; & alibi, sine ulla certa constantia loci primi: & illæ ferè semper boni genii: aliquando primò apparent in imis faucibus adscendente quasi ex œsophago crustâ albâ, densâ, splendente; instar recentis lardi, tenacissimè adhærente, lentè adscendente: atque hæ ferè pessimæ, & ut plurimùm certò lethales: aliquando duris, crassis, densis, tenacibus crustis totum cavum oris ubique, usque ad extrema labiorum, obsident, omnia tegentes simul; & ab his rarò resurgunt ægri.

Sequitur jam, ut enumerentur illa signa, ex quibus majus minúsve periculum aphtharum prodeuntium cognoscitur, ut inde prognosis deduci possit. Inprimis autem hîc magna cura requiritur; etenim (*a*) *ut aphthæ propinquæ Medicos identidem fallunt, ita præsentes non meliori fide agunt, si ex illis salutem vel mortem hariolari velimus.*

Igitur prognosis desumitur à loco, in quo primò apparent aphthæ, & diversâ crustæ talis aphthosæ spissitudine.

SOLET IN INITIO, &c. Quantæ utilitatis sit Medico, linguam, os internum, & fauces inspicere, dum morborum curam gerit, antea ad §. 609, dictum fuit; sed præcipuè hoc necessarium est, ubi signa memorata præcedenti paragrapho, & epidemica constitutio, aphtharum suspicionem faciunt; si autem tunc inveniantur sparsæ hinc inde & paucæ, bonum signum est, quod rarò fallit. Interim tamen quandoque contingit, quàmvis rariùs, ut pauco numero & sparsim prodeant in oris interni partibus, dum densæ hærent in interioribus. Verùm morbi prægressi vehementia, nausea perpetua, singultus, utì & dolor & pondus circa stomachum, satìs docent attentum Medicum, non fidendum esse talibus aphthis, licèt sparsæ appareant. Præterea quandoque & vires vitales adeo prostratæ sunt, ut non sufficiant expellendæ per hæc loca materiæ morbosæ, & ob talem causam possunt prodire paucæ, sed malo tunc omine. Hoc autem inprimis senili ætate observatur: verùm pulsus celer & debilis, nullúmque symptomatum aphthas præcedentium, levamen ab hac eruptione, docent Medicum, irrita hæc esse tantùm Naturæ morbo succumbentis conamina, adeóque funestam tunc esse prognosin.

(*a*) Ketelaer. Commentat. de Aphth. Nostrat. pag. 38.

ALIQUANDO PRIMO APPARENT, &c. Cùm enim tunc ab interioribus ſenſim adſcendant versùs os, ſignum habemus, omnia interiora jam aphthis plena; adeóque omnia illa mala metuenda eſſe, quæ paragrapho 988, enumerabuntur. Niſi enim aptis remediis poſſit obtineri, ut citò cadat denſa talis cruſta aphthoſa, & vires ſufficiant, ut tantam copiam materiæ morboſæ eliminare valeant, nulla ſpes ſupereſt.

ALIQUANDO DURIS CRASSIS, &c. Pariter dat peſſimum ſignum: nam tunc novæ aphthæ ſuccreſcunt, & priori cruſtæ nondum deciduæ agglutinantur. Cúmque nullum humidum à vaſis ſuppoſitis ad extimam ſuperficiem tam denſæ cruſtæ venire poſſit, illa exſiccatur, tenacior adhuc redditur & durior, magíſque reſiſtit ſuæ ſeparationi. Unde nihil omnino deglutire poſſunt ægri; imò, linguâ, labiis, buccis, rigidis quaſi factis, ne quidem liquidum ori injectum continere poſſunt, tandémque & faucibus pariter ſic repletis miſerrimè ſuffocantur.

§. 985. VARIUS harum color: albus pellucidus inſtar margaritarum; albus ſincerus ex denſitate magna; fulvus; flavus; lividus; niger: quorum malignitas pari ordine, ac hîc recenſetur, procedit, ut prior optimus, peſſimus poſterior, ſit.

Agitur hâc paragrapho de diverſitate colorum, ut inde prognoſis hauriatur. Quando ſparſim occurrunt aphthæ hinc inde, tunc ſemper colorem album pellucidum habent: verùm ubi denſo agmine, concretæ ſibi mutuò, os internum obſident, tunc opacam albam cruſtam formant; quæ, niſi citò decidat, augetur & ſpiſſior fit, túncque ſuperficies hujus cruſtæ exſiccata colorem mutat per ſucceſſivos gradus colorum in textu deſcriptos. Quandoque contingit, aphthas erumpentes cinericei coloris apparere ſtatim, túncque ſemper funeſtas ferè obſervavi; quòd & *Ketelaer* (*a*) affirmat. Reliquæ colorum diverſitates inprimis videntur contingere, quando diu hærent cruſtæ tales aphthoſæ, antequam decidant; quod ſemper pro malo ſigno habetur, utì ſequenti paragrapho dicetur. An autem aphthæ unquam prodierint nigræ, dubitandum videtur. *Ketelaer* negavit ſe illas unquam vidiſſe (*b*), nec memini me illas unquam obſervaſſe ab initio tales. Verùm ubi diu hæſerunt illæ cruſtæ, tunc circa mortem illas nigreſcere vidi, fœdo ſatìs ſpectaculo.

§. 986. UBI hæſerunt aliquamdiu, ſolent infernè ſolvi, laxari, fruſtulatim decidere, ſícque ſenſim, & ſucceſſivè, omnes partes priùs affectæ liberantur. Tum nonnullæ cadunt citò, aliæ tardè. Quædam illico renaſcuntur, quædam tardè, aliæ non: renaſcuntur quandoque æquè denſæ ac priores, & etiam nonnunquam adhuc denſiores, patétque iterum tum diverſitas periculi, & ubi?

Si vires vitales adhuc ſatìs validæ ſunt, tunc liquidum, urgens canalium

(*a*) Comment. de Aphth. Noſtrat. pag. 14. | (*b*) Ibidem.

obstructorum extrema, separat illam crustam aphthosam, inprimis si liquidis emollientibus & leviter detergentibus os internum perpetuò foveatur, utì postea in cura dicetur. Neque ullum certum tempus determinari potest, quo hæc separatio fit: aliquando enim intra duodecim horas vidi separari aphthas; aliquando per plures dies manere firmissimè adhærentes. Neque omnes simul cadunt, sed nunc in hac, nunc illa parte oris interni: non potui observare, quòd constanti lege in quodam loco oris interni citiùs decidant quàm in alio. Probabile tamen videtur, quòd in ventriculo & intestinis, potu deglutito aliísque humoribus huc derivatis continuò emollitæ, citiùs separentur. Si tum deciduis aphthis loca pura appareant, rubra, & humida, vel non renascuntur, vel admodum raræ prodeunt. Si autem siccus appareat talis locus post aphthas separatas, tunc malum signum meritò habetur, & brevì renascuntur æquè densæ, imò & densiores, si vires vitæ adhuc sufficiant expellendæ huic materiæ morbosæ: si verò debilior jam æger fuerit, anxietas ingens sequi solet, & nisi brevì novæ prodierint aphthæ, ægri pereunt. Quandoque aphthis deciduis locus apparet quidem non omnino siccus, sed quasi tenuissimâ telâ albâ obductus, & intra paucas horas æquè copiosæ aphthæ adsunt ac antè. Tunc novimus, copiam materiæ morbosæ adesse per hæc loca expellendæ; vires interim adhuc sufficere, ut hæc expulsio fiat. Hæc autem aphtharum separatio, & nova denuo illorum productio, repetitis sæpe vicibus fit, antequam omne illud noxium expulsum fuerit: (a) *Sexties septiésve, aut sæpius*, aphthas sic renatas vidit *Ketelaer*; quod & mihi aliquoties observare contigit; & quandoque aliquot dierum intervallum inter deciduas aphthas & renascentes intercurrit: verùm tunc locus, unde aphthæ deciderunt, non penitus humescit, & anxietas quædam circa præcordia, & somnolentia supersunt; quæ satìs monent attentum Medicum, quòd nondum superatum sit integre hoc malum.

Verùm ex his iterum varia prognosis sequitur: quæ enim citò cadunt, semper melioris ominis sunt, licèt etiam repullulent novæ, brevì denuo separandæ. Notant enim hæc, copiam quidem materiæ adesse, sed satìs mobilis, vires sufficere, vias adhuc satìs apertas esse. Ubi verò tardè cadunt, colligimus, materiam tenaciorem esse, vires minùs firmas, vasa supposita non satìs pervia; adeóque majus indicatur periculum. Ubi autem longum intervallum inter aphthas deciduas & renascentes interponitur, tunc novimus, partem tantùm materiæ morbosæ subactam fuisse, reliquam adhuc indiguisse maturatione, antequàm versùs hæc loca deponi posset; adeóque morbum longum, pluribus recidivis obnoxium, prævidemus, cum quo æger diu luctari debebit, antequam evaserit. Interim tamen hoc emolumenti tunc habetur, quòd aphthis deciduis, liberiùs deglutiant ægri, & alimentis levibus & liquidis refici interea vires possint, ut & sustinendo morbo longiori, & superandis pluribus recidivis, sufficere valeant. Ubi verò æquè densæ renascuntur, vel etiam densiores, justus metus est, vires

(a) Comment. de Aphth. Nostrat. pag. 21.

non fore satis validas, ut copiosæ adeo materiæ morbosæ secernendæ & separandæ sufficiant : tunc crustæ illæ exsiccabuntur, nec secedent; nova similis succrescet, sícque sequentur omnia illa funesta mala, de quibus §. 984. dictum fuit.

Si autem, aphthis deciduis, os internum purum & humidum appareat; nulla anxietas circa præcordia, nulla hebetudo aut somnolentia, supersint; si febris cesset, vel minuatur continuò, de ægri salute certi sumus.

§. 987. HIC locus (981), natura (979. 980,), causa (980. 983.) symptomata hujus mali (984, ad 987.) : unde de genio statuere licet; atque inde effectus ejus facilè deduci possunt.

Locus, ubi aphthæ hærent, definitus fuit; nempe in omni ambitu oris interni, faucibus, œsophago, ventriculo, intestinis : constitit simul ex dictis, quòd sint ultimorum emissariorum, quæ in has partes liquida emittunt, obturationes per humorem lentum & viscidum : causæ, utì & illa, quæ aphthas præcedere solent, similiter enumerata fuerunt, & quomodo periculosæ & funestæ aphthæ à minùs periculosis distingui possint. Ex quibus cognitis aphtharum effectus cognosci poterunt.

§. 988. UBI enim talis crusta aphthosa totam superficiem tegit partium descriptarum (981), tum sensum nervis inprimendum tollit, unde sapor omnis sublatus; exitum liquidorum per sua emissaria impedit, unde siccitas, vasorum suppositorum dilatatio, liquorum sub his stagnantium putrefactio, inflammatio partium ipsarum; cavitates vasorum absorbentium claudit, unde ingressum novi chyli, potûs, medicamentorum impedit, vitia à denegata refectione corporis nata producit, unde tandem inde mors; crustis deciduis, major per dilatata vasa jam aperta humorum effluxus, unde salivatio, diarrhœa quæ bonæ si non renascuntur aphthosæ crustæ; malæ, si iterum procreantur; deciduis crustis, dolor inflammatarum, & jam denudatarum partium, sæpe vivum cruorem stillantium; unde saliva sanguinolenta, talísque dysenteria; hæc autem omnia, si stomacho, emissario hepatis, pancreatis, intestinorum applicantur, nos docent infinita mala, quæ ex hoc uno morbo oriri possunt, ut non opus sit aliam prognosin dicere.

Duplicis generis mala ab aphthis oriuntur : vel quatenus superficiem primarum viarum tegunt, vel quatenus deciduis aphthis in cruda tunc, & dolente hac superficie, dolores fiunt molestissimi, & ex vasis dilatatis, & jam in hac crusta incumbente liberis, nimiâ copiâ dimittuntur humores.

Unde

UNDE SAPOR OMNIS SUBLATUS, &c. Demonstratur in Physiologicis gustum fieri, (a) *si materies gustanda, attenuata, in saliva plerumque soluta, ore calefacta, motu oris, linguæ, applicata, intra poros vaginarum,* papillas nerveas in lingua tegentium, pervenire possit. Verùm ubi crusta talis aphthosa totam superficiem linguæ & oris interni tegit, non possunt particulæ sapidæ ad papillas nerveas linguæ pervenire. Simul omnibus emissariis liquidorum obturatis, necessariò semper siccitas harum partium adest: & ab his crustis incumbentibus, & à siccitate, buccæ, labia, lingua, rigescunt ita, ut vix liquidum ore continere possint miseri ægri, sed illud statim depluat. Unde patet, præcipuas conditiones, ad saporis perceptionem requisitas, hîc omnino tolli.

VASORUM SUPPOSITORUM DILATATIO, &c. Alibi ad §. 120, & 382, n°. 1, demonstratum fuit, vasa obstructa necessariò dilatari debere, quia in canalibus obstructis resistentia summa est, & simul maxima plenitudo, dum nihil per illorum fines transire potest. Ubi ergo densæ aphthtæ omnia hæc loca obsident, fiunt à vasis suppositis dilatatis tumores molestissimi harum partium, & circa fauces & laryngem periculum suffocationis inducunt. In œsophago sæpe sic arctatur cavum, ut vel omnino nihil, vel parùm tantùm & summa cum molestia transire possit. Imò sæpe vidi miseros ægros, hanc difficultatem deglutitionis aliquoties expertos, postea ab omni potu omnino abstinuisse, ne denuò tales anxietates paterentur. Si jam simul consideretur, vasa hæc obstructa turgere tali materiâ, quæ morbosa est, & extra corpus eliminanda, intelligitur facilè, liquorum, sub hac crusta stagnantium, subitam putrefactionem metuendam esse; præcipuè si simul valida febris urgeat, tunc enim & in partibus obstructis inflammatio nascitur, unde tumor adhuc augetur; & calore aucto, inflammationis comite, citior putredo fit.

CAVITATES VASORUM ABSORBENTIUM CLAUDIT, &c. Medici meritò in morbis curandis semper soliciti sunt, ut vitæ & viribus consulatur cibis & potibus facilè digerendis; & licèt quandoque in morborum acutorum vigore summo solùm tenuissimum victum ægris concedant, tamen semper aliquid alimenti exhibent, & simul copiam potûs tenuis suadent, ut nimiam exsiccationem corporis caveant. Verùm frustra hæc ingeruntur, si ventriculus & intestina crustâ densâ aphthosâ tegantur, cùm omnibus orificiis vasorum absorbentium sic occlusis nil ex ingestis in sanguinem venire possit: unde vel angustiæ nascuntur intolerabiles ab assumptis etiam fluidis, si per intestina tumentia transire nequeant; vel si viam invenerint, immutata per alvum dilabuntur. Necessariò augetur hinc humorum spissitudo & acrimonia, vires prosternuntur, & ab hac sola causa aphthæ tales in mortem terminantur; utì jam antea ad §. 592, in febrium Historia dictum fuit.

CRUSTIS DECIDUIS MAJOR, &c. Aliud adhuc periculum ægris talibus imminet, dum læti vident has crustas decidere; nam mox salivatio copiosa sequitur, & humor sæpe viscidissimus exit, vasis jam dilatatis transmittentibus

(a) Boerhaav. Institut. Medic. §. 482.

& crassius liquidum, & majori copiâ. Si jam consideretur, similem humorum effluxum fieri, aphthis deciduis, in toto primarum viarum tractu, patet ratio, quare tunc diarrhœa sequatur, & quare in debilibus jam à morbo molesto & diuturno ægris à subita liquidorum tali evacuatione mors sequatur, dum & ægri & Medici meliora sperabant. Si moderata sit talis evacuatio, & ægri vires adhuc constent, optimum signum dat, quia quidquid de materia morbosa adhuc superat, per patula jam vasa facilè expellitur, & tunc non renascuntur aphthæ. Si autem de novo propullulent aphthæ, tunc novimus, superesse adhuc in corpore eamdem materiam, atque adeo viscidam; ut ne quidem per laxa & dilatata vasorum extrema exire possit; unde novis molestiis his ferendis rarò parem ægrum invenimus, cùm jam prægressis ferè exhaustus fuerit.

DECIDUIS CRUSTIS, DOLOR, &c. Inflammari partes vivas suppositas sub crustis illis aphthosis paulò antè dictum fuit: tunc, deciduis aphthis, loca apparent ruberrima & dolentissima, ita ut ne minimum attactum quidem ferant; & tunc miseri ægri, licèt jam viæ liberæ sint, vix quid deglutire possunt præ dolore excoriatarum partium, quæ sæpe vivum stillant sanguinem. Interim tamen mollissimis potibus vel & remediis utendum est sæpe, & parcâ copiâ simul, ne cruda illa & excoriata latera œsophagi concrescant, & immedicabile postea malum faciant. Molestissimum sic singultum, & dolorem cardiæ à quovis cibo vel potu deglutito, per sex septimanas mansisse vidi in viro sexagenario post aphthas deciduas, ob excoriatum superius ventriculi orificium. Difficillimè autem poterat leniri illud malum, quia in singultu, dum convulsus œsophagus ventriculum & diaphragma sursum trahit (vel saltem illam diaphragmatis partem per quam œsophagus transit), diaphragmate simul subitò deorsum tracto, irritabatur de novo locus ille dolens, & impediebatur consolidatio.

HÆC AUTEM OMNIA SI STOMACHO, &c. In oris interni partibus videre possumus, quid mutatum sit post aphthas deciduas. Sed certi sumus, & in interioribus aphthas hærere, & postea separari. Si jam cogitemus, ductûs communis bilis & succi pancreatici exitum in intestino duodeno posse obturari per crustam densam aphthosam, ut nihil transmittere, possit, facilè intelligimus, quantæ anxietates circa præcordia fieri debeant. Dum autem separatâ hâc crustâ liber denuo exitus conceditur bili copiosæ hîc collectæ, stagnatione & morâ acriori redditæ, non miramur, tormina sævissima in intestinis, pariter sic quasi excoriatis, nasci, diarrhœas & dysenterias periculosas produci. Hinc adeo damnaverunt multi Medici purgantium usum in aphthis, quia (*a*) hypercatharsin intra paucas horas lethalem inde natam viderant, quam non à purgante remedio solo ortum duxisse admodum verosimile est, sed à collectis bile copiosâ & succo pancreatico, subitò sic erumpentibus, & crudam intestinorum superficiem irritantibus. Præterea, utì salivatio, deciduis in ore aphthis, sæpe per aliquot dies durat, antequam dilatata

(a) Ketelaer. Comment. de Aphth. Nostrat. pag. 45. 46.

vasa ad pristinam magnitudinem redierint; sic ob eamdem rationem & illa liquida, quæ in ventriculi & intestinorum cavum naturaliter, exeunt, pergunt sæpe exire tantâ copiâ, ut totum corpus exhauriatur.

§. 989. SI verò ulcerosæ crustæ hæ admodum lentæ, crassæ, latæ, compactæ, tum sæpe suffocata, caro subjecta inflammata, suppurata, gangrænosa, in dira ulcera mutatur, eroso quandoque in os palati usque ejus involucro. Qualia autem in stomacho & intestinis hinc mala, per se patet.

Antea, quando de gangræna agebatur (§. 423.), dictum fuit, materiam febrilem quandoque ad quasdam corporis partes deponi, & quidem tantæ malignitatis, ut vitam in parte destruat, quam occupat; & quidem citissimè, utì pluribus ibi probatum fuit. Jam aphthæ oriuntur à materia febrili versùs superficiem primarum viarum depositâ; illámque quandoque satìs malignam esse in pessimis aphthis, ex modò dictis patuit. Imò aphthæ etiam mitiores pro superficiaria gangræna haberi possunt: extrema enim vasorum, infarcta humore viscido, crustam faciunt mortuam, quæ à vivis partibus suppositis separari debet & decidere. Materia ergo febrilis versùs has partes deposita, & extremis vasorum orificiis infarcta, facit, ut illa emoriantur, adeóque dispositio ad gangrænam revera in aphthis adest. Verùm antea ad §. 442, notatum fuit, quòd, si partes gangrænosæ exsiccatæ escharam duram forment, tunc sub hac eschara viva adhuc vasa comprimantur, à vitali motu, per febrim aucto, & ad duram hanc crustam atterantur, unde nova fit inflammatio sub tali eschara mortua, quæ brevì pariter in gangrænam mutatur; sícque escharæ gangrænosæ imcumbentis crassities augetur, donec ad ossa usque omnia emoriantur.

Idem metuendum est, si crustæ aphthosæ non decidant citò; tunc enim nova subcrescens priori agglutinatur, utì ad §. 984, dictum fuit; & tantò pejùs subjectas partes vivas comprimit malúmque propagat. Si tales crustæ densæ aphthosæ, non deciduæ, occupent palatum fornicatum, sæpe illa membrana, quæ hanc partem tegit, destruitur; &, gangrænosis his crustis postea separatis, os palati nudum apparet, cariosum fit, & molestissima mala facit. Si jam cogitemus similia his, quæ oculis apparent in ore interno, posse fieri in ventriculo & intestinis, satìs intelligimus, quot & quanta mala ab aphthis nasci possint, inprimis si conferantur, illa, quæ antea de ventriculi & intestinorum inflammatione dicta fuerunt.

§. 990. UT curetur optimè hoc malum, debet 1°. Humorum vitalium impulsus internus in partes obsessas excitari, temperari; ut suppeditato liquido infernè resolutio, laxatio, lapsus concilietur crustæ ulcerosæ: id efficitur potu multo, calido, diluente, resolvente, abstergente. Et quia in mala specie hujus morbi vasa

lactea obsessa introitum facilem negant, hinc fomenta, vapores, balnea mirifici hîc usûs ex eisdem; cibus autem optimus ex aqua, pane, coctis, dein & melle mistis. 2°. Debet crusta in facilem citúmque lapsum disponi; id fit fomento, gargarismo, clysmate: quæ liquore calido laxante, emolliente, detergente, & satìs diu adhærendo humectante, putrefactioni resistente, constare debent. 3°. Simulac lapsus conciliatus est, tum anodyno, demulcente, & simul parùm corroborante medicamento simili utendum 4°. Simulac rursum febris sedata, urina hypostatica, pulsus paulò liberior, tum potus corroborans prodest. 5°. In fine mali purgans corroborans per alvum exhibendum.

Tota aphtharum Historia, hactenus tradita, docuit, morbosam materiam, à reliquis humoribus extricatam, deponi ad hæc loca; adeóque in cura cavendum est, ut nihil fiat, quod huic Naturæ molimini obicem ponat; & contrà omnia adhibeantur talia, quæ hanc expulsionem materiæ morbosæ juvare possunt. Quod inprimis ideo notandum est, quia quandoque minùs periti, Veterum aphthas, ad quarum curam adstringentia laudabantur, cum aphthis, morbos acutos sequentibus, confuderunt, & refrigerantibus atque adstringentibus curam moliti sunt, magno cum damno. Utì enim *Ketelaer* perniciosum hunc in Praxi Medica errorem carpens, optimè dixit, (*a*) *Constat, quantùm ori ac faucibus per frigida illa spatii ac laxitatis, tantùm cordi & vitalibus angustiæ, anxietatisque parari.* Simulac enim impeditur aphtharum eruptio, febris augetur, anxietas summa fit, & pessima multa symptomata sequuntur, non sedanda, nisi denuo aphthæ prodierint. Debet ergo materia aphthas producens meabilis reddi, & vasa disponi ad facilem transitum. Prius obtinetur tali febrilis impetûs moderamine, ut nec exorbitet, nec torpeat nimis. De signis autem, quibus hæc distingui possint, & de modo corrigendi nimium impetum, vel excitandi torpentem febrim, dictum fuit in febrium Historia §. *609. 610. 611.* Ad eumdem scopum facit, si subministretur copia magna diluentis, attenuantis, & detergentis liquidi; nam sic & lentor materiæ morbosæ attenuabitur, & vasa laxabuntur, ut faciliùs transmittant. Formula talis decocti in *Materia Medica* ad hunc numerum habetur, *ex radicibus pastinacæ, sisari, chinæ*, &c, parati, calidè semper potandi. Si autem omnis superficies primarum viarum aphthis adeo obsessa fuerit, ut vel deglutiri nequeat potus, vel deglutitus non possit resorberi per venas bibulas, tunc nihil aliud superest, quàm ut per externam corporis superficiem conemur introducere multùm liquidi; ad quam rem conducunt balnea & fomenta ex similibus composita. Lac duplâ aquæ copiâ dilutum profuit insigniter in tali casu, si huic miscelæ calidæ nunc pedes, nunc manus, immergerentur. Similia & per clysmata injiciuntur, hâc spe, ut bi-

(*a*) Commentar. de Aphth. Nostrat. pag. 49.

bulis crassorum intestinorum venis, fortè non adeo crassâ crustâ aphthosâ tectis, hæc resorpta sanguini permisceantur.

Cibus autem debet esse liquidus, tenuis, ut facilè se adhuc insinuare possit vasis venosis absorbentibus, hinc inde fortè nondum penitus obturatis. Ideo decoctum panis commendatur, optimè nutriens & ab omni putredine alienum; additur aliquid mellis, quod detergente suâ saponaceâ vi crustas illas abstergit & cadere citiùs facit; sícque viam alimento resorbendo parat. Simul miscetur vinum, quia mirâ penetrabilitate ingreditur vasa bibula, & reliquis partibus nutrientibus panis viam quasi parat. Si enim homo sanus unciam vini ore retineat per horæ minutum, dein exspuat, mirabitur illud jam vappam esse, subtilissimâ vini fragrantiâ resorptâ per venas bibulas tam brevi tempore: imò sæpius hoc repetendo ebrietas sequetur, licèt ne guttam quidem vini quis deglutiverit. Sic simul & languentes quandoque vires vitales blando hoc, & naturæ humanæ amico stimulo, eriguntur, ut faciliùs excuti possit materiæ morbosæ residuum. Usu didicerat *Ketelaer* adeo proficuum esse in hoc morbo cibum talem tenuem & vinosum, ut dixerit, (*a*) *Ille puerperarum potus, ex vino Rhenano, ovis, cinnamomo, sacchara & croco confectus, sæpe omnibus intentionibus solus satisfacit, & nisi calidior sitim, siccitatémque adaugeret, omnium, quæ promovendis aphthis sunt, magnum instar foret.* Si autem demptis illis aromatibus, vel parcissimâ manu additis, dilutum decocto panis vinum detur, tunc nihil inde mali metuendum est; inprimis si prudens Medicus copiam vini augeat vel minuat, prout major minórve est febrilis impetus.

2°. Per illa, quæ præcedenti numero laudata fuerunt, sustinentur vires, diluens vehiculum subministratur sanguini, incitatur leviter motus sanguinis, si torpeat, ut humor vitalis urgeat fines canalium obturatos, & removeat obstacula, sícque patula via fiat, canalibus apertis, simili materiæ aphthosæ, si adsit, propellendæ. Verùm crustæ illæ aphthosæ quandoque densiores sunt, & exsiccatæ pertinaciùs adhærent toti superficiei primarum viarum, quàm ut solo impetu liquidi à tergo urgentis separari possint & decidere. Proderit tunc summopere, humectare hanc crustam aphthosam, emollire, & quasi tabefacere, ut minùs hæreat, & levi vi separari queat. Omnes ergo potus aquosi calidi huic scopo serviunt, inprimis si emollientia & farinosa his addantur; tunc enim talis potus levem lentorem acquiret, per quem diutius hærebit partibus, quas aliter aqua, si pura fuerit, citò præterlabitur. Solent & simul addi talia, quæ saponaceâ detergente vi crustas illas aphthosas magìs solvunt, leni stimulo partes vivas subjectas irritant, & humores sic proliciunt, qui ab inferiori parte illam crustam pariter humectabunt. Raparum decoctum, vel & succus expressus leviter coctus & melle edulcoratus, remedium dat in illis locis, in quibus aphthæ grassantur frequentiùs, longo usu probatum; cujus defectum, dum recentes raparum bulbi haberi non possunt, plebs supplere solet (*b*) *Solâ cerevisiâ tenui saccharatâ.* Si unâ cum cortice suo raparum bulbi radantur tyrocnesti, tunc succus expressus erit acrior & magìs detergens. Pulchre & prodest jusculum carnis vitulinæ cum oryza & rapis contritis coctum, ut continuò foveatur

(*a*) Comment. de Aphth. Nostrat pag. 52. | (*b*) Ibid. pag. 50.

os & gargarisetur; simúlque idem deglutitum in interioribus eumdem effectum præstabit, dum simul blandum nutrimentum sic corpori subministratur: similia & ob easdem rationes per clysma injiciuntur. Plures Formulæ talium remediorum in *Materia Medica* ad hunc numerum, utì & ad præcedentem, formâ emulsi, decocti, aut succi expressi habentur. Species à decoctis his residuas, cataplasmatis instar, collo applicant, ut omnia hîc mollescant & cedere possint.

Notari hîc meretur, quòd *Sydenhamus* de aphthis, quæ post febrim quamdam epidemicam sequebantur, agens commendet corticis Peruviani usum, affirmétque audacter, ullud remedii genus, (*a*) *Certiùs in hoc casu scopum attingere, quàm aliud quodvis etiam è celebratissimis.* Dabat autem corticem, ubi aphthæ non facesserent sponte, sed in longum tempus decurrerent. Febris autem illa, licèt prorsus continua esset, exacerbationes tamen molestissimas habebat ingruente nocte, (*b*) *non aliter ac si duplex foret tertiana sive, quotidiana.* Unde apparet, illam febrim de genere remittentium fuisse, quæ intermittentium genium habent, & corticis Peruviani usu tolluntur. Hinc non improbabile videtur, *Sydenhamum* corticem dedisse talibus ægris, ut febrim fugaret; simúlque tunc observasse, crustas aphthosas felicissimè separari. Cùm autem febres autumnales epidemicæ sæpe febres continuas mentiantur, licèt revera exacerbationibus suis, dato tempore contingentibus, genium suum testentur; & postea, mitescente morbi impetu, in veras intermittentes transeant; ausus & ego sum aliquoties, in ægris ejusmodi debilioribus, aphthis jam satìs densis apparentibus, dare decoctum corticis Peruviani (quia in forma non facilè exhiberi potest, dum fauces aphthis occupantur) ut febrim compescerem: metuebam tamen ne corticis adstringens vis noceret aphthis; sed credebam me ex duobus malis minus eligere debere, & interponebam emollientissimorum decoctorum usum continuò, ut corrigerem illud mali, quòd à cortice metuebam. Mirabar postea, crustas aphthosas citiùs cecidisse, quàm in illis, quibus firmiores vires, & febris mitior, corticis usum non postulaverant: nec minùs venerabar *Sydenhami* in morbis curandis perspicaciam. Tunc temporis nondum noveram egregiam corticis Peruviani in separandis crustis gangrænosis efficaciam: nunc autem mihi videtur, quòd pulcher ille effectus corticis Peruviani in separandis crustis aphthosis confirmet illa quæ paragrapho præcedenti dixi de aphtharum indole gangrænosa. Fortè & cum prudentia tentari posset, quid faceret corticis usus in exanthematibus illis, quæ frequentissima occurrunt illis in regionibus, ubi aphthæ vel nunquam, vel saltem raro admodum observantur in febribus. Aliquoties feliciter cessisse hanc Methodum novi; sed nondum satìs multa colligere potui Experimenta Practica, ut circa hanc rem quid determinare audeam.

3°. Ubi aphthæ deciderunt, tunc cruda excoriata hæc loca sunt; & si densæ inprimis fuerint illæ crustæ aphthosæ, simul dolentissima, utì ad §. 988, pluribus dictum fuit. Ab ipso melle, & adhuc magìs à succo raparum, irritarentur crudæ hæ partes, hinc sola tunc mollissima adhibentur,

(*a*) Schedul. Monitor. de novæ febris ingress. pag. 656.

(*b*) Ibid. pag. 651.

quæ & demulcent dolentes partes; simúlque, si fortè in interioribus quædam adhuc crustæ nondum deciduæ hæserint, emolliendo illas, prosunt. Potus ille, qui in *Materia Medica* ad primum numerum hujus paragraphi describitur, tunc pulchre prodest; utì & illud, quod ex cremore lactis, vitellis ovorum, & syrupo papaveris albi paratum, ad tertium numerum ibidem habetur. Pulcherrimè enim leniet dolorem excoriatarum partium; simúlque nimias evacuationes liquidorum, per dilatata sub crustis aphthosis vasa, & nunc libera effluentium, cavebit ob syrupum papaveris additum, qui tam benignè profusas liquidorum evacuationes suspendit, utì quotidianâ Praxi notum est. Quandoque tantam salivæ copiam per emissaria glandularum exire vidi, aphthis deciduis, ut necesse fuerit monere ægros, ut illam deglutirent, ne ob tantam liquidi jacturam exhaurirentur. Ubi autem incipit minui ille dolor, tunc lenia roborantia dantur, ut sensim nimis dilatata vasa constringantur. Decoctum foliorum agrimoniæ cum melle rosarum, quod in *Materia Medica* ad hunc usum laudatur, pulcherrimè prodest.

4°. Cùm autem metus sit, ne per dilatata vasa, crustis aphthosis jam penitus deciduis, nimia humorum copia exeat, & diarrhœa subitò debilitans oriatur, corroborantibus opus erit. Verùm si stringantur vasa illa aperta, antequam omnis materia morbosa per hanc viam expulsa fuerit, novum ægro imminet periculum ob recidivam metuendam, jam debilitatis viribus. Hinc debet Medicus certus esse de hac re, antequam corroborantia illa adhibeat: inprimis cùm ad §. 986, monitum fuerit, quandoque aliquot dierum intervallum interponi inter aphthas deciduas & denuo renascentes. Ideo illa signa hîc recensentur, quibus visis, tutò ad usum roborantium transire possumus. Quamdiu enim adhuc quid superest in corpore de materia aphthosa nondum expulsa, febris manet, & anxietas quædam superest, sæpe recurrens (vide §. 983.); pulsus debilis observatur, & ægri languent. Ubi verò totum separatum fuit à sanguine, tunc pulsus fortior semper insurgit; & morbum meliùs ferunt ægri. Urina autem hypostatica notat, coctionem & subactionem materiæ morbosæ factam esse; utì in *Pathologia* (*a*) notatur, & in febrium Historia, ubi de coctione & crisi agebatur, pluribus dictum fuit. Formula talis remedii roborantis in *Materia Medica* ad hunc numerum pariter habetur.

5°. Antea ad §. 988, monitum fuit, purgantia minùs convenire in aphthis, & sæpe periculosam hypercatharsin produxisse. Verùm hîc commendatur purgans in fine mali tantùm, ut crustæ aphthosæ, à ventriculi & intestinorum superficie interna deciduæ, expellantur per alvum, ne diutius relictæ, & corruptæ, nova mala producerent. Simul autem laudantur illa purgantia, quæ adstringendi & roborandi vim manifestam possident; qualia sunt *Rheum*, *myrobalani*, & similia; quæ ideo tantum nomen in diarrhœis & dysenteriis curandis habent, quia leni stimulo purgante expellunt acre irritans, & simul vi roborante firmant laxata nimis vasa. Talis formula in *Materia Medica* ad hunc numerum habetur, ubi tamen errore typothetæ, ut videtur, nimia quantitas

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 1016, 1017.

myrobalanorum legitur, nam drachma una cum dimidia sufficeret pro hac indicatione; unica cum dimidia autem in Formula ipsa ponitur.

§. 991. EX hac Historia & curatione aphtharum multa obscura problemata Practica solvuntur. Cur enim in febre cum diarrhoea & dysenteria in fine morbi aphthæ? Cur id in pueris, senibúsque inprimis? Cur maximè, si medicamenta, victus, regimen calefacientia, aut adstringentia, in initio morbi hujus data? Cur si in talis morbi initio purgans datur aphthæ hujusmodi præcaventur? Cur in pessimis aphthis molestus & funestus singultus? Cur ora aphthosa, ventres turbati, appetitus prostrati, junguntur ab *Hippocrate*? Cur aphthosa tunica ventriculi, lienteriam creat? Cur aphthæ nigræ pestiferæ habentur? Cur aphthosum os gravidæ abortûs prænuntium? Cur in putridis pulmonibus, hepate, &c, aphthæ adsunt? Cur tumor, calor, suffocatio, angina, ab aphthis refrigeratis? Cur deliria, jactationes, pervigilia, sudor frigidus, adeo hîc funesta?

Uti aliorum morborum Historiis absolutis subjungebantur corollaria quædam Practica, sic etiam & hîc fit, ex præcedentibus nempe explicanda.

CUR ENIM IN FEBRE, &c. Observationibus *Sydenhami* hoc confirmatum fuit, uti ad §. 983, habetur. Videtur autem inprimis hæc esse ratio, quòd liquidissima subducta fuerint de corpore copiosis illis evacuationibus, adeóque humores residui magìs viscidi facilè in vasis illis extremis hærere possint, & aphthas producere: sed & inprimis peculiaris morbi indoles, à priori vix explicanda, & per fideles Observationes solas detegenda, quâ per hanc viam subactam materiem morbosam expellere conatur, primarium locum hîc obtinent. Fatetur enim *Sydenhamus*, in febre (*a*) dysentericâ ab ipso dictâ, quia omnia symptomata dysenteriæ epidemicæ tunc grassantis habebat, exceptis alvi evacuationibus, &, quæ ab hac pendebant, malis; tamen (*b*) majorem propensionem ad aphthas producendas obtinuisse, ac in ulla alia febre quam hactenus observaverat. In illa autem febre non poterat aphtharum productio deduci à jactura partis liquidissimæ humorum per evacuationes alvinas profusas, sed pendebat à peculiari hujus morbi genio.

CUR ID IN PUERIS, SENIBUSQUE INPRIMIS? Antea ad §. 982, hoc jam notatum fuit, & *Hippocrates* (*c*), diversarum ætatum præcipuos morbos enumerans, parvis & recèns natis puerulis aphthas frequenter contingere monuit. Verùm videmus manifestè, ingentem copiam muci satìs tenacis in primis viis recèns natorum collectam hærere, quam vel vomitu rejiciunt, vel & per alvum evacuant; adeóque novimus, multa tenacia satìs per extrema vasorum orificia hîc exire, quæ, si hærere incipiant in extremis vasorum, aphthas

(*a*) Sect. IV. Cap. IV. pag. 236.
(*b*) Ibid. pag. 237.

(*c*) Aphorism. Sect. III. n°. XXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 119.

aphthas producere possunt, sed plerumque satìs benignas, & brevì deciduas, túncque per vasa eadem, dilatata magìs separatur à sanguine ingens copia talis glutinosæ viscidæ materiæ, & alvum sæpius deponunt, & quidem cum levamine optimo, donec hæc saburra expulsa fuerit. Mirabatur *Ketelaer*, (*a*) *Quòd quidam, inprimis pueruli, negligentiùs ac viliùs habiti, totos quandoque dies ac noctes in aphthis summâ animi alacritate ac vigore dejiciant*, cùm in adultis purgantium usum adeo suspectum habuerit, & ideo monuit quòd (*b*) *ea non tam exempla, quàm monstra sunt*. Verùm ratio hujus rei ex dictis satìs patet.

In senibus verò, si morbo acuto corripiantur, ob virium vitalium in effœto jam corpore inertiam, longiori tempore fit coctio materiæ morbosæ, & criticæ evacuationes vel metastases lentiores, & repetitis plerumque vicibus illud efficit Natura, quod majori cum impetu simul & semel molitur in ætate vegeta. Verùm aphtharum eruptio, sæpius plerumque repetita, ut dictum fuit, tali Methodo materiam morbosam eliminat. Præterea in senili ætate lentescunt magìs omnes humores; hinc muco pariter madent primæ viæ, dum exterior cutis arida & exsucca fit. Unde iterum alia causa desumitur, quare aphthæ frequenter observentur in senibus, sed satìs periculosæ, utì antea ad §. 982, jam dictum fuit.

CUR MAXIME SI MEDICAMENTA, &c. *Sydenhami* hæc Observatio est, utì ad §. 983, dictum est. Ubi enim per calidum regimen, & medicamenta similia pars humorum liquidissima & mobilissima periit de corpore, tunc & humores immeabiles fiunt, & extrema vasorum orificia exsiccantur; quæ bina multùm conferunt ad aphthas producendas, si cæteroquin morbi ipsius genius conspiret. Adstringentia verò, cùm constringant solidas partes, & inspissent fluidas, similem effectum habent; præcipuè si in diarrhœis & dysenteriis, nondum expulso per evacuantia morbi fomite, adhibeantur imprudenter in ipso morbi initio.

CUR SI IN TALIS MORBI INITIO PURGANS, &c. Quia tunc acer ille stimulus expellitur, qui & dysenteriæ, & febris sequentis vel comitantis illam, causa est. Imò repetitis quandoque purgationibus opus habuit *Sydenhamus* (*c*), ut omnem morbi materiam eliminaret. Sic autem cavebatur, ne per febrim diutius protractam, & retentum in corpore morbi fomitem, ita mutarentur humores, ut aphthosâ quasi despumatione indigerent postea.

CUR IN PESSIMIS APHTHIS MOLESTUS ET FUNESTUS SINGULTUS? Duplici aphtharum tempore singultus occurrit, vel in initio, etiam antequam in ore interno & faucibus ullæ appareant aphthæ, dum nempe copiosæ jam occupant superius ventriculi orificium, illúdque mole suâ irritant, utì ad finem §. 983, dictum fuit: vel & sæpe singultus in fine morbi aphthis jam deciduis oritur, dum eadem illa pars, vel & ventriculi interna superficies, excoriata quasi, dolet, & ab omnibus assumptis irritatur; utì ad § 988, monitum fuit. Singultus autem ille, in aphtharum initio observatus, pejoris ominis est;

(*a*) Commentar. de Aphth. Nostrat. pag. 47.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Sect. IV. Cap. IV. pag. 241.

quia denotat interiora densis aphthis obsideri, quæ sensim dein adscendendo per œsophagum & fauces omnia replent, & pessimæ observantur & ferè lethales, utì ad §. 984, dictum fuit. Ille autem singultus, qui deciduis jam aphthis fit, molestus quidem est, sed rarò perniciosus. Quod & *Sydenhamus* confirmat, monens quòd singultus talis, (*a*) *Etiam sublatâ febre, per dies aliquot perseverat, at pro ratione redintegratarum ægri virium sponte tandem evanescit.* Monet autem sedulò Medicos, quòd (*b*) *Ex singultu, sub finem hujusce febris* (aphthosæ nempe) *accedente, nihil ægro periculi est, nisi officiosè nimis & inutiliter multa ingerantur remedia: quod si fiat, mors pro Medico est.* Requiritur enim tantùm ut mollissima dentur in victu, ne irritentur loca illa dolentia; tunc enim sensim consolidatio fit, & cessat singultus. Ubi verò, noxium humorem hîc hærere suspicantes Medici, vomitoriis vel purgantibus illum eliminare tentant, inflammatur sæpe ventriculus summo cum periculo.

CUR ORA APHTHOSA, VENTRES TURBATI, &c. Ex illis quæ ad §. 978, dicta fuerunt, constitit, admodum verosimile esse, quòd veteres Medici aphthas, morbos acutos comitantes, vel sequentes, cognoverint, licèt idem illud aphtharum nomen & ulcusculis dederint longè à modò descriptis aphthis diversis. Ex his autem, quæ in tota aphtharum Historia habentur, satìs patet, minimè mirum esse, si venter turbetur & appetitus prostratus sit, dum crustæ illæ totum tractum primarum viarum obsident; adeóque meritò hæc juncta poterant ab *Hippocrate* pronunciata fuisse. Non autem adeo liquidò patet, *Hippocratem* in illo loco voluisse indicare, quòd (*c*) ventres turbati, & appetitus prostrati, tamquam effectus aphtharum deberent considerari. Recenset enim ibi constitutionem epidemicam, quæ tempestatem anni austrinam, humidam & mollem, sequebatur, & inter alia mala tunc frequentia enumerantur & hæc: (*d*) *Ora aphthosa, pudendis tubercula, lippitudines, carbunculi:* (*e*) *Alvi perturbatæ*, ciborum fastidia. Cùm autem in textu non hæc jungantur immediatè inter se, sed post aphtharum enunciationem tres alii distinctissimi morbi recenseantur, antequam de alvi perturbatione vel cibi fastidio mentio fiat; non patet ex hoc loco, quòd illa ultima tamquam sequela & effectus aphtharum ibi memorata fuerint, sed potiùs ad simplicem enumerationem morborum tunc temporis grassantium pertineant.

CUR APHTHOSA TUNICA VENTRICULI LIENTERIAM CREAT? Aliâ occasione ad §. 719, hæc definitio lienteriæ data fuit, quòd sit *lævitas intestinorum, quâ continere nihil possunt, & quidquid assumptum est, inconfectum protinus reddunt.* Cibi enim in hoc morbo non mutati exeunt. Verùm in Physiologicis demonstratur, ad subactionem & mutationem ingestorum, præter ventriculi & intestinorum actionem, requiri copiam humorum jam coctorum & inquilinorum corporis nostri, quæ ingestis sensim misceatur. Hæc autem miscela deficit, dum ventriculus & intestina obsidentur densis aphthis, & nulla resor-

(*a*) Schedul. Monitor. de nov. febr. ingress. pag. 656.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Epidem. Lib. III. Comment. III. text. XIII. Charter. Tom. IX. pag. 261.
(*d*) Ibid. text. XII.
(*e*) Ibid. text. XIII.

ptio per vasa lactea aut venas mesentericas ob eamdem causam fit; adeóque cibis assumptis nihil additur, nihílque demitur, & hinc immutati exeunt. Ubi verò aphthosæ illæ crustæ ventriculi & intestinorum decidunt, tunc per dilatata priùs, & nunc patula, vasorum orificia (vide §. 988.) tanta copia liquidorum exit, ut omnia ingesta cum his brevì temporis spatio per alvum eluantur, pariter nondum multùm mutata.

CUR APHTHÆ NIGRÆ PESTIFERÆ HABENTUR? Si ab initio talem colorem haberent, dum prodeunt, signum foret, materiam morbosam per hæc loca eliminandam adeo malignæ esse indolis, ut extrema vasorum, quibus infarcta hæret, redderet illico gangrænosa. Si verò, utì plerumque fit, aphthis non deciduis novæ subcrescant, & densissimas crustas faciant, tunc exterior harum superficies siccata nigrescit, & à tali crusta incumbente suffocantur partes vivæ suppositæ, & gangrænâ corripiuntur. In utroque hoc casu satìs patet, funestum morbi exitum imminere.

CUR APHTHOSUM OS GRAVIDÆ, ABORTUS PRÆNUNCIUM? Impeditur enim alimentorum debita præparatio, & chyli resorptio; unde, cùm in gravida muliere superesse debeat, quod (*a*) *Duo corpora simul sustineat*, ille defectus chyli boni funestus brevì erit fœtui; inprimis si consideretur, quòd per morbum aphthas prægressum jam multùm passus fuerit, ob mutatos matris humores in alienam omnino à sanitate indolem. Quanta autem hæc mutatio sit, patet ex illis malis, quæ aphthas præcedere solent, & §. 983, enumerata fuerunt. Dixit *Hippocrates*, (*b*) *Ora aphthosa uterum gestantibus alvos humectant.* Alio loco autem damnavit quidem aphthas in gravidis, verùm dubitantis instar proposuit illam alvi humectationem. Ita enim habet: (*c*) *Ora aphthis ulcerata uterum gerentibus non sunt bona. Num & alvi humectantur?* Sed in *Aphorismis* habentur sequentia: (*d*) *Mulieri utero gerenti, si alvus multoties profluit, abortionis periculum est.* Unde cùm in aphthis ob rationes antè dictas alvi profluvium metuendum sit, patet, quare aphthæ in gravidis abortum præsagiant. Dubitavit *Foesius*, an in binis illis Coacis prænotionibus non voluisset *Hippocrates* indicare (*e*) uteri osculum aphthis obsideri; cùm alibi monuerit, (*f*) pudenda quoque aphthis laborare quandoque, utì ad §. 978, dictum fuit. Verùm os uteri in gravidis altiùs hæret, quàm ut aphthæ conspici possent, si etiam ibi hærerent; neque apparet evidenter, quare ab his tunc alvi profluvium metuendum foret, cùm si os aphthosum fuerit in gravidis, illius profluvii ratio facilè intelligatur. Præterea maximè notabilis locus habetur: (*g*) *Uterum jam gestantibus in aphthas versæ fluxiones cum dolore, malum. Hæmorrhois his, pessimum.* Ubi notandum est, quòd non agatur hìc de ore aphthoso, ut in præcedentibus, sed simpliciter vocaverit fluxionem aphthosam, & quidem

(*a*) Cels. de Medicin. Lib. II. Cap. X. pag. 78.

(*b*) Coac. Prænot. n°. DXLIV. Charter. Tom. VIII. pag. 884.

(*c*) Ibid. n°. DXIV. pag. 882.

(*d*) Sect. V. n°. XXXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 214.

(*e*) Hippocrat. Oper. Sect. II. Coac. Prænot. n°. DXIV. Tom. I. pag. 202.

(*f*) Lib. de Natur. Muliebr Cap. LXI. Charter. Tom. VII. pag. 714.

(*g*) Coac. Prænot. n°. DXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 883.

dolentem. Verùm antea ad §. 978, notatum fuit, dolentissimas esse sæpe pudendorum aphthas. Si jam consideretur, tanta irritatione circa partes genitales natâ, facilè supervenire partûs dolores, quibus ante finitum gestationis terminum immaturus excutitur fœtus; patet evidens ratio, quare damnaverit *Hippocrates* in gravidis hæc pudendorum ulcuscula. Confirmatur hoc ulteriùs, quòd in eodem præsagio tamquam pessimum damnaverit, si in hoc casu & hæmorrhois accesserit, quæ tenesmum alvi deponendæ solet producere. Verùm dolores parturientium talem tenesmum, sed validissimum, referunt, inprimis ultimi illi nixus, quibus fœtus excluditur. Ubi ergo genitalia talibus fervidis ulcusculis, & intestini recti extremum à tumente hæmorrhoide, irritantur, non mirum est, molestum tenesmum oriri, à quo partûs dolores facilè excitantur, & abortus producitur; quem à tenesmo solo metuendum esse *Hippocrates* monuit dicens, (*a*) *Mulieri utero gerenti si tenesmus oboriatur, abortum efficit.*

Ex his simul probabilior redditur hæc opinio, quòd veteres Medici utramque aphtharum speciem cognoverint: priores enim Coacæ prænotiones ad aphthas, os & primas vias obsidentes, videntur spectare; posterior illa ad aliam speciem aphtharum, quæ non solùm os, sed & alias corporis partes afficere solent, & vera ulcuscula sunt; utì ad §. 978, dictum fuit. Novi quidem, quòd *Duretus*, quem iter optimos *Hippocratis* Commentatores veneror, posteriorem illam Coacam prænotionem aliter explicuerit, & voluerit, *fluxiones aphthosas* idem hîc significare, quod (*b*) *ora aphthosa*; sed credo, quòd antè dicta contrarium satìs demonstrent. Præterea debuit *Duretus*, (*c*) hæmorrhoidis vocabulo tribuere talem significationem, qualem nullibi apud *Hippocratem* invenimus; quòd nempe hîc significaret hæmoptoen, à venis pulmonum exesis productam; quod probare nititur ex textu quodam *Aristotelis*, ubi hæmorrohois pro quovis sanguinis fluxu sumitur. Verùm apparet satìs, sic detorqueri omnino sensum *Hippocratis* sine ratione, cum usitatus hujus vocabuli sensus tam bene respondeat illis, quæ *Hippocrates* in hoc loco indicare voluit.

CUR IN PUTRIDIS PULMONIBUS, &c. Præcipuè dum in ultimo funestæ phthisis stadio sudoribus illis nocturnis diffluunt, utì antea ad §. 983, notatum fuit. Solet tunc & minui sputum, adeòque ulcerosa illa materies, vel retenta, vel resorpta in sanguinem, jam liquidissimâ suî parte orbatum, ultimo quasi Naturæ conamine, sed irrito, ad superficiem primarum viarum deponitur: simul etiam tunc solent cessare, vel insigniter minui, sudores nocturni, antequam aphthæ erumpant.

CUR TUMOR, CALOR, &c. Ubi nempe vel aere gelido, vel actu frigido potu, aut gargarismate, utuntur ægri. Stringuntur enim tunc à frigore extrema vasa, densatur materia aphthosa in illis hærens, crustæ aphthosæ compinguntur magìs, sícque impeditur illa critica depositio materiæ morbosæ;

(*a*) Aphorism. Sect. VII. n°. XXVII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 304.
(*b*) Interpretat. & Enarration. in Coac. Lib. III. Tractat. III. n°. XIX. pag. 464.
(*c*) Ibidem.

unde illico febris augetur, per quam velocius acti humores, urgent fines vasorum obstructos; sic calorem & tumorem faciunt, & in faucibus angina periculosissima subito sæpe nascitur. Unde *Ketelaer* qui (*a*) à frigidis applicatis pessimas noxas viderat, ubique monet, tepidis semper utendum esse. Quinimo cataplasmata, vel emplastra, collo circumponunt Medici, ut in perpetuo tepore & laxitate omnes partes adjacentes servent.

CUR DELIRIA, &c. Quia designant, vires vitales deficere, tantámque esse materiæ morbosæ malignitatem vel copiam, ut, licèt pro parte jam separata aphthas produxerit, residuum tamen adhuc turbare possit omnes corporis functiones, idémque jam incipiat occupare vasa cerebri. Ut enim evadere possit æger, debent omnia illa mala symptomata, quæ aphtharum eruptionem præcedunt, cessare, vel saltem insigniter diminui: nam (*b*) *Judicatoria non judicantia partim lethalia sunt, partim difficilis judicationis* (vide §. 741.). Cùm autem tot pessima hîc concurrant signa, facilè patet, non difficile judicium, sed certam mortem tunc exspectandam esse.

§. 992. REGULA ergo est: Aphthæ pellucidæ, albæ, tenues, sparsæ, molles, facilè cadentes, parùm renascentes, superficiariæ, bonæ; contrà verò, candidissimè opacæ, flavæ, fuscæ, nigræ, densæ, crassæ, coeuntes, duræ, tenaces, assiduò refectæ, erodentes, malæ.

Antea §. 984, de vario modo, quo aphthæ prodire solent, dictum est, & inde prognosis desumpta fuit: de colore, §. 985, actum fuit, & pro hujus varietate diversum pariter præsagium erat, denique §. 986, dictum fuit de varietatibus illis, quæ observata fuerunt in aphtharum separatione, & quomodo novæ renascerentur; atque ex his iterum varius deducebatur aphtharum eventus. Hîc autem collectæ habentur omnes dotes, quæ in bonis vel malis aphthis observantur, ut inde prævidere & prædicere possit Medicus, an sanitas exspectanda sit, an interitus. Cùm autem de omnibus his & singulis dictum fuerit, non opus est ulteriori horum elucidatione.

(*a*) Comment. de Aphth. Nostrat. pag. 49, & sequ.

(*b*) Epidem. Lib. II. Sect. I. text. VII. Charter. Tom. IX. pag. 120.



NEPHRITIS.

§. 993. IPSOS renes verâ inflammatione occupari ſcimus ex dolore ardente, pungente, magno, inflammatorio, loci ubi renes ſiti ſunt; ex febre acuta, continua, concomitante; ex urina pauca, ſæpe, parvâ copiâ, emiſſâ, admodum rubrâ & flammeâ, vel in ſummo malo, aquoſâ; ſtupore cruris vicini; dolore inguinis, teſtíſque vicini; dolore iliaco, vomitu bilis; ructu aſſiduo.

Renes νεφροὶ Græcis vocantur; & obtinuit uſu apud veteres Medicos, additâ terminatione *itis* (vide §. 771.) morbos inflammatorios partium corporis deſignare, utì ex *Galeni* definitionibus manifeſtè patet. Ita enim habet: (*a*) *Nephritis eſt renum phlegmone cum dolore vehementi:* addit quidem ſequentia, *quandoque verò & urinæ difficultate, in qua fibroſa quædam vel arenoſa cum modico ſanguine excernuntur.* Unde & alios renum morbos ſub eodem hoc nomine intellexiſſe voluerunt multi; utì adhuc hodie ſolet fieri, dum nephritici vocantur illi, qui abſque renum inflammatione, eorumdem calculoſâ diatheſi laborant, interim tamen ex ipſa *Galeni* definitione ſatìs patet, quòd nephritidis nòmine, renum inflammationem ſolam propriè intellexerit dum reliqua illa ſymptomata interdum tantùm illam comitari monuit. Imò & *Hippocrates*, renum affectus generali nomine comprehendens, & inprimis chronicos, non utitur *nephritidis* vocabulo, ſed nominat τὰ νεφριτικά.

Ex cognita hodie renum fabrica, & illis, quæ in Hiſtoria inflammationis dicta fuerunt, ſatìs patet, renes inflammari poſſe, & ſymptomata, inflammationem comitantia (de quibus vide §. 382.) valida ſatìs eſſe debere, ob viciniam cordis, & magnitudinem arteriæ emulgentis, quæ renum ingreſſa ſtatim in minimos ramos dividitur; adeòque impetus ſanguinis, urgentis canales obſtructos minimos, validus admodum erit.

Signa ergo diagnoſtica, quæ morbum hunc adeſſe docent, petuntur primò *ex dolore ardente, pungente, magno, inflammatorio, loci ubi renes ſiti ſunt.* Locus autem, quem occupant renes, invenitur facilè: versùs lumbos enim ponuntur ad trium digitorum tranſverſorum diſtantiam à ſpina dorſi, ita ut renum ſumma pars tertiam coſtam, ab inferioribus, numerando, tangat circiter. Unde dolor à renibus inflammatis præcipuè ſentitur circa poſteriorem & lateralem abdominis partem, quæ ultimis coſtis & oſſi ileo interjacet. Febris autem acuta continua inflammationes, inprimis internarum corporis partium, comitari ſolet ſemper; utì ad §. 382. n°. 8, antea probatum fuit.

(*a*) Lib. de Definition. Medic. n°. CCLXXXII. Charter. Tom. II. pag. 264.

(*b*) Aphoriſm. Sect. VI. n°. VI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 251.

EX URINA PAUCA, &c. Cùm renes secretioni urinæ ab arterioso sanguine per arterias emulgentes allato dicati sint, necessariò per inflammationem debet illorum functio lædi. Tumentia enim vasa inflammata minores secretorias fistulas comprimunt, adeóque secreti liquidi copiam minuunt: cùm autem ob febrim acutam comitem simul acrior reddatur urina, frequentem urinæ emittendæ stimulum sentient ægri, licèt parùm in vesica contineatur. Ubi autem adeo infarcta vel compressa sunt omnia vasa, ut liquidissimam tantùm humorum partem transmittere possint, tunc tenuis & aquosa prodit urina, licèt febre acutâ validè agitentur humores, adeóque sales & olea sanguinis acriora fiant (vide §. 100.). Mala tunc meritò damnatur talis urina, & ut signum & ut causa. Ut signum, quia notat validam inflammationem adesse per totam renum substantiam; ut causa verò, quia omnia acria, per urinam naturali lege de corpore eliminanda, retinentur, & diluens sanguinis, ad renes appulsi vehiculum, à reliquis partibus secedens, facit ut inflammatoria densitas in sanguine augeatur.

STUPORE CRURIS VICINI, &c. Cùm renes propriè non hæreant in cavo abdominis, sed peritonæo ipsis incumbente tegantur, concipimus satìs, quòd ab illis, tumore inflammatorio distentis, multæ partes vicinæ possint comprimi, & irritari. Cùm autem peritonæum supra renes expansum impediat utcumque, ne tam facilè contenta in cavo abdominis viscera à tumentibus renibus possint premi, pressio illa magìs aget in illas partes vicinas renibus, quæ pariter sub peritonæo hærent, cavo abdominis exclusæ. Verùm & musculi psoas, & vasa magna sanguinea, & nervi plures versùs femur tendentes, hîc locantur (*a*), & vasa spermatica satìs vicina renibus decurrunt (*b*); unde quodammodo intelligimus, quare symptomata hîc enumerata ab inflammatis renibus produci possint. Præterea novimus per Observata Practica certissima, quandoque symptomata morbosa in quibusdam corporis partibus apparere, dum illorum causa in dissito longè loco hæret; utì pluribus probatum fuit ad §. 701, dum de delirio febrili agebatur. Utile ergo erit Medico talia signa diagnostica morbi præsentis novisse, licèt etiam non adeo evidenter intelligat modum quo producantur. Interim tamen notari meretur, quòd hæc symptomata nephritidem calculosam, frequentiùs comitentur, quàm quidem nephritidem inflammatoriam, nam illam aliquoties curandam habui, absque eo quòd ægri de stupore cruris; dolore inguinis vel testis, conquererentur. Quinimo, dum in nephritide calculosa per ureterem protruditur calculus, eadem hæc symptomata sæpe, sed non semper, adsunt. *Carolus Piso* (*c*), hunc morbum passus, revulsionem testiculi ejusdem lateris, stranguriam, vel saltem pruritum in glande, & frequentem mictionem, tum stuporem quemdam sive tremorem cruris respondentis, denique & frigus partium extremarum se percepisse affirmat. Verùm his sic recensitis, subjungit sequentia: (*d*) *Quæ sanè symptomata, tametsi non perpetua in omnibus, tamen semper in me*

(*a*) Eustach. Tab. XIX.
(*b*) Id. Tabul. XXV.
(*c*) Lib. de Morb. à Proluv. serof. Sect. IV. Cap. II. pag. 301.
(*d*) Ibidem.

sum expertus, sed in descensu per ureterem lapilli, quo tempore scilicet maxima est ureterum in se contractio. Si ureterum decursus respectu vasorum spermaticorum & iliacorum consideretur in tabulis *Eustachianis* (*a*), apparebit facilè, calculum per ureterem descendentem hæc vasa premere & irritare posse, utì & vas deferens, quod à teste ad vesiculas seminales adscendit.

DOLORE ILIACO, &c. Inprimis si morbus admodum vehemens fuerit; tunc enim irritatis nervis omnibus per abdominalia viscera dispersis, pessima illa symptomata nascuntur, utì statim ad §. 995, dicetur. Hæc est ratio, quare *Galenus*, utì antea ad §. 663, notatum fuit, dixerit (*b*) colicos iliacósque dolores difficulter distingui à nephriticis malis; verùm hoc parùm damni afferre ægris, cùm in initio hi morbi eâdem medelâ indigeant, utì postea ex curatione nephritidis patebit. Eamdem difficultatem & *Ægineta* (*c*) agnovit, præcipuè ubi à calculo renali, moto in pelvim & ureteris angustiam, hic morbus fit; tunc enim subita & vehemens irritatio omnium nervorum abdominalium sequitur. Verùm in nephritide inflammatoria incipiente rarò illico omnia hæc symptomata adsunt; sed, morbo aucto, succedere solent: unde dolor ardens, inflammatorius, loci, ubi renes siti sunt, unà cum urinæ difficultate, dabunt illa signa, per quæ hic morbus à colicis & iliacis doloribus distingui poterit: utì etiam quòd alvus rarò in nephritide adeo pertinaciter clausa sit, sed clysmatibus emollientibus obediat facilè.

Renum autem affectorum signa diagnostica satìs bene *Celsus* collegit: Si dolent (*d*) *Coxæ, æque inter has supérque pubem sunt; & accedunt frequentes ructus, interdum vomitus biliosus, extremæque partes frigescunt; urinæ crebra cupiditas, sed magna difficultas est, & quod inde excretum est, aquæ simile, vel rufum, vel pallidum est, paulùm tamen in eo levamenti est, alvus verò cum multo spiritu redditur, utique in renibus vitium est.*

§. 994. HANC (993) producunt omnes causæ generales inflammationis renibus applicatæ; adeóque. 1°. Quidquid fines arteriæ ad transmittendum impedit; vulnus, contusio, abscessus, tumor, decubitus diuturnus, nixus corporis validus, lapillus. 2°. Quidquid urinam in pelvim, ureterem, vesicam, transire impedit, ut similes causæ, ac mox enarratæ, applicatæ his partibus. 3°. Quæ crassiora sanguinis vi adigunt in canales urinosos, ut cursus, equitatio diuturna & vehemens, æstus, nixus, plethora, diuretica acria, venena. 4°. Spasmodica omnium illorum vasculorum diu permanens contractio.

1. De causis generalibus inflammationis §. 375, & sequentibus dictum fuit;

(*a*) Tab. XII. fig. 1, & 3; & Tab. XXV.
(*b*) De Loc. Affect. Lib. VI. Cap. 11. Charter. Tom. VII. pag. 508.
(*c*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, & 47 versâ.
(*d*) De Medicin. Lib. II. Cap. VII. pag. 60, 61.

ubi

ubi & ſimul explicatum, quomodo vulnera & contuſiones, utì etiam tumores quicumque, vicina vaſa comprimendo inflammationem producere poſſint.

DECUBITUS DIUTURNUS. Renum ſitus talis eſt, ut & diaphragmatis ſedi inferiori incumbant pro parte, & quadrato lumborum muſculo; accumbant verò muſculo pſoæ: hinc à diaphragmate agitantur inter aſpirandum, & pariter à muſculis dorſi, dum homo corpus movet. Sic pulchre cavetur, ne in renibus facilè quid ſtagnare vel concreſcere poſſit, inprimis dum salubri corporis exercitio homo quotidie utitur. Contrarium autem in illis obtinet qui ſedentariam magìs vitam ducunt, & ideo obſervatur, renum morbos illis frequentiùs contingere. Podagricos ferè omnes hinc renum calculis obnoxios fieri teſtatur *Sydenhamus* (*a*), & idem malum naſci obſervatum fuit etiam in illis, qui, nunquam antea nephriticis malis vexati, diu decumbere cogebantur ob fracturam cruris vel femoris, inprimis ſi obeſi erant; tunc enim à toto pondere pinguis abdominis renes & ureteres comprimuntur, dum dorſo diu coguntur incumbere.

NIXUS CORPORIS VALIDUS. Tunc enim omnes muſculi totius corporis tument quàm maximè; quod Statuarii, dum *Herculem* luctantem effingunt, tam pulchre obſervant. Verùm muſculus, dum tumet agens, (*b*) pallet ſimul omni ſanguine ex venis muſculi expreſſo, & arteriis ſic compreſſis, ut ſanguinem rubrum non admittant, ſed ſubtiliſſima tantùm fluida tranſmittant (*c*). Cùm ergo talis conditio in omnibus muſculis obtineat, dum homo validum nixum corporis edit, ſanguis ruber per cutim externam & viſcera ferè movebitur tantùm, & quidem orbus tantâ copiâ tenuiſſimi liquidi, quâ omnes muſculi agentes turgent; adeóque difficiliùs tranſibit per ultimas vaſorum anguſtias quàm antea. Simul in ſummo nixu homo inſpiratum aerem retinet, unde venæ tument, minutâ libertate tranſitûs ſanguinis ex corde dextro per pulmones; hinc & arteriæ difficiliùs ſe evacuare poterunt in venas nimis plenas; unde vaſa ſanguinea, inprimis viſcerum, diſtenduntur immaniter; urgentur laterales rami, ex ſanguineis arteriis tenuiora liquida recipientes, dilatantur, & per errorem loci craſſiora liquida recipiunt, quæ per ultimos illorum fines tranſire nequeunt; unde obſtructio & inflammatio ſequi poterunt; vel & ſubita vaſorum ruptura, inprimis ſi debilior fuerit ſolidorum compages. Multoties hæmoptoe, narium hæmorrhagia, apoplexia ſubitò lethalis, ſecutæ fuerunt validos tales nixus, utì innumera Obſervata teſtantur. Unde facilè intelligitur, cur tota cutis adeo rubeſcat in valido nixu; & quare periculoſiſſimi morbi inflammatorii ſæpe naſcantur illis, qui ultra vires luctâ, vel alio vehementi corporis exercitio, utuntur. Si jam conſideretur, renes accumbere validiſſimis dorſi muſculis tunc turgentibus, dum, diaphragmate & muſculis abdominalibus ſimul agentibus, viſcera abdominalia premuntur; ſi præterea animadvertatur emulgentium vaſorum

(*a*) Tractat. de Podagr. pag. 600.
(*b*) Boerhaav. Inſtit. Medic. §. 401. n°. VII.
(*c*) Ibid. §. 406.

amplitudo, patebit satis, quanta vis renibus inferatur à nixu valido, inprimis si incurvato antrorsum corpore grave pondus tollere nitatur homo, & corpus erigere; tunc enim musculi dorsi immanem vim exercent. Validus ergo nixus inflammationem renum producere poterit, quatenus renibus compressis fines arteriarum impediuntur; utì etiam quatenus ab eadem causa sanguinis crassiora aguntur in canales urinosos, naturaliter sola tenuiora transmittentes; & ideo tertio hujus paragraphi numero *nixus* denuo inter nephritidis causas memoratur.

LAPILLUS. Quatenus vel asperitate suâ irritat & lædit renes, vel mole premit vicina ipsi vasa. Verùm de calculo postea peculiari capitulo agetur.

2. Ut liber humorum transitus per renes fiat, debent fistulæ renales secretoriæ, *Bellinianæ* vulgò dictæ, secretum liquorem libere emittere posse in pelvis ramos, pelvim, ureteres, & vesicam: quodcumque ergo impedimentum huic emissioni nascatur, sequi poterit renum inflammatio; eò citiùs, quò illud obstaculum reni propinquiùs hæserit. Etenim supra hunc locum, ubi obstaculum est, omnia distenduntur urinâ secretâ, nec emissâ; unde vasorum adjacentium compressio, & mirabilis sæpe ipsius renis dilatatio, quales casus apud *Ruyschium* (*a*) habentur.

3. Quàmvis naturaliter fistulæ renales secretoriæ aquosam tantùm sanguinis partem, unà cum illis quæ in aqua solvi possunt, transmittant, tamen Observata Practica docent, illas in quibusdam hominibus sic dilatari, ut & crassiores partes admittant. Plures novi, qui diutius curru vecti sanguinem cum urina mingunt, absque ullo dolore, aut vel minima calculi renalis suspicione; & paucarum dierum quiete integre restituuntur. Si ergo sic dilatari possunt illi ductus excretorii, ut transmittant sanguinis partem crassissimam, rubram nempe; similis causa, sed levior, vel omnino eadem, in aliis hominibus parùm firmiores has partes habentibus poterit efficere, ut sanguis ruber ingrediatur initia dilatata ductuum excretoriorum, nec tamen transeat per illorum ultima extrema. Aderit ergo obstructio, adeóque & inflammatio sequi poterit.

CURSUS autem, accelerato motu sanguinis venosi per validam musculorum actionem, auget circulationis velocitatem; unde liquidorum crassiorum in tenuiora vasa impulsum, inflammationes, illarúmque sequelas nasci, antea ad §. 100, probatum fuit.

EQUITATIO DIUTURNA ET VEHEMENS. Quantùm boni ab hoc exercitio in morbis chronicis, etiam maximè rebellibus, exspectari possit, *Sydenhamus* docuit; dum totum corpus concutitur inter equitandum, & absque virium jactura debiles etiam homines motus corporis effectum habere possunt. Interim tamen & hoc observatur, per illos concussus inter equitandum, utì etiam dum quis curru vehitur citatiori motu, vel per vias asperas, urinam majori copiâ secerni, quàm antea; adeóque sanguinem intra datum tempus majori copiâ vel impetu, vel utrisque, applicari ad organa urinam secernen-

(*a*) Observat. Anatomico-Chirurg. n°. XV. pag. 15. & n°. XCIX. pag. 92.

(*b*) Dissertat. Epistolar. ubi de hyster. pag. 521. & sequ. & alibi passim.

tia. Poterit ergo diuturna & vehemens equitatio dilatare vasa hæc minora ut crassiores humores recipiant, sícque inflammatio renum nasci; unde *Aetius*, de hoc morbo agens meritò dixit, (*a*) *Ob plurimas causas renes inflammantur, nam & humores corrupti, & plagæ, & attritiones & pharmacorum potiones, inflammationem generant, & præsertim equitationes, continuæ & vehementes.* Aliquoties inde vidi mictum sanguinis, & quidem tantâ copiâ, ut vitæ periculum à vasorum inanitione immineret: dilatantur enim tandem adeo fistulæ renales, ut ipsum sanguinem transmittant. Dum hæc scribo, talem ægrum curandum habeo, qui totâ vitâ validissimis equitationibus usus fuit, mirâ in arte equestri peritiâ indomitos equos coercere novit, & ad frœna patienda dociles reddere. Illi frequens talis sanguinis copiosi mictus, absque ullo dolore, unde totus pallidus & exhaustus languet. Simulac verò cessat malum & vires renasci incipiunt, denuo equitationi indulget, sícque eidem se periculo exponit, nimis audax ideo, quòd toties jam evaserit. Ex pluribus similibus casibus didici, cur *Aretæus* dixerit, (*b*) *Nonnunquam è renibus sanguis multus subitaneus erupit, multisque diebus continenter effluxit: verùm nemo ex hujusmodi profluvio moritur, sed phlegmones ratione quæ simul cum profluvio nascitur, & sanguinem coercet. Plerumque autem ex retentione quam ingens phlemone facit, moriuntur.* Ex qua Observatione *Aretæi* patet, eamdem causam, quæ hæmorrhagiam facit, vasis ruptis, vel frequentiùs dilatatis, inflammationem maximè periculosam producere posse, vasis minoribus sanguine impulso infarctis, nec illum per sua extrema transmittentibus.

ÆSTUS. Per aeris enim calorem dissipantur liquidissima, sanguis densior redditur, urina rubicundior & acrior; unde & stranguria (*c*) nascitur. Ergo patet, & hanc causam nephritidis recenseri posse; imprimis si cum præcedentibus concurrat, cursu nempe & equitatione.

NIXUS. De hoc dictum fuit numero primo hujus paragraphi.

PLETHORA. De hac dictum §. 106, ubi simul constitit, nimiam copiam boni sanguinis producere inflammationem. Verùm hæc causa generalis est, & in toto corpore phlegmonen producere potest; unde requiritur alia causa concurrens cum plethora, quæ facit, ut in renibus potiùs hoc malum nascatur; utì v. gr; dum plethoricus equitat diu & validè, vel curru per vias difficiles vehitur celeriter.

DIURETICA ACRIA, VENENA. Quantùm cantharides, & acria multa alia insecta, irritent & inflamment sæpe urinæ vias, satìs notum est. Acria autem §. 375, meritò inter causas inflammationis numerata fuerunt: si ergo talia ingerantur, quæ peculiari suâ indole potiùs in renes, ureteres, vesicam agunt, & simul acria admodum sunt, patet satìs, inflammationem inde metuendam esse in his partibus. Verùm & longè subtiliora venena similem labem produxisse constat, utì in se ipso factum doluit *Tachenius* (*d*). Ille enim,

(*a*) Serm. XI. Cap. XVI. pag. 268.
(*b*) De Cauf. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. IX. pag. 22.
(*c*) Boerhaav. Instit. Medic. §. 746.
(*d*) Hippocr. Chemic. Cap. XXIV. pag. 149.

arsenicum repetitis sublimationibus fixum reddere tentans, post multas sublimationes, dum vas Chemicum recluderet, sensit suavissimum inde exsurgere halitum, quem inspiravit incautus: verùm post horæ dimidium inter alia pessima symptomata & sanguinem minxit cum ardore intolerabili.

4. In hystericis mulieribus, & viris hypochondriacis miramur, ab animi affectu illico urinam ad plures libras quandoque reddi, aquosam, penitus inodoram & insipidam. Verùm inde novimus, secretionem fieri longè copiosiorem quàm antea; simúlque adeo strictos esse ductus uriniferos in renibus, ut nihil transmittant nisi solam tenuissimam & aquosam sanguinis partem. Si ergo pergat, vel renovetur sæpius talis causa, sanguis, liquidissimâ parte orbus, hærere poterit in vasorum arteriosorum ultimis angustiis; vel &, majori vi in renes impulsus, dilatata minorum vasorum orificia ingredi, dum per angustos illorum fines transire nequit. Utroque modo renum inflammatio produci poterit. Præterea videmus in talibus ægris mirabili spasmo & vasa majora contrahi, ut nihil transmittere possint; utì docet pallor & faciei contractio cadaverosa, ferè à levi etiam terrore in his nata. Quandoque & œsophagus, adeo patulus, ita constringitur, ut nihil omnino transmittere possit per aliquot horas: idem in ventriculo & intestinis à simili causa contingere novimus. Unde non mirum videbitur, in hystericis & hypochondriacis affectibus renalia vasa adeo constringi per spasmum posse, ut solitos humores transmittere nequeant. Verùm talis vasorum angustatio inter causas inflammationis enumerata fuit §. 375. Observationes autem Practicæ confirmant, in hystericis quandoque sic constringi vasa renalia, ut vel nihil omnino, vel parùm admodum, urinæ transmittant. Ita legitur (*a*), monialem hystericam post ventris dolores, motus convulsivos, & inflationes, incidisse in urinæ suppressionem, illámque postea urinam evomuisse per quadraginta dies & ultrà; & toto hoc tempore nullam emingebat urinam, nisi unciam circiter quotidie, quæ cathetere in vesicam immisso educebatur. Cessavit sponte hæc ischuria, rediens post sex septimanas denuo, cum tali contractione urethræ, ut catheter nullo modo in vesicam introduci potuerit. Per vomitum autem reddebatur urina, nullis ventriculo contentis intermistis. Mirabilis talis alvi & urinæ suppressio in Judæa virgine hysterica habetur & in *Actis Petropolitanis* (*b*), à celeberrimo Viro *Petro Antonio Michelotto* descripta, quæ & in *Actis Eruditorum* (*c*) legi poterit. Rariùs autem à spasmis hystericis inflammationes producuntur, quia plerumque in talibus ægris sanguis dilutior est; & si natæ fuerint, facilè resolvuntur, modò spasmus cesset. Verùm contingit aliquando, asperum, nec magnum tamen, calculum in pelvi, vel uretere alterutro, hærentem, ita irritare sensilissimas has partes, ut uterque ren spasmodicè constrictus sit adeo, ut nihil urinæ in vesicam demittat. Quandoque talem ischuriam observavi in illis, quibus primâ vice calculus à rene per ureterem descendebat in vesicam, licèt nulla suspicio

(*a*) Académ. des Sienc. 1715. Hist. pag. 15.

(*b*) Tom. I. pag. 368. & suiv.

(*c*) Mense Novemb. anni 1726. pag. 517. & sequ.

foret in altero rene aliquid vitii hærere: simulac autem, calculo in vesicam delapso, acerrimi illi dolores nephritici sedabantur, urina post paucas horas prodibat copiosa. Calculus verò, post aliquot dies cum urina expulsus, asper quidem erat, sed mole adeo parvus, ut vix videatur credibile, ureterem à tali calculo obturari potuisse: neque patebat ulla alia ratio, quare urinæ secretio per alterum renem fieri non potuerit, nisi hoc constrictioni spasmodicæ vasorum renalium ob acerrimum dolorem adscriberetur. Fateor quidem, suspicionem esse posse, alterum renem per morbos prægressos jam inutilem redditum fuisse, vel ureterem calculo majori, dudum impacto, penitus obturatum; verùm vidi talem urinæ suppressionem in ægris in quibus nulla signa prægressa docuerant, in altero rene tale malum adesse. Sequens autem Observatio Practica, quam debeo egregio Medico *Paulo Windo*, Medioburgi apud Zelandos Medicinam summa cum laude exercenti, nec minori dexteritate in gravissimis Chirurgiæ Operationibus celebri, confirmabit, credo, ulteriùs, modò dicta. Mulieri post partum felicem, lochiis debito modo prodeuntibus supprimebatur omnino urinæ excretio. Nullus autem tenesmus urinæ reddendæ aderat, nec tumebat vesica: levem tantùm dolorem in sinistro abdominis latere percipiebat. Variis frustra tentatis, quinto à partu die catheter in vesicam immittebatur, absque ulla evacuatione urinæ. Die sequenti vomitus continuus ferè ortus fuit, & quàmvis lochia fluere pergerent, & nulla febris adesset, periit undecimâ post partum die; totóque hoc tempore bis tantùm paucas urinæ guttas excreverat ægra. Aperto cadavere nullum vitium in utero, vesicâ, ureteribus, inventum fuit, utì nec in visceribus abdominalibus; verùm utrique renes apparebant inflammati, neque tamen tumebant præternaturaliter. In sinistro rene inveniebatur asper calculus, pisum magnitudine æquans. Admodum verosimile videtur, ultimis illis parturientis nixibus calculum asperum reni validè impactum fuisse, unde spasmodicâ contractione utriusque renis vasa sic constricta fuerunt, ut impediretur omnis urinæ secretio ad mortem usque.

§. 995. SI summa inflammatio hæc vascula occupat, ita sæpe stringuntur, ut nihil reddatur lotii; aliquando ut valde parùm, pellucidum, tenue aquosum, quod pessimum. Irritatis sæpe nervis cohærentibus, & vicinis, dolores & convulsiones facit per stomachum, mesenterium, intestina, ureteres; unde ructus, nausea, vomitus, dejectiones alvi, ileus, urina intercepta, crurum stupor, horum immeabilitas, lumborum ardor.

Dictum fuit ad §. 993, quòd vasa majora, immeabili sanguine repleta, sic turgere possint, ut vicina minora comprimant, omnémque secretionem urinæ impediant: vel si quid adhuc transprimatur per vasa minora, illud merè aquosum & tenue est, adeóque acriores sales & olea sanguinis, per urinam naturaliter eluenda, retinentur, & brevì tenerrima corporis vascula destruuntur, & mors sequitur; præcedentibus semper ferè signis cerebri affecti,

delirio, sapore, convulsionibus. Unde *Aretæus* nihil magìs timuit in renum acutis morbis, quàm urinæ interceptionem: illos celerrimè perire dixit, (*a*) *Qui nihil prorsus emittunt*, notátque, tremores, convulsiones, distentiones, sequi urinæ ab hac causa retentionem; utì etiam somni interrupti, & terrore è somno evigilationes, delirium, sopor profundus, ibidem inter symptomata hujus morbi enumerantur. Doluit *Hildanus* (*b*) primogenitum filium septennem sic periisse: corripiebatur enim dolore lumborum cum febre & urinæ suppressione, & licèt plures celeberrimi Medici omnem opem adhiberent, septimâ morbi die moriebatur. In cadavere autem insignis renum & vicinarum partium inflammatio, jam gangrænosa reddita, inveniebatur.

IRRITATIS SÆPE NERVIS COHÆRENTIBUS, &c. Ad §. 993, jam notatum fuit, à renibus inflammatis varia symptomata quandoque produci in aliis partibus corporis, licèt causa mali in solis renibus hæreat, atque ideo sæpe turbari diagnosin hujus morbi, cùm tot aliæ partes in suis functionibus lædantur.

Nunquam evidentiùs hoc apparet, quàm dum calculus à rene per ureterem in vesicam transit, & ob molem vel asperitatem in hoc transitu sensiles illas partes irritat. Symptomata enim hìc enumerata ferè omnia tunc observantur, & quandoque etiam exercitatos in Praxi viros fallunt, si æger primò calculosæ nephritidis insultu laboraverit. Error autem hìc in diagnosi rarò ullum damnum adfert, cùm cura antiphlogistica, & emollientissima remedia, potata, vel per clysmata injecta, æquè prosint nephriricis, quàm ileo laborantibus, utì jam antea dictum fuit. Interim tamen prudens Medicus, hujus difficultatis gnarus, non temere definiet morbi speciem; præcipuè si attendat, & intestinorum morbos quandoque, irritatis nervis cohærentibus & vicinis, stipari talibus symptomatibus, quæ docere videntur, quòd in renibus aut vesicâ malum lateat. Monuit hoc *Aretæus*, ubi de colicis agit. Dicit enim, quòd si in colicis, (*c*) *Renes & vesica in partem hujus doloris adducuntur* (ξυμπαθέα πόνῳ), *& urina cohibetur. Istis alia pro aliis accedunt. Miraculum autem his majus est, quòd in testes & cremasteras, id est, suspensores, inopinatus dolor invadit. Non paucis Medicorum hæc morbi communicatio* (ξυμπαθείη) *in occulto est: siquidem nonnunquam & suspensores exsecuerunt, propriam morbi causam eos continere opinati, quocirca & his pro aliis alia fiunt.* Imò quandoque post symptomata, quæ renes aut vesicam laborare docent, sequitur ileus, & quidem lethalis, utì videtur indicare *Hippocrates* dicens, (*d*) *Quibus ex stranguria volvulus succedit, intrà septem dies intereunt, nisi, obortâ febre, copiosa urina effluat.* In Commentario ad hunc aphorismum scripto, *Galenus* dubitare videtur, an quidem genuinus sit, & an *Hippocrates*, vel ullus alius, unquam talem casum observaverit. Bonâ tamen fide adfirmare possum, me talem casum vidisse, qui ad amussim respondebat huic aphorismo, ubi æger stranguriâ laborans, dein iliaco dolore

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. IX. pag. 22.

(*b*) De Lithotomia vesicæ Cap. XXV. pag. 749.

(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. VIII. pag. 59.

(*d*) Aphorism. Sect. VI. n°. XLIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 276. Confer. Coac. Prænot. n°. CCCCLXXV. Charter. Tom. VIII. pag. 879.

correptus, febre natâ, quæ priùs vix aderat, affatim urinam emisit, & evasit. Raro tamen hoc contingere, satis credo, cùm in numerosa Praxi, viginti quinque annorum spatio, tantùm semel mihi videre contigerit. Videtur autem & *Hippocrates* in alio loco agnovisse, quòd dubia sequatur ex similibus symptomatibus diagnosis, dum dicit, (*a*) *Urinæ suppressio & gravitas in imo ventre, plerumque, stillicidium urinæ significat futurum, sin minùs, alium morbum, ex quo ægrotare solet.* Unde apparet, magnâ cautelâ in distinguenda nephritide ab aliis malis opus esse. Mira Observatio apud *Jacotium* legitur, ubi in corde & thorace morbosa causa inveniebatur, unà cum symptomatibus nephriticis. Ita autem habet: (*b*) *Ac certè vidimus in Doctore Arelatensi urinæ difficultatem cum maximo renum dolore, & arenulis rubentibus, cujus dissecto cadavere renes integri inventi sunt, sed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis.* Plurima certè alia observantur in corpore humano, quæ docent, quibusdam partibus irritatis, motus fieri validissimos in aliis, per quos illud irritans vel gravans tolli posset. Dum in puerperio uteri os à tumentibus aquis vel capite infantis incipit dilatari, dolores fiunt in lumbis, & spasmi validi musculorum abdominalium, aucti magis magísque, prout aperitur os uteri. Tandem fiunt in ultimo puerperii nixu summi dolores, & tam valida contractio musculorum abdominalium & diaphragmatis, ut fœtus exprimatur, quandoque solutâ cohæsione ossium, quæ pelvim constituunt. Ne autem credatur fœtum in utero hærentem motu suorum membrorum irritare vicinas partes, atque inde validissimos fieri spasmos, non verò ab irritatione orificii uterini, considerandum est, quòd perita Obstetrix tangens orificium uteri ibi primum signum percipiat secuturi mox doloris, & quòd post puerperium à grumo sanguinis transituro per os uteri iidem dolores renoventur. De his autem postea in capitulo *de Morbis Puerperii* pluribus agetur. Ideo autem puerperii dolores pro Exemplo allegavi, quòd doceret, irritatis partibus nervosis, dolores & spasmos per vicinas partes propagari; & quia *Hippocrates* nephriticorum acerbos adeo quandoque dolores comparavit cum partûs laboribus. De renum morbis enim agens habet sequentia: (*c*) *Dolores eum ad hypochondrium & ilia premunt, & ad lumbos lumborúmque musculos, & cruciatibus afficitur quibus mulier in partu laborans.* Pariter & *Aretæus* de nephritide calculosa agens eodem vocabulo (*d*) ὠδίνων utitur, ut summum illum tenesmum reddendæ urinæ, quæ in his ægris observatur, designaret.

§. 996. SANATUR bonitate Naturæ, & morbi: 1°. Per resolutionem. 2°. Urinâ copiosâ, rufâ, crassâ continuato fluore redditâ ante diem morbi septimum aut ad sum-

(*a*) Coac. Prænotion. nº. DXCI. Charter. Tom. VIII. pag. 887.

(*b*) Coac. Præsag. Hippocr. cum Comment. Holleri & Jacotii, pag. 824.

(*c*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XVIII. Charter. Tom. VII. pag. 651.

(*d*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Cap. III. pag. 53.

mum quartum-decimum. 3°. Hæmorrhoidibus initio morbi largè fluentibus.

Consideratur, in curatione, nephritis ut morbus inflammatorius, nullâ distinctione factâ, ratione causarum remotarum. Sive enim à calculo, sive ab aliis causis §. 994, enumeratis, renum inflammatio nata fuerit, cura non differt, utì & ad §. 1000, dicetur.

Verùm in aliis morbis inflammatoriis, antea pertractatis, patuit, duplicem esse sanationem, ope nempe solius Naturæ, vel per Artem; quod & hîc obtinet, & ideo sequenti paragrapho de sanatione hujus morbi per Artem agetur; hâc verò considerabitur, quomodo Natura, absque multis Artis adminiculis, hunc morbum sanet. Præterea §. 886, patuit, sanationem, quæ Naturæ auxilio fit, duplicem esse, vel enim sanantur tunc morbi resolutione benignâ, vel coctione & excretione materiæ morbosæ. Verùm ut hæc sanatio ope solius Naturæ fiat, debet & illa integra esse, & morbus non adeo gravis. Quod utrumque ex levitate symptomatum morbi cognosci poterit. Quò plures enim functiones læsæ fuerint, & quò graviùs, eò minor Naturæ integritas, pejórque morbus, & contrà.

1°. Quid sit resolutio morbi inflammatorii, & quænam requirantur, ut hæc sperari possit, antea in Historia peripneumoniæ §. 830. n°. 1, & pleuritidis §. 887, dictum fuit.

2°. Hæc est illa curatio, quæ quidem ope Naturæ fit, non tamen per simplicem resolutionem, sed per coctionem & excretionem materiæ morbosæ, de qua in præcedentibus morbis inflammatoriis jam aliquoties dictum fuit. Simul autem tunc apparuit, satìs frequenter in morbis materiam morbosam, solutam, & mobilem redditam, cum urina excerni. Verùm ubi in renibus ipsis morbus hæret, facilè patet, omnium commodissimam & maximè naturalem viam esse materiæ morbi solutæ per ureteres in vesicam: simulac enim materies inflammatoria fistulis renalibus impacta hærens solvitur, apta evadit, ut per illarum extrema propellatur, & in pelvim delabatur. Ideo in renum doloribus vel calculorum, vel urinarum crassarum, mictionem exspectandam esse monuit *Hippocrates* dicens, (*a*) *Renum dolor repentinus, cum urinæ suppressione, calculorum aut urinarum crassarum mictionem significat.* Et *Aetius* de renum inflammatione agens, dixit, (*b*) *A concoctis inflammationibus urinæ his prodeunt multæ & crassæ, & in quibus bonum est quod subsidet, atque hæ ipsæ maximè judicant ac secernunt morbum: aquosæ autem mictiones, & puræ ac pellucentes, ægre morbum secerni indicant.* Ubi notandum est, quòd *Aetius* laudaverit illas urinas, quæ bonam hypostasin habent; quod in aliis morbis inflammatoriis §. 830. 888. 923, pariter notatum fuit. Verùm in nephritide inflammatoria & illæ urinæ bonæ sunt, quæ crassæ excernuntur, licèt non subsidant, vel sedimentum inæquale, & divulsum habeant;

(*a*) Coac. Prænot. n°. DLXXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 887.

(*b*) Sermon. XI. Cap. XVI. pag. 270.

quod

quod in aliis morbis ſuſpectum haberetur. Ratio autem hæc eſt, quia in aliis acutis morbis materia morbi ſoluta & mobilis reddita debet per pulmones tranſire, ſanguini miſceri, & cum illo per vaſa moveri, antequam ad renes venire poſſit; nec integra illico per hanc viam exit, adeóque repetitâ pulmonis & vaſorum actione magìs ſubigitur & lævigatur, ſícque apta evadit, ut ſedimentum copioſum & æquabile in urina faciat. In renibus autem poteſt eadem hæc morbi materies, ſolvi tantùm incipiens & crudior adhuc, illico cum urina exire, nec opus habet, ut ſanguinis maſſæ permiſceatur antequam exeat. Vidi ſic in nephritide inflammatoria optimo cum eventu excretam urinam craſſam, fuſcam, potum *Caffeæ* dilutiorem referentem; qualis urina in aliis morbis non adeo boni ominis foret. Verùm *Hippocrates*, poſtquam de urinis variis egiſſet, tamquam ſignis, ex quibus præſagia in morbis deduci poterant, optimè monuit ſequentia: (*a*) *Ne verò te fallat, ſi veſica aliquo morbo laborans hujuſmodi urinas reddat; non enim totius corporis, ſed ipſius per ſe indicium eſt.* Facilè autem patet, idem hoc monitum æquè locum habere in renum morbis, à quibus directâ viâ urina in veſicam derivatur. Unde *Galenus*, hunc textum *Hippocratis* explicans, extendit hoc monitum etiam (*b*) ad renum affectus.

Ut autem fiat ſanatio integra, non verò exitus in alium morbum, debet talis urina ante ſeptimum diem exire, quia aliter meritò exſpectatur ſuppuratio futura, utì §. 1001, dicetur. Idem & in peripneumonia, §. 830, & in aliis morbis inflammatoriis, notatum eſt. Ubi autem morbi vehementia minor eſt, & materia morbi lentiùs ſolvitur, tunc & poſt ſeptimum diem alio die critico ſimilis urina profuiſſe obſervata eſt; verùm poſt decimum-quartum diem ſuppuratio, vel ſcirrhoſa renum inflammatorum induratio, potiùs metuenda eſt, quàm ſanatio per excretionem materiæ morboſæ, cùm tanta temporis mora ſatìs indicet, illam difficulter ſolvi & mobilem reddi poſſe.

3°. His largè fluentibus, & copia & impetus ſanguinis à renibus derivantur. Minuitur enim reſiſtentia ſanguini, qui per viſcera abdominalia movetur, adeóque per cœliacam & utramque meſentericam tranſibit majori copiâ, ſícque minùs urgebuntur renes. Unde monetur in textu, quòd tunc inprimis proſint hæmorrhoides, quando in initio morbi fluunt. Unde videntur, non adeo prodeſſe, quatenus materiam morboſam evacuant, verùm potiùs quatenus, impetu ſanguinis in vaſa infarcta renum, minuto, non adigitur tantâ vi in majores vaſorum anguſtias obſtruens materia, & ideo faciliùs poſtea reſolvi poteſt. Antea vidimus, §. 779, phreniticis prodeſſe hæmorrhoides fluentes, utì etiam pleuriticis, §. 888. n°. 1. In nephritide autem illa prodeſſe *Hippocrates* monet: (*c*) *Melancholicis & nephriticis ſuccedentes hæmorrhoides bonum.* Et *Galenus* (*d*) ſe obſervaſſe teſtatur, evacuatione per hæmorrhoides conſuetâ intempeſtivè cohibitâ, quoſdam nephritide correptos fuiſſe.

Quomodo autem hæc ſalutaria Naturæ morbos curantis molimina promo-

(*a*) Prognoſtic. Comment. II. Sentent. xxxvii. Charter. Tom. VIII. pag. 637.
(*b*) Ibid. pag. 638.
(*c*) Aphoriſm. Sect. VI. n°. xi. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 254.
(*d*) Lib. Hippocrat. de Aliment. Comment. iii. Text. xxv. Charter. Tom. VI. pag. 271.

veri debeant, & quænam tunc conveniant remedia, dictum fuit ad §. 889, ubi de pleuritide per similes evacuationes curata, agebatur.

§. 997. SANATUR, ubi in statu inflammationis per sua signa noscitur (993. 995.): 1°. Per remedia generalia omni inflammationi sanandæ propria, venæ-sectionem, avulsionem, dilutionem. 2°. Decocta lenia, emollientia, anti-phlogistica, magnâ copiâ ingesta. 3°. Clysmata, fomenta, balnea, ex iisdem constantia. 4°. Victu humido, leni; quiete; vitatione lecti calidi, inprimis autem decubitûs in dorso.

Ubi autem morbus gravior est, nec apparent illæ evacuationes, per quas Observatio docuit, hunc morbum quandoque curari, tunc opus est per Artem succurrere.

1°. De his remediis & in cura inflammationis, & in morbis inflammatoriis antea pertractatis, jam sæpius dictum fuit. Cavendus enim est quàm maximè in hoc morbo exitus inflammationis, in suppurationem, æquè ac in aliorum viscerum inflammationibus. Fortè crederetur, in nephritide minùs esse discrimen suppurationis, quia in renibus natus abscessus dum rumpitur, pus per ureteres in vesicam delabi, & sic cum urina educi posset. Verùm patebit paulò pòst, puri quidem evacuando commodam & brevem satìs viam in renibus esse, sed tamen ulcus in renibus natum difficillimè sanari.

2°. Horum usus pariter antea sæpius in morbis inflammatoriis commendatus fuit. Quàm maximè autem notandum est, sola hîc prodesse, quæ lenissima sunt, ne irritentur partes inflammatæ. Cùm enim in hoc morbo quandoque urina & parciùs & cum difficultate prodeat, contigit, ut ægri, imò & quandoque Medici, ad acriora diuretica in hoc morbo confugerint, qualia sunt terebinthina, & huic similia alia nativa balsama, utì & millepedes, &c. Prudenter sanè monuerant veteres Medici, à similibus in hoc morbo abstinendum esse: ita *Trallianus* jubet eligi talia remedia, quæ omnis rosionis & acrimoniæ expertia sunt, (*a*) ὅσα τὸ ἄδηκτον ἔχει; & hinc aquosam mulsam commendat; imò etiam à diureticis mollioribus quandoque in hoc morbo metuisse videtur, & ab ipsa mulsa; solámque aquam tepidam copiosam exhiberi jussit. Similem cautelam in cura hujus morbi apud *Æginetam* (*b*) legimus. In *Materia Medica* ad hunc numerum talium remediorum formulæ habentur.

3°. Clysmata ex mollissimis decoctis parata prosunt, quia intestina crassa evacuant, suppositos colo renes fovent, laxant, emolliunt; qualia & *Ægineta* (*c*) laudavit. Celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* (*d*) credidit, ideo inprimis renem sinistrum nephriticis malis frequentùs affici, quia proximè ipsi adjacet

(*a*) Lib. IX. Cap. v. pag. 540. 541.
(*b*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, versâ.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Medic. Ration. System. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. VIII. Ubi de thes. Pathologic. §. VII. pag. 465.

flexura coli, flatibus aut fæcibus induratis quandoque distenti, adeóque vicinum renem comprimentis. Multùm ergo proderit, si intestinum colon vacuum fuerit. De balneorum autem & fomentorum usu, quatenus illa resolvendo, laxando, &c, agunt, dictum fuit in pleuritide ad §. 889. n°. 2, & §. 890. n°. 2; & ad renum morbos laudantur ab *Hippocrate* (*a*). Omnia hæc pulchre collegit *Celsus*, qui sic habet: (*b*) *Oportet conquiescere; cubare molliter: solvere alvum; si aliter non respondet, etiam ducere: sæpe desidere in aqua calida: neque cibum, neque potionem frigidam assumere: abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, pomis: bibere liberaliter.* Verum quidem est, quòd dein piper, porrum, ferulam, commendet, ut urina ab his moveatur, sed contextus sermonis satìs docet, illa non habere locum in morbi initio, crudâ adhuc existente materiâ inflammatoriâ, verùm ubi illa jam subacta & mobilis reddita est.

4°. De victu in morbis acutis, & necessariâ quiete, jam sæpius dictum fuit. Hîc autem quàm maximè lenissima conveniunt, quia acria sanguini mista per urinam exire solent pro magna parte; adeóque irritarentur ab acriori urina renes inflammati. Unde *Aetius*, dum in hoc morbo abstinendum esse à cibo jubet primo die, monet simul inediam in multos dies non debere extendi: (*c*) *Urinæ enim puriores & acriores per inediam redditæ, vehementissimos morsus infligunt: itaque in principio sorbitionibus tenuibus prorsus lenientibus connutrire oportet, & aquæ calidæ potu.*

Quantum autem emolumenti in morborum inflammatoriorum cura habeatur, si subinde à lecto abstineant ægri, *Sydenhamus* docuit, monens, (*d*) *Medicamenta summè refrigerantia, & repetitam sæpissime phlebotomiam ne hilum prodesse* ad moderandum æstum febrilem, si jugi calore lecti incalescat æger. Magìs autem adhuc nocebit lecti calor renibus inflammatis, quia homini in lecto decumbenti dorsum magìs calescit quàm reliquum corpus, à pondere corporis pressis his partibus; omnium maximè si resupini in dorsum decumbant, tunc enim à mole viscerum incumbentium renes comprimuntur. Fomenta ex mollissimis remediis parata calidè adhibenda renum regioni suaserunt veteres Medici (*e*); sed simul monuerunt à valde calidìs abstinendum esse, metuentes suppurationem renum inde futuram. Pariter & damnaverunt frigida, quæ in scirrhum convertere possent inflammata loca. Cùm autem extrema omnia ubique fugienda dictet prudentia; hoc inprimis in curatione renum inflammatorum observandum esse monuerunt.

§. 998. SI nimia symptomata doloris, vel convulsionis, urgent, opiata prosunt.

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XVII. XVIII. Charter. Tom. VII. pag. 650. 651.
(*b*) De Medicin. Lib. IV. Cap. X. pag. 216. 217.
(*c*) Serm. XI. Cap. XVI. pag. 267. 268.
(*d*) Sect. III. Cap. III. ubi de curatione, pag. 205.
(*e*) Trallian. Lib. IX. Cap. V. pag. 542. Æginet. Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, versâ.

Quanta fiant quandoque ab irritatis nervis cohærentibus & vicinis mala in nephritide, §. 995, dictum fuit. Imò hæc symptomata adeo sæva aliquando sunt, ut & ægri patientiam superent, & vires prosternant quàm maximè; imò & nova mala producant, inprimis in nephritide calculosa. Dum autem causa horum malorum sæpe tam subitò tolli nequit, nihil superest, nisi sopire acerrimi doloris sensum; quo facto silent sæva illa symptomata, tolluntur spasmi intestinorum & ventriculi, vasorum inflammatorum nimia constrictio laxatur, vires ægri blandâ quiete refocillantur, & feliciter succedit cura. De egregio hoc opiatorum usu pluribus egi antea ad §. 202. 229. Verùm & tunc simul monitum fuit, hæc remedia doloris sensum tantùm tollere, non autem semper doloris causam; adeóque omni curâ pergendum est in usu illorum remediorum, quæ morbi causæ debellandæ idonea sunt. Raro autem his opiatis utuntur prudentes Medici, nisi priùs in morbis acutis inflammatoriis per sanguinis missionem, aliáque apta remedia, inflammationis vehementiam minuerint. Ita *Ægineta* (*a*) papaver in clysmate commendavit ad hunc morbum. *Aetius* (*b*) autem & internum papaveris & opii usum laudat ad levandos dolores.

§. 999. VOMITUM autem nimium, morbi symptoma, sæpe ingestu tepidæ mellitæ juvare prodest.

Ubi de vomitu agebatur, §. 652, constitit, diaphragmatis & musculorum abdominalium convulsivam validámque constrictionem in omni vomitu adesse, & hâc vi ventriculi contentorum fieri violentam expulsionem. Ex renum autem situ patet, vomitûs tempore illos validè concuti debere. Si jam consideretur, per ipsam vomitûs actionem accelerari multùm sanguinis per vasa motum, simúlque renes inflammatos agitari ruditer, satis patet, renum inflammationi vomitum nocere potiùs quàm prodesse. Verùm ubi à calculo, in pelvis renalis angustiam vel ureterem pulso, nephritis oritur, tunc vomitus prodesse potest, quatenus per hos concussus calculus promovebitur vesicam versùs, inprimis si simul emollientibus decoctis, oleo amygdalarum, &c, assumptis, laxentur viæ & lubricentur. In tali casu proderit aquæ tepidæ mellitæ repetitâ ingestione facere, ut ægri faciliùs & minori cum anxietate vomant. Notum enim est, nihil molestiùs esse, quàm si vacuo jam ventriculo conatus ad vomendum pergat. Videantur & illa, quæ in *Commentariis*, §. 654, habentur. De signis autem calculi renalis postea ad §. 1422, dicetur.

§. 1000. ATQUE hâc solâ Methodo tutò curatur ipsa nephritis à calculo, renibus, ureteribúsve, impacto orta.

(*a*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, versâ. | (*b*) Serm. XI. Cap. XVI. pag. 268.

Calculus in renibus concretus, iners corpus est, quod mole suâ & asperâ figurâ irritare potest sensiles partes, quas tangit, illásque inflammare. Pluribus Observationibus constitit, calculos etiam satìs magnos, sed læves, inventos fuisse in cadaveribus hominum, qui nunquam suspicati fuerant, se hoc morbo laborare. Verùm ubi asperitate suæ figuræ lædit partes, vel ureterum angustiâ retinetur, tunc inflammantur loca, in quibus hæret, & fiunt omnia illa mala, quæ §. *993*, & *995*, recensentur. Inflammata loca tunc tument, & tantò fortiùs apprimuntur calculo, quantò magìs augetur inflammatio. Optimè hoc notavit *Aretæus*, dum in curatione calculi renalis commendat sanguinis missionem. Dicit enim, (*a*) *Inflammatio enim colligata tenet omnia: evacuatio autem solutio est phlegmones.* Dein laudat illa, quæ emolliunt & lubricant, externè applicata & internè sumpta. Sola enim Methodus hæc tuta est, per quam inflammatio partium à calculo pressarum, vel læsarum, præcaveri potest; vel tolli, si jam nata fuerit, simúlque laxari viæ, per quas calculus à renibus ad vesicam transire debet. Verùm omnia illa, quæ §. *997*, laudata fuerunt, hunc effectum præstant, adeóque & nephritidi calculosæ curandæ utilissima sunt; quod & postea, ubi *de Calculo* peculiari capitulo agetur, ulteriùs confirmabitur, ubi & simul de lithontripticis dicendum erit. Plures autem sunt in illa opinione, ac si diuretica acriora conducerent ad promovendum calculum per ureteres in vesicam, quatenus copiosiori urinâ secretâ calculus propelleretur. Verùm urina per tenuissimas & numerosissimas fistulas renales secreta sensim depluit in pelvim & ureteres, neque ab acerrimis etiam diureticis aucta hæc secretio unquam efficere poterit, ut urina motûs accelerati impetu calculum protrudat. Nocent autem hæc, quia acri stimulo febrim, inflammationis comitem, augent, & urinam reddunt acriorem; unde loca hæc dolentia magìs irritantur, & omnia mala augentur. Sola ergo lenia, aquosa, emollientia, hîc prosunt, unà cum blandis oleosis, ut urina fiat dilutissima, omnis ferè acrimoniæ expers, & copiosa simul; sícque laxentur partes constrictæ, demulceantur loca dolentia, lubricæ reddantur viæ. In *Materia Medica* ad hunc numerum plura recensentur remedia, quæ copiosæ aquæ infusa, vel & diluta, huic indicationi satisfacere poterunt.

§. 1001. SI causæ nephritidis magnæ, nec malum resolvitur (*996*), nec sanatur (*997*), sed excurrit ultra septimum diem, abscessus metuendus; quem fieri, docet remissio doloris, ejus in pulsationem mutatio, horror sæpe recurrens, gravitas, stupórque partis; jam factum esse docet prægressus priorum, tum pulsus, ardor, tensio in loco, urina purulenta, fœtida, instar urinæ salsæ putrefactæ: simulac abscessus ille factus scitur, utendum valde maturantibus primò & emollientibus; dein purulentâ apparente urinâ, diureticis puris ex aquis medicatis, sero lactis, similibúsque, usurpatis simul balsamicis.

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. III. pag. 130.

Quomodo, & quibus de causis, inflammatio in suppurationem transeat; dictum fuit ad §. 387. Antea autem in peripneumoniæ & pleuritidis Historia fuerunt enumerata illa signa, quæ docent Medicum, inflammationem, internas corporis partes occupantem, in suppurationem abire, quæ hîc eadem occurrunt; ut remissio doloris, pulsatio, horrores vagi, &c; adeóque hæc non repetam. Si autem hæc signa manserint per aliquod tempus, novimus abscessum in renibus non fieri, sed jam factum esse, & tunc nova symptomata accedunt ob distractionem aut compressionem partium vicinarum à vomica renali nondum aperta; sed pure collecto turgente. Signa autem præcipua *Galenus* optimè recensuit sequentibus: (*a*) *Si dolores cum horrore intervallato inæqualique infestare videantur, ac ex his febres quemadmodum inordinatæ; tum pronum in ventrem decumbere jussum, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectæ partis situs, laborantem interroga, num circa renem dolentem veluti suspensi cujusdam ponderis sensum percipiat. Etenim quum hæc ei acciderint, abscessum colligi conjicere oportet.* Quandoque & alia symptomata vomicam renalem comitantur: vidi sic in ægro tali dolorem urentem quasi ad scapulam & axillam usque ejusdem lateris protendi. *Hippocrates* renibus suppuratis (*b*) stranguriam adesse dixit. Verùm hæc non adsunt in omnibus ægris, signa verò à *Galeno* enumerata semper observantur. Ubi autem brevì rumpetur abscessus maturus, tunc loco obtusi & gravantis doloris acutus percipitur, dum sensim dilacerantur membranæ pus collectum coercentes, & jam rupturæ proximæ sunt. Cognitionem autem ulceris renalis confirmat, si, illo rupto, pus per ureteres delapsum cum urina exeat. Solet autem pus, ruptâ vomicâ, prodiens ferè semper fœtidum esse, inprimis si diu vomica renum clausa manserit; atque etiam ideo quòd in tali loco collectum fuerit, ubi urina facilè putrescens secernitur & colligitur. Si autem ulcus apertum purius evadat, tunc pus sequentibus diebus non adeo magno fœtore urinam inficit. Hoc & notavit *Aretæus* de ulceratis renibus agens; sic autem habet: (*c*) *Ulcera verò mordacia sunt, modò repurgata, modò sordentia; id pus manifestat: urina quoque aut olida aut nihil olens.*

Pus quidem cum urina emissum, non est signum absolutum abscessûs renalis, si solum spectetur; potest enim & ex ureteribus aut vesicâ similiter affectis prodire. Unde *Hippocrates* prudenter dixit, (*d*) *Si quis sanguinem aut pus meiat, renum aut vesicæ ulcerationem significat.* Imò antea ad §. 896, dictum fuit, quandoque pus in aliis locis corporis collectum, venis resorptum, per urinæ vias exivisse. Verùm signa nephritidis inflammatoriæ, puris mictionem prægressæ, omne dubium tollunt; utì optimè *Trallianus* (*e*) notavit, qui præterea & alias notas addidit, quibus distingui potest, an pus à renibus, an verò ab aliis locis veniat. Si enim non collectum fuit pus in viis urinariis, sed ex

(*a*) De Loc. Affect. Lib. VI. Cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 510.

(*b*) Aphorism. Sect. V, n°. LVIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 230.

(*c*) De caus. & sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. III. pag. 54.

(*d*) Aphorism. Sect. IV. n°. LXXV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 185.

(*e*) Lib. IX. Cap. V. pag. 543.

alia parte resorptum cum urina exiverit, illud pus accuratè permistum urinæ exibit, & non nisi sensim ad fundum vasis secedet: fuit enim illud pus vasorum & pulmonis actione mistum sanguini, & per renales fistulas simul cum urina secretum. Ubi verò à renibus ulceratis depluit, nunquam urinæ bene permiscetur, sed illico in fundo vasis, urinam continentis separatum apparet. Difficilior videtur diagnosis ex sola urinæ purulentæ inspectione, ut distinguatur, an pus ex renibus, an verò ex vesica prodeat. Interim tamen Observata docent, pus vesicæ longè tenacius esse, & glutinis instar ad fundum vasis secedere illico: renum autem pus tenuius est. Præterea in vesicæ abscessu unà cum urina prodeunt ramenta quasi foliacea, quæ *Trallianus* vocavit (*a*) μόρια πεταλώδη, fortè membranæ internæ vesicæ lamellæ separatæ: à renibus verò suppuratis cum urina excernuntur crassiores particulæ magìs carnosæ, quas *Hippocrates* parvas carunculas (*b*) σαρκία σμικρὰ vocavit, & à renibus venire dixit; quæ videntur esse partes semi-gangrænosæ ipsius substantiæ renum; sic etiam abscessibus externarum partium corporis ruptis, videmus exire floccos membranæ cellulosæ puri permistos. Pulchre etiam collecta habentur signa diagnostica suppuratorum renum, ureterum, & vesicæ, apud *Æginetam* (*c*).

Duplex autem indicatio est curatoria, ubi ren suppuratur: primò enim, si impediri nequeat ille nephritidis exitus, suppuratio promovenda est, ut quantocyùs fiat, & omnia cruda inflammata solvantur in blandum pus; de qua re dictum fuit in capitulo *de Abscessu*, §. 402, 403. Mollissima hinc decocta prosunt, magnâ copiâ potata; clysmata ex similibus parata frequenter adhibita; cataplasmata renum regioni applicata; balnea. Ubi autem ex ponderis gravantis sensu, morbi duratione, tensione magnâ vicinarum partium, novimus, pus maturum in abscessu renali collectum hærere, nitendum est omni ope, ut vomica rumpatur, ne pus diu hìc relictum putrescat, & sinuosa ulcera pessima producat per accumbentes partes dispersum; vel resorptum in sanguinem, cacochymiam purulentam & tabem faciat. Ad rumpendum autem abscessum maturum in rene sola ferè hæc habentur auxilia, quæ concutiendo validè renes agunt. Tussis, sternutatio, vectio in rheda, præcipua sunt, à quibus hæc ruptura exspectari poterit; simili modo ac antea dictum fuit, §. 857, ubi de tentanda disruptione apostematis pulmonalis agebatur.

Ubi autem post hæc facta pus in urina apparet, certi sumus, vomicam renalem ruptam esse, & ex varia conditione puris judicare possumus de conditione ulceris renalis. Si enim læve, album, æquabile, fuerit, spes multa curæ nascitur; & contrà, eò pejus præsagium habetur, quò magìs ab his dotibus recesserit pus excretum. Interim tamen hoc notandum est, primum pus post vomicam renalem ruptam prodiens raró esse optimæ notæ, inprimis si diutius vomica clausa manserit; ferè semper enim fœtidum est, & quandoque sanguinolentum. Verùm sequentibus diebus solet puris copia minui, &

(*a*) Lib. IX. Cap. v. pag. 543. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 186.
(*b*) Aphorism. Sect. IV. n°. LXXVI.
(*c*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, vers.

illud fieri laudabilius, dum emendatur ulcerosi facci superficies, túncque bonum eventum sperare licet. Indicatio tunc est, abstergere leniter, mundare locum ulcerosum; & dein consolidare.

Verùm caveri nequit, ne urina continuò ulcus renale alluat, adeóque potu copioso, blandè simul detergente, urinæ acrimonia mitiganda est. Serum lactis, inprimis illo anni tempore, quo armenta lætis fruuntur pascuis, potatum largâ copiâ, dat summum remedium, & solum ferè sufficit, cum graminis omnem vim in se habeat; imò optimè depuratum serum lactis subviridis coloris est, ac si dilutus succus foret graminis; cujus vires insignes laudavit *Trallianus* (*a*) in curatione ulceris renalis. Commendavit præterea & lactis asinini potum: magnopere à lactis potu levari hoc morbo laborantes pariter affirmavit *Ægineta* (*b*). Lac cum melle post puris eruptionem, primò asininum aut equinum, quæ ad ulcera repurganda conducunt; postea emendato ulcere bubulum, commendat *Aetius* (*c*), ut & simul ægrum magìs nutriat. Deinde addit sequentia: (*d*) *Ampliùs autem omne lac, recèns mulctum, calidum præbendum est, animali in domum, ubi æger decumbit, perducto: hoc & aliorum internorum ulcerum optimum est pharmacum, & gravi puri maximè amicum, & corpus probè nutrit.* De lactis autem egregio usu in ulcere pulmonis antea, §. 858, dictum fuit.

Eidem scopo & serviunt aquæ medicatæ, inprimis illæ, quæ loco ferri soluti parcam copiam salis blandi & detergentis continent: quales sunt aquæ selteranæ, & his similes; quarum usus, inprimis si æqua lactis copia addatur, adeo probatur communi Medicorum consensu in suppuratis visceribus curandis. Infusa vel decocta herbarum, quæ in *Materia Medica* ad præcedentem numerum habentur, similem usum habent.

Cùm autem in ulceribus externis detergendis & consolidandis balsamica adeo laudaverint celebres Chirurgi, cogitaverunt & Medici, de illis exhibendis ad curationem ulcerum internorum, & inprimis renalium; quia observabant, illa peculiari suâ indole in vias urinæ agere, dum ab his assumptis intra quadrantem horæ urinæ odor mutari soleat.

Notum enim est, terebinthinam, balsamum Copaibæ, de Mecha, & similia plura nativa balsama, parvâ etiam copiâ data, urinæ conciliare odorem, quem violæ martiæ flores verno tempore spirant. Merentur certè & hæc remedia laudem in hoc morbo, modò dentur parcâ tantùm quantitate, ter quatérve de die, superbibendo copiam seri lactis, vel mollis vulnerarii decocti. Largiori enim dosi hæc data, & absque diluentibus, calefaciunt & stimulant nimis; imò stranguriam quandoque molestam producunt, & urinæ vias inflammant imprudenti usu. Balsama autem hæc nativa præferenda videntur meritò decantatissimis etiam balsamis artificialibus, quæ sæpe adhuc longè acriora sunt. Pulchrum effectum ab his balsamis nativis vidi in Praxi, si horum drachma cum uncia succi glycyrrhizæ inspissati misceretur, & ex

(*a*) Lib. IX. Cap. v. pag. 544.
(*b*) Lib. III. Cap. xlv. pagin. 46, versâ, in fine.
(*c*) Sermon. XI. Cap. xviii. pag. 271.
(*d*) Ibidem.

hac

hac massa grana viginti aut triginta deglutirentur omni quadrihorio, superbibendo serum lactis, aut alios modò laudatos potus medicatos. In horum usu pergitur, donec nullum ampliùs pus in urina appareat, túncque roborantia & consolidantia his addi solent, ut *mastiche*, *olibanum*, *sarcocolla*, &c. Ad renes exulceratos *Celsus* etiam blanda balsamica detergentia remedia laudavit, (*a*) ex strobilis pini sylvestris, croci pauculo, aniso, seminibus cucumeris.

Omnia, quæ hactenus dicta fuerunt de curatione ulceris renalis, supponunt, vomicam ruptam pus in pelvim effudisse. Licèt autem hoc frequentiùs contingat, tamen quandoque & aliâ viâ pus in rene collectum exitum molitur. Ita *Hippocrates* observavit, versùs exteriora quandoque protuberare talem abscessum. Ita enim habet de calculo renali agens: (*b*) *Quum autem dolor urget, multâ calidâ lavato, & quâ parte præcipuè dolor est, fotus tepentes admoveto. Quum verò intumuerit & extuberârit, sub hoc tempus juxta renem secato, & extracto pure, arenam medicamentis urinam cientibus curato; si enim sectus fuerit, evadendi spes est, sin minùs, morbus homini commoritur.* Et sequenti capite: (*c*) *Quum igitur ren suppuratus fuerit, ad spinam intumescit. Hunc, quum ita habuerit, quâ parte tumor est altissimâ quidem sectione ad renem secato. Quòd si quidem sectionem assecutus fueris, confestim sanum reddes. At si aberraveris, periculum est, ulcus linamentosum* (fistulosum) *fieri.* Ubi notandum est, quòd profundam valde sectionem fieri debere monuerit, cùm per cutim, pinguedinem, & crassos musculos penetrare debeat antequam scalpellum ad renem pertingere possit. Præterea notat, nisi felici eventu abscessus aperiatur, ulcus fistulosum nasci, qui tunc pus, ruptâ vomicâ renali, sub peritonæo profundissimos sinus facit, & miras quandoque, in tunica cellulosa musculis interposita, sibi vias quærit. Nam (*d*) Ἔμμοτοι *dicuntur apud Hippocratem, qui ulcere cavo laborant, quòd curationem* διὰ τῶν μοτῶν, *hoc est, per linamenta desiderent*, inuncta digestivis remediis, quæ sinuosis talibus ulceribus immitti solent. Similem & renalis abscessûs eventum *Aetius* notavit dicens, (*e*) *Quibusdam verò neque in totum suppurata erumpunt, sed circa renes per multum tempus consistunt, donec cautere adhibito aut alio modo forinsecus apertionem & eductionem moliaris.* In finem autem ejusdem capitis (*f*) monet, talia ulcera, extrorsum patentia, diligenti admodum curâ indigere, cùm in fistulam abire soleant. Imò quandoque contingit, pus partim per urinam exire, partim colligi circa dorsum, & tumorem prominulum integumentorum facere. Qualem ægram curandam habui, cui per menses aliquot jam urina purulenta effluxerat, & in renis dextri regione tumor manifestus aderat; quo per cauterium potentiale (scalpellum enim horrebat nimis) aperto, copia puris prodiit. Interim omnis medela & peritissimi Chirurgi dexteritas impedire non potuerunt, quin fistulosum in dorso ulcus maneret, ægrâ tamen satìs com-

(*a*) De Medicin. Lib. IV. Cap. x. pag. 217.
(*b*) Lib. de Intern. Affection. Cap. xv. Charter. Tom. VII. pag. 649.
(*c*) Ibid. pag. 650.
(*d*) Gorræ. Definit. Medic. pag. 194.
(*e*) Serm. XI. Cap. xviii. pag. 260.
(*f*) Ibid. pag. 272.

modè se habente postea, & urinâ naturali redditâ. *Cabrolius* (*a*) similem casum vidit in juvene, qui talem abscessum in dorso habebat, licèt aliquantulùm puris per urinas excerneretur. Incidit locum, sed nihil puris inde exivit; verùm post bihorium, apparatu remoto, ingens copia puris erupit, & puris ille effluxus per mensem & ultrà duravit: feliciter tamen & integre sanatus fuit.

Hinc apparet, quàm grave malum sit renum inflammatorum suppuratio, & quàm anceps eventus. Licèt enim versùs exteriora tendat abscessus, quandoque rumpitur, antequam satìs elevata sint omnia quæ reni in dorso incumbunt, ut distingui possit, & tunc pus effusum sinus facit sæpe incurabiles per omnia loca vicina dispersos. Videtur & *Hippocrates* hanc difficultatem notasse, dum dicit, (*b*) *Quibus renum affectu laborantibus prædicta contingunt signa, doloresque spinæ musculis oboriuntur, si exteriores quidem locos obsideant, abscessus quoque futuros exteriores exspecta. Si verò dolores interioribus locis magìs insideant, abscessus etiam interiores magìs futuros metue.*

Cùm autem renes intestino colo ferè contigui sint, & partes inflammatæ vicinis quandoque accrescant (vide §. 843. 897.), non improbabile videtur, renem sic colo præternaturaliter uniri posse, túncque abscessus renalis viam in intestini cavum invenire posset, & pus per alvum evacuari. Verùm quidem est, sub peritonæo hærere renes, adeóque non immediatè tangere colon, sed ad §. 936, patuit, quòd diaphragma, inter hepar & pulmones medium, non impediverit, quominùs pus ex hepatis abscessu in pulmonem veniret, & per sputa educeretur. Talem puris ex rene viam videtur indicasse *Hippocrates* de hoc morbo agens, (*c*) *Si quidem pus intrò rumpatur, & ad intestinum rectum feratur, evadendi spes est.* Et *Aetius* pariter in eodem morbo monet, (*d*) *Aliquando autem & ad intestina eruptio devolvitur, & per sedem pus evacuatur.* In tali casu conveniret medela, quæ suppuratis intestinis adhibita fuit, de qua vide §. 966.

§. 1002. SI verò suppuratio illa (1001) diu durat, totus ren exesus saccum format, nulli usui servientem: túmque frequenter tabes renalis adest.

Videmus etiam in partibus externis suppurationes diuturnas partium substantiam consumere, unde illis sanatis profundæ & turpes cicatrices supersunt. Idem metuendum est, si citò sanari non possit ulcus renale; nam & partes ipsius substantiæ renum, per suppurationem solutis nexibus, quibus hærebant, cum urina purulenta exeunt, caruncularum specie, utì antea dictum fuit: (*e*) *Imò renum frusta, pollicis magnitudine, per virgam maximo dolore & tormento excreta fuerunt.* Sic tota renum substantia consumpta relinquit cavum

(*a*) Boneti Sepulchret. Tom. II. pag. 566.
(*b*) Aphorism. Sect. VII. n°. XXXVI. Charter Tom. IX. Part. II. pag. 310.
(*c*) Lib. de Affection. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. pag. 650.
(*d*) Serm. XI. Cap. XVIII. pag. 270.
(*e*) Hildan. de Gangræn. & Sphacel. Cap. IV. pag. 774.

saccum, inutilem postea; túncque alter ren superstes urinæ secernendæ officio solus fungi debet. Vidit *Carolus Piso* in muliere, (*a*) *Membranam renum externam, ureteribus communem, dilatatam in amplitudinem toti capacitati alvi æqualem, quæ tamen continendis quatuordecim libris purulentæ materiæ sine dilaceratione par esset.* Debuit ergo hæc membrana, sive involucrum renis externum magnam crassitiem vel tenacitatem acquisivisse, ut à tanto puris pondere non rumperetur. Hoc autem ex *Cabrolio* excerptum legitur apud *Bonetum*(*b*); nempe in rene pariter suppurato, & quatuordecim libras ponderante, inventa fuit cystis, pus continens, crassitiem æquans pellis vervecinæ. Mirum videtur, quòd totam renis substantiam sic consumptam non sequatur lethalis hæmorrhagia, cùm tam magna sit arteria emulgens & cordi satìs propinqua. Verùm videmus hoc ubique, quòd suppuratio, solvens extrema vasorum, inflammatoriâ materiâ obstructorum, vix faciat hæmorrhagiam; imò licèt pus sensim totam ferè consumat partium substantiam, rarissimè hæmorrhagia sequitur: videntur enim vasorum extrema contrahi vel obturari ita, ut vix transmittant sanguinem ampliùs, qui tum per ramos vicinos liberos transit. Sic in exstirpationibus observant Chirurgi, metum hæmorrhagiæ abesse, dum vulnus in omni suo ambitu pus fundit. Postea, quando de phthisi agetur, patebit, totum pulmonem quandoque consumi purulentâ labe, sputis quotidie prodeuntibus copiosis, absque ulla hæmorrhagia; dum tamen pulmonalis arteria magna est, & ex corde adeo vicino prodit.

Ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, simul intelligitur, quare veteres Medici tantam difficultatem posuerint in nephritide curanda; inprimis si suppuratio sequatur, nec citò pus evacuari, & dein ulcus detergi & consolidari possit. Ita *Hippocrates*, postquam illa proposuerat, quæ ad nephritidis curam laudabat, dicit, (*c*) *Hæc si fecerit, neque citissimè sanescat, haud novum: morbus enim perdifficilis.* In renum suppuratione monet, (*d*) *Hic autem morbus molestus est, eóque plures ad renum tabem deveniunt.* Vel enim pus copiosum, eductum quotidie, consumit maximam nutrimenti partem, (à quâ causâ, post magnas exstirpationes felicissimè etiam peractas, multi pereunt) vel pus retentum resorbetur, & cacochymiam purulentam inducit sanguini, pariter periculosam. Imò & alibi de eodem morbo agens dicit, (*e*) *Hic morbus non ferè deserit:* nec integram curationem promittit; sed, curâ enarratâ, simpliciter dicit, (*f*) *Hæc si ita feceris, morbum meliore statu constitues.* Ita & *Aretæus* ulcera renum inter diuturnos eorumdem morbos recensens, dixit hæc esse morbos, (*g*) *Haud lethales quidem, sed insanabiles, & unà cum ægro commorientes.* Inprimis autem damnabat ulcera, quæ à calculis fiunt: (*h*) *Insanabiles inde morbi nascuntur, cita colliquatio, mórsque adveniunt.* Si enim cal-

(*a*) Lib de Morbis à serosa colluvie Sect. IV. Cap. II. Observat. XCIV. pag. 296.
(*b*) Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 567.
(*c*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XVIII. Charter. Tom. VII. pag. 651.
(*d*) Ibid. Cap. XVI. pag. 650.
(*e*) Ibid. Cap. XVII. pag. 650.
(*f*) Ibidem.
(*g*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. pag. 52.
(*h*) Ibid. pag. 54.

culus, adeo magnus, ut per ureteres in vesicam descendere nequeat, ibi hæserit, & ulcus produxerit, idem efficiet, quod globulus fistulæ orificio immissus, id est, impediet depurationem & consolidationem ulceris in renibus nati. Pariter & *Aetius* (*a*) difficultatem curæ suo testimonio confirmat.

§. 1003. SI scirrhum hîc format, paralysis, vel claudicatio cruris suppositi oritur, immedicabile malum: unde sæpe lenta tabes, hydrops, &c.

Sequitur alter inflammationis exitus, ubi nec resolvendo, nec suppurando, solvitur impacta vasis materies, sed unà cum his indurescit in scirrhum. Ad §. 997, notatum fuit, *Trallianum* & *Æginetam* monuisse, quòd à frigidorum applicatione cavendum esset, ne in scirrhum renum abiret morbus. *Trallianus* quidem *scirrhi* vocabulo non fuit usus, sed dixit σκληροῦνται τῶν νεφρῶν αἱ φλεγμοναί: *Indurantur renum inflammationes*: quod idem significat, utì patet ex *Ægineta* (*b*), qui voce σκιῤῥοῦνται usus fuit: & paulò pòst idem malum peculiari titulo describens, vocavit (*c*) σκληρίαν νεφρῶν, *indurationem renum*. Scirrhus autem, quamdiu nondum malignus est (vide §. 486), nocet tantùm, quatenus lædit functionem partis occupatæ, &, premendo vicina, illorum, actionem turbat; cæterùm ex sua natura indolens. Posse autem renes scirrhosos, inprimis si mole aucti fuerint simul, musculos psoas, & quosdam nervos ad artus inferiores ex medulla spinali tendentes, comprimere, illorúmque actiones turbare, patet ex tabula decima nona *Eustachii*, si conferatur cum tabula vigesima quinta, ubi renes in situ habentur. An autem à renibus tumentibus perfecta paralysis, in femore & crure ejusdem lateris, produci possit, dubium videtur, cùm magni trunci nervosi, his partibus prospicientes, ex foraminibus ossis sacri emergant, & tali situ locentur, ut vix à renibus etiam tumidissimis comprimi possint. Unde *Aetius* (*d*), & (*e*) *Ægineta* optimè mala, à scirrho renum metuenda, notaverunt sequentibus: *Quæcumque durities, circa renes oboriantur, dolores quidem non ampliùs inferunt: ægris autem ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videtur: & stupor adest coxendicum, & impotentia crurum, mingúntque pauca, & reliquo corporis habitu, aquâ inter cutem laborantibus, maximè similes existunt. Quidam etiam temporis progressu manifestè hydropem incurrunt, veluti etiam ab aliis visceribus induratis contingit.* Ibi enim non paralysin, sed stuporem & impotentiam quamdam memorant. Scirrhos autem partium internarum corporis frequentem dare hydropi causam postea pluribus ad §. 1229, deducetur. Quàm difficilis autem scirrhi in visceribus nati cura sit, antea jam dictum fuit, ubi de simili inflammationis exitu in peripneumonia, pleuritide, hepatitide, &c, actum fuit. Renum scirrhosorum Exempla apud *Bonetum* (*f*) habentur.

(*a*) Serm. XI. Cap. XVIII. pag. 272.
(*b*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, versâ.
(*c*) Ibid. pag. 47.
(*d*) Serm. XI. Cap. XVII. pag. 270.
(*e*) Lib. III. Cap. XLV. pag. 46, versâ.
(*f*) Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 569.

§ 1004. SI autem parva copia materiæ inflammatæ coagulata in folliculo urinæ minimo hæserit, basin format, cui apposita sabuli in urina materies crustatim accrescens calculum renalem creat, sicque eumdem auget: de quo postea.

Postea, ubi de calculo agetur, patebit per Experimenta certissima, urinam sanissimi hominis, etiam nullam diathesin calculosam habentis, continere in se calculi materiam, sed solutam, quæ tamen cuicumque corpori contiguo accrescere potest. In renibus jam videntur adesse folliculi minimi, urinæ secretioni inservientes, licèt & alia vasa secretoria absque talium folliculorum interpositione, directè ab arteriis derivata, adsint. Verùm quidem est, summos in Anatome viros de hac re disputasse, sed præparationes tales vidi, imò & ipse possideo, quæ videntur folliculorum talium in renibus existentiam persuadere; quod & recentissimis Anatomicorum Observationibus confirmatur. Si jam materia non solubilis in cavo tali folliculo hæserit, quam urina secreta præterlabitur continuò, vel à tali obstaculo remoram passa alluit diutius, accrescere poterit illi calculosa materies in urina latens, & ab eadem causa perennante augeri sensim. Calculi enim non tantùm in renum pelvi, sed & in renum substantia deprehensi fuerunt frequenter; imò & quædam Observata docuerunt, minimas tales arenulas per totam renum substantiam dispersas inveniri quandoque. Ita in cadavere Viri Consularis, nephriticos dolores frequentur passi, & tandem à phthisi consumpti, observavit *Schmidius* non tantùm in renum tubulis calculos & sabulum contineri, sed & totam renum substantiam arenulis refertam esse, (*a*) *Ita ut cum hinc inde parenchyma secaretur, quasi sabulum humidum scindi appareret.* Unde patet, materiem inflammatoriam, non resolutam, calculo renali originem dare posse, dum basin præbet, cui materia calculosa, in urina latens, accrescere poterit, utì pluribus ad §. 1414, demonstrabitur.

§. 1005. QUIN etiam aliquando in gangrænam transit, quod docet vehementia causæ (994), symptomatum (995), absentia levaminis per remedia (997), & subita remissio doloris sine causa, cum sudore frigido, pulsu debili, intermittente, singultu, urinâ vel nullâ, vel lividâ, nigrâ, capillosâ, fœtente, carunculis fuscis, nigrísve fœdâ, defectu virium subito, summo: ubi nihil juvat, vel Medicina (902).

De transitu inflammationis in gangrænam, & quibus signis hoc cognoscatur, ad §. 388, in Historia inflammationis dictum fuit. In præcedentium morborum inflammatoriorum Historia pariter actum de funesto tali exitu, & de symptomatibus, quibus stipatur morbus inflammatorius partium inter-

(*a*) Miscell. Curios. Decur. I. Ann. VIII. Observat. LXXXIX. pag. 149. 150.

narum corporis, dum in gangrænam abit: ſigna autem vel notant gangrænam futuram, vel deſignant jam præſentem. Priora deſumuntur ex vehementia cauſæ morbi & ſymptomatum; poſteriora verò petuntur, inprimis ex virium jactura ſubitanea, & doloris remiſſione non exſpectata; de quibus videantur illa, quæ ad §. 904, dicta fuerunt. Confirmatur autem gangrænæ jam præſentis diagnoſis, ſi talia à loco affecto prodeant, quæ necroſin partium indicant. Sic ſputa fuſca, cœnoſa, amurcoſa, nigra, liveſcentia, adeo damnabantur in peripneumonia (vide §. 848.), & in pleuritide (§. 901.): ob eamdem rationem fæces alvi amurcoſæ, virides, nigræ, fœtidiſſimæ, cadaveroſæ, docent, gangrænam adeſſe in hepate inflammato (§. 949.); utì & in ileo inflammatorio §. 969. Ita etiam in nephritide, ſi urina nulla omnino prodeat, ſummam renum inflammationem indicat, talémque vaſorum renalium infarctum, ut nulla urinæ ſecretio fieri ampliùs poſſit. Ubi verò adhuc aliquid tranſit, vel in alterutro rene tantùm malum hæſerit, tunc à rene ſano prodibit quidem urina, verùm tabus putridus gangrænoſus, à rene affecto delabens in veſicam, urinam inficiet ſuâ corruptelâ; quæ tunc prodibit talis, qualis in textu deſcribitur. In putrilaginem enim gangrænoſam converti renum ſubſtantiam illis, qui vi morbi interierunt, *Euſtachium* (*a*) docuit cadaverum ſectio: imò flatum intra membranam externam, adhuc integram, invenit, qui illam à ſubſtantia renum putrida, removerat, & inſignem tumorem fecerat. Conſtat autem, aerem elaſticum extricari per putredinem ex partibus ſolidis & fluidis noſtri corporis.

Quàm parùm ſpei ſuperſit, ubi gangrænâ occupantur viſcera, antea ad §. 432, dictum fuit. Quænam autem fieri debeant in peſſimo hoc ſtatu, videri poterunt ad §. 902. 903, ubi de pleuritide gangrænoſa agebatur. Verùm ibi locus affectus profundis cruſtis debebat inuri, quia nulla omnino ſpes ſupererat, niſi gangrænoſo tabo exitus conciliaretur versùs exteriora: & ſi in dorſo in regione renis tumor aut livor appareret, idem & in hoc caſu fieri deberet, quia tunc extrorſum ſponte ſuâ vergit morbus. Cæteroquin in rene ſic affecto via ſupereſt ſatìs tuta per pelvim & ureteres in veſicam, ut exire poſſint ichores gangrænoſi & ſeparatæ partes mortuæ, atque ideo aliqua adhuc ſpes eſt in gravi hoc malo. Totus enim ſcopus in cura gangrænæ eſt (vide §. 443.), ut ſeparetur mortuum gangrænoſum à partibus vivis contiguis per ſuppurationem, in omni ambitu partis mortuæ natam, & dein locus purus conſolidetur. Verùm ſecedere debebit integre illud mortuum, & pus ſimul cum illo corrupto exire de corpore. Hinc viſcerum gangræna adeo inſuperabilis meritò habetur, quia, licèt ſeparatio corrupti inciperet jam fieri, non datur exitus puri & partibus gangrænoſis jam ſeparatis; unde ſequitur putredo peſſima omnium vicinorum, quæ tabo hoc gangrænoſo alluuntur. In renibus autem, ſi non proſerpat gangræna, ſed jam ſiſtatur, ſpes eſt per veſicam evacuari poſſe corruptas gangrænâ partes, unà cum pure. Cùm autem Obſervata plurima docuerint, uno rene penitus inutili reddito,

(*a*) De Renum ſtructur, Cap. XLV. pag. 120.

vitam supeesse posse, imò quandoque adhuc satìs commodam, dum alter ren solus urinæ secernendæ munere fungitur; patet & ob hanc causam plùs sperari posse in hoc casu, quàm in gangræna aliorum viscerum, quorum integritas ad vitam requiritur. Raro tamen inde evadunt ægri, quia solet talis gangræna citò proserpere ad vicina loca, utì in cadavere filii *Hildani*, hoc morbo mortui, apparuit, de quo ad §. 995, dictum fuit. Præterea, nisi tabus gangrænosus statim per pelvim delabatur, metus est, ne resorptus per venas totum sanguinem pessimâ putredine inficiat (vide §. 435.). Deinde licèt separatio mortui feliciter successerit, illúdque cum urina expulsum fuerit, adest ulcus renis post gangrænam separatam, quod curatu difficillimum esse ad §. 1002, patuit.

§. 1006. HINC patet infinitas esse nephritidis species, causásque, & inter eas unam à calculo; tamen esse omnium ferme eamdem curationem: cur in febribus toties nephritis (993), ejúsque crisis (996): imò & inde ischuria vitio renum, vel ureterum, orta intelligitur, sanatur.

Si considerentur illa, quæ ad §. 994, de causis nephritidis dicta fuerunt, patebit satìs, quàm multiplices observatæ fuerint hujus morbi causæ, naturâ, attributis, loco, diversæ. Unde etiam & varia nomina data fuerunt huic morbo. Ita nephritis inflammatoria, suppuratoria, schirrosa, spasmodica, calculosa, verminosa, &c, observata fuit. Sic *Tulpius* vidit, post diuturnos lumborum cruciatus, à muliere excerni (*a*) *Singulis diebus vel quinos vel senos vermiculos, colore ut albos, sic neque formâ dissimiles illis, quos profert caseus putris.* In alio vidit, (*b*) *Quolibet decimo-quarto die, cum insigni urinæ difficultate, & tantâ perturbati corporis inquietudine, ut vix se contineret in cubili*, emingi pilos, dimidium digitum, quandoque & integrum, æquantes, muco sic involutos, ut raro separati, sed plerumque conglobati prodirent. Inter nephritidis autem causas frequentissima est calculus, de quo postea dicetur. Verùm calculus nephritidem non producit, nisi vel mole vel asperitate partes, quibus accumbit, irritet. Observata numerosa habentur, quæ docent, in magnatum cadaveribus eviſceratis, ut balsamo condirentur, repertos fuisse calculos in renibus, licèt nunquam nephritidem passi forent. Eximius (*c*) *Medicus eminxit post febrim tertianam, intra octiduum, unde viginti vermiculos sine dolore ullâve urinæ difficultate*, & vivos quidem: adeóque nec ab his semper nephritis producitur, nisi dum motu suo vel rodendo irritant partes ubi hærent.

Nec tamen curatio multùm differt, licèt tanta varietas in nephritidis causis observetur; quia nephritidem, propriè dicendam, non producunt, nisi inflammationem fecerint. Adeóque curatio consistit semper in eo, ut solva-

(*a*) Observat. Medic. Lib. II, Cap. LI. pag. 179.

(*b*) Ibid. Cap. LII. pag. 180.

(*c*) Ibid. Cap. L. pag. 178.

tur inflammatio, & tentetur expulsio illius, quod irritando hæc mala produxerat. Sive enim à calculo nephritis orta fuerit, sive ab alia causa quacumque renes inflammati fuerint, cura requiritur similis. Verùm quidem est, quòd sanguinis missio directè non agat in calculum hærentem in renibus, attamen depletis vasis partes inflammatæ subsident, quæ tumentes calculo, in vesicam delapsuro, remoram fecerant. Pulchre hoc notavit *Aretæus*, dum commendat sanguinis missionem, ubi calculus renum inflammationem produxerit. Ita enim habet, (*a*) *Neque enim phlemonæ tantùm evacuatione mitigantur, sed etiam calculorum intrusiones* (σφηνώσιες τῶν λίθων) *vasorum inanitione laxantur.* Et alibi pariter sanguinis missionem commendat, ut calculi exitus promoveatur: rationem autem pulchram dedit, dicens, (*b*) *Inflammatio enim colligata tenet omnia: evacuatio autem solutio est phlegmones.* Notavit *Sydenhamus* quandoque in hystericis (*c*) circa alterutrum renem oriri dolorem atrocissimum, qui paroxysmum nephriticum omnino refert, & non nisi ab exercitatis admodum distingui potest. In tali casu merus spasmus adest, absque inflammatione vel calculo irritante, adeóque alia cura requiritur. Verùm hysterica mala suis signis distinguuntur, & facilè anti-hystericis dictis remediis, & inprimis laudani liquidi aliquot guttulis, superari solent. Si verò tales spasmi diu persistant, renum inflammationem producere poterunt, utì §. 994. n°. 4, dictum fuit. Unde patet denuo similem tunc curam requiri.

CUR IN FEBRIBUS, &c. Antea sæpius patuit, in morbis inflammatoriis materiem morbi subactam, & mobilem redditam, per urinæ vias exire, adeóque per renes transire. Cùm autem hæc materies morbosa, expellenda de corpore, tales dotes habeat, ut cum reliquis humoribus per vasa moveri nequeat absque impedimento æquabilis circulationis, non mirum est, quandoque illam hærere per aliquod tempus in angustiis vasorum renalium, vel & acrimoniâ majori irritare hæc vasa, sícque nephritidis speciem producere; sed leviorem plerumque, &, excretâ cum urina hâc materie, brevì cessantem. Cùm enim talis urina critica stranguriam quandoque faciat, dum emittitur (vide §. 888. n°. 2. 923. n°. 2.), nemo mirabitur, quòd & in renibus molestiam facere possit. Sed & in aliis morbis observatur, materiam morbi levem quandoque inflammationem facere, dum transit per viscera, antequam per metastasin ad quædam loca corporis deponatur. Ita in peripneumonia (vide §. 839.) signa levioris inflammationis ad hypochondria indicabant, abscessus criticos circa crura exspectandos esse. Tales autem circa renes dolores, dum materia morbi per hos exitum quærit, videtur & notasse *Hippocrates* dicens, (*d*) *In dolore hypochondriorum submurmuranti, lumborum dolor superaccedens in febribus, ventres ut plurimùm humectat, si non flatus eruperit, aut urinæ*

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. II. Cap. VIII. pag. 109.

(*b*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. III. pag. 130.

(*c*) Dissertat. Epistolar. ubi de Hyster. pag. 489.

(*d*) Coacar. Prænot. n°. CCXCII. Charter Tom. VIII. pag. 868

copia

copia prodierit. Et alibi notavit atram bilem quandoque ad renes confluere; túncque urinam talem prodire, (*a*) *velut à bubulis, carnibus assatis succus*; quinimo renem exulcerari, si non perfluxerit atra bilis, sed in rene consliterit.

IMO ET INDE ISCHURIA, &c. Ischuria, sive urinæ suppressio, dupliciter distingui solet: una nempe, ubi nihil urinæ in vesicam venit; altera, ubi vesica urinam continens nihil dimittit. Prior cognoscitur, si nulla tensio circa pubem, nec tumor ob distentam vesicam in hypogastrio apparet; & omnium certissimè, si cathetere immisso nihil urinæ prodeat. Talis ischuria fit vel à renum actione impedita, quâ urinam à sanguine secernunt (uti v; gr; ab inflammatione) licèt ureterum cavum liberum sit; qualis casus habetur ad §. 995. Præterea poterit produci, si, renum actione satìs integrâ adhuc manente, ureterum cavum per calculum, sanguinis thrombum, mucum spissum, &c, ita impeditum fuerit, ut urina per renes secreta ad vesicam venire nequeat. Verùm ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, cura talis ischuriæ intelligitur; inprimis si simul considerentur illa, quæ postea de calculo dicentur.

(*a*) Lib. de Intern, Affection. Cap. XVII. Charter. Tom. VII. pag. 650.



APOPLEXIA.

§. 1007. SUMMA velocitas, nexus sæpe cum inflammatione; fœcunditas multorum inde pendentium malorum; requirit, ut ordine nunc de apoplexia agatur.

Morbus ille ἀποπληξία, ἀπόπληξις, ἀποπληκτικον νόσημα, vocatur ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν, quod *percutere* significat; & quandoque etiam *perterrefieri*, *obstupefieri*, *attonitum reddi*. Unde & hoc morbo correptos *Celsus* vocavit; (*a*) *Attonitos*. Fortè meliùs dicerentur attoniti illi, qui catalepsi laborant, cùm in hoc morbo, utì sequenti capitulo dicetur, maneant ægri statuarum instar in eodem situ, quem habeant illo momento, dum invadebat morbus. Apoplectici autem quasi subito ictu prostrati corruunt, non aliter ac bos, à lanione percussus malleo, cadit humi, stertens ac verè apoplecticus. Unde videtur meliùs hujus morbi etymon derivari à percutiendo; & ideo Germanico idiomate ab ictu nomen habet, utì & in aliis linguis. Sic etiam apud *Eutropium* legitur, quòd *Verus Antoninus*, cum fratre in vehiculo sedens; obierit, (*b*) *subitò sanguine ictus, casu morbi, quem Græci*, ἀπόπληξιν *vocant*.

Celsus autem videtur binos distinctos morbos descripsisse sub eodem Græco nomine ἀποπληξίας. Priorem vocavit attonitum, in quo (*c*) *Corpus & mens stupet*, illúmque raro contingere dicit: alterum vocavit resolutionem nervorum παράλυσιν, frequentem ubique morbum; addítque, veteres Auctores, apoplexiam vocare, si resolutio tota corpora infestet; si partes tantùm, paralysin: monet simul, suo tempore malum (*d*) *Utrumque* παράλυσιν *appellari*. Reverâ apoplexia est universalis paralysis. Verùm & inde probabilior redditur opinio, quòd sub nomine morbi attoniti *Celsus* intellexerit *catalepsin*, quæ longè rariùs occurrit, quàm apoplexia.

Conveniebat autem hoc loco inprimis de hoc morbo agere, cùm, summâ velocitate, utì morbi quivis acutissimi, toties in perniciem tendat; & quia in morbis inflammatoriis satìs frequenter contingit, ut in lethalem apoplexiam terminentur; utì in phrenitide vera, & aliis morbis acutis, dum, malâ metastasi, morbi materies caput petit. Præterea requirebatur cognita apoplexiæ Historia antequam de paralysi, epilepsiâ, catalepsi, caro, ageretur; cùm illi morbi apoplexiam sequantur sæpius; quandoque & præcedant; & sæpe à similibus omnino causis producantur.

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVI. pag. 177.
(*b*) Lib. VIII. §. 12.
(*c*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVI. pag. 177.
(*d*) Ibid. Cap. XXVII. pag. 178.

§. 1008. QUÆ tunc dicitur adesse, quando repentè actio quinque sensuum externorum, tum internorum, omnésque motus voluntarii abolentur, superstite pulsu plerumque forti, & respiratione difficili, magnâ, stertente, unà cum imagine profundi perpetuíque somni.

Dicendum nunc est de adæquata definitione hujus morbi; túncque simul apparebit, quænam signa sint, quæ docent hunc morbum adesse, illúmque distinguunt ab aliis morbis. Agitur autem hîc de exquisita & propriè dicenda apoplexia: videmus enim, apud plurimos Auctores, apoplexiâ mortuos dici homines, qui subitâ morte perierant quidem; à lethali v. gr; syncope, ob polypum subitò in majora vasa arteriosa ex corde impulsum, rupturam vasorum majorum circa cor, &c; sed certè tamen non fuerant apoplectici. Licèt enim apoplexia sæpe brevì in mortem finiatur, tamen ut ille morbus dicatur adesse, debent ante mortem omnes functiones animales aboleri, dum vitales functiones adhuc manent superstites, imò & auctæ quandoque, utì §. 1014, dicetur.

In definitionibus Medicis *Galenus* quidem sic habet, (*a*) *Apoplexia est detentio mentis cum ereptione sensuum, & corporis resolutione: item apoplexia abolitio est in nervis omnibus sensûs & motûs.* Et *Aretæus* ita habet, (*b*) *Apoplexia totius quidem corporis, & sensûs, & mentis, & motionis, resolutio est.* Sed facilè patet, per hanc definitionem non distingui apoplexiam à syncope, in qua omnes sensus & motus pariter abolentur. Videtur hanc difficultatem sensisse *Aretæus*, nam in eodem capite definitioni apoplexiæ subjungit lipothymiam, quam sic describit: (*c*) *Genuum resolutionem, sensusque per aliquantum temporis stuporem, & exanimationem, & casum, lipothymiam, id est animæ deliquium, vocitamus.* Ex quibus apparet, quòd *Aretæus* apoplexiam ab animi deliquio inprimis inde distingui voluerit, quòd πρόσκαιρος νάρκη, *non multo tempore perstans stupor*, adesset in animi deliquio, cùm in apoplexia permaneret hoc malum. Verum quidem est, ab animi deliquio sæpe post pauculum temporis excitari ægros; interim tamen & Observata docuerunt, in perfecta syncope diu quandoque hæsisse homines, imò & pro mortuis habitos, postea revixisse. Adeóque nec sic integre tollitur hæc difficultas, quæ ex data definitione apoplexiæ oritur. Melior ergo & adæquata est definitio, quæ in textu habetur, quòd nempe in apoplexia repentè aboleantur omnes actiones animales dictæ, dum tamen adhuc supersunt vitales: ita enim apoplexia à syncope & animi deliquio perfectè distinguitur. Optimè hinc in descriptione hujus morbi addidit *Ægineta* (*d*), respirationem apoplecticis superesse; & pessimum in hoc morbo signum esse, si respiratio inter-

(*a*) Galen. Defin. Medic. n°. CCXLIV. Charter. Tom. II. pag. 261.
(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 33.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Lib. III. Cap. XVIII. pag. 31.

mittat, vel magna cum violentia fiat; utì videmus in apoplecticis, quòd circa mortem maximo cum ſtertore & valido pectoris motu reſpiratio peragatur. Patet etiam ex dictis, quare *Archigenes* de hoc morbo ſcribens, dixerit, (*a*) *Utque abſolutè dixerim, qui in hanc incidunt ægritudinem, ſenſu omnino carentes mortui vivunt.* Manifeſtè enim apparet, quòd ſic indicare voluerit, ſenſibus abolitis, vitales tamen functiones in hoc morbo ſupereſſe.

Interim tamen videtur *Hippocrates* quandoque apoplexiæ vocabulo ſignificaſſe partis corporis ſingularis reſolutionem; utì apud *Aretæum* & *Æginetam* (*b*) notatur, quòd crus apoplecticum dixerit factum fuiſſe. Celeberrimus *Wigganus*, cui pulcherrima editio *Aretæi* debetur cum optima verſione, in notis eruditiſſimis ad varias lectiones (*c*) monet, quòd poſt longam & frequentem conquiſitionem Ἀπόπληκτον σκέλ☉ apud *Hippocratem* non deprehenderit. Sed ſunt tamen apud *Hippocratem* plura loca, ubi manifeſtè pro particulari reſolutione apoplexia ſumitur (*d*).

Ex dictis patet, ſatìs firmam diagnoſin haberi, per quam apoplexia ab aliis morbis diſtingui poſſit. Sed major difficultas eſt, ut certò diſcerni poſſit apoplexia à ſomno profundo, cujus imaginem refert, & in quo omnes ſenſus & motus voluntarii ſilent. Verum quidem eſt, quòd profundo etiam ſomno ſepultus homo plerumque excitari poſſit talibus, quæ validiſſimè ſenſuum organa afficiunt; apoplexiâ correptus autem minimè. Tamen quandoque laboribus, & diuturnis inprimis vigiliis, exhauſti homines, tam profundo opprimuntur ſomno, ut nullis fragoribus excitentur; imò ne quidem igne combuſtis corporis partibus à dolore evigilent. Strenuiſſimum bellatorem novi, qui urbe obſeſsâ per quadraginta & octo horas nullum ſomnum ceperat; tandem pallio involutus humi procubuit, medius inter bina tormenta bellica, ex quibus globi miſſiles majores projiciebantur continuò: tamen nec turba circumſtrepentium militum, nec horrendi & continui ferè machinarum ignivomarum fragores illum à placidiſſimo ſomno, quo per decem horas fruebatur, excitare potuerunt. Vidi aliquot caſus, ubi, dum in lecto vaſa, ferventi aquâ plena, ſub ſtragulis repoſuerant, ut ab acerrimo frigore homines ſe defenderent, crura miſerrimè combuſta fuerant, abſque eo quòd evigilaſſent per tantum dolorem, profundo tali ſomno ſepulti. Verum quidem eſt, quòd ſani homines à profundiſſimo etiam ſomno ſponte evigilent, apoplectici autem pergant dormire; ſed agitur tantùm de hac re, quomodo quis profundiſſimè dormientem hominem ab apoplectico diſtinguere poſſit, dum & ſimiles ronchos imo de pectore ducit, & à tam validis cauſis ſenſus afficientibus excitari nequit. Idem adhuc magìs verum in ebriis hominibus: & hanc difficultatem videtur agnoviſſe *Hippocrates*, dum in loco, cujus aliâ occaſione ad §. 558, memini, dicit, (*e*) *Si quis ebrius derepente obmuteſcat*,

(*a*) Aetius, Lib. VI. Cap. XXVII. pag. 253. 254.

(*b*) Locis modò citatis.

(*c*) Aretæi, pag. 493.

(*d*) Aphoriſm. Sect. VII. nº. XL. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 312. Confer. Prædiction. Lib. II. Cap. X. Charter. Tom. VIII. pag. 819. Coacar. Prænotion. nº. CCCLIX. Ibid. pag. 872. & nº. CCCCLXXVII. pag. 879.

(*e*) Aphoriſm. Sect. V. nº. V. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 196.

convulsus moritur, nisi eum febris corripuerit, aut quâ horâ crapula solvitur, vocem ediderit. Ubi apparet, quòd prognosis certitudinem distulerit ad illud tempus, quo crapula solvi solet. Notat autem *Galenus* in commentariis ad hunc locum, quòd *Hippocrati* satìs consuetum fuerit vocare obmutescentes illos, qui (*a*) toto corpore privabantur sensu & motu, sícque nominaverit integram affectionem ex uno symptomate. Tantò autem difficiliùs profundissimus somnus in ebriis ab apoplexia distinguitur, quia numerosis Observatis constitit, satìs frequenter summam ebrietatem in lethalem apoplexiam abivisse. Manet ergo semper magna difficultas, ut somnus profundissimus in homine sano ab apoplexia distinguatur signis certis. Si tamen novimus diuturnas vigilias præcessisse, vel defatigationem summam, vel causas ebrietatis maximas, securi magìs sumus, quòd talis somnus naturalis sit, non adeo morbosus. In apoplecticis etiam major rubor & facies magìs turgida solet esse, & respiratio majori cum molimine plerumque peragitur, quàm in hominibus sanis dormientibus.

§. 1009. ACCURATISSIMA & multiplex valde Observatio docuit, hunc morbum accidisse, quoties illæ prægressæ essent causæ, quæ potuerunt impedire integre, vel multùm, effluxum liquidi cerebrosi spirituosi in organa sensuum, motuúmque voluntariorum, & vicissim hujus refluxum ab his organis in ipsum sensorium commune; superstite interim cerebellosi liquoris in cor, & naturalia respirationis organa, itu, & forsan reditu, aliquo, qui ad has functiones sustinendas quodammodo sufficiat.

Si considerentur illa, quæ circa encephali functionem & usum in Physiologia (*b*) demonstrantur, patebit satìs, ad sensuum & motuum voluntariorum in nobis exercitium requiri tenuissimi fluidi liberum iter ab encephalo per nervos ad organa sensuum & musculos, ut causa muscularis motûs ad musculos derivari possit, & mutatio ultimæ superficiei nervorum sentientium ab objectis sensibilibus facta propagari valeat ad sensorium commune. Cùm autem in apoplexia omnes sensus & motus voluntarii cessent, quidquid poterit impedire illud liberum iter ab encephalo per nervos ad musculos, voluntatis imperio subjectos, & sensuum organa, erit sufficiens apoplexiæ producendæ causa. Unde pulchre hunc morbum sic descripsit *Ægineta:* (*c*) *Communi nervorum principio affecto, & inde omnibus corporis partibus perdentibus motum simul & sensum, apoplexia morbus vocatur.* Illud autem commune nervorum principium hodie Medicis solet vocari sensorium commune; quo nomine intelligitur illa corporis pars, unde omnes nervi, sensibus & motibus voluntariis servientes, suam ducunt originem.

(*a*) Aphorism. Sect. V. n°. v. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 196.

(*b*) Boerhaav. Inst. Med. §. 284.

(*c*) Lib. III. Cap. XVIII. pag. 31.

Quàmvis in apoplexia sileant motus voluntarii, cessentque à suis functionibus sensuum organa, supersunt tamen plurimi adhuc motus in corpore. Cordis & arteriarum actio manent, & plures, quæ inde pendent secretiones, salivæ, muci, urinæ, &c. Respiratio pergit, utì & motus intestinorum peristalticus. Verùm omnia illa fiunt in nostro corpore, nobis etiam non consciis, utì notum est; nec voluntas directo passim imperio in hos motus agit, ut illos augeat, minuat, sistat, moderetur, &c. Unde meritò concluserunt celeberrimi Medici, motus illos vitales dictos & spontaneos, aliam originem habere, quàm priores, qui nobis consciis fiunt, & voluntatis imperio planè subjacent.

Cùm autem constiterit numerosissimis Observatis, in vulneratis hominibus (de quibus vide illa, quæ in capitis vulnerum Historia habentur) cerebro insigniter læso, vel compresso, turbari & aboleri sensuum exercitia & motus voluntarios, superstite adhuc vitâ, & plurimis motibus, qui nobis insciis fiunt; statuerunt Medici, commune nervorum, sensibus & motibus voluntariis servientium, principium, sive sensorium commune, in cerebro sedem suam habere. Utì enim pulcherrimè notavit *Galenus*, in sensuum organis mutatio quidem fit à rebus sensibilibus, sed illius mutationis perceptio non fit in sensuum organis, sed in cerebro; unde dicit, (*a*) *Ipsum namque cerebrum sensorium organum à Natura conditum non est, sed sensoriorum sensorium.*

Præterea per eadem Observata constat, illud sensorium commune citiùs lædi, faciliùs destrui, quàm alteram illam partem encephali (qualiscumque illa demum fuerit), unde motus illi vitales & spontanei pendent. In gravissimis enim capitis læsionibus per contusiones, vulnera, &c, sæpe per plures dies apoplectici jacent homines, antequam moriantur: opii largior dosis, vini generosi ingurgitatio, tollunt pro quodam tempore omnes actiones animales, dum vitales & spontaneæ perstant, & increscunt. Quinimo ipsa sanitas poscit, ut quotidie per plures horas cessent sensus & motus voluntarii, auctis interim functionibus vitalibus, naturalis somni tempore. Cerebellum autem, mole minus quàm cerebrum, firmioris compagis, situ suo, & expanso duræ matris velo, tutiùs defensum contra externarum causarum impetum quàm cerebrum, credebatur esse illa pars corporea, cujus integritas requirebatur, ut motus illi vitales & spontanei perennarent absque ulla intermissione. Experimenta in vivis animalibus capta (vide §. 170. n°. 1.) videbantur evincere omnino hujus rei veritatem. Ideo non sine ratione statuebatur, quòd *in apoplexia liquidi cerebrosi spirituosi effluxus in organa sensuum motuúmque voluntariorum impediretur integre vel multùm, superstite interim cerebellosi liquoris in cor & naturalia respirationis organa itu & forsan reditu aliquo.*

Interim tamen fide dignissima celeberrimorum virorum Observata & Experimenta, postmodum instituta, videntur docere, cerebellum insigniter lædi posse, vitâ non tantùm superstite, sed etiam actionibus vitalibus non admodum læsis. In juvene, qui decimo-quarto die morbi acuti perierat, inveniebatur abscessus magnus in dextro lobo cerebelli, qui duas tertias partes sub-

(*a*) De Symptomat. Cauf. Lib. I. Cap. VIII. Charter. Tom. VII. pag. 61.

ſtantiæ cerebelli conſumpſerat: pulſus tamen & reſpiratio fuerant ſatìs bona, morbi tempore; ſed paralyſis dextri lateris obſervabatur ante mortem (*a*). Plura talia Obſervata diſſectis cadaveribus facta, & Experimenta in vivis animalibus inſtituta, apud celeberrimum *Senacum* (*b*) habentur, quæ docent, cerebello ſoli vitalium motuum originem non poſſe adſcribi.

§. 1010. QUÆ cauſæ omnes recenſitæ ab Obſervatoribus, in aliquas claſſes redigi poſſunt in commoda Praxios.

1°. Nativa corporis fabrica, caput magnum; collum breve, & ſæpe ſex modò vertebris extructum; corpus valde craſſum & pingue; temperies plethorica; cacochymia pituitoſa multùm excellens.

Cùm in Phyſiologicis evidenter probetur, ad integritatem functionum, quæ à cerebro pendent, requiri debitam copiam liquidi ſani per vaſa determinato impetu moti, ut inde fiat ſecretio fluidi ſubtiliſſimi, quod per nervos movetur ad organa ſenſuum & motûs inſtrumenta; patet ſatìs, multiplices admodum poſſe eſſe cauſas, quæ integre tollere, vel multùm impedire poſſunt hujus fluidi ſecretionem, & liberum per ſtamina nervoſa motum, ſícque apoplexiam producere. Omnia enim quæ vaſa comprimunt, vel illorum cohæſionem ſolvunt; omnia vitia humorum, per quæ à ſanitatis legibus degenerant in cacochymias varias; copia & impetus humorum nimis aucta, minuta, poſſunt huic morbo originem dare; quæ ergo in claſſes quaſdam redigi merentur, ut ordine inveſtigari poſſint, & indicationi curatoriæ, inde deducendæ ſervire.

CAPUT MAGNUM, &c. Quanta ſit ſtaturæ corporis in variis hominibus diverſitas, notum eſt: verùm obſervatur, femorum & crurum longitudinem variam, utì & colli, pro maxima parte, illam ſtaturæ diverſitatem producere: truncus enim corporis ſæpe eamdem menſuram habet in binis hominibus, quorum unus alterum pedis & ultrà longitudine excedit. Quò autem collum longius eſt, eò magìs cor à baſi cranii diſtat. Cùm autem motus, ſanguini per cordis ſyſtolen conciliatus, & dilatatio arteriarum à ſanguine impulſo, validiores ſint prope cor, quàm in partibus remotioribus à corde; patet ſatìs, eò validiùs urgeri ſanguinem per vaſa cerebri, eò magìs diſtendi hæc vaſa, cæteris paribus, quò cor capiti magìs propinquum eſt; præcipuè cùm per magnos ſatìs ramos recto decurſu ſanguis ad caput feratur. Hinc notatur in Phyſiologicis (*c*), carotides & vertebrales arterias, ubi ad baſim cerebri appellunt, ita diſponi, ut impetus ſanguinis, per hæc vaſa moti, minuatur, ne mollis encephali ſubſtantia à nimis valido hoc impetu læderetur. Unde patet, quare collum breve meritò habeatur pro cauſa prædiſpo-

(*a*) Novelle Litterarie XX, 20. Marzo 1750. n°. XII. pag. 179.

(*b*) Traité de la ſtructure du Cœur, Tom. I. Liv. II. Cap. VII. pag. 428, & ſuiv.

(*c*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 235.

nente ad apoplexiam, utì & Observationes quotidianæ confirmant, talibus frequentiùs hunc morbum contingere; & semper in his faciem magìs rubram & turgidam ferè videmus ob eamdem rationem. Ideo etiam videntur tales homines caput magnum habere, sed sæpe fallaci specie ob turgidam & inflammatam faciem, cùm magnitudo capitis propriè à cranii capacitate dependeat, & (a) *Cranium magnum & capax, maximè ad occiput*, inter signa optimi habitûs, & longævitatis indicia, meritò habeatur.

CORPUS VALDE CRASSUM ET PINGUE. Constat ex Physiologicis, per actionem conspirantem omnium viscerum chylopoieticorum ex ingestis in homine sano, educi omne solubile, solidis partibus per alvum exeuntibus. Dum autem hoc fit, oleum pingue ingestorum separatur à reliquis, & chylum pinguem facit, qui per vasa cum sanguine fluens & mammarum fabricâ inde separatus, lac vocatur, sponte cremorem pinguem præbens, dum emulctum in vase quiescit. Oleum autem illud pingue, & copiosum quidem, miro modo latere potest, dum aliis partibus unitum, & inprimis salinis, saponis speciem constituit, utì fit in omnibus vegetabilium succis. Ex gramine, quod adeo macilentum videtur, & aquâ, quotidie vacca lac conficit, quod tantam copiam pinguis butyri largitur; unde per ipsam chylopoiesin in hoc animali extricatur ex gramine illud pingue, quod primâ fronte nemo facilè tantâ copiâ ibi adesse crederet. Ubi verò in bove, vel in vacca uberibus exsiccatis, illud pingue manet in corpore, intra paucos menses mirum in modum pinguescunt hæc animalia, si lætis pascuis versentur, & nullis laboribus fatigentur. Idem jam in corpore humano contingit, & per chylopoiesin opimum illud pingue ab ingestis separatur, pulcherrimis usibus serviturum. Notum enim est, tunicam cellulosam, in qua pingue illud colligitur, omnibus musculis insterni; imò singulas horum fibras ambire, ut facilem mobilitatem & flexilitatem debitam illis servet: ita & ossium majorum cavis recondita pinguis medulla articulorum mobilitati prospicit, & ligamentorum, ossa articulata nectentium, laxitatem requisitam conservat. Magnum ergo usum habet pinguedo ad facilitandos musculares motus, & à musculis motis agitata, attenuata, venas denuo ingreditur, ac circulantibus humoribus mista, per urinas & sudores exit de corpore, utì certis Experimentis constat. Valido labore victum parantes homines, pingui sudore rigida indusia habent, urinámque emingunt ruberrimam; nec pinguescunt facilè, licèt voraces etiam fuerint. Ubi autem valida viscera chylopoietica ex ingestis copiosum tale pingue separant, nec per motum corporis dissipatur, tunc illud incipit accumulari, membranam cellulosam distendere, ejúsque molem immaniter sæpe augere. Cutis quidem cedit sensim, & à musculis suppositis removetur, sed tamen resistit; unde à pinguedine accumulata omnia supposita comprimuntur, & vasa arctantur. Hinc pulsum minùs validum in obesis observant Medici; & Chirurgi difficilem in illis venæ-sectionem experiuntur, non tantùm quia sub densa pinguedine demersæ hærent venæ, verùm etiam, quia exiliores

(a) Boerhaav. Instit. Medic. §. 885. n°. v.

sunt,

ſunt. Si jam ſimul conſideretur, omentum in obeſis immani pinguedinis mole ſæpe diſtendi, & omnia abdominalia viſcera comprimere, patebit ſatìs, ſanguinis tranſitum per aortam deſcendentem, ejúſque ramos, minùs liberum eſſe. Nec parva certè hæc nimis pinguis omenti compreſſio eſt, quâ vicina impedit, cùm & ſterilitatem ipſam in fœminis ab hac cauſa *Hippocrates* deduxerit dicens, (*a*) *Quod ſi præter Naturam craſſior evaſerit, utero non concipit: omentum enim craſſius incumbens uteros comprimit, neque genituram ſuſcipere ſinit.* Idem in Aphoriſmis, habet, & ibi addit, quòd tales obeſæ mulieres, (*b*) *Neque priuſquam extenuentur, prægnantes efficiuntur.*

Cùm ergo in admodum obeſis omnia vaſa corporis comprimantur à pinguedine accumulata; in cranio tamen nulla pinguedo obſervetur, vel ſaltem rariſſimè, & parcâ, admodum copiâ circa ſinus duræ matris; patet ſatìs, nimis impleri vaſa encephali, dilatari, minora vaſa comprimi; ſícque functiones cerebri ſenſim magìs magíſque impediri. Hinc incipiunt fieri hebetes, torpidi, obliviosi, ſomnolenti; ſenſuum omnium acumen in illis minuitur; tandémque, obruto nimiâ plenitudine cerebro, vel & ruptis vaſis apoplectici moriuntur. Sic de Ptolemæo, Ægypti rege, *Juſtinus* refert, (*c*) *Segni admodum, & quotidianâ luxuriâ ita marcente, ut non ſolùm regiæ majeſtatis officia intermitteret, verùm etiam ſenſu hominis nimiâ ſaginâ careret.* Mirum magìs eſt, quòd apud *Varronem* legitur, de ſue, (*d*) *Quæ, præpinguetudine carnis, non modò ſurgere non poſſet, ſed etiam ut in ejus corpore ſorex, exeſâ carne, nidum feciſſet, & peperiſſet mures.* Omnium maximum diſcrimen adeſt, ubi illa pinguedinis copia in admodum obeſis, per calorem ſubitum, motum validum corporis vel febrim natam, ſoluta, attenuata, venas ingreditur, & ſanguini miſcetur, ſícque humorum circulantium quantitas augetur ſubitò, & brevì lethalis apoplexia ſæpe ſequitur, ruptis à nimia tali & ſubita repletione vaſis. Hinc monuit *Hippocrates* quòd (*e*) *Naturâ admodum craſſi celeriùs quàm graciles intereunt*, utì aliâ occaſione ad §. *693*, notavi, ubi de calore febrili ob molem movendorum ſubitò auctam dicebatur.

TEMPERIES PLETHORICA. Quando nimia quantitas ſanguinis rubri adeſt in corpore cæterùm ſano, tunc plethora vocatur (vide §. 106 *lit.* α.). Quàmvis autem omnes functiones à plethora lædi poſſint, obſervatur tamen, inprimis turbari illas, quæ ab encephalo pendent. Plethorici enim ſomnolenti fiunt, torpidi, vertiginoſi; & niſi tollatur illa ſanguinis abundantia per ſpontaneas vel Arte factas evacuationes, periculum apoplexiæ imminet. Ratio autem hæc videtur eſſe: ſanguis ruber naturaliter non invenitur quidem in cortice cerebri, ſed in vaſis piæ matris, omnibúſque hujus proceſſibus, qui ſe ubique inter corticem, ipſámque medullam, inſinuant: dum ergo omnia vaſa ſanguinea in plethoricis nimio ſanguine diſtenta turgent, dilatabuntur & hæc

(*a*) Lib. de Natur. Mulieb. Cap. XIX. Charter. Tom. VII. pag. *690*.

(*b*) Aphoriſm. Sect. V. Charter. Tom. IX. pag. *222*.

(*c*) Hiſt. Philipp. Lib. XXXIV. Cap. II. pag. *621*.

(*d*) De Re Ruſtica Lib. II. Cap. IV. pag. *268*.

(*e*) Aphoriſm. Sect. II. n°. XLIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. *83*.

vasa. Verùm cranii cavum exactissimè repletur contento encephalo, & ossa cranii in adultis cedere nequeunt; adeóque repletis plùs solitò vasis sanguineis reliqua vasa tenuiores humores ferentia, debebunt angustari & comprimi, adeóque functiones encephali turbari; utì & aliâ occasione ad §. 112. n°. 1, notavi. Omnia autem hæc mala augentur, si epulis, vino generoso ingurgitato, irâ subitâ, calore aeris magno, aut corporis exercitiis validis, in plethoricis rarefiat subitò sanguis, & vasa magis distendat. Hinc toties observatum fuit, plethoricos, medias inter epulas, vel & irâ excandescentes, apoplecticos cecidisse.

CACOCHYMIA PITUITOSA MULTUM EXCELLENS. Cùm subtilissimi illius liquidi quod per nervos movetur, secretio fiat à sanguine arterioso per arterias carotides & vertebrales in encephalon delato, requiritur ad debitam horum elaborationem, ut sanguis habeat dotes in sanitate requisitas. Verùm in cacochymia pituitosa degenerat sanguis ab illa conditione, quam in sanitate possidet, & minùs aptus redditur, ut per encephali fabricam inde spiritus nervosi elaborari possint; unde & videmus tali cacochymiâ laborantes languere, & motus musculares cum difficultate exercere. Interim tamen languidam illam & desidem vitam trahunt diu, nec tam citò apoplexia sequitur, ac quidem in obesis & plethoricis. Unde additur in textu *multùm excellens*: quando nempe adeo invaluit pituitosus ille sanguinis lentor, ut in vasis encephali hærere omnino incipiat, sícque vel integre, vel saltem pro maxima parte, secretio spirituum impediatur. Verùm de hac cacochymiæ specie adhuc quædam sequenti numero dicenda erunt.

2°. Quæcumque sanguinem, lympham, materiem spirituum ita mutant, ut per arterias cerebri libere ire non possint, sed impacta hæreant: talia sunt sæpe, α. Polyposæ in carotidibus, vertebralibúsque arteriis concretiones, sive circa cor primò, sive intra ipsum cranium factæ; quæ cordis palpitatione, pulsu inæquali, vertigine, scotomiâ, frequentioribus, & ad auctum motum calorémve increscentibus, se manifestant. β. Spissitudo inflammatoria cruoris; quam docent febris acuta continua, phrenitis, dolor capitis ingens, inflammatorius, diu prægressa; tum omnia signa, quæ oriuntur à sanguine, qui impeditus ire per vasa cerebri, eò majore copiâ & impetu, per ramos carotidis alios ruit, unde rubor, tumor, inflammatio oculorum, cum lacrymis excussis, faciei, & colli. γ. Crassa, glutinosa, pituitosa iners sanguinis totius natura; unde senibus, catarrhosis, frigidis, humidis, pallidis, leucophlegmaticis, hic morbus admodum familiaris; quin & præsagitur iis futurus jam ante adventum suum, per otia, hebetudines; somnolentiam, pigritiam ad motus quoscumque; vocem solitò tardiorem, tremores,

stertores, incubos, oculos pallidos, turgidos, humentes, caliginosos, vomitum pituitæ frequentem, vertigines, respirationem ad minimos motus anhelosam, cum narium pinnis compressis; omnes causæ, unde glutinosum iners fit, accumulatur (69, ad 75.).

Hoc numero recensentur illæ causæ, quæ apoplexiam faciunt vitio humorum non potentium transire liberè per vasa cerebri. Observata autem docuerunt, ad tres species posse reduci humorum illam nimiam spissitudinem: ad polyposas nempe concretiones, spissitudinem inflammatoriam, & pituitosum lentorem. Singulis autem his subnectuntur signa diagnostica, quibus à reliquis distingui possunt, quod inprimis servit, ut recta Medendi Methodus inveniri queat.

a. De polyposis illis concretionibus sanguinis, illarúmque causis & origine, antea ad § 52, dictum fuit; patuítque tunc, illas inprimis in corde & majoribus vasis circa cor inveniri. Pluribus Observationibus constitit, polypos illos quandoque adnasci cordis columnis carneis, fortè & postea inde separari, & unà cum sanguine in arteriam pulmonalem, aut aortam, ejúsque ramos majores propelli, illósque vel angustare multùm, vel & integre occludere. Ter vidi in cadaveribus, ramosos tales polypos, qui per aortæ truncum & ramos ejus superiores, propagines emiserant: fateor satìs molles adhuc fuisse, & fortè circa mortem, vel & post mortem tantùm natos. Verùm ex illis quæ ad §. 52, habentur patet, quòd & vitæ tempore tales concretiones ramosæ fieri possint; quæ si carotidibus & vertebralibus arteriis impingantur, cerebri functiones turbare valent, & penitus abolere, si omnem omnino aditum sanguinis arteriosi ad encephalon impediant. Apud *Petrum Salium Diversum* habetur Observatio Practica, quæ hoc confirmare videtur. Puella enim quartum decimum annum agens capitis gravitatem, anxietates, vertiginem passa per unum diem, subitò perit die sequenti: in cadavere nihil præternaturale in cerebro detectum fuit, sed in arteria magna, & vena cava sanguis ita coaluerat, ut (*a*) *Apprehenso illius sanguinis concreti altero principio, totus sanguis coalitus ita integer ex vena & arteria educeretur, perinde ac gladius ex vagina extrahi solet.* In hoc enim casu læsio functionum cerebri, prægressa mortem, videtur adscribi debere concretioni polyposæ, liberum sanguinis iter ad encephalon impedienti. Cùm autem carotides sub basi cerebri arteriis vertebralibus, & mutuò emissis ramis, uniantur, adeóque non possit aditus sanguini ad encephalon impediri absolutè, nisi quatuor illæ arteriæ simul polyposis talibus massis obstruerentur; patet satìs, raró à tali causa apoplexiam contingere: unâ alterâve ex his arteriis obstructâ sic, & imperviâ redditâ, turbabuntur quidem actiones cerebri, sed non abolebuntur integre, uti in exquisita apoplexia fit. Si autem polypus aortam sic obstrueret, ut impediretur sanguis ingredi ramos aortæ superiora petentes, ex ipsa curvatura aortæ de corde egredientis oriundos, potiùs subita mors à lethali syncope sequeretur,

(*a*) De Febre pestilent. & affectib. particular. Cap. IV. pag. 238.

quàm apoplexia; nisi in tali casu, ubi polyposa talis massa hærere applicata parti superiori curvaturæ aortæ, sícque impediret ingressum sanguinis per ramos superiores, dum interim, non occupans totum aortæ cavum relinqueret adhuc aliquot spatium sanguini per aortæ truncum versùs inferiores corporis partes. Sponte autem patet, quàm raró talis casus contingere possit. Neque credo, certâ fide constare, in arteriis encephali intra ipsum cranium tales polypos natos fuisse, qui sanguis motùm impediverint omnino.

Polypos autem in cordis cavis, vel majoribus vasis circa cor, hærere novimus, ex palpitatione cordis perpetua, pulsu omni modo inæquali & sæpius intermittente, quia impedimentum sanguini, cor ingressuro, vel ex corde expellendo, nascitur, túncque necessarió turbatur cordis actio & pulsuum rythmus. Confirmatur hæc diagnosis, si omnia hæc symptomata increscant aucto motu, vel per calorem rarefacto sanguine: placido enim motu dum sanguis per vasa fertur, hæc obstacula præterlabi potest adhuc utcumque, verùm auctâ celeritate, vel rarefacto sanguine, non sufficit spatium adhuc liberum in cavis cordis vel vasis, ut absque impedimento sanguis moveri possit. Vidi tales miseros ægros, qui quiescentes omnino satìs adhuc commodè agebant; verùm ubi in lecto corpus erigere vel circumvertere tentabant, summâ illico anxietate corripiebantur, & quandoque in syncopen incidebant. Sic etiam facilè distinguuntur palpitationes cordis, & pulsuum inæqualitas, à polypis productæ, à similibus malis, quæ in hystericis fœminis à sola perturbatione animi observantur frequenter, in his enim, ubi compositæ sunt illæ turbæ, evanescunt brevì omnia hæc mala, nec à motu corporis aucto resuscitantur, dum semel siluerunt.

Si jam unà cum his signis polypi adsit simul vertigo, sive apparens omnium objectorum rotatio, qui est primus levissimus vertiginis gradus; aut scotomia, dum aucto malo tenebricosa vertigo fit, ubi, unà cum hac apparente, rotatione, caligine quasi circumfusâ visus obscuratur; tunc novimus, polyposum illud obstaculum impedire liberum motùm sanguinis per arterias versùs encephalon. Utì enim alio in loco (vide §. 267.) monui, omnes ferè capitis morbi à vertigine incipiunt, &, dum curantur, pro ultimo symptomate adhuc vertiginem relinquunt.

β. Sanguinem sanum sponte suâ in concretionem pronum esse, notum est; illámque concretionem impediri jugi illius per vasa motu. Verùm invenitur in hominibus fortibus & robustis, exercitatam inprimis si vitam egerint, sanguis longè densior, & firmiùs concrescens: ubi jam hæc sanguinis densitas augetur eò usque ut difficiliùs transire possit per ultimas arteriarum angustias, vel & ibi hærere incipiat, tunc vocatur spissitudo inflammatoria cruoris. Hanc autem sanguinis spissitudinem major calor comitatur; utì in capitulo *de Inflammatione* pluribus dictum fuit; sícque distinguitur à pituitoso frigido sanguinis lentore, de quo sequenti numero dicetur. Ubi jam talis sanguis inflammatorius incipit hærere immeabilis in vasis encephali, omnes effectus inflammationis sequuntur, febris acuta, dolor molestus, &c. Dolor autem ille capitis potissimùm videtur fieri à meningibus inflammatis, cùm cerebri cortex

vix multùm dolere videatur (vide §. 772.). Verùm cerebri functiones tunc miro modo turbantur, & ferox illud perpetuúmque delirium nascitur, cum febre acuta comite; utì in phrenitidis Historia dictum fuit. Aucto hoc malo, vasis inflammatorio sanguine distentis & tumentibus, vicina minora comprimentibus, impeditur liber transitus humorum per vasa, & summis illis furoribus succedit somnus profundus (vide §. 774.), ipsáque tandem apoplexia, brevì lethalis. Magnâ ergo curâ attendendum est ad illa signa, quæ docent illud malum metuendum esse, ut præcaveatur, cùm rarò vel nunquam curetur apoplexia, ubi ab hac causa ortum duxit. Inprimis autem hoc cognoscitur, à rubore & tumore omnium illarum partium, quibus carotis externa sanguinem adfert: quò magìs enim impeditur transitus in carotidis internæ ramis, per encephalon distributis, eò plùs urgentur carotidis externæ propagines per partes capitis exteriores distributæ. Videantur illa, quæ in *Commentariis* §. 741, & §. 772, de hac re dicta fuerunt.

7. Antea ad §. 43, notatum fuit, partem sanguinis crassissimam, rubram nempe, in arteriis & venis majoribus naturaliter tantùm hærentem, momentum motûs ad vitam & sanitatem requisiti à corde & arteriis recipere, & reliquis partibus communicare. Unde simulac illa pars rubra incipit deficere in sanguine, omnia languent & torpent, & naturalis corporis calor multùm minuitur. Manifestè hoc patet in virginibus chlorosi laborantibus, in quibus pallor ille adest ob defectum sanguinis rubri; sed & simul languor, & tarditas ad omnem motum muscularem, & pastacea quasi tumidi corporis mollities. Simulac per usum limaturæ ferri instauratur hæmatopoiesis, & incipit gratus rubor redire genis, mox redeunt vires, & alacres motu corporis delectantur, quem antea molestissimè ferebant. Requiritur ergo ad debitam subtilissimi liquidi secretionem per fabricam encephali sanguis ruber bonus, à quo & caloris distributio æquabilis per omnes partes corporis pendet. Cùm autem vasa constituentia corticem cerebri in sanitate non admittant sanguinem rubrum, & multò minùs adhuc medullæ encephali stamina, tota hæc moles caret illâ causâ excitante calorem nostrum, nempe motu & attritu partis rubræ sanguinis ad vasa resistentia. Supplet autem hunc defectum pia mater, vasis sanguineis refertissima, cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam, & nervos inde egressos, ambiens non tantùm, sed & profundè descendens intra sulcos & gyros cerebri, & ejusdem piæ matris propagines, plexus dictos choroideos in fundo ventriculorum cerebri positos constituens, ut & ibi calor æquabilis conservetur. Præterea notum est, per ipsam medullam cerebri vasa sanguinea transire; utì docent injectiones, & puncta rubra in dissecta medulla cerebri conspicua: & per ipsam substantiam medullarem nervi optici vas sanguineum transit. Ubi ergo debita copia sanguinis rubri adest in his vasis, tota encephali moles naturali calore fovetur, & secretio subtilissimi liquidi à sanguine debito modo perficitur. Ubi verò deficit sanguis ruber, tenuiora liquida fluunt per vasa; verùm deficit, vel saltem minuitur vis propellens liquida hæc; hinc accumulantur in vasis, non propelluntur. Sed arteriæ exhalantes tenuissimum vaporem, in ventriculos cerebri eructant, utì &

inter membranarum cerebri sibi mutuò contiguas superficies, sicque debitam mollitiem & flexilitatem harum partium servant, & concretionem impediunt: hunc autem vaporem, ex arteriis expulsum, venæ bibulæ iterum resorbere debent, cæteroquin fieret stagnatio & accumulatio illius exhalantis liquidi. Calor autem à sanguine rubro per totum corpus distributus, primaria causa est, quæ hanc resorptionem promovet, dum impedit, ne illud exhalans condensari possit, & sub aquæ forma colligi in illis cavis vel membranarum interstitiis. Sic videmus abdomine vivi animalis aperto, exire roridum & calidum vaporem, qui aliquot horis post mortem, frigefacto jam cadavere, sub forma liquidi in cavo abdominis reperitur. Ita & in senibus illud, quod per arterias exhalantes in cava narium exit, non difflatur in auras vaporis formâ, sed condensatum, de naribus guttatim depluens, fœdum illud senile stillicidium facit, quia debilis vis vitalis in senio provecto per vasa, jam nimis rigida, non valet ad extrema corporis usque calorem, propagare. Ubi jam in vulneratis, vel abortientibus fœminis, subitò fit magna jactura sanguinis, fit illico debilitas summa; & si liquida copiosa talibus ingerantur, repletur corpus humoribus tenuioribus; sed, deficiente calore & languentibus viribus motricibus, hi stagnant & accumulantur in cavis corporis, & inprimis in locis remotissimis à corde, id est, circa extremos pedes, unde solent tumores hydropici, à tali causa nati, incipere, & sensim adscendere. Si verò sensim minuatur pars rubra sanguinis, ut in chlorosi & leucophlegmatia fit, tunc oritur languor lentissimè subrepens, successivè auctus ad summam debilitatem usque. Accumulari jam in cavo cranii pariter sic aquosum humorem, & premendo encephalon apoplexiam producere, Observationes Medicæ testantur. *Columbus* sequentia habet: (*a*) *Dissecui non semel, qui ob fortem apoplexiam obierant, in quorum cerebro magnam aquæ copiam reperi, perspicuam quidem, sed glutinosam.* Inter duram & piam matrem serum copiosum invenit *Wepferus* (*b*) cum impetu prosiliens, dum pertundebatur dura mater, & tota cerebri & cerebelli superficies quasi gelatinâ quâdam videbatur obsita, quâ cultello læsâ, serum exstillavit simile illi, quod inter duram & piam matrem accumulatum fuerat. Videtur autem tunica arachnoidea, piæ matri incumbens & multis in locis fibrillis nexa, cellulosæ tunicæ speciem referre, & dum inter hanc & piam matrem lympha accumulatur, gelatinæ formam habere, ex qua pertusa exit contenta lympha. In cadavere illustrissimi & strenuissimi Viri, non tantùm inter duram matrem & piam, invenit seri copiam celeberrimus *Schwenkus* (*c*), verùm & pia mater in vesiculas limpidas, hydatides fingentes, elevata conspiciebatur, & his vesiculis pertusis seri insignis quantitas prorupit; simúlque tunc patuit, membranam piam in parte superiori utriusque lobi cerebri ferè ubique separatam fuisse, & laxæ cortinæ instar fluctuasse. Aliquoties & ipse vidi in cadaveribus similia, & semper habuerunt ante mortem functiones cerebri læsas; licèt non omnes, in quorum encephalo hæc videram, apoplec-

(*a*) De re Anat. Lib. XV. pag. 265. 266.
(*b*) Histor. Apoplect. pag. 16, & 344.
(*c*) Rari casûs Explicat. Anatom. Med. Pag. 27.

tici perierint. In ventriculi cerebri & in ipsa theca vertebrarum pariter observatæ fuerunt tales aquosæ collectiones (*a*).

Verùm cùm illa lymphæ accumulatio sensim fiat, hinc lentè crescunt symptomata, quæ cerebri functiones læsas demonstrant, & per plures menses, imò & annos quandoque, ægri his affliguntur, antequam sequatur apoplexia; imò quandoque aliis morbis pereunt, antequam tanta copia lymphæ accumulata fuerit, ut comprimendo cerebrum penitus tollat omnes ejus functiones. Cùm è contrà, ruptis vasis & effuso sanguine, statim apoplexia plerumque sequatur; utì patebit n°. 4, hujus paragraphi. Unde notavit *Aretæus* de hoc morbo, quòd quidem (*b*) *Repentè invadere solet, nonnunquam tamen etiam prælonga habet initia, gravitatem, motum difficilem, torporem, frigoris sensum*, &c. Quædam tamen Observationes Practicæ docuerunt, & satìs subitò quandoque talem serosam illuviem caput inundare, & apoplexiam citò lethalem producere absque eo quòd signa illa observata fuerint, in textu enumerata, quæ lentam collectionem in encephalo comitari solent. In sene enim sexaginta quatuor annorum, homine plebeio, sed ingenioso, duro & quotidiano labore victum quærente, circa meridiem subitâ apoplexiâ mortuo, cùm toto matutino tempore idem fuerit in opere & sermone ac antè, invenit *Wepferus* (*c*) in cavo cranii serosam colluviem copiosam, inter duram & piam matrem, inter hanc & cerebrum, in ventriculis cerebri, & inprimis in quarto ventriculo, sub basi cerebri & in theca vertebrarum, ubi spinalis medulla reconditur. Historia morbi interim nulla memorat symptomata, quæ læsas fuisse antea cerebri functiones, docent: habitum cachecticum & tumidum habuerat, & solitæ crapulæ frequentiùs indulserat pauco ante mortem tempore; nonnunquam & sitibundus frigidam affatim hauserat: unde constat satìs abundasse quidem aquosam cacochymiam in homine, sed debet tamen subita causa accessisse, quæ fecerit, ut omnia hæc loca tam citò inundarentur; víxque videtur verosimile, hoc absque ruptura vasorum factum fuisse, cùm nulla signa sensim accumulatæ lymphæ præcesserint.

In literatis Viris, sedentariam vitam degentibus, dum libris impallescunt, frequenter à tali causa oritur apoplexia; sed lentè & per gradus increscere solet morbus. Primò enim oritur languor, & amor quietis ac otii; dein incipit, ingenium hebescere, memoria vacillare; somnolenti fiunt, stupidi, & sæpe diu in hoc statu manent, antequam moriantur. Vidi non sine magna commiseratione eruditissimos Viros, & de re Literaria quàm optimè meritos, sibi ipsis quasi supervixisse per annum & ultrà, omnium rerum immemores, tandémque apoplecticos periisse.

Verùm & per glutinosam inertem cacochymiam, de qua actum fuit §. *69*, & sequentibus, sic degenerare potest sanguis, ut non præbeat aptam materiam, unde subtilissimum fluidum possit secerni; utì ad primum hujus paragraphi numerum dictum fuit. Ideo §. 72, defectus subtiliorum in sanguine, & minimorum canalium coalitus, inter effectus talis cacochymiæ nume-

(*a*) Wepfer. Histor. Apoplectic. pag. 16, & 344.

(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 35.

(*c*) Histor. Apoplect. pag. 428, 429, 430.

rati fuerunt. Cùm autem in senibus plurima vasa minima aboleantur (vide §. 55.) & mucoso frigido lentore sanguis abundet, hinc illis apoplexia, ab hac causa nata, satis frequens est; & *Hippocrates* senectutis morbos recensens, pulchre notavit pleraque mala, quæ talem apoplexiam præcedere solent; ita enim habet: (*a*) *Senibus autem spirandi difficultates, catarrhi tussiculosi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexia, malus corporis habitus, totius corporis pruritus, vigiliæ, alvi, oculorum & narium humiditates, visûs hebetudines, glaucedines, auditûs graves.*

Sed & atrabilaria cacochymia potest sanguinem ineptum reddere, ut debita inde spirituum copia separetur. Ubi enim in sanguine mobiliora, dissipata per quascumque demum causas, reliquerint immobiliora unita, tunc sanguis lentescere incipit, non quidem tenacitate inflammatoriâ, sed piceâ quasi, quæ oleosâ tenaci, & terrestri materiâ sanguinis constat, simul arctè unitis; uti postea pluribus dicetur in capitulo *de Melancholia*. Ubi jam talis atrabilaria tenacitas totum sanguinem infecit, tunc hærere incipit quandoque in vasis cerebri, illa varicosa reddit distendendo; sic minora vasa comprimuntur dum simul talis sanguis nec continet aptam materiam pro secernendis spiritibus, nec facilè demittit fluidiorem suî partem arctè hærentem spissiori. Unde videmus in melancholicis inveteratis, solum humorum circuitum adhuc tantùm fieri per majora vasa, cum pulsu tardo, frigore totius ferè corporis: vix comedunt, vix bibunt, & stupidi jacent, nullis ampliùs turbantur curis, cùm antea mœsti & anxii sinistra quævis metuebant: imò omnes ferè secretiones cessant in miseris illis diu ante mortem. Vidi sic mulierem summè melancholicam, postquam aliquoties violentas manus sibi inferre conata fuerat, per sex septimanas jacuisse in lecto oculis apertis insomnem, sed omnium rerum immemorem, absque ullo cibo ferè vel potu: toto hoc tempore alvum non deposuit, & parcissimam tantùm urinæ copiam; ultimâ septimanâ nullam omnino: extrema frigebant instar marmoris, lingua & os internum aridissima erant. Post mortem nec effusus humor in cranio, nec erosa vasa apparuerunt, sed piæ matris vasa piceo nigerrimo sanguine distenta. Videntur & veteres Medici hanc causam impeditarum functionum cerebri cognovisse. Agnoscebant quidem, quòd plerumque hypochondriis, atrabilariâ saburrâ gravatis, cerebrum per consensum turbaretur; verùm simul disertè monuerunt, (*b*) *Nonnunquam, universo in venis sanguine melancholico facto, communi læsionis ratione cerebrum lædi.* Videtur & huc spectare sequens *Hippocratis* locus: (*c*) *Si lingua derepente incontinens, aut aliqua pars corporis siderata evadat, id signum est melancholicum.* Certè *Galenus* explicans hunc locum, dixit, (*d*) *Fierique posse ut propter humoris crassitudinem tales affectus consequantur, quales ex crassa & lenta pituita ortum habent.* Oritur apoplexia à melancholia, ubi humor atrabilarius solutus, acris, in cerebrum movetur, subitò omnia destruens; sed

(*a*) Aphorism. Sect. III. n°. xxxi. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 128.
(*b*) Lib. de Melanchol. ex Galeno, Rufo, Posidonio, &c. Cap. 1, Charter, Tom. X, pag. 496.
(*c*) Aphorism. Sect. VII. n°. xl. Charter, Tom. IX. Part. II. pag. 312.
(*d*) Ibid. pag. 313.

utì postea ad §. 1104, dicetur : verùm tunc citissimè occidit ille morbus : in hoc autem casu lento gradu, & symptomatibus in textu recensitis prægressis, solet invadere.

3°. Quæcumque arterias ipsas, vasáve nervosa cerebri ita comprímunt, ut cruor, spiritúsque, transfluere non possint. α. Plethora, cacochymia replens, calida valde temperies, hinc obnoxia huic malo, maximè si motus, calórve ingens velocitatem adauxerint: hinc his accidere solet à lauto valde cibo, potu, medicamentis acribus & valde moventibus, ut sunt cardiaca, volatilia, vomitoria, &c; æstu motúque exorbitantibus, intentione animi summâ, diuturnâ, sæpe repetitâ. β. Tumores quicumque intra cranium nati, inflammatorii; abscessus, serosi, pituitosi, steatomatosi, scirrhosi, ossei, vel arterias, vel venarum coitum circa torcular, vel nervorum initia medullosa, comprimentes, aut medullam cerebri ipsam. γ. Nimia velocitas cruoris in caput determinata, dum per inferiora arteriosa vasa impeditum iter per quascumque ex infinitis causas. δ. Quæ extra cranium venas cerebri sanguinem referentes comprimunt rursum quacumque causâ. ε. Effusi humores sanguinei, purulenti, ichorosi, lymphatici, supra duram piámve matrem, externè comprimentes.

Præcedenti numero dictum fuit de causis apoplexiæ, quæ pendent à vitio fluidi per vasa encephali moti, sive illud immeabili spissitudine vasa obstruxerit, sive solummodo eò usque degeneraverit à conditionibus in sanitate requisitis, ut aptam secernendis spiritibus materiam præbere nequeat : hoc numero agetur de illis causis apoplexiæ, quæ comprimendo vasa cerebri liberum transitum humorum impediunt.

α Solam compressionem cerebri, absque ullo vitio humorum, omnes functiones animales turbare posse, tandémque apoplexiam producere, pluribus probatum fuit, ubi de vulneribus capitis dicebatur, & inprimis ad §. 267. Verùm ad primum numerum hujus paragraphi demonstratum est, quòd vasa majora, dum nimiâ copiâ liquidi contenti distenduntur, minora corticis cerebri vasa, vicina, & adeo mollia comprimant; sive liquidum illud, majora distendens vasa, sanum & bonum fuerit, ut in plethoricis; sive in morbosam indolem degeneraverit, ut in cacochymicis. Idem obtinebit, ut facilè patet, ab extravasatis humoribus intra cranium; sive ob rupturam vasorum hæc subitò effusa fuerint (de quo sequenti numero dicetur); sive sensim accumulata, & mole aucta, compresserint encephalon. Casum talem habet *Tulpius*, de homine torpido & hebete, qui postea repentè morbo attonito

perierat, in quo, ablatâ calvariâ, membranæ cerebri tam copiosâ pituitâ perfusæ erant, (a) *Ut opus fuerit eam spongiâ detergere.*

Verùm in plethoricis, & calidæ admodum temperiei hominibus, in quibus, (b) *Viscera valida, humores valde moti, densi, & acres,* inprimis apoplexiæ periculum imminet, dum à quacumque causa velocitas circulationis, aut calor, augentur: rarescit enim à calore sanguis, & vasa illum continentia magìs distenduntur (vide §. 106. n°. 8.). Binos tales casus recenset *Carolus Piso*, ubi (c) unus, ad focum obverso pronóque capite dormiens apoplecticus concidit, brevíque mortuus est; alter, die intermissionis à febre tertiana, se diutius exponens ardori solis per dies caniculares, repentè apoplecticus factus fuit, & sequenti die morbi vehementiâ periit. Facilè intelligitur, idem metuendum esse, si validis corporis exercitiis sanguis copiosus velociter movetur & rarescit; qualem casum nuper vidi in illustri Viro, qui inter venandum hoc morbo corripiebatur; feliciter autem restitutus fuit, dum nondum contigerat ruptura vasorum in encephalo, sed nimia tantùm vasorum sanguineorum dilatatio. Ubi autem plena hæc sanguine corpora ingerunt copiam ciborum & potuum, inprimis spirituosorum, in summo versantur discrimine; nam & copia chyli subitò distendit vasa majora, & turgens ingestis ventriculus plura vasa comprimit & viscera, diaphragmatísque facilem motum impedit; unde pulmone minùs dilatabili non adeo libere à capite sanguis venosus, redire potest, dum interim vasa arteriosa plenissima sunt. Sic videmus post largum prandium convivas omnes faciem habere rubram, turgidam, oculos rubentes, imò sæpe somnolentos & hebetes fieri. Hæc est ratio, quare toties medias inter epulas apoplectici concidant homines, qui intemperantiùs vivunt. Præterea pessimus ille mos invaluit, ut multi secum ferant spiritus illos apoplecticos dictos, auratos pulvisculos, balsama & similia, quæ omnia acerrimis & calidissimis aromatibus constant, & commendari solent tamquam efficacissima remedia prophylactica ad hunc morbum; cùm tamen motum humorum & calorem augendo in plethoricis & calidæ temperiei hominibus quàm maximè noceant. Verùm & vomitoria summopere periculosa sunt in eodem casu: in ipso enim actu vomendi, etiam in illis qui nimiam sanguinis copiam non habent, rubet & tumet facies, oculi sanguine suffusi lacrymantur, scintillæ ante oculos obversantur, vertiginosi fiunt, quia sanguinis copia & impetus versùs caput derivantur, & respiratione per vomitum impeditâ, cor dextrum se libere evacuare nequit; hinc venæ capitis commodè depleri non possunt. Unde prudentes Medici sanguinis missionem præmittere solent, ubi in morbis remedio emetico opus est; utì aliâ occasione ad §. 656, monitum fuit. Signa quædam collegit *Hippocrates*, quæ nimiam vasorum plenitudinem in capite comitari solent; & monuit simul, quid tunc metuendum sit. Sic autem habet: (d) *Quibus capitis sunt dolores, &*

(a) Observation. Medicinal. Lib. I. Cap. XXVII. pag. 54.
(b) Boerhaav. Institut. Med. §. 890.
(c) De Morb. à Colluv. Serosa, Sect. II. Part. II. Cap. v. pag. 105.
(d) Coac. Prænot. n°. CLXII. Charter. Tom. VIII. pag. 861.

ſonitus aurium citra febrem, & (tenebricoſa *) vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, eos aut apoplecticos, aut comitiales, aut obliviosos fore exſpecta.*

Intentiones animi ſummæ his pariter admodum nocent: ſenſerunt omnes, qui ſeveris ſtudiis animum adhibuerunt, gravari caput, & moleſtam tenſionem in encephalo ſentiri, dum nimis diu protrahuntur illi labores: unde ſi jam plenitudo vaſorum præceſſerit, ſatìs patet, omnia hæc adhuc augeri debere; inprimis ſi poſt largum paſtum pleno ventriculo, & inclinato antrórſum corpore, menſulis ſuis aſſideant Eruditi, profundis meditationibus immerſi penitus.

*β. Ex antè dictis ſatìs conſtitit, omnia, quæ encephalon comprimere poſſunt apoplexiæ cauſis meritò annumerari, cùm dura cranii olla in adultis cedere nequeat; adeóque omnis effectus tumoris cujuſcumque, in cranii cavo nati, debeat agere in mollem encephali ſubſtantiam. Numero ſecundo hujus paragraphi actum fuit de inflammatoria ſpiſſitudine ſanguinis, quatenus vaſa obſtruendo liberum motum humorum impedit, ſícque functiones encephali turbare, vel & integre delere poteſt. Verùm ab arteriis obſtructis, & ſanguine inflammatorio diſtentis, tumor oritur, utì ad §. 382, demonſtratum fuit; & ab hoc tumore compreſſio. Obſervatur ſatìs frequenter in Praxi, febrim naſci in homine ſano abſque ulla cauſa evidenti prægreſſa, & poſt aliquot horas hanc illámve partem corporis eryſipelate, vel & verâ phlegmone, correptam tumere inſigniter, febre tunc ceſſante: ſi talis tumor occupat partem externam corporis, facilè toleratur hoc malum, & curatur; verùm ſi inflammatoria talis materies deponeretur ſimili modo in vaſa cerebri, illáque in tumorem elevaret, lethalis apoplexia ſequeretur brevì; utì aliâ occaſione ad §. 593, notavi.

Inflammatione natâ in cavo cranii, poſſunt ſequi omnes ejus effectus, adeóque & ſuppuratio. Unde contingere poteſt, ut parvus tumor inflammatorius, ob exiguam molem minùs nocens, in ſuppurationem abiens, collecto dein pure magìs magíſque mole auctus, tandem omnes functiones cerebri deleat, niſi pus viam invenerit, ut exire poſſit. Numeroſæ ſatìs Obſervationes hoc docuerunt, & in vulnerum capitis Hiſtoria plures tales memoratæ fuerunt, quibus unicum ſatìs mirum caſum addere lubet. Nobilis vir, dum aliquid mandat famulo, ſubitò loquelam & omnes ſenſus amittit: tentantur varia remedia abſque ullo fructu, manétque æger per aliquot ſeptimanas profundo oppreſſus ſopore: ſecuta fuit inquieta corporis agitatio, dein convulſiones, quæ ceſſabant, notabili copiâ puris per os & nares excretâ: ſomnus tamen erat potiùs profundior, donec Empirici conſilio numeroſæ cucurbitæ capiti applicarentur: ſic ſubitò poſt ſex menſium ſpatium ſenſus & loquela redibant; dúmque fortè fortunâ aderat idem famulus, cui mandatum dare inceperat morbo ingruente, perrexit in eodem ſermone, quem morbus abruperat, immemor tantùm temporis inter inceptum & finitum ſermonem interceſſiſſe. Decem adhuc annis ſupervixit ſanus; & dein alio morbo periit (*a*).

(*a*) Académ. des Scienc. l'an 1719. Hiſt. pag. 29.

Verùm & serosi tales tumores in cavo cranii inventi fuerunt, qui tenui sub pellicula collectam lympham continebant; & pariter apoplexiam producere valent, ubi molem majorem acquirunt. Talis Observatio in *Actis Edinburgensibus* (*a*) legitur; quæ postea & plurium cadaverum, simili morbo defunctorum, sectione confirmata fuit. In brutis similes tumores *Wepferus* aliquoties observavit; imò narrat, frequentem contingere bobus vertiginem apud subsylvanos in Helvetia, túncque bubulcos mederi sequenti modo: (*b*) *Primùm malleolo cranium post cornua pulsant; ubi ex sono aliud vacuum spatium (ac ordinariè sunt in craniis bubulis) percipiunt, statim in pulsato loco perterebrant, ac foramini pennam indunt, attracto spiritu vesicas hujusmodi extrahunt. Si in superficie existat, promtè succioni cedit; si autem profundior & cerebro immersa sit, successu eos frustrari dixit; ac proinde semper lanius huic operæ adstat, ut si de animalis valetudine desperatur, ipse curationis telam absolvat.* In alio loco testatur, quòd illud Experimentum coram viderit, & cum, pluribus hydatidibus quarum quædam non erant minores nuce moschatâ, eductis, vertigo non cessaret, mactatum illico fuit animal, & in ventriculis cerebri, præcipuè sinistro, plures similes hydatides invenit (*c*). An in hominibus tales morbi obtinent? Certè in illis casibus, qui loco modò citato *Actorum Edinburgensium* recensentur, dolor fixus in determinato loco capitis aderat, & in cadaveribus eodem loco sub cranio dura mater in tumorem, avellanæ nucis magnitudinem æquantem, expansa erat, qui tumor serum sanguinolentum continebat. Verùm frustra calvariâ perterebratâ eductum fuisset pauculùm illud seri, cùm longè major quantitas in ventriculis cerebri reperiretur. Varias autem Observationes celebrium Medicorum collegit *Wepferus* (*d*), quæ docent varia alia tumorum genera, steatomata, scirrhos, &c, in encephalo apoplexiâ demortuorum inventa fuisse. Præterea & flatulenti tumores hîc observati fuerunt, qui & suâ mole comprimere encephalon possunt. Ita apud *Willisium* habentur sequentia: (*e*) *Sæpius vidi, in capite, recèns post mortem aperto, piam matrem vesicæ instar distentam ac pellucentem, ut aquâ plurimâ, subtus inclusâ, eadem intumescere videretur; quod tamen omnino fieri compertum est à flatu membranam distendente; ipsa enim dissecta, sine lymphæ effusione tumor illico subsidebat.* De causis autem præcipuis, quibus aer in liquidis nostris latens exstricari possit, antea dictum fuit ad §. 647, ubi de flatuum causis agebatur.

Sed & ossei tumores hîc enati similem compressionem facere poterunt. Fiunt autem illi vel per intropressionem fracturámve cranii de quibus dictum fuit in Historia vulnerum capitis; vel ubi ossis substantia sensim tumens exostosin dictam producit. In lue venerea inveterata, satìs frequenter cranii exostoses observantur, extrorsum tumentes; neque videtur absonum, & in interiori cranii lamella à simili causa tales exostoses quandoque produci. Me-

(*a*) Medical Essays, Tom. III. §. XXIII. pag. 333.
(*b*) Histor. Apoplectic. pag. 64.
(*c*) Ibid. pag. 370.
(*d*) Ibid. pag. 612, & seq. & alibi passim.
(*e*) Cereb. Anatom. Cap. IX. pag. 117.

mini, me aliquando talem casum vidisse, ubi symptomata justam suspicionem dabant, internam talem exostosin latere; verùm cùm cadaveris inspiciendi copiam non habuerim, pro certo illud affirmare nequeo. Imò & quandoque observatæ fuerunt ossificationes morbosæ in membranis encephali, quæ mole auctæ pariter nocere potuissent, licèt frequentiùs, acutâ figurâ pungendo membranas & lacerando vasa, noceant. Bina talia ossa inventa fuerunt in juvene novemdecim annorum ad latus dextrum sinûs longitudinalis, quatuor & ultrà lineas diametro æquantia, aculeis hirta acutissimis, qui perforabant duram matrem & cephalæam molestam produxerant, dum vivebat (*a*). Omnes autem illi tumores eumdem præstabunt effectum, sive arterias, sanguinem adferentes, comprimendo impediverint repletionem debitam vasorum piæ matris & corticis cerebri, pro spirituum secretione requisitam; sive venas angustando nimiam plenitudinem fecerint in vasis sanguineis, unde reliqua minora vasa comprimuntur; sive denique nervorum initia in medulla cerebri, aut oblongata, premendo, spirituum secretorum liberum motum per nervos ad organa sensuum & musculos sufflaminaverint.

ν. Antea dictum fuit, quòd à nimia abundantia sanguinis boni in toto corpore vasa sanguinea encephali sic distendi possint, ut impediantur functiones animales. Verùm & observatur, quòd nimis impleri possint vasa encephali, licèt in toto corpore plethora non adsit, si à quacumque causa liber sanguinis transitus per alia loca corporis impediatur: túncque apoplexia oritur non à plethora universali, sed à plethora particulari vasorum encephali. Numerosissimæ quidem tales causæ esse possunt; videntur autem ad tres inprimis classes redigi posse: *prima* continet omnes illas causas, quæ comprimendo vasa, ad inferiores partes corporis tendentia, angustant: *Secunda* recipit illas, quæ venosi sanguinis motum versùs cor dextrum accelerant, impedito simul libero transitu per pulmones: *Tertia* denique complectitur spasmodicas vasorum contractiones. Singulas has classes causarum breviter perlustrabimus.

Quantùm possit ad apoplexiam producendam facere nimia obesitas, comprimendo vasa sanguinea, per totum truncum & artus corporis dispersa, ad numerum primum hujus paragraphi vidimus. Tertio autem numero dictum fuit de magno discrimine, quod à distento admodum per cibum & potum ventriculo fieri poterit, quatenus vicina vasa & viscera comprimuntur. In tali enim casu contingere poterit illud, quod *Hippocrates* dixit, (*b*) *Si venæ in caput* (sanguinem) *superevomuerint, dolor levis totum caput detinet, & ad cervicem pertingit, interdúmque ad alias capitis partes transmittit; deinde ubi surrexerit, eum tenebricosa vertigo occupat: febris autem non prehendit.* Quòd autem nimiam capitis vasorum impletionem hoc loco indicare voluerit *Hippocrates*, vel inde patet, quòd cutim capitis discindi jusserit, ut sanguis exiret, sícque hæc plenitudo minueretur. Simili modo & uterus, inprimis circa finem graviditatis maximè distentus, omnia vicina comprimens,

(*a*) Académ. des Scienc. l'an 1713. Hist. pag. 29.

(*b*) De Morb. Lib. II. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 557.

impetum & copiam ſanguinis versùs caput augere poterit: atque hoc videtur obſervaſſe *Hippocrates*, dum monet ſequentia: (*a*) *Uterum gerentibus capitis dolores cum ſopore & gravitate oborientes mali ſunt: fortaſſis autem & his convulſivum quid pati contingit.* Ubi notandum, quòd Interpretes notaverint, τὰς ἐπιφόρους non ſimpliciter gravidas, ſed partui vicinas vocari. Vidi apoplexiam ſubitò lethalem, quæ huic cauſæ tribui poſſe videbatur; & ob hanc rationem quandoque in ipſo partûs validiſſimo nixu pereunt ſubitò convulſæ, quod etiam vidi; dum per ſummum illud molimen enitendi fœtum vaſa encephali adhuc magìs implentur; de qua re mox pluribus dicendum erit.

Ubi enim ſanguinis venoſi motus acceleratur versùs cor, & pulmo minùs libere ſanguinem eodem tempore tranſmittere poteſt, tunc ſinus venoſus dexter & auricula dextra manent repleta; adeóque & ſanguis venoſus à capite redux ex jugularibus venis evacuari nequit; hinc venæ & ſinus cerebri plena manent, dum arterioſus ſanguis pergit adferri; unde & arterioſo ſanguini, in venas tranſituro, remora fit; sícque omnia vaſa ſanguinea encephali nimis diſtenduntur, & turbantur, imò & aucto malo abolentur omnes functiones encephali; utì & aliâ occaſione ad §. 774, dictum fuit, ubi de phrenitide lethali, peripneumoniam ſequente, agebatur; utì etiam ad §. 807, ubi de ſuffocatione cerebri in angina dicitur. Verùm in tuſſi, vomitu, riſu, concuſſu muſculorum acceleratur ſanguinis venoſi motus versùs cor, & reſpiratio impeditur; adeóque aptiſſima hæc ſunt, ut ſubitam repletionem vaſorum ſanguineorum cerebri faciant. Hinc ille inexſtinguibilis riſus (*b*) γέλως ἄσβεςος apud *Aretæum* inter cauſas apoplexiæ meritò numeratur. Omnium autem maximum diſcrimen adeſt in ſummo nixu, qualem edunt puerperæ ipſo hoc momento, dum fœtus expellitur; utì & homines, dum onera, vires exſuperantia, tollere, vel obſtacula removere conantur. Videmus enim tunc manifeſtò, quòd omnes muſculi turgeant, ſimúlque aer inſpiratus retineatur. Verùm muſculi agentis caro (*c*) pallet, dum ſimul tumet & protuberat; adeóque omnem ſanguinem rubrum exprimit ex vaſis ſuis ſanguineis; dúmque hoc fit, omnibus muſculis agentibus ſimul in toto corpore, reliqua vaſa, quæ à muſculis comprimi non poſſunt, tantò plùs replentur, ſimúlque venoſi ſanguinis motus versùs cor dextrum acceleratur, & ab aere inſpirato & retento vaſa pulmonalia comprimuntur; unde neceſſariò ſequitur ſumma repletio vaſorum encephali. Hinc videmus in ſummis talibus nixibus faciem turgidiſſimam, oculos ruberrimos & prominentes; & ubi repetitis vicibus vaſa encephali tam violentam dilatationem paſſa ſunt, ſic debilitantur fibræ vaſorum latera conſtituentes (vide §. 25. n°. 3.) ut poſtea leviori etiam impulſui cedant, & à minoribus cauſis nimis impleantur. Vidi hoc manifeſtè in eximia cantatrice, quæ ſuaviſſimo vocis modulamine acutos admodum ſonos diutiſſimè protrahere noverat; ſed & tunc vidimus evidenter, turgere omnia ca-

(*a*) Prædict. Lib. I. Comment. n°. CV. Charter. Tom. VIII. pag. 773. Confer. Coac. Prænot. n°. DXVII, & DXXXIV. Ibid. pag. 882, 883.

(*b*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturn. Lib. I. Cap. VII. pag. 35.

(*c*) Boerhaav. Inſtit. Med. §. 401. n°. VII.

pitis vasa quàm maximè. Cùm autem frequenter sic distracta fuerant hæc vasa, eò usque debilitata fuerunt, ut postea dum vel moliretur acutos illos sonos proferre, illico vertigine corriperetur, & caderet, nisi cessaret statim. Abstinuit à cantu per aliquot annos; usa fuit balneis pedum, aliísque remediis, quæ impetum & copiam humorum à capite avertere poterant; sícque sensim robur rediit nimiâ distractione debilitatis vasis, ita ut postea denuo cantare potuerit; cavens tamen semper ab acutissimis sonis diu protrahendis, cæteroquin statim vertigine corripiebatur.

Verùm & spasmodicæ vasorum constrictiones possunt efficere, ut nimia plenitudo fiat in vasis cerebri. Vasa enim nostri corporis arteriosa non agunt simpliciter ut canales elastici, qui repleti à corde retinentur, dum cordis actio cessat tempore diastoles, sed habent fibras musculosas, quarum contractione cava horum vasorum arctari possunt; utì dictum fuit ad §. 631, ubi de anxietate, ab hac causa orta agebatur. Ex illis autem, quæ ad §. 104, dicta fuerunt, constitit, animi affectus subitò mutare vasorum amplitudinem, & miro modo omnes encephali functiones turbare. Dum homo metu summo percellitur, omnia exteriora corporis pallent, contractis vasis sanguinem rubrum repellentibus versùs interiora: sed & simul tremor membrorum, subita & summa debilitas, convulsiones, &c, satìs docent, lædi functiones encephali ab hoc animi affectu. Imò mirus casus docuit, à tali causa aboleri posse omnes cerebri actiones, per integrum bimestre spatium silentibus omnibus motibus voluntariis, & sensibus in homine, qui subito terrore correptus fuerat (*a*). Unde & *Aretæus*, (*b*) immodicas animi perturbationes, & repentè incussos terrores, pro causæ apoplexiæ habuit.

An fortè & in animi affectibus validis repletio vasorum encephali augetur, quia & simul turbatur respiratio? Dum homo subitâ corripitur irâ comprimit animam, & mox in minas & verbera erumpit. Quanta suspiria in afflictis observantur, quibus conantur levare anxietatem, quam circa vitalia viscera percipiunt! Quàm brevis & anhela respiratio in subito terrore perculsis hominibus! Dum pueri à severis objurgantur magistris, cessat per aliquot momenta respiratio, mox incipit rubore perfundi tota facies, distrahuntur musculi faciei, tremunt manus, balbutit lingua, & profusas in lacrymas erumpunt cum suspiriis creberrimis, nec cessant hæ turbæ, nisi priùs placidè iterum respiraverint. Imò nec reliqui animi affectus, si vehementes fuerint, sedantur, nisi priùs uno alteróve profundo suspirio, imo de pectore ducto, turbata priùs respiratio denuo componatur. Hinc *Virgilius*, dum iratum *Neptunum* describit, ventos acriter increpantem, abrumpit sermonem, dum ille ab ira resipiscit, & quasi temporis moram relinquit, ut pacatâ respiratione brevis ille furor compesceretur, (*c*)

Quos ego . . . . sed motos præstat componere fluctus.

Facilè autem patet, illam repletionem vasorum cerebri tantò majorem contin-

(*a*) Académ. des Scienc. l'an 1713. Mém. pag. 419.

(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturn. Lib. I. Cap. VII. pag. 34. 35.

(*c*) Æneid. Lib. I. vers. 139.

gere, quantò hæc vasa minùs resistunt: hinc in teneris puellis à levi etiam causa tantæ sæpe turbæ in corpore fiunt, dum robusti homines & vasa firma habentes à similibus nullam mutationem sentiunt. Unde in similibus, repleto ventriculo ab ingestis, vel etiam flatibus distento, capitis dolores, vertigines, &c, toties oriuntur, omnium maximè si in reliquo corpore vasa spasmo contracta sanguinem minùs liberè transmiserint. *Sydenhamus*, qui accuratissimè descripsit varia illa & mira symptomata, quibus hystericæ & hypochondriaci affliguntur, observavit, (*a*) *Quòd non raró notabilis quædam externarum partium refrigeratio symptomatis his omnibus viam quasi sternit, & plerumque nonnisi paroxysmo finito dispellitur; quam quidem refrigerationem haud semel isti ferè, quâ rigent cadavera, parem comperi, pulsu nihilominus rectè se habente.* Verùm frigus illud manifestè indicat, sanguinis motum per externas partes impeditum esse, adeóque internas partes magìs urgeri; unde tam mirè sæpe turbantur in his cerebri functiones. Hinc omnia, quæ per alia vasa sanguinis copiam & impetum derivant à capite, morbis à tali causa ortis prosunt. Hoc & *Hippocrates* notavit, dicens, (*b*) *Apoplecticis si hæmorrhoides accedant, utile est; si verò frigiditates & torpores, malum.*

δ. Arterias ad encephalon tendentes impediri posse quominus liberè sanguinem transmittant, eâdem hâc paragrapho, n°. 2, vidimus: sed & simul tunc patuit, raró ab hac causa apoplexiam produci, cùm quatuor distinctæ arteriæ huic usui serviant, neque adeo facilè omnes simul infarciantur immeabili materie; & præterea sub basi cerebri ramis emissis vertebrales arteriæ cum carotidibus ita uniantur, ut defectus obstructorum canalium per reliquos apertos suppleri possit. Observatio *Willisii* hoc confirmat: vidit enim in homine, qui ad extremum vitæ momentum usque actiones animales libere exercuerat, (*c*) *Carotidem dextram intra cranium emergentem planè osseam seu potiùs lapideam, cavitate ejus ferè in totum occlusâ.* Passus quidem fuerat in initio atrocem capitis dolorem in latere capitis sinistro dum carotis sinistra, & omnes rami plùs urgerentur sanguine; verùm, sensim dilatatâ arteriâ vertebrali dextrâ in triplò majorem amplitudinem, dolor ille evanuit, nec illa obturatio carotidis dextræ multùm mali fecit. Sed venis compressis majus discrimen adest, ne cerebrum obruatur sanguine, dum arteriæ continuò pergunt adferre: hinc tantum discrimen à risu, tussi, vomitu, ob impeditum sanguinis venosi à capite liberum reditum, utì paulò antè dictum fuit. Ideo etiam videmus magnam cautelam adhibitam esse, ne venæ encephali facilè impedirentur: sinus enim venosi encephali continere possunt magnam copiam sanguinis, sícque diverticula quasi faciunt, ubi pars sanguinis venosi colligi possit & hærere pro quodam tempore, dum venarum jugularium commoda evacuatio impeditur. Præterea venæ capitis per distincta foramina calvariæ, absque arteria comite, exeunt, ne à vicina arteria, nimis quandoque turgente, comprimantur: ipsæ autem venæ jugulares in collo ita locantur, ut à musculis agenti-

(*a*) Differtat. Epistol. pag. 491.
(*b*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXXVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 880.
(*c*) Cerebri Anat. Cap. VII. pag. 95.

bus

bus impediri nequeant. Hinc videmus toties à collari nimis adstricto homines vertiginosos fieri, dum venæ jugulares angustantur; carotidibus, ob situm profundiorem, ad latus asperæ arteriæ, ab hac compressione liberis. Ob eamdem causam scrophulosi tumores similia mala producunt. Sed & observatum fuit, à tumoribus, in pectoris cavo natis, compressam fuisse venam cavam superiorem, in quam se jugulares venæ evacuant, in puella octenni, quæ apoplectica periit (*a*).

Videntur autem illi, qui laqueo suffocantur, apoplectici perire: simulac enim in laqueo hærent, compressis venis jugularibus, mox tumet & rubescit tota facies, licèt momento antè mortis metu fuerint pallidissimi; dein livescit, imò nigrescit ferè, à sanguine venoso aggesto in venis tumentibus, labia tumidissima fiunt, stertor oritur in pectore, lingua fœdo spectaculo extra os prominet livida, spuma crassa cohærens per os & nares exit; dum arteriæ in venas exonerare se non possunt, & ramos laterales secretorios urgent quàm maximè; dein convelluntur plerumque, & tunc mors sequitur. Verùm illa spuma miseris ex ore non prodit, nisi jam penitus infarcta & distenta sint omnia encephali vasa. Unde & *Hippocrates* dixit, (*b*) *Qui strangulantur, ac dissolvuntur* (è laqueo) *nondum tamen mortui sunt, ex iis non convalescunt, quibus circum os spuma oborta fuerit.* Monuit tamen *Galenus* (*c*) in Commentariis ab hunc locum, nonnullos convaluisse, quibus strangulatis spuma circum os apparuerat. Plura Observata hanc *Galeni* sententiam confirmaverunt postea, & videtur probabile esse, quòd si distentissima encephali vasa in suspensis non fuerint rupta, nec humores effuderint, vel sanguis stagnando eò usque concretus fuerit, ut ampliùs per vasa transire nequeat, in quibus hæsit immotus, tunc vita redire possit. Novi, Anatomicis hoc contigisse, ut, dum sequenti post supplicium die cadaveri suspensi secando se accingerent, invenerint vivum, quem mortuum crediderant omnes. Memorabilem talem casum recenset *Wepferus* (*d*) de muliere, quæ ad patibuli supplicium damnata per dimidiam horam è furca pependerat, & tamen postea integre convaluit, licèt consanguinei, mortem accelerare volentes, pedes attraxerint, pectus pugnis contuderint, pendulum corpus elevaverint, ut pondere suo delabens laqueum fortiùs constringeret; & quidem tantâ vi, ut laquei rupturam veriti Judices impediverint, ne in crudeli hac pietate pergerent. Ex omnibus illis, quæ in hac muliere observata fuerunt, dum sensim in sanitatem rediret, satìs patet, actiones animales inprimis læsas fuisse: illísque jam pro maxima parte restitutis, & sublatis symptomatibus, quæ à valida contusione & distractione partium pendebant, supererat sola vertigo; quæ, utì antea dictum fuit, morborum cerebri incipientium primum symptoma, & in sanitatem tendentium, ultimum esse solet.

ε. Cùm calvaria ossea, in adultis, cedere nequeat, & cranii cavum semper plenum sit, effusi humores necessariò premere debent encephalon, utì

(*a*) La Motte, Traité complet de Chirurg. Tom. II. pag. 186.

(*b*) Aphorism. Sect. II. n°. XLIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 82.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Histor. Apoplectic. pag. 167, & sequ.

antea dictum fuit ad §. 273, ubi de vulneribus capitis agebatur. Modicam autem quantitatem effusi liquidi sufficere ad apoplexiam producendam, patet ex illo casu, quem ex *Fernelio* recenset *Wepferus* de viro, qui ex sinistri oculi ictu vehementiore apoplexiâ correptus, intra duodecim horarum spatium periit: in cadavere nulla causa tam subitæ mortis inventa fuit, præter sanguinem qui (*a*), *Cochlearium duorum mensurâ in cerebri basin procubuerat.* De causis autem, quæ hanc effusionem humorum in cavo cranii producere solent, sequenti numero dicetur.

4°. Omnia, quæ arteriosa, venosa, lymphatica vasa interioris cerebri, circa cavitates ita solvunt, ut exiens liquor aggestus, compressu suo, fornicatas cerebrosorum nervorum origines lædat. Talia sunt, serum acre in hydropicis, leucophlegmaticisque; sanguis in plethoricis; acrimonia atrabilaria in melancholicis, scorbuticis, podagricis; quæ vulgaris causa intra quadragesimum & sexagesimum ætatis annum agens; quæ omnia latentia per causas moventes excitata, sæpe subitò morbum hunc creant. Hujus ergo prænuncia ex natura materiæ priùs natæ, & cognitis causis excitantibus, peti debent. Maximè his animi affectus summi, & intensissima studia, nocent.

Antea patuit, quomodo ab humoribus accumulatis quidem, sed nondum extravasatis, apoplexia nasci possit: verùm vasis ruptis à nimia distensione aut erosis ab acri liquido, effusio fit humorum, quæ subitò lethalem apoplexiam producere potest; inprimis si humores effusi, ad basim cranii delapsi, comprimant medullam oblongatam. Serum, stagnando diu in hydropicis, & leucophlegmaticis, acre fieri, & loca, quæ alluit, erodere posse, patebit ex illis, quæ postea in capitulo *de hydrope* dicentur: sed & Observata Practica videntur docere, subitas satìs lymphæ effusiones in cranii cavum fieri quandoque; quæ, nisi citò exitum invenerint, viis nondum bene cognitis per Anatomen, apoplexiam producent. Sic monet *Willisius* se aliquos novisse vertigini valde obnoxios, (*b*) *Quibus sub finem paroxysmi aquæ limpidæ ingens copia* per nares exstillabat; túncque hâc evacuatione factâ, cessabat statim vertigo. Præterea in virgine, cephalæâ immani diu afflictâ, (*c*) *Multùm seri flavi & tenuis quotidie naribus effluebat*, cúmque hæc excretio aliquamdiu substitisset, in convulsiones atroces cum stupore incidit, atque apoplectica periit: (*d*) *Capite aperto, latex ejusmodi flavus, cerebri anfractus profundiores ejúsque cavitatem interiorem, seu ventriculos, inundabat.* Similem casum & recensuit (*e*) *Wepferus*.

Longè autem frequentiùs adhuc apoplexia contingit à ruptis vasis sangui-

(*a*) Histor. Apoplecticor. pag. 579.
(*b*) Cerebr. Anatom. Cap. XII. pag. 151.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Histor. Apoplecticor. pag. 608.

neis intra cerebrum, ob nimiam copiam sanguinis, vel subitam ejusdem rarefactionem; unde hanc apoplexiæ speciem vocavit cerebri hæmorrhagiam celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* (*a*); & de illa egit illo loco, ubi successivè varias hæmorrhagias recenset. Apoplexia autem ab hac causa necat subitò, & quidem eò citiùs, quò hæc sanguinis effusio fuerit copiosior & celerior. Illustris *Malpighius* quatuor horarum spatio periit à tali apoplexia, leviorem ejusdem morbi insultum, cum hemiplegia dextri lateris, quatuor mensibus antea passus; in cadavere invenit *Baglivus*, (*b*) *In cavitate dextri ventriculi cerebri duas libras circiter sanguinis nigri & grumosi extravasatas*; in sinistro autem sesquiunciam aquæ flavæ. Videtur admodum probabile, extravasatam lympham in ventriculo sinistro cerebri produxisse antea leviorem apoplexiam cum hemiplegia lateris dextri, à qua utcumque convaluerat: effusus autem sanguis tantâ copiâ fecerat, ut ultimus apoplexiæ insultus citâ mormorte finiretur. In *Actis Londinensibus* (*c*), ubi eadem Observatio legitur, habetur, quòd tantùm binæ unciæ sanguinis extravasati in dextro cerebri ventriculo fuerint inventæ; verùm *Baglivo*, testi autoptæ, fides habenda videtur. Sed & binæ sanguinis extravasati unciæ sufficiunt ad lethalem apoplexiam producendam, utì ex Observatione *Fernelii*, paulò antè memoratâ, constat, imò unicum sanguinis effusi ex vase soluto cochlear lethalem apoplexiam fecit, validis remediis illico, sed incassum adhibitis (*d*). Notandum in hoc casu, quòd sanguis ille effusus fuerit ex vase, quod per ipsam cerebri substantiam decurrebat: constat autem, vasa sanguinea tantùm in medulla, non in cortice encephali inveniri; adeóque sanguis effusus medullosam substantiam, in qua colligebatur, undique compressit; sícque etiam minori quantitate potuit apoplexiam producere.

Si autem sanguis bonus effusus in cavo encephali tanta mala producere potest, pejora adhuc exspectanda sunt, si insignis acrimonia in sanguine fuerit: faciliùs enim rumpentur vasa, & effusus sanguis talis teneram encephali substantiam, destruet quàm citissimè. Quomodo sanguis atrabilarius solâ tenacitate piceâ apoplexiam facere possit, ad secundum numerum hujus paragraphi dictum fuit: simúlque tunc monitum fuit, citissimè omnia destrui, si humor atrabilarius solutus, & acer redditus, per cerebri vasa moveretur. Hoc videtur & monuisse *Hippocrates* dicens, (*e*) *Morbis melancholicis per has tempestates periculosi decubitus, aut apoplexiam corporis, aut convulsionem, aut maniam, aut cæcitatem denunciant.* Ex aphorismo autem, hunc præcedente, ubi monet podagrica mala vere & autumno potissimùm moveri, patet satìs, quod hoc loco de materia atrabilaria mota locutus fuerit. Simul notari meretur, quòd ἀποπληξίην τοῦ σώματος dixerit, sive veram & propriè dicendam apoplexiam; nam quandoque & *Hippocrates* partis cujusdam cor-

(*a*) Medic. Ration. Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. VII. pag. 163.
(*b*) Bagliv. Oper. omn. pag. 682.
(*c*) N°. CCXXVI. pag. 467. Abridgement, Tom. III. pag. 39.
(*d*) La Motte, Traité complet de Chirurg. Tom. II. pag. 362.
(*e*) Aphorism. Sect. VI. n°. LVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 287.

poris singularem resolutionem vocavit apoplexiam, utì ad §. 1008, dictum fuit. Huic autem aphorismo mox subjungitur sequens: (*a*) *Apoplectici verò maximè fiunt ætate, à quadragesimo anno ad usque sexagesimum.* In Commentariis ad hunc locum monet *Galenus* hîc intelligi, (*b*) *Non omnem apoplexiam, sed solam prædictam, quæ ex sola fit atra bile.* Hâc autem ætate melancholiam maximè produci, postea ad §. 1108, patebit.

Sed & acrimonia scorbutica talis est, ut vasa solvantur ab hac quàm facillimè, fiántque liquidorum extravasationes per totum corpus; utì docent maculæ illæ scorbuticæ, sponte, vel & à levi pressiuncula, statim natæ. Unde convulsiones, tremor, paralysis, inter symptomata pessimi scorbuti postea, §. 1151. n°. 4, numerabuntur. Metus ergo est, ne & in encephalo tales vasorum solutiones fiant in hoc morbo. Interim Observationes Practicæ videntur docere, rariùs affici cerebrum ab acrimonia scorbutica: in cadaveribus enim scorbuto mortuorum plurima viscera pessimè affecta inveniuntur, imò quandoque omnia interna ferè putrefacta; cerebrum tamen in plurimis apparet omnino integrum (*c*).

Idem verum est & in podagricis: si enim materia podagrica, quæ tendines & ligamenta in calcem convertere potest, non ampliùs deponitur versùs extrema corporis, sed viscera occupat, horrenda mala producit; & si cerebrum petat, apoplexiam, paralysin, &c, facit, utì postea ad §. 1273, dicetur.

Apoplexia autem nata ab effusis humoribus ob subitam rupturam vasorum videtur ab *Hippocrate* vehemens apoplexia vocata fuisse, de qua meritò dixit, (*d*) *Vehementem quidem apoplexiam solvere impossibile; debilem verò, non facile.* Quàm parùm enim spei supersit in tali apoplexia sananda, postea ad §. 1033, videbimus. Debilis verò apoplexia illa est, quæ lentè aggestis in capite humoribus producitur; de qua ad literam *γ*, numeri 2, in hac paragrapho dictum fuit, & quæ tamen adhuc difficulter curatur.

Verùm tales causæ, quæ vasa subitò solvunt, latere possunt in corpore; nec actuosæ fiunt, nisi ab alia causa accedente excitentur, vel determinentur versùs caput. Atra bilis sic per annos hærere potest fixa, dein subitò soluta & mota per motum corporis, calorem aeris, &c, summa mala facit. Materies podagrica, in pedes jam detonare incipiens, si incauto usu narcoticorum, refrigerantium, aut constringentium, impeditur integre deponi in hæc loca, summo cum periculo caput petit sæpe. Qui narium profusæ hæmorrhagiæ obnoxii vivunt, si illa imprudenti consilio cohibeatur, tunc quandoque in cerebro solvitur arteria, & sanguis effusus subitò lethalem apoplexiam producit. Qualis casus habetur in *Actis Londinensibus* (*e*), ubi illustrissima Domina omni ope jam erumpere gestientem de naribus sanguinem

(*a*) Aphorism. Sect. VI. n°. LVII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 288.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Academ. des Scienc. l'an 1699, Mémoir. pag. 246.
(*d*) Aphorism. Sect. II. n°. XLII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 81.
(*e*) N°. CLXXIII. pag. 1068. Abridgement. Tom. III. pag. 29. 30.

impediebat, verùm sequenti die subitò immani dolore capitis correpta fuit; & intra semihoram periit: post mortem in ipsa cerebri substantia inventus fuit concreti sanguinis grumus, unciam cum dimidia circiter ponderans, qui sibi largum formaverat cavum, adeóque omnia vicina validè compresserat.

Prævidetur autem talis apoplexia, si signa docuerint, nimiam boni sanguinis copiam adesse, vel magnam acrimoniam dominari in corpore; simúlque constiterit, talia applicata esse corpori, vel brevì applicanda, quæ motum augent validè, vel liquida rarefaciunt, aut consuetas evacuationes supprimunt, vel depositionem morbosæ materiæ ad loca minùs periculosa impediunt. Sic v. gr; in plethorico homine apoplexiam metuendam esse facilè cognosco, si sciam, quòd validum corporis motum faciet tempestate admodum calidâ, vel vini generosi copiam ingurgitabit. Ita etiam in podagrico, si, vel ex debilitate senectutis decrepitæ, vel extremis corporis partibus eò usque per repetitos hujus morbi paroxysmos destructis, ut mala materies in illis ampliùs colligi nequeat, non doleant pedes, sed anxietas adsit & vertigo, hoc malum prævideo. Idem de reliquis verum est.

Quantùm autem nocere possint animi affectus summi, & intensissima studia, prædispositis ad apoplexiam, numero tertio hujus paragraphi dictum fuit.

5°. Huc venena quædam referuntur, quæ tamen vel ex vi trium ultimarum causarum (n°. 2. 3. 4.) agunt, vel potiùs pulmoni priùs, quàm cerebro, nocent.

Certum est, dari talia venena, quæ efficaciter turbant illas functiones, quæ à cerebri & nervorum integritate pendent, licèt non constet, quomodo hæc agant, & ad quam ex classibus causarum, modò recensitis, illarum actio referri debeat. Multa etiam ex illis pessimos suos effectus præstant, dum in ventriculo hærent, & simulac inde excutiuntur, cessant omnia hæc mala; utì pluribus dictum fuit ad §. 229, & ad §. 701, ubi de delirio febrili agebatur. Recensentur hæc venena alibi (*a*), ubi videri poterunt. Minimè autem verosimile videtur, quòd hæc venena agant inspissando liquida, aut comprimendo vel rumpendo vasa, cùm cesset illorum actio, simulac per vomitum excussa fuerunt. De effectis ergo humorum per Observata fidelia constat, sed non intelligitur liquidò modus, quo hæc producant. Dantur & præterea alia venena, quæ halitûs specie uno momento apoplexiam producunt: talis est halitus fermentantis liquidi, inprimis si ex ingenti dolio per parvum spiraculum exhalans naribus attrahatur; vel si quis cellam ingrediatur, ubi maximâ copiâ collectus hæret fermentantis liquidi halitus; utì aliâ occasione ad §. 605. n°. 11, notavi. *Helmontius*, dum mineralium examini plùs justò insisteret, à venenato tali halitu ferè concidisset apoplecticus; dicit enim, (*b*) *Etenim jam penè corruebam, & nisi caput à vase, unde teter spirabat flatus, divertissem, apoplecticus ruissem & cadere paratus eram. Jámque tum mihi*

(*a*) Boerhaav. Instit. Med. §. MCXXXVIII.
(*b*) Tractat. de Lithias. Cap. IX. §. LXXIII. pag. 725.

brachium decidebat, & crus stupidum sensu motúque deficiebat. Videtur autem sæpiùs hoc discrimen subiisse, nam in sinistro latere se hemiplegiæ minas sensisse affirmat; & alibi dixit, (*a*) *Memini quoque, aliquando in meis tyrociniis virulenta quædam destillasse, quæ si quando non rite obturatis juncturis odorem de se spirarent, vel postmodum, separanda vasa ab invicem, incautum me ferirent, unico instanti in lapsum paratus eram cum vertigine & dextri lateris stupore. Adeo ut si iterum semel tantùm me odor perculsisset, absque dubio cecidissem apoplecticus. In tantam scilicet me olim temeritatem compulit ardor sciendi, quòd millies vitæ non pepercerim meæ.* Verum quidem est, quòd spiritus sulphuris, spiritus nitri, salis marini, oleum vitrioli, &c, dum halitûs formâ unà cum aere hauriuntur, pulmonem constringendo, subitam mortem inducant, adeóque pulmoni potiùs quàm cerebro noceant; sed *Helmontius* nullam mentionem fecit respirationis impeditæ à tetro hoc halitu, quem inspiraverat. Sed nec illi, qui ædificia calce recèns, incrustata incolunt, & quos immedicabili hemiplegiâ correptos fuisse novi inprimis si luculento foco instructo in tali conclavi dormirent, aliquid læsi in respiratione perceperunt, dum perniciosus ille halitus encephali functiones pessimè læderet. Quinimo & illi, qui carbonum nidore in loco clauso exstinguuntur, & suffocari creduntur impeditâ respiratione, videntur primam noxam in capite percipere; licèt tantâ virulentiâ præditus sit carbonum vapor, ut paulò pòst & vitales functiones omnino deleat, lethali syncope. Quando enim vel non adeo densi sunt illi vapores carbonum in loco, in quo hærent homines, vel minori temporis spatio ibi versantur, tunc de immani capitis dolore conqueruntur, sentiúntque, ac si calvaria extrorsum dissiliret præ nimia distensione: si autem diutius maneant in tali loco, carbonum accensorum nidore pleno, stupidi fiunt, & omnes sensus perdunt, & moriuntur. Unde celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* dixit, quòd hic venenatus nidor, (*b*) *Stuporem & soporem apoplecticum hominibus incautis inferat.* Illi autem, qui sic mortui sunt, in eodem situ inveniuntur, quem habebant, dum ab hoc vapore inceperunt malè affici. Apud *Wepferum* casus legitur satìs memorabilis, qui modò dicta confirmat (*c*): bini homines in conclavi angusto nec valde alto, ubi furnus digestorius, *piger Henricus* vulgò dictus, carbonibus calefactus aderat, noctem transegerunt & manè ambo mortui inventi sunt: unus genibus flexis trunco innitens ligneo, manibus complicati limini fenestræ incumbens per quam vigil spectaverat, habebat speciem hominis somno obruti. Alter humi prostratus supinus jacebat, & videbatur cecidisse, dum exitum ex hoc loco moliebatur. Verùm idem ille ante octiduum per horam circiter in eodem loco manserat; & dum in apricum venit, titubare incepit, dein obdormivit, ita ut vix excitari potuerit, cum stertore. Ubi verò aquâ frigidâ, faciei & pectori aspersâ, ad se rediisset, credebat se suavissimo somno correptum fuisse, nullámque anxietatem senserat. Nec *Helmontius*, proprium

(*a*) Tractat. de Lithias. Cap. IX. §. XLVIII. pag. 719.
(*b*) Observat. Chemic. Physic. Lib. III. Observ. XIII. pag. 329.
(*c*) Observat. Pract. de Affect. Capit. pag. 360.

infortunium narrans, anxietatis ullius meminit, sed (*a*) circa orificium stomachi instans animi deliquium sensit; & dum ex museo, nidore carbonum infecto, egrederetur, mox concidit, & occipite impegit gravissimè in pavimentum lapideum, gustum atque odoratum omnino perdiderat auréfque tinniebant, & per aliquot menses mansit vertiginosus: verùm & hæc symptomata tribui possent validæ occipitis contusioni. Interim tamen ex prædictis satìs patere videtur, quòd carbonum accensorum vapor capiti potiùs, quàm pulmoni, noceat. Cæterùm ædium, recèns calce incrustatarum, noxam, utì & vaporis carbonarii, jam notaverat (*b*) *Galenus*. Si autem simul consideretur, carbones relinquere cineres paucissimos, totámque ferè illorum molem in vaporem resolutam dispergi per aera, intelligimus, quomodo pauci etiam carbones (utì *Helmontio* contigit) in cubiculo clauso possint pessima mala producere; inprimis frigidâ tempestate, quando vapores minùs dissipantur, sed magìs collecti manent.

§. 1011. CAUSAS has (1010) docuit Anatomica inspectio cadaverum apoplexiâ exstinctorum, atque Observatio Historica eorum, quæ in ipsa horum ægrorum curatione observari possunt: meditatio autem facilè in dictas (1010) classes ordinat, curationi inveniendæ quàm aptissimas.

Causæ illæ apoplexiæ, hactenus recensitæ & explicatæ, vel inventæ fuerunt inspectione cadaverum hoc morbo defunctorum; vel repetitis Observationibus constitit, quædam corpori applicata hunc morbum produxisse; adeóque meritò pro causis haberi posse. Optimorum Auctorum testimoniis hæc omnia confirmata fuerunt; quibus plura si quis addere vellet, facilè in *Boneti sepulchreto Anatomico* invenirentur. Verùm ordo requirebat, ut in classes quasdam numerosæ adeo hujus morbi causæ distribuerentur, ut eò meliùs singulis debita curatio adhiberi posset. Utì enim postea patebit, illa, quæ in quadam specie apoplexiæ meritò laudantur tamquam efficacissima remedia, in alia ejusdem morbi specie pessimè nocerent.

§. 1012. EX iisdem constat, à diversis, & oppositis quidem causis, morbum hunc sæpe produci; adeóque bene dividi in sanguineam & pituitosam; sed non perfectâ divisione, quum & serosa, & atrabilaria, & polyposa sit, & alia.

Causa proxima in omnibus apoplexiis est eadem; sed causæ efficientes sunt sæpe diversissimæ; unde nulla poterit esse universalis curandi Methodus. Si enim functiones animales abolitæ sint ob lentorem pituitosum inertem sanguinis, quo ineptus redditur, ut libere fluat per vasa cerebri & secretioni spirituum serviat, tunc sola illa cura bona est, quæ lentorem illum attenuet, san-

(*a*) Tractat. de Lithiaf. Cap. IX. §. LIV. pag. 720. Jus Duumviratûs, §. XIX. pag. 242.

(*b*) De Usu Part. Lib. VII. Cap. VIII. Charter. Tom. IV. pag. 458.

guini debitam soliditatem conciliet, & motum nimis languidum incitet. Verùm si sanguis inflammatoriâ densitate hæreat circa extrema vasorum, tunc requiritur opposita medela, quâ solvatur sanguis, & motus humorum nimius compescatur. Hinc orta fuit generalis illa divisio in apoplexiam calidam, & frigidam, sive in sanguineam & pituitosam; & ad duo illa distincta capita omnis curatio solebat digeri. Verùm ex recensione causarum satìs patuit, non sufficere illam divisionem, neque posse omnes apoplexiæ causas ad duo hæc capita redigi.

§. 1013. LOCUS verò affectus in apoplexia exquisita est totum sensorium commune; in parapoplexia verò ejus quædam pars præ cæteris, reliquis quodammodo, sed tamen minùs, pressis, cerebello, ut plurimùm, in initio illæso.

Cùm in apoplexia exquisita sensus interni & externi, omnésque motus voluntarii aboleantur (vide §. 1008.), locus affectus debet esse ille, à quo omnes nervi, sensibus & motibus voluntariis perficiendis destinati, originem suam ducunt, & ad quem locum perductæ mutationes illorum nervorum, faciunt ideas, animi affectus, motus corporis, &c. Illum autem locum, qualiscumque demum fuerit, vocant Medici sensorium commune; à quo mutabilitas cogitationum à mutato corpore, & vicissim mutabilitas corporis à mutata cogitatione pendet. Verùm causa illa, à qua afficitur illud sensorium commune, potest alio loco corporis hærere, utì in causarum apoplexiæ enumeratione patuit; de qua re etiam possunt videri illa, quæ in *Commentariis*, §. 701, habentur. Cùm autem, abolitis motibus voluntariis & sensuum exercitio, supersint adhuc plurimi alii motus, qui nobis non conscii fiunt, integra debebit adhuc superesse functio illius partis, à qua illi motus pendent: pars autem illa cerebellum esse credebatur; de qua re videantur illa, quæ ad §. 1000, dicta fuerunt.

In apoplexia exquisita sensus & motus voluntarii omnino abolentur: verùm quandoque contingit, ut ægri tales à validissimis causis, in organa sensuum agentibus, utcumque adhuc affici videantur; in quibusdam partibus adhuc aliquod conamen ad motum supersit; adhuc deglutiant illa quæ ori infunduntur: tunc ergo functiones sensorii communis maximè impeditæ sunt, non tamen omnino abolitæ, adeóque levior quasi ejusdem morbi gradus, qui hinc commodè *Parapoplexia* vocatur; utì & levior anginæ species *Hippocrati* dicebatur (*a*) παρασυνάγχη (vide §. 783.). Interim non memini, quòd apud veteres Auctores *Parapoplexiæ* nomen invenerim.

§. 1014. UNDE patet, cur pulsus & respiratio exerceantur, sensibus interim, motibúsque voluntariis, destructis: imò cur sæpe pulsus & respiratio crescant pro rato, quò sensus, motúsque, plùs decrescunt, ut & circa mortem.

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. x. Charter. Tom. VII. pag. 586.

Quia

Quia nempe in apoplexia illa pars encephali impedita est, quæ functionibus animalibus exercendis dicata est, dum altera adhuc libera manet, quæ motibus vitalibus servit. Verùm cùm totius encephali actio, tam quoad functiones animales, quàm quoad reliquas pendeat à libero motu liquidorum per vasa substantiam encephali constituentia, patet satìs, quòd libero transitu impedito per magnum horum vasorum numerum, reliqua magìs urgeantur à liquidis appulsis. Verùm liquidi secreti copia augetur; cæteris paribus, dum ad organa secernentia major copia fluidorum applicatur intra datum tempus; quod cùm fiat in apoplexia ad illam partem encephali, quæ motibus vitalibus prospicit, patet ratio, quare pulsus & respiratio augeantur, dum sensus & motus decrescunt. Imò & hoc observamus tempore somni naturalis, in quo pariter actiones animales & motus voluntarii cessant: nam respiratio fit profundior, robustior, lentior, & magìs æquabilis, motúsque pariter cordis & arteriarum observatur increscere robore: unde & omnes actiones, quæ à nostro arbitrio non pendent, perfectissimè peraguntur somni tempore; circulatio nempe, coctio crudorum, distributio, nutritio, &c. Cùm autem in reliquis morbis fortis & æquabilis respiratio adeo boni ominis sit, inprimis si pulsus simul fortis sit, & calor æquabilis ad extrema corporis usque, ideo minùs periti vix credere possunt, in tanto periculo apoplexiâ decumbentem versari, dum actionum vitalium tantum robur observant. Verùm dum eadem causa, quæ actiones animales impedivit, pergit agere vel augetur brevì, & actiones vitales, paulò antè adhuc adeo validæ, opprimuntur, & subita mors sequitur.

§. 1015. MAGNITUDO igitur apoplexiæ censetur ætate, temperie, fabricâ ægri; tum vehementiâ symptomatum, & inprimis absolutâ destructione sensuum, motuúmque; respiratione validâ cum profundo stertore; spumâ circa os copiosâ, viscidâque; sudore tenui, guttatim hærente; frigidiusculo; ortu ex debili primò parapoplexiâ prægressâ; ortu ex epilepsia ingenti præmissa, vel ex causa nota vehementiori.

Apoplexiam semper periculosam esse omnes Medici agnoscunt: hinc agitur hîc tantùm de majori minoríve discriminis gradu, quod cognoscitur,

ÆTATE. Sic v. gr; senes, hoc morbo correpti, rariùs emergunt, quia plerumque in his iners, glutinosa, materia in cavis cerebri colligitur, & per ipsa senectutis vitia talis sanguinis cacochymia quotidie augetur, utì ad §. 1010, n°. 2. *lit.* γ, dictum est.

TEMPERIE. Ita atrabilaria temperies hujus morbi discrimen auget, quia vel piceâ tenacitate sanguis hærere incipit in vasis encephali (vide §. 1010. n°. 2. *lit.* γ.); vel materia atrabilaria mota, & acris reddita, certissimè omnia destruit (vide §. 1010. n°. 4.), absque ulla sanationis spe. Licèt autem hæc materies atrabilaria tantùm solâ tenacitate peccaret, summa adhuc difficultas solvendi illud tenax maneret.

FABRICA ÆGRI. Caput v. gr; magnum, collum breve, obesitas magna, &c; de quibus ad numerum primum §. 1010, dictum fuit.

VEHEMENTIA SYMPTOMATUM, &c. Inde enim cognoscitur magnitudo causæ, quæ apoplexiam, produxit: de his dictum fuit ad §. 1008.

SPUMA CIRCA OS, &c. Dum enim impeditur liber transitus per vasa encephali, tantò magìs urgentur rami carotidis externæ; hinc facies adeo inflata apparet, & major copia salivæ, ac quidem viscidioris, secernitur, quam ægri, forti apoplexiâ decumbentes, nec accumulari sentiunt, nec deglutiunt; unde magìs magísque congeritur, & à valida & forti respiratione spumescit. Videantur & illa quæ §. 1010. n°. 3. *lit.* δ, de hac spuma dicta fuerunt.

SUDORE TENUI, &c. In febrium Historia ad §. 594. n°. 2, patuit, morbi materiam subactam, & mobilem redditam, per sudores difflari de corpore quandoque felici cum eventu: verùm simul monitum fuit, tales sudores esse æquabiles per totum corpus, calidos, & vaporis formâ de cute surgentes. Designant enim tunc vires vitales robustas, materiam solutam mobilem, & vasa pervia. Unde & tales sudores laudantur tamquam boni in apoplexia, ad §. 1017. Verùm alii sudores in morbis apparent, pessimo signo; dum nempe & parci sunt, & in guttulas collecti hærent cuti; túncque ferè semper frigidi sunt & subviscidi tales sudores, notántque, instante jam morte, resolvi cutaneorum vasculorum extrema, ut crassiorem & viscidum sudorem transmittant; simúlque adeo jam fractas esse vires vitales, ut calorem satìs validum ad cutis superficiem propagare nequeant, per quem in vaporem resolvi sudor posset. Rubra tunc simul solet esse facies, cui guttulæ sudoris adhærent, de quo videantur illa quæ ad §. 741, habentur, ubi de signis prognosticis in febre ardente agitur. Simulac autem illa causa, quæ apoplexiam produxit, incipit & impedire illam partem encephali, unde vitales actiones pendent; tunc & respiratio difficilior fit: & ab hoc signo comite damnavit sudores in hoc morbo *Hippocrates* dicens, (a) *In apoplecticis ex spiritûs molestia sudor accedens, lethale.* Et *Cœlius Aurelianus* pariter bina hæc signa simul junxit, ubi apoplexiam in pejus vergentem describit. Ita autem habet: (b) *Pejorante passione atque in exitium ægrorum crescente, vultûs abductio, ita ut longior notâ videatur imago* (ob musculos faciei paralyticos & maxillam inferiorem proprio pondere pendulam), *præcordiorum prominentia, atque totius corporis frigidus torpor, pectoris stridor, & superiorum partium sudores frigidi.*

ORTU EX DEBILI, &c. Cùm enim parapoplexia sit levior gradus apoplexiæ, utì ad §. 1013, dictum fuit; si tunc sequatur apoplexia, novimus causam morbosam augeri. Plerumque autem hoc fit ab extravasato liquido copiâ sensim aucto: utì v. gr; si parva arteria in cerebro rupta sanguinem effuderit, turbabuntur functiones encephali; & increscent hæc mala pro ratione copiæ extravasati sanguinis, donec totum sensorium commune affectum fuerit; adeó-

(a) Coacar. Prænot. n°. CCCCLXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 880.

(b) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. v. n°. 1. pag. 199.

que ſequatur apoplexia. Si autem levior morbus ſuperari non potuerit, ſatìs patet de eodem morbo jam graviori curando parùm ſpei ſupereſſe.

ORTU EX EPILEPSIA, &c. Patebit poſtea, ubi de terribili hoc morbo agetur, quòd violentis adeò, & ſæpe repetitis convulſionibus, cerebrum corrumpatur frequenter, ita ut apoplexia & mors ſequatur. Facilè autem patet, tunc nullam ſpem ſupereſſe. Interim notandum eſt, quòd frequentiſſime in fine paroxyſmi epileptici dormiant cum ſtertore & paulò pòſt ad ſe redeant. Verùm ubi profundus ille ſomnus, paroxyſmum finire ſolens, diutius ſolitò protrahitur, tunc magnus metus eſt, epilepſiam tranſiviſſe in lethalem apoplexiam.

VEL EX CAUSA NOTA VEHEMENTIORI. Si nempe talis fuerit, ut cerebrum illico deſtruat, v. gr; materies atrabilaria ſoluta, mota, & acris admodum, ſi caput petierit: vel etiam ſi cauſa talis fuerit, ut per Artem tolli, vel inſigniter minui nequeat. Sic ſi v. gr; libra ſanguinis effuſi hæreret in ventriculis cerebri, & circa baſin cranii, nulla ſpes eſſet, tantam copiam ſanguinis ſat citò iterum reſorberi poſſe per venas; neque perterebrato cranio poſſet educi extravaſatus ſanguis, cùm nimis profundo in loco hæreat. Ob hanc cauſam vulnera circa inferiora orbitæ oculi, oſſis temporum, oſſis ethmoidis baſios cranii, &c, lethalia habentur, de quibus vide §. 170. n°. 1.

§. 1016. LENITAS & ſanabilitas mali contrà decernitur ex levitate ſymptomatum, abſentiâ dictorum.

Veritas hujus aſſerti ſponte patet. Interim notandum eſt, magnam requiri cautelam, ne Medicus in prognoſi hìc erret cum famæ periculo.

Cùm enim modò dictum fuerit præcedenti paragrapho, apoplexiam quandoque ſequi, & quidem lethalem, poſt debilem parapoplexiam prægreſſam; Medicus illo tempore vocatus, dum parapoplexia adeſt, ex levitate ſymptomatum concluderet ſanabilitatem mali, & fauſtum prædiceret eventum; dum intra paucas horas apoplexia valida ægrum præter ſpem necaret; auctâ nempe causâ, quæ parapoplexiam produxerat. Periculum ergo magnum adeſſe etiam in leviori morbo, monere debet Medicus, ſemper memor moniti *Hippocratici*, (vide §. 1010. n°. 4.), quòd (*a*) *Vehementem quidem apoplexiam ſolvere impoſſibile; debilem verò non facile*, ſit: ſimúlque conſtat, quòd levis apoplexia in validam frequenter abeat.

§. 1017. LENIS apoplexia ſolvitur ſuperveniente ſudore multo, æquabili, rorido, calido, levante; urinâ multâ, craſſâ; hæmorrhoidibus largis, diu fluentibus; fluxu menſtruo reſtituto; alvi fluxu; febre magnâ.

Sæpius jam monitum fuit (vide §. 885.) in Hiſtoria morborum acutorum, illos ſanari ope Naturæ, vel Artis; ſimúlque tunc dictum fuit, ſummæ utili-

(*a*) Aphoriſm. Sect. II. n°. XLII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 81.

tatis esse curandis morbis, si fideli Observatione habeantur cognita illa Naturæ, sibi soli toties sufficientis, molimina, per quæ morbus in sanitatem mutatur. Sic enim cautus redditur Medicus, ne turbet imprudenti medelâ hos Naturæ conatus; simúlque discit, illos imitari per Artem, ubi sponte non adsunt. Cura autem apoplexiæ postea tradenda docebit, quòd Ars eadem tentet facere, quæ sponte nata observata fuerant profuisse, vel evacuando, vel derivando, impetum & copiam humorum à capite; vel denique stagnantia solvendo & movendo: singula jam hæc considerabimus. Verùm notandum est, quòd dicatur apoplexia *solvi*. Et illis autem, quæ ad §. 594. 830. n°. 1. 887, dicta fuerunt, constat, quòd tunc resolutio illa benigna morborum dicatur fieri, quando materies morbosa absque ulla evacuatione sensibili sic mutatur, ut redeat sanitas: hîc autem evacuationes sensibiles recensentur. Dicitur autem solvi apoplexia, dum sanatur, phrasi *Hippocraticâ*, qui vocabulum (*a*) λύειν hoc sensu in eodem morbo adhibuit.

SUPERVENIENTE SUDORE MULTO, &c. Per sudores expelli posse de corpore morbosos humores, ad §. 594, pluribus explicatum, simúlque dictum fuit de illis dotibus, quas salutiferi tales sudores habere debent, ut distingui possint à symptomaticis & nocituris sudoribus; túncque simul monitum fuit, levamen perceptum dare signum minimè fallax salubris evacuationis. Patebit postea, quando de hydrope agetur, quòd per sudores excitatos tolli possit accumulata in cavis corporis lympha. Verùm levis apoplexia, de quâ hîc tantùm agitur, tali causæ originem quandoque debet (vide §. 1010. n°. 2. *lit.* γ.); adeóque hoc modo tolli pariter poterit, & in hoc casu inprimis sudores tales prodesse videntur.

URINA MULTA, CRASSA. Ex illis, quæ ad §. 830. n°. 4, & 888. n°. 2. dicta sunt, patuit, materiam inflammatoriam, solutam quidem & mobilem redditam, sed tamen degenerem à conditionibus humoris sani, per urinæ vias de corpore expelli quandoque. Verùm simul tunc fuit notatum, hanc evacuationem sæpe jungi aliis, si morbus validior fuerit, & raró sufficere solam, nisi in morbo leviori. Cùm autem hîc de leni apoplexia agatur, & §. 1010. n°. 2. *lit.* β, spissitudo inflammatoria cruoris inter causas apoplexiæ recenseatur, patet, per talem urinam hunc morbum solvi posse.

HÆMORRHOIDIBUS, &c. Nimiam sanguinis boni copiam, distentis ultra modum vasis sanguineis encephali apoplexiam producere patuit §. 1010. n°. 1. n°. 3. *lit.* α, & n°. 4; adeóque omnia, quæ copiam sanguinis minuunt, medentur huic causæ. Præ reliquis autem prosunt hæmorrhoides largâ copiâ fluentes, quia efficacissimè impetum & copiam sanguinis à capite derivant, cùm sanguis oppositâ penitus directione moveatur per vasa hæmorrhoidalia, quàm per arterias carotides & vertebrales. Unde apoplecticis hæmorrhoides utiles esse dixit *Hippocrates* (*b*); utì aliâ occasione ad §. 702, notavi: sed & in phrenitide (vide §. 779.), & in mania (*c*) pulchrum effectum præstant. Præterea

(*a*) Aphorism. Sect. II. n°. XLII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 81.

(*b*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXXVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 880.

(*c*) Aphorism. Sect. VI. n°. XXI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 260.

quotidiana Obſervatio docet, quòd illi, quibus conſueta jam eſt ſanguinis evacuatio per hanc viam, patiantur varios capitis morbos, cephalalgiam, vertigines, aurium tinnitus, &c, ſi minùs feliciter ceſſerit hæmorrhoidum fluxus: quod *Hippocrates* monuit dicens (*a*), *Ex hæmorrhoide parùm apparente vertigines obortæ parvam ac modicam ſiderationem* (brevì futuram) (παραπληγικὸν μικρὸν, καὶ ἐπ' ὀλίγον) *ſignificant ſolvit: venæ-ſectio; & quidquid hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat.* Cùm ergo, ſuppreſſis hæmorrhoidibus, capitis morbi ſequantur, & contrà, illis fluentibus, leventur illi morbi; patet ſatìs, multùm boni inde exſpectari poſſe in apoplexia, quæ à nimia plenitudine vaſorum encephali oritur: ubi enim vaſa rupta ſunt, tunc à ſanguine effuſo fortis apoplexia fit, in qua parùm ſpei ſupereſt. Præterea & melancholicus humor inter cauſas apoplexiæ numeratus fuit §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, qui commodè evacuatur per hæmorrhoidum fluxum; utì poſtea ad §. 1110, dicetur, adeóque & hoc effectu proſunt hæmorrhoides.

FLUXU MENSTRUO RESTITUTO. Cùm corpus muliebre ita ab Adorando Creatore factum fuerit, ut & alium hominem intra ſe recondere & nutrire poſſit, plùs conficit ſanguinis boni mulier ſana, quàm ad proprii corporis uſum requiritur, & ideo illud ſuperabundans menſtruâ evacuatione tollitur: ſi ergo defecerit fluxus menſtruus, plethora fiet, majori copiâ ſanguinis diſtendentur vaſa, niſi per alias vias exiverit illud ſuperabundans; adeóque cauſam apoplexiæ dare poterit, menſtruorum ſuppreſſio. Verùm Obſervata Practica docent, capitis vaſa inprimis urgeri ab hac plethora, dum uteri vaſa nimis reſiſtunt ſanguini exituro circa conſuetum tempus. Hinc notat *Hippocrates*, (*b*) *Capitis concuſſiones, & aurium ſonitus*, præcedere menſtruorum eruptionem, illáque prodire, (*c*) *Si juxta ſpinam dolor conſequatur*, qui deſignat, aortæ deſcendentis ramos à ſanguine magìs incipere diſtendi. Et alibi dixit (*d*) *Horrorem habentibus, laſſitudine affectis, capite gravatis menſes erumpunt.* Omnia autem hæc ſymptomata docent, capitis vaſa tunc nimis diſtendi, imò & quandoque ſolvi: ita narium hæmorrhagiam, (*e*) *Menſtruis deficientibus, Hippocrates* laudat. Si ergo à menſium ſuppreſſione, diſtentis capitis vaſis, apoplexia naſcitur, menſtruus fluxus & evacuando proderit, & derivando à capite; cùm uteri vaſa oppoſitâ directione ſanguinem ducant æquè ac vaſa hæmorrhoidalia.

ALVI FLUXU. Duplici modo prodeſſe poteſt, vel quatenus evacuando ſubducit materiæ morboſæ partem; vel quatenus impetum & côpiam humorum à ſuperioribus derivat versùs inferiora. Dum enim, liquidis per alvum ruentibus, abdominalium viſcerum vaſa deplentur, ſícque ſanguini impulſo minùs reſiſtunt, potens revulſio à ſuperioribus partibus fit; utì pluribus probatum fuit, ad §. 779, ubi de cura phrenitidis agebatur. Verùm & ipſa evacuatio

(*a*) Coacar. Prænot. n°. CCCXLVI. Charter. Tom. VIII. pag. 871.
(*b*) Ibid. n°. CLXVIII. pag. 861.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibid. n°. DXLI. pag. 834. Confer. n°. DXLVIII.
(*e*) Aphoriſm. Sect. V. n°. XXXIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 214.

prodesse potest quàm plurimùm. Ita ad §. 720, memoratur ex *Hippocratis* Observatione, quòd (*a*) *Si albâ pituitâ detento vehemens diarrhœa succedat, morbum solvit.* Sed pituitosa & iners talis sanguinis cacochymia, qualis in leucophlegmaticis observatur, inter causas apoplexiæ §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, numeratur, adeóque poterit alvi fluxu tolli.

Præterea constitit ex illis, quæ ad numerum quintum §. 1010, dicta fuerunt, quòd causa apoplexiam excitans quandoque hæreat in ventriculo, quæ ergo, æquè ac per vomitum, per alvum expelli posset. Novi talem casum contigisse celeberrimo Viro, qui in consortio amicorum subitò incepit oculos hinc inde convertere, mox obmutuit, & apoplecticus cecidit. Dum conclamatum crederent summi in Arte Viri, qui aderant, post quadrantem horæ, nullo tentato remedio præter sanguinis missionem, & vomuit, præter contentos in ventriculo cibos, ingentem copiam pituitæ, & quidem tantam, quantam humanus ventriculus capere posse vix credi poterat: statim redierunt sensus & motus, & blando somno refectus, sequenti die omnino sanus fuit; risítque futuros hæredes, qui nuncio misso advolaverant quantocyùs. Patet hinc, talem saburram, primas vias gravantem, producere posse apoplexiam, sed sanabilem facilè, sublatâ hâc causâ per vomitum vel secessum. Notaverat mirum hunc effectum, quo ventriculus gravatus cerebri functiones turbat, *Helmontius* dicens, (*b*) *Sin autem suboriatur mucilago putrida, ad amarorem prona, vertiginem, & fortiùs insurgens apoplexiam suscitat.*

FEBRE MAGNA. Constitit ex illis, quæ antea in febris Historia dicta fuerunt, quòd febris multorum & magnorum morborum remedium quandoque sit (vide §. 558.); illúdque inprimis probatum fuit, quando de febris effectibus (ad §. 587.) agebatur. Patuit enim tunc, quòd per febrim stagnantia agitentur, resistentia subigantur, cruda mutentur in cocta, &c. Ex quibus concludere licèt, quasdam apoplexiæ causas per validum febrilem motum emendari, vel & tolli posse. Non enim prodesse omnibus apoplexiæ causis enumeratis febrim, facilè patet. Si enim à plethora, vel effusis humoribus ob rupta vasa, nata fuerit apoplexia, febris augebit malum. Verùm tunc inprimis videtur sanatio hujus morbi per febrim natam sperari posse, ubi pituitosa, iners, sanguinis cacochymia apoplexiam produxit (§. 1010. n°. 2. *lit.* γ.): talis enim materies per febrim solvi, & soluta pelli poterit ex locis, ubi hæret; utì pluribus probatum fuit ad §. 587. Imò sanguis, inflammatorio lentore hærens in vasis, per ipsam febrim sic mutari potest, ut aptus fiat transire vasa, in quorum angustiis hæserat, utì patuit ex illis, quæ de morbis acutis inflammatoriis dicta fuerunt: túncque sæpe circa crisin, mobili redditâ materiâ morbosâ, nova oritur febris, vel augetur illa, quæ aderat, cum levamine symptomatum morbi. In mirabili illo casu puellæ, post suspendii supplicium perpessum sanatæ (vide §. 1010. n°. 3. *lit.* δ.) notari meretur, quòd calidis spirituosis remediis usi fuerint peritissimi Medici, qui ejus curam

(*a*) Aphorism. Sect. VII. n°. XXIX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 305.

(*b*) Ort. Medicin. Tractat. *A sede animæ ad morbos*, §. XI. pag. 236.

gesserunt, (*a*) *Cervicem, tempora, pedúmque plantas, oleis & spiritibus calidis inunxerunt*; aromatica decocta per clysmata injecerunt; unde sequenti die febris secuta fuit; sed & simul sensus interni, & externi, & loquela redierunt, moto & propulso sanguine, qui in vasis cerebri stagnaverat, dum in laqueo hæserat. A febre autem apoplexiæ sanabilis medelam Veteres sperasse certum est. Sic apud *Hippocratem* habentur sequentia: (*b*) *Derepentè sanum capitis dolor prehendit, confestímque obmutescit, & stertit, & os hiat; & si quis eum vocet, aut agitet, solùm ingemiscit, nihil autem intelligit, & copiosè mejit, & se ad mictum non incitat. Hic, nisi eum febris corripiat, intra septem dies moritur; quòd si corripuerit, plerumque sanus evadit.* Ubi notandum, quòd de levi tantùm hîc agatur apoploxia, quia æger ingemiscit, dum agitatur, aut dum vociferantur adstantes, adeóque adhuc aliquæ sensuum reliquiæ, licèt debiles, supersunt. Præterea videtur & illa apoplexia, de qua agitur, à frigida & lenta causa originem ducere, quia mox addit, (*c*) *Hujusmodi autem morbus senioribus contingit magìs quàm junioribus.* Verùm & in alia apoplexiæ specie à febre multùm boni exspectavit: legitur enim in eodem loco, (*d*) *At si quis ex temulentia voce deficiat, siquidem jam confestim eum febris corripiat, convalescit; nisi verò corripuerit, intra tertium diem moritur.* Quinimo, ubi malus ille sudor (de quo vide §. 1015.) cum difficili respiratione aderat, quem pro lethali signo habebat, subjungit, (*e*) *Rursus autem in his ipsis, si febris accedat, solutio fit.* Pariter & *Aretæus*, postquam jusserat in apoplexia frigida applicari acre clysma, spem salutis esse monet, si (*f*) *Paulùm excitatus homo fuerit, aut febre correptus.* Verùm pariter ex *Hippocrate* patet, quòd tantùm exspectaverit salubrem effectum in apoplexia à febre satìs valida, insurgentis vitæ robore excitatâ; non verò à febre (*g*) quæ suppressis vitæ viribus lentè gliscceret. Hic enim videtur esse sensus illius Coacæ prænotionis, cui similis textus in Prorrheticis (*h*) legitur, quem *Galenus* sic explicuit (*i*) *Quòd obortâ apoplexiâ, non acuta & calida, sed debilis & diuturna subsecuta febris nihil profuerit.*

Verùm §. 1014, dictum fuit pulsum & respirationem, crescere pro rato, quò sensus motúsque plùs decrescunt; utì & circa mortem: adeóque posset falli quis, dum illud pulsûs incrementum ab aucto morbo pendens, pro salubri febre haberet, quæ apoplexiam solvere posset. Sed ubi in mortem tendit apoplexia, respiratio fit magìs sublimis & stertorosa, & omnes functiones animales absolutè abolentur. Contrà verò ubi febris talis valida insurgit & salutaris, respiratio liberiùs peragitur, & levia saltem indicia emendatarum functionum animalium apparent.

(*a*) Wepfer. Histor. Apoplectic. pag. 169.
(*b*) De Morb. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 558.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibid. pag. 559.
(*e*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 880.
(*f*) De Curat. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 82.
(*g*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXXX. Charter. Tom. VIII. pag. 880.
(*h*) Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LXXXIV. Charter. Tom VIII. pag. 752.
(*i*) Ibid. pag. 753.

§. 1018. PAULO gravior, superata causa, solet mutari in paralysin alicujus partis musculosæ; totius lateris unius, unde hemiplegia, vel omnium cervici suppositarum partium, unde paraplegia dicitur; quæ rarò curatur, sempérque memoriæ, judicii, motuum læsiones relinquit; unde soporosi, hebetes, tremuli, vertiginosi, pusillanimes remanere solent.

Hic exitus apoplexiæ non lethalis longè frequentiùs observatur. Nôrunt omnes Medici Practici, quàm rarò emergant ab apoplexia ægri absque ulla superstite læsione functionum animalium. Unde *Celsus* optimè dixit, (*a*) *Solent autem qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi: at si correpti non sunt, diutius quidem vivunt, sed rarò tamen ad sanitatem perveniunt; & plerumque miserum spiritum trahunt, memoriâ quoque amissâ.* Imò *Cœlius Aurelianus* inter signa, quæ epilepsiam ab apoplexia distinguunt, ponit & sequens, quòd (*b*) *Post accessionem epileptici integro habitu consurgant frequentiùs; apoplectici verò paralysin partium sustineant.* Vidi plures, qui ab apoplexiâ curati omnibus functionibus cerebri rectè valebant, nisi quòd deesset hoc unicum, quòd non possent vera rebus designandis vocabula invenire; manibus, pedibus totius corporis nixu conabantur explicare miseri, quid vellent, nec poterant tamen. Malum illud per plures annos sæpe insanabile perstat. Verùm & miro modo sæpe mutantur ab apoplexia emergentes quoàd animi affectus, sic ut viderim, sapientissimis antea viris, & fortissimis militibus, masculum illud animi robur adeo fuisse enervatum, ut flebilis pueri instar ob levissimam causam in lacrymas solverentur. Hinc jurè dixit *Aurelianus*, (*c*) *Quidam parvâ conversione mentis afficiuntur, ut aut alienentur, aut tristes & somniosi videantur, ut si eos quisquam è somno excitaverit, aliquid alienum loquantur.* Sapiens *Malpighius*, qui calculi & prodagræ dolores, & varia adversa, tulerat magno animo; ab apoplexia, & totius dextri lateris paralysi, curatus, (*d*) *Vi antecedentis morbi summopere læsus fuit in memoria & ratiocinio, imò quavis minima de causa solvebatur in lacrymas.* Hinc videtur patere, singulares quasdam encephali functiones manere turbatas, vel & abolitas, totâ vitâ, quia in solo principio primæ determinationis mentis in corpus quid mutatum fuit per apoplexiam prægressam. Unde simul apparet, quàm multiplicia mala sequi possint post apoplexiam, dum vel in parte quadam singulari corporis, vel in pluribus simul, functionum animalium læsio superstes manet. Variis autem nominibus designaverunt Medici hæc mala, quæ motûs muscularis à voluntate pendentis exercitium lædunt, vel & tollunt integre. Obtinuit hodie, communi in Scholis Medicis usu, *Paraplegiam* vocare, quando motus voluntarii cessant in omnibus partibus cervici suppositis: interim tamen idem illud paraplegiæ vocabulum alio sensu

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVII. pag. 178.

(*b*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. V. n°. LIV. pag. 201.

(*c*) Ibid. n°. LII. pag. 200.

(*d*) Bagliv. Oper. Omn. pag. 681. 682. apud

apud veteres Medicos acceptum fuisse constat: Sic *Galenus* testatur quòd *Hippocrates* (*a*) *Paraplegias quidem vocat eas paralyses, quæ ex apoplexia in partem aliquam decumbunt*; adeóque generali ferè nomine omnes læsiones functionum animalium, post apoplexiam superstites, significaret paraplegia. *Aretæus* autem, postquam apoplexiam, paraplegiam, paresin, paralysin, omnia genere eadem esse dixerat, addit sequentia, (*b*) *Paraplegia est tactûs motûsque remissio, sed in membro uno, ut putà manu crurève; paralysis autem motûs tantùm ferè est actionisque defectio.* Paulò pòst monet, *Hippocratem* intellexisse paraplegiæ nomine apoplexiam particularem; (*c*) *Quod enim in toto corpore est vehemens apoplexia, illud in crure paraplegiam vocat.* Patet ergo, quòd Antiqui vocaverint paraplegiam idem illud, quod hodie dicimus paralysin; nam & in illa quandoque unà cum motu sensus integre perit, ut postea ad §. 1057, dicetur; & partis singularis, non verò totius corporis, vitium est. Ubi verò dimidium latus corporis motu voluntario caret, tunc vocatur *hemiplegia*; licèt *Galenus* (*d*) generali paralysis nomine & hoc malum comprehenderit.

Aliâ occasione ad §. 276, dum in Historia vulnerum capitis agebatur de signis, quæ docerent locum læsum intra cranium, demonstratum fuit pluribus Observationibus, quòd organum illud corporeum, unde in nobis sensus & motus voluntarii pendent, sit in sua origine, collectione, distributione & operatione duplex: unde una ejus pars potest integra manere, dum altera impotens omnino fit ad omnia. Illud autem in hemiplegia evidenter obtinet; in qua si exquisita fuerit, dimidia pars corporis à capite ad calcem usque paralytica est. Vidi sic unum frontis latus corrugari potuisse tantùm, dum in altero latere paralytico frons maneret glabra: nec poterat orbicularis palpebrarum oculum claudere, nec buccinator impedire, nec cibi intra genam paralyticam & dentes deciderent: lingua exserta trahebatur versùs latus sanum & in eodem latere angulus labiorum sursum trahebatur, ob faciei musculos in altero latere paralyticos: balbutiebant ægri tales quàm pessimè, dum & dimidia pars linguæ motu carebat: unde & inter manducandum fœdo spectaculo cibi ex ore dilabebantur. Hæc dum videbat *Aretæus*, credidit & interiora similiter (*e*) dimidiatam tantùm virium suarum partem retinere, ventriculum nempe, intestina, &c. Interim tamen hoc non videtur semper in hemiplecticis verum esse: plures enim vidi, qui longè voraciores erant, quàm ante morbum; optimè digerebant ingesta, alvum deponebant; sícque per plures annos vivebant hemiplectici, sed cæterùm satìs sani. Simul ibidem *Aretæus* pulchre notavit (*f*) decussatam illam cerebri actionem, per quam nempe læsio in parte dextra cerebri, paralysim faciat in parte sinistra, & vicissim. De qua re videantur illa, quæ ad §. 276, habentur.

Ratio autem, cur paulò gravior apoplexia raro curetur integre, sed sem-

(*a*) Epidem. Lib. II. Comment. II. text. IX. Charter. Tom. IX. pag. 130.
(*b*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 33.
(*c*) Ibidem.
(*d*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. XIV. Charter. Tom. VII. pag. 449.
(*e*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 33. 34.
(*f*) Ibid. 34.

per ferè relinquat aliquas læsiones in functionibus animalibus, satìs patet ex cognita structura encephali. In Physiologicis probatur, vasa illa, per quæ causa motûs muscularis derivatur in musculos, & à quibus pendent sensuum internorum externorúmque actiones, esse omnium minima totius corporis, simúlque tenerrima. Hinc si causa morbosa comprimendo v. gr; egerit in mollem & pulposam encephali substantiam, plura ex his minimis staminibus poterunt destructa manere per totam vitam, licèt causa morbosa postea tollatur. Quinimo si tenuissimum illud fluidum impeditur per aliquod tempus fluere per minima hæc nervosa stamina, tenerrima collabentur latera horum vasorum, & collapsa concrescent brevì, túncque illa functio, quæ à perviis his vasis pendebat, immedicabiliter læsa manebit toto vitæ tempore, licèt causa quæ apoplexiam produxerat, integrè sublata fuerit. De hoc autem postea adhuc dicendum erit, ubi de paralysi agetur.

§. 1019. EXQUISITA apoplexia (1015) attrito cerebello, corruptis liquidis, causâ in cerebellum propagatâ, in mortem citò finitur, raró septimum diem excurrens.

Ex illis, quæ ad §. 1009, dicta fuerunt, patuit, duas esse distinctas in encephalo partes, quarum una motibus voluntariis & sensibus servit; altera motibus vitalibus & spontaneis, qui voluntatis imperio non subjacent. In apoplexia autem vitales motus manent quidem, sed sæpe satìs brevi tempore illa causa, quæ animales functiones omnes delevit, & vitales tollit; licèt videantur Observata Practica docere, illam partem encephali, qualiscumque demum illa fuerit, minùs facilè lædi, quæ vitalibus functionibus, dicata est (vide §. 1009.). Verùm si effusi humores, v. gr; pergant augeri quantitate, brevì comprimentur omnia in cavo calvariæ. Idem & sequi debebit, si effusi humores corrupti, & acres redditi, rodendo destruant mollem & pulposam encephali substantiam. Quinimo si supponatur, aliam causam, nempe obstructionem plurimorum vasorum encephali, dedisse originem apoplexiæ; brevì propagabitur malum ad illam partem, à qua vitales actiones pendent, quia cor pergit humores pellere per carotides & vertebrales arterias; adeóque vasa libera & pervia adhuc tantò magìs urgebuntur; & cùm tenerrima sint, citò destruentur. Hæc est ratio, quare exquisita apoplexia, de qua hîc tantùm agitur, tam citò lethalis fit, ita ut sæpe intra paucas horas mors sequatur; rarissimè, vel nunquam septem dies excedat; utì patet ex locis *Hippocratis*, quorum ad §. 1017, mentio facta fuit.

§. 1020. FUTURA apoplexia prævidetur, 1°. Ex cognita naturali temperie (1010. n°. 1.). 2°. Materie morbosâ cognitâ ut causa proegumenâ (1010. n°. 2. 3.) 3°. Ex procatarcticis. 4°. Ex primis effectibus incepti mali, ut sunt tremor; vacillatio; vertigo; scotomia; stupor; sopor; memoria vacillans; tinnitus aurium; in-

flatus ſuperiorum; reſpiratio ſolitò profundior, cum naribus compreſſis; incubus.

Cùm ergo tam difficile ſit curare apoplexiam operæ pretium eſt, cognoſcere illa ſigna, ex quibus prævidetur futura, ut præoccupari poſſit, antequam in nervum erumpat: de his jam hîc agitur.

1. De his dictum fuit loco citato.

2. Et de his pariter actum fuit. Hæc quidem ſola, ſaltem haud omnia, nondum faciunt apoplexiam, ſed ſic prædiſponunt, ut, aliâ cauſâ accedente, morbus ſequatur.

3. Hæ ſunt illæ, quæ dum ſuperveniunt, unâ cum prædiſponente conſtituunt cauſam proximam & adæquatam morbi, adeóque neceſſariò morbum ipſum producunt. Sic v. gr; plethora eſt cauſa prædiſponens ad apoplexiam: ſæpe tamen plethorici diu manent in hoc periculo, nec tamen hoc morbo corripiuntur. Verùm ſi noverim, quòd homo plethoricus, æſtuante ſub ſole, motus corporis validos peraget, vina meraca ingurgitabit, ſummâ & ſubitâ iracundiâ excandeſcet, apoplexiam futuram prævideo.

4. Hæc ſigna maximum uſum habent. Raro enim apoplexia abſque ullis ſignis, hîc enumeratis, opprimit, niſi fiat à ſubita ruptura vaſorum: cæteroquin ſemper ferè præcedunt quædam, quæ docent manifeſtè, quòd incipiant turbari, vel ſaltem minùs expeditè peragi encephali functiones. Verùm ſæpe hæc adeo levia apparent & ægris, & Medicis minùs peritis, vel non ſatìs attentis, ut negligantur, túncque tardè medela ſæpe adhibetur natæ apoplexiæ, quæ caveri potuiſſet.

TREMOR. Ponit vacillationem illius cauſæ, quæ motus muſculares producit, utì antea ad §. 627, dictum fuit: unde meritò pro ſigno futuræ apoplexiæ habetur in illis, quorum temperies & vitæ genus huic morbo producendo favent. Non enim tremor ſolus abſolutum ſignum dat; nam in frigore febrili tremor ſemper ferè adeſt, utì & in debilibus hominibus à morbo prægreſſo, evacuationibus nimiis, &c, imò in quibuſdam hominibus, cæterùm ſanis, tremor per multos annos obſervatus fuit; utì pariter ad §. 627, monitum fuit. Verùm dum unà cum tremore alia ſigna concurrunt, quæ docent encephalon gravari, tunc admodum ſuſpectus tremor meritò habetur, tam in acutis morbis, quàm in chronicis. Ideo *Hippocrates* (vide §. 629.) dixit quòd, (*a*) *In vehementer phreniticis, tremores lethales ſunt.* Et alibi, & (*b*) *Quibus ab atra bile mente motis tremores fiunt, malum eſt*: cum tremore alia ſigna conjungens, dixit (*c*) *Valde ſurdi, in accipiendo tremuli, linguam reſoluti, torpidi, malum.*

VACILLATIO; VERTIGO; SCOTOMIA. Primum initium vertiginis, utì antea dictum fuit, eſt apparens rotatio rerum vicinarum quieſcentium; tunc incipiunt colores iridis oculis obverſari, mox vacillant omnes muſculi, incipiunt

(*a*) Coac. Prænot. n°. XCIX. Charter. Tom. VIII. pag. 857.
(*b*) Ibid. n°. XCV. Confer. Prædiction. Lib. I. Comment. I. n°. XIV. Ibid. pag. 710.
(*c*) Ibid. n°. CXCVIII. pag. 863.

homines metuere, ne labantur, & enervantur omnes vires ut se sustinere nequeant; ingratissimus in auribus sibilus percipitur; tùncque aucto malo tenebræ oculis obversantur, & dicitur scotomia, sive vertigo tenebricosa; paulò pòst cadunt. Satìs patet ex his, quòd in vertigine totum sensorium commune afficiatur: verùm tunc inprimis apoplexiam minitatur vertigo, quando causa vertiginis hæret intra cranium; túncque vocatur vertigo idiopathica, hoc autem ex temperie ægri & aliis signis comitantibus cognoscitur. Datur enim & vertigo sympathica, ubi sensorium commune quidem afficitur, sed causa extra cranium hæret; utì v. gr; bilis corrupta in ventriculo, venena ingesta, &c; hæc autem vertiginis species raro in apoplexiam desinit. Ideò *Hippocrates* unà cum vertigine alia signa memorat, quæ causam vertiginis in cranio hærere docent; sic autem habet: (*a*) *Quibus capitis sunt dolores, & sonitus aurium citra febrem, & vertigo* (tenebricosa), *& vocis tarditas, & manuum torpor, eos aut apoplecticos, aut comitiales, aut obliviosos fore exspecta.*

STUPOR. Designat imminutum, vel & abolitum sensum tactûs in parte quadam corporis: signum, quod sæpe præcedere solet apoplexiam; inprimis si cum stupore sentiant, ac si aucta fuerit membri stupentis moles. In plethoricis sæpe observatur, quòd sentiant digitos manuum quasi mole auctos & obtusiorem tactûs sensum habeant; imò digitos manuum difficiliùs in pugnum colligere valeant. Tunc novimus, nimis impletis vasis sanguineis, in cavo cranii jam incipere obrui sensorium commune: & nisi solvatur subitò hæc plethora, à levi causa accedente sequetur apoplexia. Interim notandum est, quibusdam hominibus familiare esse, ut subinde quædam corporis partes stupeant absque magno malo. Novi quosdam, qui jam per multos annos talem stuporem patiuntur, si dormientes huic illíve lateri incumbant diutius; imò & sæpe vigilantibus idem contingere solet. Initio metum incussit hoc symptoma, sed cùm nullum inde malum secutum fuerit, inceperunt securi esse. Unde *Hippocrates* cautè dixit, (*b*) *Torpores & sensûs stupiditates* (ἀναισθησίαι) *præter morem contingentes, futuræ siderationis* (apoplexiæ) *signum sunt.*

SOPOR. Apoplexia magnam similitudinem habet cum somno profundissimo, utì antè ad §. 1008, dictum fuit; hinc non mirum est homines, qui in hunc morbum inclinant, somnolentos esse, dum jam incipit à sensim aggestis humoribus in cranio comprimi encephalon, vel & à nimia copia distentis vasis sanguineis impediuntur reliqua vasa minora (vide §. 106. *lit.* δ.). Vidi plures plethoricos admodum, vel & valde obesos, qui totâ die vix à somno arceri poterant; sed ex antè dictis notum est, similes frequentissimè apoplexiâ corripi.

MEMORIA VACILLANS. Designat enim hoc symptoma, turbari jam sensorium commune; hinc in acutis morbis phrenitidem præsagit illa oblivio subitanea (vide §. 772.). Sed & videmus sæpe in Viris literatis, ingruente jam senio, illas eclipses quasi memoriæ, certa ferè semper apoplexiæ secuturæ præsagia. Memorabilis talis casus apud *Wepferum* (*c*) habetur, de primario

(*a*) Coac. Prænot. n°. CLXII. Charter. Tom. VIII. pag. 861.
(*b*) Ibid. n°. CCCCLXXVI. pag. 879.
(*c*) Observat. Med. Pract. de Affect. Capit. pag. 359.

Aulæ Ministro, cui subinde memoria delebatur, redintegrata postmodum, postquam sæpius has alternationes passus esset, profundo sopore triginta horarum periit: demptâ calvariâ effluxit magna copia aquæ, & cerebri exteriori parti adhæserunt vesicæ, aquâ limpidâ distentæ. Quod autem notandum est, de cephalalgia, vertigine, aut tinnitu aurium nunquam fuit conquestus; unde apparet, signum hoc magni momenti esse ad præsagiendam apoplexiam, & inprimis illam speciem, de qua §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, dictum fuit.

TINNITUS AURIUM. Solet contingere etiam sanis hominibus, quibus nullus apoplexiæ metus est; cùm à levibus satìs causis oriri posse videatur, quæ in ipso auditûs organo hærent. Verùm ubi ab encephalo affecto aurium tinnitus producitur, tunc & diuturnior esse solet, & frequentiùs recurrit; atque meritò pro signo habetur compressionis encephali, sive à distentis nimis vasis sanguineis, utì ad §. 665, dictum fuit, ubi de debilitate febrili ab hac causa orta agebatur; sive ab extravasatis, in cavo calvariæ liquidis, sensim auctis: unde inter signa, quæ aquæ in cerebro collectionem fieri docent, *Hippocrates* & (*a*) tinnitum aurium recensuit.

INFLATUS SUPERIORUM. Antea ad §. 773, ubi de symptomatibus phrenitidem comitantibus agebatur, dictum fuit de facie illa rubra admodum, & vultuosa dicta, quæ designabat liberum minùs transitum esse per ramos carotidum internarum, adeóque externos ramos magìs impleri. Ubi à nimia plethora imminet apoplexia, tunc etiam talis rubedo & inflatio quasi faciei observatur. Verùm ubi pituitosa, lenta, cacochymia adest, turget corpus, sed frigido tumore; & prima ferè signa in facie apparent, dum flaccida illa pars faciei sub oculis tumere incipit. Quò magìs autem interiora cranii repleantur tali humore pituitoso, eò plùs etiam inflata apparet facies; unde & inter signa apoplexiæ, à tali causa nasciturae, oculi pallidi, turgidi, & humentes recensiti fuerunt ad §. 1010. n°. 2. *lit.* γ.

RESPIRATIO SOLITO PROFUNDIOR, &c. Inprimis somni tempore: cùm autem respirationis augmentum adsit in apoplexia (vide §. 1008.), talis respiratio designat, somnum profundiorem esse naturali; & jam in apoplecticum vergere. Pinnæ autem narium compressæ incipientem paralysin musculorum faciei indicant, à quibus narium pinnæ diducuntur. Frequenter enim prima imminentis apoplexiæ signa in facie conspiciuntur, dum in uno latere jam debilitatis musculis, in opposito latere positi prævalent, & magìs contracti vultum miro modo mutant: hoc ipso tempore, dum hæc scribo, vidi in nobilissimo ægro unum latus faciei tantùm paralyticum, & pinnam nasi in eodem latere collapsam.

INCUBUS. Dicitur adesse, quando somni tempore ingens anxietas cum sensu ponderis incumbentis percipitur, unà cum impotentia motûs & loquelæ. Illi, qui hunc morbum experti fuerunt, testantur omnes, quod se sic habuerint, & quod liberati fuerint, simulac aliquod membrum movere potuerint, vel vocem proferre. Cùm autem, ubi ab interna causa sensorium

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 556.

commune sic mutatur, utì olim ab externis causis in corpus agentibus mutatum fuerat, tunc sibi persuadeat homo similes causas externas existere & agere, utì antea ad §. 700, latiùs dictum fuit, ubi *De Delirio febrili* agebatur; patet ratio, quare credunt spectrum sibi incumbere, & suffocationem minitari. Cùm enim idearum ortus non respondent externis causis, sed internæ cerebri dispositioni, miræ oriuntur phantasiæ, utì tunc explicatum fuit. Hinc *Incubus*, vel & *Incubo* dicitur, (*a*) *Siquidem veluti adscendere atque insidere suo pectori sentiunt quidquam.* Ob sensum autem suffocationis imminentis à *Themisone* (*b*) Πνιγαλίων vocabatur. Utì autem Latinis ab incubando, sic Græcis ἐφιάλτης ab ἐφάλλεσθαι, id est, insiliendo dicitur, (*c*) *Quòd hoc malo correpti imaginentur se ab aliquo* (insiliente) *invadi & violari.* Novi hoc contigisse quibusdam, dum in dorsum se componentes obdormiverant, & pulvinari, cui incumbebant deorsum delapso, retrorsum inflexâ cervice decumbebant. Quibusdam, lateraliter & antrorsum delapso capite inter dormiendum, sícque cervice antrorsum admodum inflexâ, idem contigit. Fortè retrorsum sic reclinato capite, tota moles cerebri, sinus laterales, & torcular *Herophili* premit, & antrorsum versùs alterum latus inclinato capite, impedimentum nascitur venis jugularibus, atque inde turbantur actiones encephali. Facilè autem patet, quòd incubus, à sola capitis positura in somno minùs commoda ortus, non adeo malis ominis sit: plurimi enim sic aliquando incubum passi fuerunt absque ulla noxa sequente. Verùm ubi à causa morbosa, lymphâ v. gr; sensim aggestâ in capite, incubus oritur somni tempore, tunc frequenter recurrere solet idem malum, & apoplexiam minitatur, vel & alia mala difficillima à turbato sensorio communi pendentia. Unde dixit *Aetius*, (*d*) *Qui incubus appellatur, non est dæmon, sed magis præludium & procemium morbi comitialis, aut maniæ, aut apoplexiæ.* Et paulò pòst addit sequentia: *Occurrendum igitur inchoanti malo; perseverans enim, & assiduò invadens, quempiam ex prædictis morbis inducit, crasso humore paulatim collecto in cerebri ventriculis.*

§. 1021. PRÆSENS facilè noscitur, si modò inter diversos ejus gradus distinguitur.

Apoplexia enim exquisita cognoscitur illis signis, quæ §. 1008, habentur. Quomodo autem diversi gradus apoplexiæ distingui possint, dictum fuit ad §. 1013. 1015. 1016.

§. 1022. CURATIO hujus mali generalis nulla dari potest: oportet enim, ut pro varietate causæ (1010), modo applicandi, & loci affecti, varia omnino sit; & ut applicetur antequam malum adoleverit.

(*a*) Cæli. Aurelian. Morbor. Chronic. Lib. I. Cap. III. pag. 288.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Gorræ. Definit. Medic. pag. 231.
(*d*) Lib. VI. Cap. XII. pag. 104, versâ.

Ex recensione causarum §. 1010, hoc sponte patet, nam hæ adeo diversæ sunt, ut sæpe opposita medela requiratur. Hoc inprimis ideo monendum erat, quia jactantur talia remedia, quæ magnatibus quibus hic morbus ob lautiorem diætam frequentior est, magno sæpe venduntur pretio, & ferè omnia aromatibus acerrimis, salibus volatilibus alcalinis, & similibus, constant, quæ in apoplexia, à plethora vel ab inflammatione orta, pessimè nocent. Præterea si tumor venas jugulares comprimeret, frustra capiti medela fieret, dum tota cura pendet ab eo, ut tumor ille tollatur. Cùm autem adeo difficilis curatu sit hic morbus, licèt levis fuerit, utì antea dictum fuit; requiritur ad felicem curam ut potiùs idoneâ medelâ præcaveatur antequam fuerit, vel saltem in ipso hujus morbi initio adhibeantur omnia, quæ prodesse possunt: cùm enim invaluerit, brevì lethalis erit, vel si evadat æger, nunquam ferè in integrum restituentur actiones sensorii communis, sed miserrimam postea vitam trahet; utì dictum fuit ad §. 1018. Oportet ergo ut ordine curatio describatur secundùm diversas causarum classes.

§. 1023. SI ergo lentâ, inerti, frigidâque causâ (1010. n°. 2. *lit.* γ.) oritura prævidetur per signa ibi posita, statim conandum, 1°. Ut pressio glutinosi à capite avertatur. 2°. Lentor in cerebro & in toto corpore attenuetur.

Ubi jam encepali vasa lento tali humore infarcta sunt, parùm spei superest: hinc monetur iterum, quòd cura institui debeat, dum ex signis antea descriptis futura prævidetur apoplexia. Duo tunc hujus curationis capita considerantur: si enim posset, illa pituitosa cacochymia tolli illico, optima & perfectissima cura foret: verùm, ut hæc attenuetur, tempus requiritur; adeóque opus erit, ut illud glutinosum omni Artis molimine à capite avertatur. Licèt enim illud alias partes corporis occupet, illarúmque functiones impediat, minus inde erit periculum, & facilioris curæ spes. Dum leucophlegmatici, vel & chlorosi laborantes puellæ, toto corpore turgent lento tali & pituitoso humore, languent quidem, sed curantur tamen, quamdiu in encephalo hæc colluvies nondum collecta fuerit. Sequitur, ut consideretur, quibus modis bina hæc, ad præcavendam apoplexiam à lenta & glutinosa sanguinis cacochymia, requisita obtineri possint.

§. 1024. PRESSIO in vasa cerebri minuitur: 1°. Derivatione in alia, & opposita loca. 2°. Evacuationibus universalibus.

1. Dum cor pellit sanguinem in aortam, ille, proportionaliter ad magnitudinem diametrorum, pellitur per omnes ejus ramos, si ubique eædem fuerint resistentiæ; adeóque ut derivetur impetus & copia humorum à vasis cerebri, debet minui resistentia vasorum in aliis locis, ut illa plùs capiant; & tunc obtinetur hæc derivatio; inprimis si inferiora corporis vasa sic disponantur, ut majorem copiam humorum recipere possint. Hinc hæmorrhoi-

des, menstrua, alvi fluxus, adeo prosunt in hoc morbo, utì ad §. 1017, dictum fuit.

2. Quia illis humorum per vasa movendorum copia minuitur.

Singula hæc jam seorsim binis sequentibus paragraphis considerabuntur.

§. 1025. VAPOR, fotus, balneum, suctio, epispasticum, rubefaciens, vesicans, causticum, fonticulus, setaceum, frictio, ligatura determinata, venis majoribus, pedibus, cruribus, femoribus, applicata, primo scopo attingendo (1024. n°. 1.) valent. Collutiones, gargarismi, masticatoria salivam moventia, apophlegmatismi ori, faucibus, naribus applicata, eidem inserviunt.

Priora omnia applicantur partibus inferioribus corporis: quædam hâc spe ut minutâ resistentiâ laterum vasorum hæ partes plùs turgeant humoribus, adeóque minor copia liquidorum superiora petat. Vapor enim, fotus & balneum hoc efficiunt, laxando partes solidas; suctio verò, inprimis per cucurbitas, tollendo vel minuendo multùm pressionem atmosphæræ, efficit, ut illico partes corporis quibus hæ applicantur, tumeant quàm maximè. Alia verò irritando has partes augent motum humorum per easdem, utì sunt epispastica rubefacientia, &c. De omnibus autem his, quæ revellendo impetum humorum in alias partes prodesse possunt, dictum fuit antea ad numerum quartum §. 396, ubi de curatione inflammationis agebatur; atque ibidem hæc singula explicata fuerunt, utì & ad §. 134, ubi de derivantibus, attrahentibus, propellentibus, in cura obstructionis agebatur.

Cùm autem in inflammatione curanda semper simul cavendum esset, ne acrioribus irritantibus motus sanguinis in toto corpore augeretur, ideo majori cautelâ laudabantur vesicantia, inprimis ex cantharidibus parata. In hac autem apoplexiæ specie, quæ frigidæ temperiei hominibus familiaris est, & in qua iners pituitosa sanguinis cacochymia adest, tutior cantharidum usus est, cùm simul & prosint attenuando illud glutinosum, utì §. 1027, dicetur. Quàm pulchrum autem effectum setacea habeant in capitis morbis curandis, antea dictum fuit ad §. 396, & pluribus Observatis etiam in hoc morbo confirmatur. Sic stuporem, post apoplexiam manentem, qui frustra tentatus fuerat vesicatoriis, & fonticulo, sanavit integre setaceum (*a*). Ita & in puero, qui delapsus ab equo apoplecticus fuerat factus, manebat memoria læsa, per plures septimanas: setaceo autem applicato intra octiduum perfectissimè convaluit (*b*).

Ligaturæ autem artuum tales, ut venas comprimant, arterias non adeo, utpote profundiùs sitas plerumque, & minùs facilè comprimendas, efficiunt, ut magna copia humorum colligatur in artubus; cùm arteriæ admittant, venæ verò pressæ reditum ad cor impediant; hinc longè minori copiâ urgebitur

(*a*) La Motte, Traité complet de Chirurgie, Tom. I. pag. 122.

(*b*) Medical Essays, Vol. V. Part. II. Observ. LII. pag. 598.

tur caput. Ideo & aliâ occasione ligaturæ artuum laudatæ fuerunt ad compescendam nimiam narium hæmorrhagiam (vide §. 743.). Quinimo & validissimas crurum ligaturas apoplecticos excitasse legitur (*a*). Verùm tunc potiùs dolorem faciendo videntur profuisse, quàm comprimendo vasa, quia fortissima talis constrictio & arterias comprimit, adeóque numerum vasorum transmittentium in inferioribus partibus minuit; cùm levior ligatura solas venas angustet, non arterias, adeóque plùs prosit, pressionem versùs caput minuendo.

Verùm & alio modo illa derivatio inertis & frigidæ pituitæ ab encephalo obtineri potest. Notum est ex Physiologicis, totum os internum, & fauces, semper madere muco naturaliter, ipsam salivam sanam aliquid lentoris habere, narium internam superficiem oblinirí mucoso humore, qui in crassas adeo lemas concrescere potest, in aqua tamen dissolubiles. Sed omnes illæ partes, quæ mucum in his locis secernunt, accipiunt sanguinem arteriosum, unde hæc secretio fit, à ramis carotidum externarum, unde videtur sanguis, ad encephalon tendens, & secretioni subtilissimi fluidi destinatus, liberari (*b*) *Salivæ mucique materie*, antequam per vasa cerebri fluat. Si ergo à mucosa tali colluvie apoplexia metuatur, optimo consilio tentant Medici augere secretionem muci in omnibus his locis, ut eò purior sanguis ad encephalon veniat. Augmentum verò secretionis muci in his locis obtineri poterit, dum vasa excretoria collutionibus emollientibus laxantur, ut faciliùs emittant secretum liquidum; & præcipuè si stimulantibus irritentur hæc loca, tunc enim majorem liquidi copiam plorant, utì constanti lege observatur. In *Materia Medica* ad hunc numerum tale decoctum stimulans, ex aromatibus acrioribus compositum, habetur, quod instar collutorii oris, & gargarismi, optimo cum fructu adhiberi posset in hoc casu. Præterea constat ex Physiologicis, salivæ (*c*) *Fontes & emissaria sic sita esse, ut motu manducationis & loquelæ, inprimis humores suos profundant*; hinc laudantur & masticatoria, quæ solent habere pro basi talia, quæ diutissimè sub dentibus teri possunt, nec tamen facilè solvuntur in saliva; utì sunt cera, v. gr; & inprimis mastiche, quæ absque imminutione suæ substantiæ per integrum diem dentibus conteri poterit: his deinde admiscent acria aromata, quæ stimulando & irritando majorem salivæ & muci copiam eliciunt; qualia sunt *pyrethri radix*, *zingiber*, *piper*, &c. Formula talis masticatorii salivam moventis, in *Materia Medica* ad hunc numerum pariter habetur. Naribus etiam similia applicari possunt, hâc tamen lege, ut ab acrioribus hîc abstinendum sit, cùm interna narium superficies longè faciliùs irritabilis sit, quàm os internum vel fauces, & nimia sternutatio inde excitari posset. Remedia, quæ huic usui pulchre serviunt, recensentur in *Institutionibus* (*d*): illa verò quæ ultimo numero ibi habentur, acriora sunt; hinc magna cum cautela solùm adhiberi possunt; & ferè tantùm in illis, qui diuturno usu tabaci callosas ferè nares habent. Quia autem

(*a*) Lamotte, Traité complet de Chirurg. Tom. I. pag. 122.
(*b*) Boerhaav. Instit. Medic. §. 235.
(*c*) Ibid. §. 65.
(*d*) Ibid. §. 1195. n°. I. II. III.

tantam copiam muci hæc remedia de naribus educunt, vocantur *Apophlegmatismi*, quæ ab *Aretæo* commendantur, (*a*) *In omnibus capitis vitiis.* Patet autem ex dictis, hæc omnia duplici modo prodesse, nempe quatenus partem materiæ morbosæ evacuant, & quatenus, augendo copiam motúmque humorum per ramos carotidis externæ, avertunt pressionem ab encephalo, cui carotides internæ prospiciunt. Ob ultimum illum effectum in cura phrenitidis (vide §. 781.) laudabantur collutoria & gargarismata, sed lenia, quia in morbo acuto inflammatorio stimulantia non carent periculo.

§. 1026. VOMITORIA, purgantia valida, certò determinata; scarificatio, venarum pertusio, secundo scopo (1024. n°. 2.) satisfaciunt; licèt aliquid semper incerti secum ferant.

Evacuationes quæcumque, copiam liquidorum subducendo, minuunt & pressionem fluidorum in vasa; verùm considerandum est, an evacuationes conveniant semper, & quales. In hac morbi specie corpus turget lentis & pituitosis humoribus, & vomitus pituitæ frequens sæpe adest (vide §. 1010. n°. 2. *lit.* γ.); adeóque satìs commodum videretur, per vomitorium datum, partem hujus saburræ, primas vias gravantis, excutere, sícque cavere ne ulteriùs sanguini admisceatur. Monuerat *Celsus*, vomitum prodesse illis, quibus; (*b*) *Frequens saliva, vel nausea est; aut sonant aures, aut madent oculi.* Quæ symptomata adsunt in hoc morbo (vide 1010. n°. 2. *lit.* γ, & 1020. n°. 4.). Adeóque non videtur omnino improbari posse vomitoriorum usus in hoc casu; & in *Materia Medica* ad hunc numerum plures habentur formulæ, quæ huic scopo servire possent. Interim tamen in ipso actu vomitûs, utì jam sæpius monitum fuit, humores magnâ copiâ & impetu versùs caput feruntur; adeóque hic effectus repugnat primæ indicationi, §. 1023, quæ pressionem glutinosi à capite avertendam jubet. Meritò ergo monetur in textu, quòd aliquid incerti semper secum ferant; quatenus nempe inter vomendum nimis urgentur vasa cerebri: unde *Hippocrates* monuerat, (*c*) *A vomitu singultus & oculorum rubor, malum.* Verùm aliâ occasione demonstratum fuit (vide §. 772.) quòd rubor oculorum denotet, encephali vasa nimis dilatata surgere. Unde *Aretæus* non commendat vomitoria in hoc morbo, sed purgantia laudat; spontaneum tantùm vomitum non improbat, dicens, (*d*) *Sin autem & dum purgatur, nauseabundus sit, id ne prohibeto; nam & illa distentio vigorem quemdam ad expergefaciendum præstat, & pituitæ vomitus morbi causam evellit.*

Purgantia ergo videntur tutiora esse, cùm evacuando simul versùs inferiora revellant humorum copiam & impetum, & sponte lenis apoplexia

(*a*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. II. pag. 115.

(*b*) De Medicin. Lib. I. Cap. III. pag. 29. 30.

(*c*) Aphorism. Sect. VII. n°. III. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 293.

(*d*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 82.

quandoque ſolvatur per alvi fluxum, utì §. 1017, dictum fuit. Valida autem laudantur purgantia, ut certum effectum præſtent, & copiam magnam evacuent. Unde & *Aretæus* (*a*) hieræ integram potionem, ſive doſin, commendat; quæ videtur, utì ex alio loco patet, (*b*) *Quatuor vel quinque drachmarum fuiſſe.* Quòd autem ſatìs acre purgans illud fuerit, patet ex alio loco ejuſdem Auctoris: ubi in cura lethargi, dum copoſiùs purgare volebat, hieræ tantùm (*c*) drachmas duas dabat cum mulſæ cyathis tribus; quæ videtur eſſe dimidia potio, quam commendat in apoplexia curanda, ſi vires debiliores prohiberent (*d*) ne integra doſis dari poſſet. In *Materia Medica* ad hunc numerum purgans potio ſatìs efficax habetur, ex ſcammonio & reſina jalappæ, quæ & ſolvendo & evacuando multùm in hoc caſu prodeſſe poterit. Bihorio autem poſt tale purgans aſſumptum, acre clyſma injicitur, ut eò citiùs aſſumpti pharmaci vis versùs inferiora determinetur.

Sanguinis autem evacuatio videtur præ reliquis magìs incertum in hoc caſu eventum habere; imò vix prodeſſe poſſe. Si enim conferantur illa, quæ ad §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, habentur, patebit, in talibus ægris deficere partem ſanguinis rubram; & ex hac cauſa languores illos & torpores naſci, lymphámque accumulari in cavis corporis, unde ſymptomatum, ibi recenſitorum, caterva deducta fuit. Dum ergo per venæ-ſectionem aut ſcarificationes adhuc magìs minuitur copia ſanguinis, augetur cauſa morbi. Interim tamen nihil magìs familiare eſt in Praxi, quàm ut Medici illico ad ſanguinis miſſionem confugiant, ubi apoplexia metuitur: imò famæ damnum incurrunt illi, qui hoc remedium neglexiſſe videntur, apud ignarum vulgus. Quin & *Celſi* auctoritas ſanguinis miſſionem ſemper ſuadere videtur; dum dicit, quòd, (*e*) *Maximè fieri debet, ubi nervi reſoluti ſunt, ubi ſubitò aliquis obmutuit.* Verùm ſi conſideretur, evacuationes tunc tantùm prodeſſe in morbis quando vel morboſam materiam tollunt, vel nimiam copiam ſanguinis boni minuunt in plethoricis, vel motûs circulatorii nimiam celeritatem ſedant, aut denique impetum humorum circulantium à partibus affectis derivant in alia loca; facilè patet, non multùm boni à ſanguinis miſſione in hoc caſu exſpectandum eſſe. Motus enim ſanguinis per vaſa languet; copia ejus deficit; & materia morbi extra vaſa in cavis corporis accumulatur; vel lentum illud glutinoſum circa anguſtias ultimas vaſorum arterioſorum hærere incipit; adeóque nullo modo per venæ-ſectionem educi poteſt, cùm in venas tantùm tranſeat illud, quod per ultimos fines arteriarum ire potuit: revulſio autem à capite tutiùs & meliùs fieri poterit per illa, quæ præcedenti paragrapho laudata fuerunt. Imò *Celſus* ipſe prudenter monuerat circa ſanguinis detractionem per venas, quòd conſiderari debeat, (*f*) *Etiam morbi genus quod ſit: utrum ſuperans, an deficiens materia læſerit.* Certè in hoc caſu deficit ſanguis, non ſuperat; adeó-

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 82.
(*b*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. II. pag. 115.
(*c*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. II. pag. 78.
(*d*) Ibid. Cap. IV. pag. 82.
(*e*) De Medicin. Lib. II. Cap. X. pag. 79.
(*f*) Ibid. pag. 78.

quæ non debet evacuari. *Aretæus* prudenter monuit, (a) *Frigiditate multâ, & torpore, & sensuum abolitione hominem occupante*, venam minimè scindendam esse; sed tunc ad clysteres acriores, & ad purgantia confugiebat, ut & intestina liberaret, & humores, caput occupantes, revelleret. Sed & *Hippocrates* dixerat, (b) *Sanguinis detractio in perfrigeratione torpida, mala est.* Idem verum est de scarificatione, & cucurbitis, quæ revellendo prodesse possunt summopere, utì paragrapho præcedenti dictum fuit; sed sanguinem evacuando in hoc casu pariter nocerent, ob rationes dictas.

§. 1027. LENTOR verò, præmissis (1024. 1025. 1026.) determinantibus, dissolvitur remediis generalibus contra gluten descriptis (75) cum prudentia adhibendis, capiti applicandis omni formâ: inter omnia vesicæ per cantharidas prosunt, & insecta similia sensim usurpata.

Sequitur jam altera pars indicationis, nempe ut lentor in cerebro & in toto corpore attenuetur. Antea peculiari capitulo actum fuit de glutinoso spontaneo, illiúsque causæ recensitæ fuerunt (vide §. 69, ad §. 76.): simul enumerata fuerunt illa mala, quæ à tali sanguinis cacochymia sequi possunt; & inter illa monitum fuit, quòd & functiones animales inde perturbarentur. Ibidem & habentur omnia illa, quæ ad curam glutinosi spontanei spectant, tam in diæta, quàm in medicamentis & corporis exercitiis. Verùm cùm auctus motus & stimulantia remedia ibidem commendata fuerint, patet satìs, quòd prudentiâ magnâ opus sit in cura hujus cacochymiæ, ubi symptomata docent, encephali functiones jam perturbari: si enim nondum satìs attenuatos humores subitò moveas, hærebunt tantò pertinaciùs impacti angustiis vasorum, & augebuntur omnia mala. Hæc est ratio, quare priùs præmitti debeant determinantia, ut, quantùm per Artem fieri potest, pressio à capite avertatur, simúlque per evacuantia tollatur pars gravantis saburræ pituitosæ. Tunc à lenioribus incipiendum est, & inprimis ab illis, quæ potenter solvunt, & tamen circulationis impetum non augent subitò & vehementer; qualia sunt sapo Venetus, tartarus tartarisatus, tartarus regeneratus, salia alcalina fixa ex cineribus plantarum, &c: ubi his aliquamdiu usurpatis, levamen symptomatum docet, lentorem attenuatum esse, tunc acriora, & motum humorum magìs augentia, tutò adhiberi possunt; unà cum roborantibus, quæ laxitatem nimiam solidarum partium (semper hujus cacochymiæ comitem) emendent. In *Materia Medica* ad §. 75, omnia hæc remedia, in suas classes ordine distributa habentur; unde peti possunt. Sed & capiti raso ex similibus fomenta, epithemata applicari possunt cum fructu, ut omnibus his simul conspirantibus lentor & in toto corpore, & in cerebro, attenuetur.

Vesicatoria autem maximum hìc usum habent quæ non tantùm stimulando partem, cui applicantur, & irritando, revulsionem faciunt versùs alia loca

(a) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I, Cap. IV. pag. 81.

(b) Coac. Prænot. n°. CCCXLIII. Charter. Tom. VIII. pag. 871. Confer. Ibid. n°. CCCCXLI. pag. 880.

corporis, uti §. 1025, dictum fuit; sed & solvendo epidermidem à cute, faciunt, ut sub elevata epidermide colligatur magna copia lymphæ, quæ, perpetuâ hâc vesicâ, per plures dies sæpe pergit effluere; simúlque motum in toto corpore augent, lentorem attenuant & dissolvunt. Quibusdam in locis Medici nudæ capitis cuti, novaculâ derasis capillis, applicant pileolum emplastro vesicatorio obductum; non quidem sine molestia, sed insigni in similibus morbis emolumento. Celeberrimus *Wepferus* (*a*), dum à colluvie serosa symptomata aderant, quæ apoplexiam minitabantur, hoc remedium tamquam efficacissimum laudavit; imò bis vel ter repeti jussit, hanc cautelam inprimis adhibens, ut capillatæ cuti capitis apponeretur tantùm, & sic firmaretur vittâ vel fasciâ, ne locum mutando aures vel cutim non capillatam tangere posset. Affirmat autem, quòd hoc morbo, absque dolore, absque vesica excitata (nisi cicatrix alicubi adsit), magna copia aquæ cum effectu sensibili ex cute educatur. In alio tamen loco (*b*) monet, non esse radendum caput, sed crines forfice tantùm detondendos esse; simúlque addit hanc cautelam, quòd non ultra octo horas relinquendum sit hoc emplastrum, cùm diutius hærens stranguriam molestam excitare soleat. Simili, sed leniori vi, prædita, insecta interno usui ad eumdem scopum servire possent; ut sunt millepedes, coccinella, &c. Usus verò internus cantharidum meritò suspectus habetur; ideóque prudentiores Medici his abstinere solent.

§. 1028. SI ab iisdem causis (1023) apoplexia jam facta est, raro curatur: si vires ferunt, eadem tentanda (1023, ad 1028.); naribus, ori, capiti applicanda omnia, quæ sensus excitare queant; acerrimi usurpandi stimuli quicumque; alvus acri clysmate laxanda.

Cùm adeo difficulter impediri possit, ne apoplexia sequatur, ubi totum corpus lentâ tali & glutinosâ cacochymia scatet; patet facilè, adhuc minorem spem esse curandæ apoplexiæ jam præsentis, adeóque non sine ratione moneri, quòd raro curetur. Interim tamen ægrum talem, post acerbam prognosin, fato suo relinquere, durum videtur; & Medicus culpari posset, ac si neglexisset illa remedia, à quibus adhuc aliquid sperandum erat. Simul & semel ergo tentanda sunt omnia, quæ prodesse possint, præmonitis priùs ægri amicis de summo & inevitabili ferè mortis periculo. Cùm autem eadem causa sit in hac apoplexia jam nata, quæ antea explicata fuit, tamquam metum faciens apoplexiæ futuræ; patet satis, eamdem requiri medelam, quæ præcedentibus paragraphis descripta fuit. Subita ergo revulsio à capite per illa, quæ §. 1025, habentur, tentanda est; & inprimis per vesicatoria; simúlque evacuatio fieri debet, si vires adhuc supersint. Cùm autem tales apoplectici vix deglutire possint, præcipua spes est in applicatione clysmatis, & quidem acris, ut & citò & validè alvum ducere possit, à quo remedio *Are-*

(*a*) Observat. Medic. Practicæ de Affect. Capit. pag. 71. 229. 255.

(*b*) Ibid. pag. 231. 250.

tæus (*a*) & copiæ ſubductionem, & revulſionem à capite exſpectabat meritò; ſed jubet, ut acre ſit tale clyſma, addito euphorbio & colocynthide. Neque videtur alia tentaſſe in hoc caſu, niſi poſt tale clyſma applicatum (*b*) *paulùm excitatus homo fuerit, aut febre correptus, aut ſenſum ab illo marcore ſuſcipiens, aut arteriæ bono pulſu reſtituto, aut facie utcumque meliora ſignificante;* (tunc enim) *ſpes ſalutis concipienda eſt, audaciùſque ſubveniendum.* Formula talis acris clyſmatis in *Materia Medica* ad hunc numerum habetur, & alia ſimilia ex hellebori nigri radicibus v. gr; parari poſſent, quarum uncia, aquæ incocta, potens remedium exhibet. Verùm cùm in hoc caſu periculum in mora ſit, præſtat, ut minimo temporis ſpatio tale remedium præſtò eſſe poſſit. Proſtat in Officinis *Confectio Hamech* dicta, quæ bonam copiam colocynthidis habet: cujus uncia, vel uncia cum dimidia, in aquæ unciis decem diluta, additis binis drachmis ſalis gemmæ, tale clyſma exhibet; quod & repeti poſſet, ſi paulò pòſt per alvum exiret injectum remedium.

Præterea ſolent acerrima ſtimulantia variis partibus corporis applicari, ut ſopitos excitent ſenſus. Spiritum ſalis ammoniaci fugaciſſimum naribus adhibent: acetum accerrimum cum caſtorei tinctura laudant alii; balſama illa, apoplectica dicta, ex oleis ſtillatitiis acerrimis parata, temporibus applicant, naribúſque ſublinunt. Præter veſicatoria, applicant plantis pedum acria epiſpaſtica ex ſeminibus ſinapi contuſis, raphano ruſticano. Imò nullus morbus fortè eſt, in quo ægri magìs vexantur, & quidem meritò; vel enim his omnibus ſimul & ſemel tentatis à tanto periculo eripiuntur; vel ſi fruſtra hæc tentata fuerint, illas moleſtias non percipiunt, omni ſenſu carentes.

§. 1029. IN uſu tamen horum omnium (1028) augetur ſæpe malum, materie magìs motâ, & impactâ, per omnia ſtimulantia: viribus tamen mox projiciundis per evacuantia. Hinc in concilianda diſſolutione ſemper evacuationi & avulſioni ſtudendum, quantùm res pati queat: inde regula; venæſectio, nî juvet, occidit.

Antea ad §. 75, ubi de cura morborum à glutinoſo ſpontaneo oriundorum agebatur, dictum fuit, auctum motum quidem prodeſſe, ſed ſimul cavendum eſſe, ne ſubito motu excitato, mucoſa hæc materies impingatur in vaſorum anguſtias, atque ibi immeabilis hærens periculoſos morbos producat. Dum ergo talis materia, encephalon occupans, apoplexiam producit, ſatìs patet, ſemper metum eſſe, ne per ſtimulantia valida, ſimul & ſemel omni modo applicata, augeatur malum, dum per hæc urgetur materies, nondum ſatìs meabilis reddita, ut tranſire poſſit. Evacuantia quidem tutiora videntur, ſed quandoque in debilibus his & languentibus jam, antequam hoc morbo corriperentur, illico omnes vires corruunt per evacuationes copioſiores. Unde apparet, magnâ hîc prudentiâ opus eſſe, ut & ægro emolu-

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 81. 82.

(*b*) Ibid. pag. 82.

mentum adferat, simúlque famæ suæ consulat Medicus in ancipiti hoc morbo. Si enim acria hæc excitantia adhibita non fuerint, vel parciùs, prudenti consilio, mors ægri adscribetur horum neglectui ab ignaris vel malevolis. Et pariter, si post subitas evacuationes, viribus illico collapsis, æger pereat, culpabitur Medicus, inprimis apud Magnates, qui nunquam creduntur perire morbis, sed tantùm Medicorum erroribus. Interim cordati Medici omnes fatebuntur, nihil aliud superesse ad curam hujus morbi, nisi ut vel evacuando tollatur materies morbi, vel attenuando reddatur meabilis: omnium optimum foret, si hæc simul fieri possent, cùm præsens periculum nullam ferat moram; simúlque dum hæc fiunt, omni Artis molimine pressio glutinosi à capite averteretur.

Celsus generale posuit axioma Practicum sequens, (*a*) *Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat.* Illud autem, perperam intellectum, sæpe ansam culpandis Medicis dedit: si enim venæ-sectione institutâ moreretur æger, ex *Celsi* auctoritate pronuntiabatur, quòd Medicus occidisset: si non secabatur vena, moriente ægro, culpabatur Medicus, quòd non juvasset. Hinc utrimque insidiæ parabantur Medicorum famæ per hoc assertum *Celsi.* Videtur autem malè adscribi mors sanguinis missioni, dum æger perit vi hujus morbi toties incurabilis: moritur enim tunc quidem post sanguinis missionem, sed non ob sanguinis missionem; quæ bina quàm maximè distinguenda sunt. In debilioribus hominibus sanguinis detractio quidem minuit vires vitales, non tamen certam mortem inducit. Unde videtur *Celsus* tantùm indicasse, si à sanguinis missione non levetur malum, tunc nullam spem superesse; quod patet ex illis quæ immediatè locum citatum sequuntur. Ita enim habet, (*b*) *Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit; sæpe mortem tantùm differt; vitam interim infestat. Post sanguinis missionem, si non redit & motus & mens, nihil spei superest: si redit, sanitas quoque prospicitur.* Agnovit ergo *Celsus*, nullum efficacius remedium esse; adeóque non damnat sanguinis missionem: & in morbo incurabili mortem differre posse, multum est. Præterea *Celsus*, ubi peculiari capitulo de sanguinis detractione per venas agit, urget, hanc debere fieri (*c*) quàm maximè in apoplexia; aliâ occasione jam mentionem hujus feci ad §. 743, in cura febris ardentis. Interim cùm ille locus optimè serviat explicandæ & intelligendæ regulæ Practicæ, de qua mentio facta fuit, operæ-pretium erit illum hîc repetere; sic autem legitur: (*d*) *Fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur: sed, si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturúsque sit, qui laborat, nisi temerariâ quoque viâ fuerit adjutus; in hoc statu boni Medici est ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit; faterique, quantus in hac ipsa re metus sit: & tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitare in ejusmodi re non oportet. Satiùs est enim anceps auxilium experiri, quàm nullum. Idque maximè fieri debet, ubi nervi resoluti sunt; ubi subitò aliquis obmutuit,* &c.

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVII. pag. 178.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibid. Lib. II. Cap. x. pag. 79.
(*d*) Ibidem.

De utilitate missionis sanguinis in illa apoplexiæ specie, quæ à plethora, inflammatione, vel & nimiâ velocitate cruoris, in caput determinatâ, oritur (de qua sequenti paragrapho dicetur) nullus dubitat hodie: verùm disputatum sæpius fuit, an in hac specie, quæ lentum glutinosum pro causa agnoscit, sanguinis missio prodesse possit. Non multùm boni inde sperari posse ad corrigendam cacochymiam illam pituitosam sanguinis, unde futura metuitur apoplexia, dictum fuit ad §. 1026. Verùm, dum ipsa apoplexia jam præsens est, plures periti & prudentes Medici illam instituunt; sed moderatam & cum cautela, cùm hîc non abundet sanguis, illo inprimis scopo, ut tutiùs postea acria stimulantia applicari possint cum minori metu rarefactionis subitæ humorum, quæ hoc in casu nocere posset. Unde non omnino etiam in hoc casu improbanda videtur, si vires adhuc constent. Pulcherrima certè, ab *Archigene* tradita, apud *Aetium* circa hanc rem habentur. Jubet enim pennâ fauces irritando leviter depleri ventriculum, & acri clysmate injecto pariter evacuari intestina; quòd & simul revulsioni servit, utì dictum fuit. His autem factis, præmonito priùs discrimine, venæ-sectionem in manu dextra instituendam jubet; sed (*a*) *Partiendo quantitatem*; *virtutem enim excitari, non dissolvi, caloremve exstingui, oportet*. Prudenter autem monet, observandum esse pulsum, faciei colorem, & respirationem, illo tempore, dum sanguis fluit; & si nihil pejùs successerit, plùs demi posse. Post sanguinis missionem pergit ad illa, quæ sensus sopitos excitare possunt; ut sunt odoramenta acria, (simpliciter odoramenta ipsi dicta) & clamores, &c. Ubi autem venæ-sectionem locum non habere credebat, tunc amplas cucurbitas, absque scarificatione validè trahentes, applicabat lumbis & iliis; affirmátque, alvum sic frequenter subductam fuisse, & simul apoplecticos ad se rediisse. His ergo cum cautelis, videtur & in hoc casu sanguinis missio institui posse; sed moderata, & præsente Medico, ut illico claudi vena possit, si videat vires vitales deficere.

§. 1030. SI autem per sua signa (1010. n°. 2. *lit.* β. n°. 3. *lit.* α. *lit.* γ.) apoplexia oritura prævidetur, illicò confugiendum ad ea, quæ velocissimè inanire, resolvere, avertere, queant. 1°. Ergo fiat larga, cita, missio sanguinis, & quidem ex jugularibus venis; quæ pro re nata, repetatur: post hanc enim, si statu est morbus sanabili, statim levamen oriri solet. 2°. Tum purgans antiphlogisticum detur magnâ copiâ, aliquoties repetatur, ut ferè assidua diarrhœa excitetur; si autem purgantia non satìs citò operantur, clysmate satìs acri determinentur. 3°. Toto dein decursu morbi medicamenta refrigerantia, diluentia, attenuantia, ad urinas ducentia, exhibeantur. 4°. Assiduò simul revellentia fortia addantur, donec malum superatum sit. 5°. Victu*, potúque utatur tenuissimis. 6°. Caveatur sum-

(*a*) Lib. VI. Cap. XXVII. pag. 108.

mopere

mopere ab omni medicamento valido ſtimulante, movente, calefaciente; à calore externo; à decubitu in lecto, maximè declivi & ſupino.

Ubi autem per ſigna, antea recenſita, conſtat, vaſa ſanguinea in encephalo nimis diſtendi, vel ob plethoram, vel ob inflammatoriam denſitatem, vel ob nimiam velocitatem ſanguinis in caput determinatam; tunc ſubitâ depletione opus eſt, utì & reſolutione concreti, & revulſione à capite.

1°. Dum demendo ſuperabundans, morbi curari poſſunt, Medicina certum & ſubitum auxilium præſtare ſolet: longè enim difficilior cura eſt, ubi deficiens in corpore reſtitui debet, vel ſolvi illud quod concreverat. Sanguinis miſſionem hìc utilem eſſe, omnes Medici conſentiunt; & quidem copioſam, ut (*a*) *Magno effectui magnum remedium* opponatur: nam utì *Aretæus* optimè monet, (*b*) *Si minùs detraxeris, quàm cauſa poſtulat, nihil magni per magnum auxilium contuleris*. Verùm quidem eſt, quòd & moneat, difficile eſſe modum conjectare, cùm & valida ſanguinis miſſio nocere poſſit: verùm notandum eſt, quòd *Aretæus* ibi de quavis apoplexia dicat generaliter, non autem in ſpecie de apoplexia ſanguinea dicta Medicis, de qua hìc agitur, dum ſanguinis copia in toto corpore, vel ſaltem in encephali vaſis abundat, ubi raro etiam largior ſanguinis miſſio nocere poteſt. Præſens levamen omnium ſymptomatum ſequi ſolet plerumque illico, ſi nondum vaſa rupta fuerint in encephalo, & ſanguinem effuderint; vel nimis compreſſa fuerint tenerrima vaſa à majoribus canalibus diſtentis. Imò in pletoricis quandoque ſæpius repetenda eſt ſanguinis miſſio; cùm ablatâ parte diſtendentis vaſa ſanguinis, ſopitus antea, & ſuppreſſus quaſi motus, ſubitò inſurgat, & novum diſcrimen aucta ſubitò celeritas motûs circulatorii inducat. Pulsûs autem plenitudo, durities, celeritas, ſatìs certa ſigna dabunt perito Medico, ut determinare poſſit, an repetitâ venæ-ſectione opus ſit, an non. Laudaverunt Medici inprimis ſanguinis miſſionem ex jugularibus venis, quia immediatè ſic vaſa encephali deplentur, his venis apertis: verùm ut illæ venæ pertundi poſſint, ſolent Chirurgi faſciâ collum ſtringere, ut magìs in conſpectum veniant, & certiùs lanceolâ ſecari poſſint. Illo autem tempore, dum hoc ſit, ſi magna plenitudo eſt in vaſis encephali, periculum rupturæ adeſt, & ideo etiam §. 1010. n°. 3. *lit. δ*, inter cauſas apoplexiæ numerata fuit compreſſio harum venarum: hinc videtur tutius eſſe, ut priùs depletis utcumque vaſis per ſanguinis miſſionem, in brachio aut pede inſtitutam, poſtea & ſecentur jugulares, ſi repetitâ ſanguinis miſſione opus fuerit.

2. Quantùm purgantia in hoc morbo curando vel & præcavendo poſſint, §. 1017, & 1026, dictum fuit; nam & evacuando proſunt, & revellendo impetum à capite. Verùm in hac ſpecie apoplexiæ ſanguineæ, & calidæ, requiruntur talia, quæ abſque augmento motûs humorum ſatìs validè alvum movent, & ſimul ſolvendo denſitatem ſanguinis inflammatoriam proſunt.

(*a*) Aretæ. de Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 81.

(*b*) Ibidem.

Hæc vocantur purgantia antiphlogiſtica. Decoctum foliorum ſennæ cum tamarindis ſolet in tali caſu dari; & ſi non ſatìs citò alvi evacuatio ſequatur, clyſmate acriori ex nitro, ſale gemmæ, cum oxymelle ſimplici & ſimilibus, irritantur inteſtina craſſa, ut actio remedii propinati tantò citiùs & certiùs versus alvum determinetur: clyſmata autem illa ex colocynthide, helleboro nigro, &c, ad §. 1028, laudata hìc non convenirent, quia motum augent. Præſtat etiam ut per plures dies, ſimilibus purgantibus datis, doſi tamen minori, artificialis diarrhœa procuretur, donec calor corporis imminutus, vaſorum minuta plenitudo, & ſymptomatum, apoplexiam præcedere ſolitorum, levamen, doceant, ſatisfactum eſſe indicationi curatoriæ in hoc morbo. Videantur & illa, quæ in cura inflammationis §. 396, de purgantibus antiphlogiſticis habentur. Ob ſimilem rationem & eadem in cura phrenitidis §. 781, laudata fuerunt.

3. In plethoricis enim, calidæ temperiei hominibus, & ſanguinem inflammatoriâ tenacitate viſcidum habentibus, hic morbus obtinet, adeóque omnia quæ refrigerant, diluunt, attenuant, hìc indicantur: ſed & talia ſemper ſimul urinam ducunt. Videantur illa, quæ de his habentur ad §. 396. n°. 5.

4. De his dictum fuit ad §. 1025. Verùm in hoc caſu illa conveniunt, quæ dum preſſionem avertunt à capite, non augent ſimul motum humorum: balnea pedum, molles frictiones, cucurbitæ, leniora epiſpaſtica, hìc inprimis laudantur. Veſicatoria autem, cùm acri ſtimulo motum augeant ſæpe in toto corpore, hìc minùs commendantur, vel ſi applicarentur, hoc tantùm fieri poſſet poſt evacuationes modò laudatas.

5. Ut nihil nempe detur, quod vel copiâ gravare poſſit, vel ſtimulo motum augere. Qualis autem ille victus ſit, & ob quam cauſam proſit, pluribus explicatum fuit in cura inflammationis, ad §. 396. n°. 5, quæ videri poterunt.

6. Quanta cum prudentia ſtimulantia acria medicamenta adhiberi debeant in apoplexia lenta & frigida, §. 1029, dictum fuit; ne materies illa glutinoſa, magìs mota & impacta, morbum augeat. Verùm in illa ſpecie apoplexiæ, de qua nunc agitur, certò & ſemper hæc nocent, dum & motum augent & calorem; utì antea ad §. 1010. n°. 3. *lit.* α, pariter monitum fuit. Interim tamen apud Magnates hæc tamquam ſola remedia commendari ſolent; & famæ periculum Medici incurrunt frequentiſſimè, ſi hæc illico non adhibeant in corporibus etiam repletiſſimis. Frequenter etiam contingit, ut hæc jam plena manu applicata fuerint, antequam Medicus adeſſe potuerit.

At quantùm nocere poſſit calor externus, Obſervationibus Practicis, §. 1010. n°. 3. *lit.* α, recenſitis, patuit. Quomodo autem, & per quæ nimius calor aeris, temperetur, dictum eſt ad §. 605. n°. 2. Cùm autem in lecto, ſtragulis inprimis tecto corpore, magìs incaleſcat homo, ſimúlque declivi & ſupino ſitu ſi decumbat, ſanguis majori impetu caput petat; patet ratio, quare erectus ſitus in ſedili extra lectum tantùm proſit. Videantur & illa, quæ de utilitate ſitûs erecti in cura phrenitidis §. 781, dicta fuerunt.

§. 1031. AT si illa ipsa (1030) jam facta est, vix ulla spes supererit; eáque sola in exercitatione eorumdem (1030).

Tunc enim novimus, sic impleta esse vasa sanguinea encephali in plethoricis, ut totum sensorium commune compressum sit. Subita quidem depletio videtur spem curæ facere: verùm dum mollis illa & tenera medullaris encephali substantia validam talem compressionem passa est, semper metus est, ne destructa jam sit. Præterea & in hoc casu vasa sanguinea, ultra modum distenta in cavo calvariæ, cùm pariter crassioribus tunicis orba sint, rumpuntur facilè; & tunc fortissimam & immedicabilem apoplexiam producunt, uti §. 1033, dicetur.

Si autem sanguis, inflammatoriâ spissitudine immeabilis arteriis encephali ita impactus hæserit, ut omnes functiones sensorii communis aboleantur, ob impeditum motum humorum liberum per vasa; satìs patet, adhuc minùs spei superesse. Nam sæpe non tam subitò solvi potest inflammatio, ac hîc requiritur; &, præter rupturam vasorum, inflammationis mali exitus in suppurationem & gangrænam hîc metuendi sunt. Ideo in phrenitidis Historia monitum fuit, quòd immanes illi furores in somnum profundum apoplecticum quandoque abeant lethali cum eventu. Vide §. 774.

§. 1032. QUÆ verò ab extravasatis liquidis, inter cranium & membranas, inter membranas ipsas, à vulnere, contuso, fracto, suppuratóve oritur, jam tractata est in vulneribus capitis (267. 268. 273, ad 297.), unde petenda.

De his omnibus in numeris hîc citatis dictum fuit.

§. 1033. QUÆ ab effusis jam liquidis in interioribus cerebri cavitatibus orta jam est (1010. n°. 4.), per sua signa ibi data, cognita, vix requirit medelam, quum plerumque mors certa citò adsit: si quid tentandum, id omne sperandum. 1°. A resorptu effusi in venas iterum (279.280.). 2°. A correctione acrimoniæ prædominantis, & glutinis simul, quæ nullâ re feliciùs, quàm per saponacea Chemica absolvitur.

Talis effusio fit, vel à ruptis vasis nimio sanguine distentis, vel ab iisdem erosis ab humoribus, jam acrioribus redditis Satìs autem patet, parùm spei tunc superesse; & ex Observationibus Practicis antea recensitis constitit, quàm subita mors tunc sequatur. Ubi, ab externa causa violenta vasa, in cavo calvariæ fracta effuderunt suos humores, spes est, perterebratâ calvariâ, illos educi posse, dum nempe inter cranium & duram matrem, vel inter hanc & piam effusi humores hærent, quod sæpe in hoc casu fit. Verùm si in ventriculis cerebri effusi humores accumulati fuerint, vel & in ipsa encephali substan-

tia, utì sæpius observatum fuit; non poterunt educi inde per hanc operationem, ut sponte patet.

1°. Unicam spem, sed dubiam admodum, ponunt tunc Medici in resorptione illius effusi, in cerebri cavitatibus accumulati. In paragraphis, in textu citatis, ubi de cura vulnerum capitis agitur, probatum fuit, largâ sanguinis missione & evacuatione alvi, depletas venas iterum in se recepisse extravasatum in cavo calvariæ sanguinem; simúlque tunc explicatum fuit, quomodo illa resorptio extravasati hîc fieri possit. Verùm spes curæ tantùm esse poterit, si ruptum vas brevì cesset sanguinem fundere, & quantitas extravasati fuerit tam modica, ut opprimere quidem encephalum possit, non tamen omnino destruere. Simulac enim, post depletiones validas factas, pars quædam extravasati venis demum recepta fuerit, incipient levari symptomata; & tunc spes aliqua curæ affulget. Verùm si à plethora, vel nimia velocitate motûs circulatorii, vasa rupta fuerint, subitò tantùm sanguinis effunditur, ut plerumque mors sequatur, antequam illæ evacuationes institui possint. *Hippocrates* quidem monuerat, quòd (a) *Capite dolenti, ac vehementer laboranti, pus aut aqua, aut sanguis per nares, vel os, vel aures effluens, morbum solvit*, utì ad §. 275, notatum fuit; adeóque suspicio nasci posset, an non per easdem vias sanguis extravasatus posset educi sponte, & sic sanari apoplexia; licèt nondum detectæ sint per Anatomicos viæ, per quas humores, cavo calvariæ contenti, sic exire possint; & fortè novæ fiant in talibus morbis, quæ non præexstiterant: sed non novi constitisse fidelibus Observatis, apoplexiam à sanguine in cavitates cerebri effuso natam, hoc modo curatam fuisse.

2°. Ubi autem acres humores erosis vasis effusi fuerint in cava cerebri, nulla videtur spes superesse: si enim bonus sanguis hîc effusus apoplexiam producat vix sanabilem, quanta mala erunt exspectanda à talibus humoribus, qui extravasati non tantùm nocent premendo, sed & rodendo tenerrimam fabricam encephali citò destruunt. Ubi autem glutinosus humor, hîc aggestus in vasis distentis, simúlque aliquam acrimoniam comitem habens, illis ruptis, in cavis cerebri colligitur, & in hoc casu vix quid sperari poterit. Verùm quidem est, saponacea illa Chemica, de quibus ad §. 54, utì & ad §. 135, in cura obstructionis dictum fuit, magnam habere efficaciam in solvendis concretis glutinosis, & varia posse haberi pro diversitate acrimoniæ prædominantis; sed hæc agunt in illa, quæ per vasa adhuc moventur, vel illorum finibus angustis impacta hærent: vix autem videntur aliquid efficere posse in humores jam extravasatos; adeóque potiùs usum habent ad præcavendam apoplexiam, à tali causa nascituram, quàm ad curandam, ubi jam adest.

§. 1034. QUÆ à prædominio lymphæ extravasatæ orta est, faciliùs tollitur, omissâ, utpote hîc ferè nocente, missione sanguinis; datis hydragogis fortissimis statim ad alvum determinatis; tum dissipantibus applicatis; maximè vesicatoriis largissi-

(a) Aphorism. Sect. VI. n°. x. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 253.

mis diu apertis; victu exsiccante; fortibus epispasticis, fonticulis, setaceísque.

Ubi autem mera lympha est, quæ in cerebri cavitatibus extravasata apoplexiam fecit, tunc major spes est. Longè enim faciliùs resorbebitur tenuior lympha à venis bibulis, quàm sanguis, ipsâ extravasatione magìs adhuc spissescens, & qui nunquam resorberi integre potest denuo per venas, nisi ab affusa lympha, roris specie per vasa exhalante, diluatur & attenuetur; sícque aptus reddatur, ut à venis bibulis denuo resorberi possit. Cùm autem hæc lymphæ in cavis corporis accumulatio omnium maximè fiat in illis hominibus, in quibus boni sanguinis minor copia est, utì antea dictum fuit ad §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, patet, sanguinis missionem hîc potiùs nocere, quàm prodesse. Convenit quidem, imò necessarium est, ut subita & magna hîc evacuatio fiat, sed debet educi de corpore ille humor, qui prædominatur, & morbi causa materialis est. Fortissima ergo purgantia, hydragoga dicta ideo, quia tenuis lymphæ ingens copia per alvum ab his assumptis pellitur, hîc conducunt ut *scammonium*, *jalapa*, *colocynthis*, *gummi gotta*, & similia; quibus audacter datis, & repetitis quibus vicidem, magnæ congestiones lymphæ in cavis majoribus corporis tam feliciter sæpe depleri solent, utì postea in capitulo *de Hydrope* dicetur. Nec metuimus hîc à calidioribus purgantibus, quia frigus & ineria in talibus corporibus prædominantur. Ut autem subita talis depletio sequatur, quàm maximè conducit, ut unâ alterâve horâ, post assumptum tale purgans hydragogum, clysma acre ano injiciatur, quod citò & validè actionem remedii versùs inferiora determinet. Si autem purgans remedium deglutire non possit æger, quadruplâ dosi ingestum formâ clysmatis, similem effectum præstabit; & si tale clysma injectum citò iterum per anum exiverit, audacter aliud simile injici poterit. Simul tunc capiti applicari solent cucuphæ ex herbis cephalicis dictis, *rosmarino*, *salviâ*, *pulegio*, *majoranâ*, *thymo*, *serpillo*, *&c*, quæ aromatico stimulo movent, & incitant languidum motum; unde & dissipantia vocantur.

Vesicatoria autem pariter hîc quàm maximè prosunt, cùm & revellendo agant & stimulando motum augeant, & vesicis excitatis, incredibilem sæpe copiam lymphæ, evacuent, per plures etiam dies continuos: idem verum est de fonticulis & setaceis, de quibus antea pariter dictum fuit. Victus autem siccus requiritur unà cum his evacuantibus; & adhuc diu postea, ut venæ resorbentes quàm maximè bibulæ reddantur, sícque reassumant faciliùs extravasatam in cavis cerebri lympham. Potus ergo detur parcus admodum, victus ex carne assa, piscibus fluviatilibus assatis pariter, pane biscocto; qualis cibus postea ob eamdem rationem in *Hydropis* curatione laudabitur.

Cùm autem sensim accumulari soleat hæc lympha in encephalo, hinc & diu antè prævidetur futura apoplexia; adeóque idoneis remediis præcaveri poterit, utì antea dictum fuit: &, si nata fuerit, longè major spes curæ superest, quàm in aliis apoplexiæ speciebus.

§. 1035. SI verò à venenis jam producta fuerit, nulla hactenus medela descripta habetur; ut nec illi, quæ à polypo.

Ad numerum quintum §. 1010, inter causas apoplexiæ recensita fuerunt & venena mirabilia, quæ uno momento, dum corpus tetro suo halitu afflant, omnes functiones animales delent; imò quandoque ipsam vitam subitò tollunt. Pluribus Observationibus Practicis hoc confirmatum tunc fuit. Neque novi hactenus inventum remedium, quod ex ancipiti adeo periculo hominem eripere posset. Verùm illa venena, quæ apoplexiam producunt, dum in ventriculo hærent, per promptum vomitorium excuti possunt facilè, sícque morbus sanari. Vitriolum album, ad drachmam dimidiam in unciis duabus aquæ dilutum, vel & tabaci infusum, tale remedium dat, quod illico agit, simulac deglutitum fuerit. Neque omnino pro desperatis relinquendi videntur illi qui à carbonum nidore sic affecti fuerunt. Nam in Exemplo, ex *Wepfero* ad §. 1010. n°. 5, allegato, patuit hominem, ab hac causa, omnibus sensibus abolitis, jam stertentem, ad se rediisse, aquâ frigidâ faciei & pectori adspersâ. Verùm alter casus admodum memorabilis legitur (*a*) de homine, qui in fodinam carbonariam, ad ducentorum & ultra pedum profunditatem, descendens, tetro nidore hoc afflatus conciderat, & ultrà dimidiam horam ibi manserat, antequam educi posset; túncque oculis apertis, ore hiante, totus frigidus, absque ullo pulsu, aut respiratione, jacebat; unde ab omnibus pro mortuo habebatur. Peritus Chirurgus, naribus hominis compressis, quantâ poterat vi inflabat aerem in os ejus hians, sícque pulmones dilatabat; mox sensit, manu pectori applicatâ, sex septémve vicibus cor pulsare, sed celeriter: pergebat sponte inspiratio & exspiratio, pulsúsque arteriarum paulò pòst in carpo percipiebatur: tunc venam secuit, quæ post exiguum saltum guttatim tantùm stillabat sanguinem per quadrantem horæ; post hoc tempus autem libere exibat sanguis: interim agitabatur, concutiebatur, perfricabatur, facies & tempora frigidâ perfundebantur aquâ, sal volatile oleosum naribus & labiis applicabatur: his autem omnibus animosè & constanter tentatis per horam, incepit oscitare, palpebras, manus pedésque, movere; deglutivit salem volatilem aquâ dilutum; post alteram horam sensus omnes redierunt, & fatebatur se omnino ignarum fuisse omnium quæ facta fuerant. Intra quadrihorii spatium adeo bene se habebat, ut pedes domum redire potuerit. Docet ille casus, tales non temerè pro mortuis derelinquendos esse, licèt nulla omnino vitæ signa superesse videantur; & admodum credibile videtur, plures à simili causa periisse, qui servari potuissent.

Illa verò apoplexia, quæ à polyposis concretionibus (§. 1010. n°. 2. *lit.* α.), arterias ad encephalon tendentes obturantibus, fit, nullam curam admittit, cùm impossibile sit hæc obstacula citò solvere, vel ullâ Arte ex his locis educere, vitâ superstite.

(*a*) Medical Essays, Tom. V. Part. II. Observ. LV. pag. 605.

CATALEPSIS.

§. 1036. CATOCHE, catochus, catalepsis, dicitur morbus, quo laborans, repentè immotus, nec sentiens, illum corporis statum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat.

Sequitur mirabilis ille morbus, qui *catoche* & catochus ἀπὸ τοῦ κατέχεσθαι, *detineri, occupari*, vocatur; utì & *catalepsis* ἀπὸ τοῦ καταλαμβάνεσθαι *comprehendi*, dicitur, & meritò, quia hoc morbo correpti in eodem statu corporis manent, quem habebant, dum morbus ingrueret, simili planè modò ac finxerunt Poetæ de illis, qui, *Medusæ* capite viso, exanimes obriguerant, torvo vultu, elevato brachio, ictum minitantes adverso hosti. Interim catalepsis vocabulo hodie inprimis utimur ad hunc morbum designandum, quia catochi nomen etiam pro vigili comate usurpatum fuit, utì notavit *Ægineta* (*a*). Veteres Medici tamen, tamen teste *Galeno*, hoc morbo detentos (*b*) κατόχους, & κατεχομένους, vocabant; Juniores ipsum affectum κατοχὴν & κατάληψιν dixerunt. Verùm & alio in loco *Galenus* monuit, (*c*) κάτοχα νοσήματα à quibusdam dictos fuisse morbos stabiles & firmos quoscumque: & videtur *Hippocrates* fortè & (*d*) κατόχως παρακρούοντες dixisse illos, qui perpetuò in morbo delirant; nam in catalepsi delirium distingui nequit, cùm nec moveant corpus, nec loquantur. In *Commentariis* ad §. 774, eodem illo textu *Hippocratis* usus fui, ut confirmarem, quòd phrenitis sæpe in catochen transeat; sed videtur prior sensus hujus textûs minoribus subjacere difficultatibus, & æquè malum præsagium in phrenitide tamen inde deduci poterit. Signum quidem pathognomonicon hujus morbi habetur, quòd æger absque ullo sensu maneat immotus in eodem corporis statu, quem habebat momento, dum corripiebatur: interim tamen quædam diversitates hìc observatæ fuerunt. Plerumque omnes artus flexiles manent, & in quocumque situ ponantur membra, restant, donec iterum mutetur. Si brachium talium ægrorum elevetur ab adstantibus, manet elevatum: si digiti flectantur vel extendantur, idem fit. Nihil sentiunt; nec memores sunt illorum, quæ paroxysmi hujus tempore circa illos acta fuerunt. *Galenus* verò condiscipulum, nimiis studiis fatigatum, dum hoc morbo corripiebatur, dixit (*e*) jacuisse instar ligni rigidum, oculis apertis, nun-

(*a*) Lib. III. Cap. x. pag. 28, versâ; & pag. 29.
(*b*) Libell. de Pulsib. ad Tyron. Cap. xii. Charter. Tom. VIII. pag. 12.
(*c*) Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. xciv. Charter. Tom. VIII. pag. 760. 761.
(*d*) Ibid. n°. xc. pag. 756.
(*e*) Ibid. pag. 756. 757.

quam conniventibus: audiebat tamen, & quorumdam memor erat; videbat, sed nec loqui poterat, nec ullum membrum movere. *Lambecius* Augustissimum *Imperatorem Leopoldum* in itinere Œnipontano comitatus, vidit in pago quodam Comitatûs Ferolienfis (*a*) *Puellam viginti quinque annorum, quæ jam per aliquot annos diebus Veneris & Saturni continuè, reliquis autem diebus alternatim & per intervalla, omnis sensûs expers toto corpore obrigeret, oculisque apertis, & cum leni tantùm aliquo motu convulsivo, in eodem jaceret situ, quasi quædam statua; adeo ut ne acu quidem puncta dolorem perciperet, nec brachia ab aliis elevata sponte suâ labarent; sed monstroso rigore in eadem positura firmè & stabiliter permanerent.* In hoc casu oculi aperti erant, & ferè semper hoc fit: vidi tamen mulierem, in flore ætatis constitutam, aliquoties, dum insultum hujus morbi patiebatur; semper oculi erant clausi, & dum palpebras digitis diducebam ab invicem, paulò pòst denuo claudebantur, licèt omnia alia membra corporis manerent in illo situ, quem ipsis conciliare placebat. Rariùs aliquis sensus superest; tamen in virgine cataleptica observatum fuit, quòd sentiret spirituosa naribus supposita, & manu celerrimè naribus admotâ illas comprimeret. Imò in eadem hac virgine observatum fuit, quòd quandoque dimidium corporis latus tantùm corriperetur catalepsi (*b*), quod adhuc longè infrequentius est. Distinguitur autem à tetano universali catalepsis, quòd in tetano omnes articuli rigidissimi fiant, & nullâ vi flecti vel extendi possint; cùm in catalepsi cereâ quasi flexilitate cedant omnia, & maneant in situ, qui ipsis datus fuit.

§. 1037. HUJUS ergo proxima causa immobilitas sensorii communis, prout primo momento insultûs se habebat.

Certè in hoc morbo sensorium commune non afficitur ab objectis in sensuum organa agentibus, neque mutat derivationem causæ muscularis motûs, quamdiu durat paroxysmus catalepticus; sed omnia manent perfectè in eodem statu. Vidi sic correptam mulierem, dum erecta stabat, & mansit in illo situ, adeóque omnes musculi, qui tum numerosi agunt, ut sustineri corpus erectum possit, pergebant suo munere fungi; sícque differt ab apoplexia, ubi fiunt omnes musculi voluntarii paralytici, & ægri cadunt, penitus impotes corpus sustinere. Possumus quidem per voluntatis imperium in quovis ferè situ corporis manere immoti per aliquod tempus, sícque hoc modo catalepsin imitari; sed non possumus impedire, quominus organa sensuum ab objectis sensibilibus afficiantur. In hac autem re mirabilis hujus morbi indoles inprimis est, quòd sopiantur omnes sensus interni & externi, superstite tamen efficaciâ causæ muscularis motûs; sed abest potentia mutandi directionem illius causæ; unde omnia manent in eodem situ, quem habebant illo momento dum morbus ingruebat. Ut hoc meliùs intelligatur, considerentur illa

(*a*) Commentar. Biblioth. Cæsar. Tom. II. pag. 688.

(*b*) De la Métrie, Abrégé de la Théorie Chymique, &c. pag. 278.

illa maximè miranda, quæ in exercitio motuum mufcularium contingunt. Homo proponit per milliaris fpatium pedibus incedere: domo exit, & fæpe in toto itinere non ampliùs cogitat de motu corporis, quem inceptum continuat, amicorum colloquiis itineris tædia fallens, vel diverfis objectis obviis, novas continuò ideas in mente excitantibus; tamen pergit ambulando, licèt omni momento non renovetur voluntas hunc motum faciendi, licèt non habeat diftinctam cogitationem caufæ, à qua ille motus producitur, nec inftrumentorum per quæ ille motus fit & continuatur. Verùm antea jam fæpius dictum fuit, fenforium commune dictum effe illud organum corporeum, per quod hoc *Velle* in mente producit motum in corpore; fi ergo uno momento immobile fiat illud fenforium commune, nec tranfmittat, ut ita dicam, hoc imperium mentis in corpus, manent omnia in eodem ftatu ut antè erant, & fic videtur haberi optima catalepfis idea. Novi hoc contigiffe nobili ægro, qui domum Medici, quem de fuo morbo confuluerat, egreffurus, in ipfo limine hæfit per aliquot minuta horæ catalepticus, & dein, foluto paroxyfmo, domum ambulavit, immemor fibi hoc contigiffe.

§. 1038. ERGO fanguinis cerebrofi, glandularum cerebri, emiffariorum ejus abfoluta quies, ut in initio.

Demonftratur in Phyfiologicis, integram debere effe fabricam encephali, & liberum motum humorum per vafa ejus, ut fenfuum actiones, & motus voluntarii, perfici poffint; cùm autem hæc fileant fubitò in catalepfi, hinc ftatuitur, tunc adeffe quietem in his omnibus. Interim tamen in catalepticis, quos vidi, inveni pulfum manifeftum in carotidibus; facies non femper erat turgida & inflata, imò in quibufdam collapfa potiùs: adeóque videbatur fanguis per vafa arteriofa cerebri ire, & per venas redire fatìs libere. Verùm illa quies videtur inprimis effe in fubtiliffimo fluido, quod, à fabrica arteriofa cerebri fecretum, per minimos canales nerveos movetur, & cujus fluidi motus non à corde & arteriis pendet, fed à mentis, corpori nexæ, imperio producitur.

Adeffe enim in catalepticis idoneam, fpirituum copiam ad mufculos movendos, inde novimus, quia mufculi, qui tenfi erant illo momento, dum morbus ingruebat, manent tales, & in quibufdam poft brevem paroxyfmum folita alacritas motûs mufcularis redit. Aliud argumentum, quod hoc docet, eft, quòd catalepticorum membra ab adftantibus inflexa, elevata, &c, maneant in illo fitu, in quo pofita funt, quod abfque mufculorum actione fieri nequit. Verùm in Phyfiologicis monitum fuit, ubi de mufculorum actione agebatur, quòd, fi flecterentur artus hominis per vim externam, renitente licèt ejus voluntate, agentem, (*a*) mufculi flexores tumerent, durefcerent, protuberarent, quod ab influxu fpirituum per nervos in mufculorum fabricam fieri, ibidem demonftratum fuit. Unde dum elevamus brachium

(*a*) Boerhaav. Inftitution. Medic. §. 401. n°. XIII.

cataleptici, sentimus manifestè musculum deltoidem turgere; & si relinquamus brachium, non delabitur, sed per continuatam ejusdem musculi actionem elevatum manet. Idem ergo contingit in catalepticis ac in sanis hominibus, in quibus ab externa causa membra moventur; musculi nempe, qui ad arbitrium mentis eidem motui exercendo destinati sunt, turgent; adeóque præstò est illud tenuissimum fluidum, quod musculos inflat & turgere facit, dum agunt, sed silet illud impetum faciens.

§. 1039. OMNES quidem in eo morbo functiones cerebri læduntur, & illæ, quæ inde pendent; soli musculi sic manent tensi ut initio erant; cæterùm respiratio & pulsus supersunt, at plerumque leves.

In exquisita catalepsi hæc omnia obtinent: verùm uti levior erat apoplexiæ species, in qua nondum omnes sensus & motus voluntarii erant aboliti, & tamen apoplexia dicebatur morbus; sic & levior quandoque catalepsis species observatur, in qua pariter aliquid de sensibus superest, & de motu, uti paulò antè dictum fuit; & *Fernelii* testimonio confirmatur. Vidit hic ægrum talem, qui omni sensu carebat, (*a*) *Facilis tamen inerat spiratio, & quidquid in os inserebatur, promptè vorabat, è lectulo sublatus solus consistebat, impulsúsque incedebat.* In omnibus autem catalepticis illud adest, ut quocumque in situ ponantur membra ab adstantibus, in illo maneant. Actiones vitales, pulsus nempe & respiratio, vix mutantur, nisi quòd quandoque debilior pulsus observetur, nec semper tamen: celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* disertè notat, quòd in cataleptica (*b*) *Pulsus fuit naturali similis, & respiratio salva & integra.* Catalepsis autem paroxysmorum numero & duratione multùm variat. Vidi, ubi per tria quatuórve minuta non durabat paroxysmus; & contrà per octodecim horas mulierem catalepticam mansisse, observavi coram. *Aetius* (*c*) per tres dies adolescentem catalepticum mansisse affirmat: verùm non videtur ille morbus omnino idem fuisse cum morbo, de quo hîc agitur, sed potiùs ad phrenitidem pertinere: nam memorat, pulsum parvum ferè deficientem, in his ægris adesse, manus capiti, oculis, naribus admovere, propinquos parietes attrectare, &c; quæ omnia phrenitidis symptomata potiùs sunt; utì & ipsa solutio morbi, quæ quarto die largissima cum hæmorrhagia narium contigit. Intervalla autem inter paroxysmos catalepticos admodum varia sunt: quandoque per plures menses silet malum; & contrà observavit *Fridericus Hoffmannus*, quòd ægra, (*d*) *Hunc accessum, plùs centum vicibus intra quadraginta dierum spatium experta est.*

(*a*) Patholog. Lib. V. Cap. II. pag. 70.
(*b*) Medic. Ration. Systam. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Enarration. Morbor. Observat. II. pag. 151.
(*c*) De re Medica Lib. VI. Cap. IV. pag. 101.
(*d*) Medicin. Ration. Systematic. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Enarration. Morbor. Observat. II. pag. 151.

§. 1040. FEBRIS intermittens diu perdurans, maximè quartana; melancholica, ſicca, ſtrigoſa temperies; menſtrua, & hæmorrhoides, retenta; terrores ſummi, ſubitíque; profunda, protracta diu in unum objectum, meditatio; febres validæ in homine ſanguinolento accenſæ, morbum hunc plerumque.

Cùm adeo mirabilis ille morbus ſit, & quandoque, dum ceſſat paroxyſmus, ſtatim adſit iterum omnium functionum integritas (*a*), & à tam latentibus cauſis poſſit turbari ſenſorium commune, magnâ certè attentione opus eſt, ut quid certi poſſit ſtatui de cauſis, unde ille morbus pendet. Omnium autem optimè illa indagatio inſtituetur, ſi ex Obſervationibus fidelibus colligantur illæ mutationes corporis, quæ hunc morbum præcedere ſolent; deinde his addantur illa, quæ cadaverum ſectio in hunc morbum paſſis demonſtravit; ultimò tandem & notentur illa, quæ profuerunt in hoc morbo. Ex his enim inter ſe comparatis, & cauſa, & indicatio curatoria, formari poterit.

Hâc paragrapho autem recenſentur illa, quæ hunc morbum antecedere ſolent, & primò quidem.

FEBRIS INTERMITTENS, &c. Per febres intermittentes diu protractas debilitari vaſa, & morboſa fieri liquida, dum ingeſta non ſatìs aſſimilantur, & per ſudores ſanguinem, optimâ ſuî parte ſpoliatum, craſſum fieri, ſimúlque acrem, pluribus explicatum fuit §. 753, ubi de malis effectibus febrium intermittentium agebatur. A tali autem ſolidorum enervatione, & humorum cacochymiâ, turbari poſſe functiones, facilè patet; & conſtat certis Obſervatis, lædi quandoque encephali actiones, utì poſtea dicetur ad §. 1125, ubi de maniæ ſpecie, febrim autumnalem intermittentem validam & diuturnam ſequente, dicetur. Imò in ipſo febris intermittentis paroxyſmo catalepſin obſervavit *Dodonæus* (*b*). Cùm autem ſequenti paragrapho notetur, denſum cruorem, fortiter impactum cerebri vaſis, inventum fuiſſe in cadaveribus illorum, qui hunc morbum paſſi fuerunt; & per febres intermittentes diuturnas, diſſipatis fluidiſſimis partibus, ſpiſſus ſanguis reddatur; patet, quare febres intermittentes numerentur inter illa, quæ catalepſin antecedere ſolent.

MELANCHOLICA, &c. Quia in tali temperie & vaſa ſtricta, & humores atrabilariâ tenacitate minùs meabiles ſunt, vaſa cerebri facilè infarciri poterunt, ſícque turbari & impediri ſenſorium commune, & catalepſis produci; quod confirmatur pariter ex illis, quæ ſequenti paragrapho dicentur. Præterea videtur admodum veriſimile, catalepſin etiam produci poſſe, licèt cauſa materialis morbi non in encephalo, ſed in alio corporis loco, hæreat. Antea ad §. 701, pluribus probatum fuit, deliria in febribus naſci, dum circa præcordia hæret putrida bilis. Præterea poſtea dicetur in capitulo *De Melancholia*, miras turbationes ſenſorii communis fieri ab atra bile, gravante viſcera abdominalia; & melancholicis, ſolemne eſſe, ut uni & eidem cogitationi

(*a*) Aetius, de re Med. Lib. VI. Cap. IV. pag. 401. (*b*) Medic. Obſervat. Cap. IV. pag. 7.

inhæreant continuò; qualis protracta diu in unum objectum meditatio inter causas catalepsis eâdem hâc paragrapho numeratur. Sequens autem casus videtur docere, quòd revera catalepsis oriatur à causis, quæ extra encephalon hærent. Mulier quadragenaria, stricti habitûs, nuces castaneas in sartagine torrebat, illásque tudiculâ ligneâ movebat continuò, ne nimis adurerentur: dum hæc agit, verâ catalepsi corripitur. In vicinia dum habitarem, vocatus adfui illico, & me præsente subitò vomit binos vermes teretes vivos; móxque pergit in opere incepto, nullo modo memor, sibi quid mali contigisse: pluribus annis postea illam vidi sanam, nunquam simile quid passam. Vermes autem illi, reptatu suo ventriculum irritantes, procul dubio catalepsin illam produxerant, quæ & ideo, his excussis, cessabat illico.

MENSTRUA ET HÆMORRHOIDES RETENTA. Prodesse in capitis morbis sanandis hæmorrhoides; contrà omnes capitis morbos produci ab hæmorrhoidalis fluxûs consueti suppressione, jam sæpius aliâ occasione dictum fuit. Sed & idem verùm est de retentis menstruis. Videmus enim plurimis virginibus & mulieribus circa tempus menstruorum oriri capitis dolores, tensiones in nucha, vertigines, &c; quæ omnia mala cessant, dum rite fluunt menstrua. Vidi puellam, cui singulis mensibus, biduo antequam menstrua prodirent, oriebatur in occipite tumor ovi gallinacei magnitudine; menstruis fluentibus, brevì evanescebat ille tumor. Si in internis capitis partibus simile quid fieret, quanta non orirentur mala! Plures certe capitis morbos huic satìs affines recensuit *Hippocrates*, ex hac causa ortos, quòd (*a*) *Sanguis in uteros confluit, velut effluxurus, ... & effluvium non habens præ copia ad cor, & septum transversum resilit.* Mira illa species catalepsis, cujus §. 1036, mentio facta fuit (*b*), observata fuit in virgine menstruorum suppressione laborante.

TERRORES SUMMI, SUBITIQUE. Quàm miris modis corpus humanum mutari possit per validos animi affectus, aliâ occasione ad §. 104, dictum fuit; simúlque tunc constitit, varias esse illas mutationes pro diversis animi affectibus. In summo terrore autem homo sic afficitur, ut in catalepsi; nam obstupescit, vox faucibus hæret, membra movere nequit: unde si talis affectus validissimus fuerit, manet hæc impressio, & perfecta catalepsis adest. Talem casum habet *Tulpius* de juvene Britanno, (*c*) *Qui perculsus fuit, adeo vehementer ex inopinata matrimonii repulsa, ut obriguerit instar stipitis, sedens in sedili suo* κάτοχος, *sive detentus, sive congelatus per integrum diem; retinénsque continenter eumdem situm*, oculis apertis, maneret, statuam potiùs quàm hominem referens. Ubi verò altâ voce exclamabatur, quòd cupitâ potiturus esset uxore, prosiliit confestim ex sedili, jam liber ab hoc morbo.

PROFUNDA, PROTRACTA DIU, &c. Quando profundissimis meditationibus toti immersi hærent eruditi Viri, tunc perfectè catalepticos referunt: omnes enim sensus sopiunt, omnem memoriam silere faciunt, totum corpus omnino quiescit, sola mens in intimo suo recessu uni & eidem rei attentissima incumbit: hoc vocaverunt ecstaticè cogitare. Sic intimè in se

(*a*) Libell. de Virgin. Affectib. Charter. Tom. VII. pag. 679. 680.

(*b*) De la Mettrie Abrégé de la Théorie Chymique, &c. pag. 278

(*c*) Observat. Medicar. Lib. I. Cap. XXII. pag. 45.

ipſum collectus *Vieta* literas, incognitis notulis ſcriptas, explicuit Galliarum Regi; ſed toto hoc tempore, quo arduæ huic rei difficilem operam dedit, unicæ huic cogitationi inhærens, nihil ſenſit, nullum motum fecit. Vidi acuti ingenii Mathematicum, dum inter obambulandum mente volvebat arduum problema, nulli ſalutem reddidiſſe, quàmvis humaniſſimus eſſet, & alium novi, qui concionem, quam coram populo habiturus eſſet: attentiſſimâ mente volvens, per integrum milliare deviaverat à loco ſibi notiſſimo versùs quem tendere in animo habuerat. Summâ illâ animi attentione in Scientiis multùm proficitur, ſed & ſimul ita figitur quaſi ſenſorium commune, ut diatheſis ad catalepſin inducatur. Nimio ſtudio (*a*) adſcripſit hunc morbum in condiſcipulo *Galenus* (vide §. 1036.): alterum vidit *Fernelius*, qui (*b*) *Dum literis & chartis ſedulò invigilaret, repentè hoc vitio perculſus, ita quidem obriguit, ut ſedens, calamúmque digitis premens, oculis in libros defixis, putaretur in eorum ſtudia incumbere, donec vocatus ac impulſus, deprehenſus eſt omni ſenſu motúque carere.* Neque ſolis certè illis, qui nimiis Scientiarum ſtudiis ſe macerant, catalepſin timendam eſſe docet celeberrimus *Fridericus Hoffmannus*, qui hunc morbum obſervavit in perſona ſequioris ſexûs, (*c*) *Conditionis vilioris, rudioris minúſque exculti ingenii,* quæ anxiis meditationibus circa res ſacras macerata, incidit in hunc morbum, & plures poſtea ejuſdem paroxyſmos paſſa fuit, (*d*) *Poſt auditam pſalmodiam, aut verba ex Divino Codice potiſſimùm prolata, quæ ardentiſſimum Chriſti exprimebant amorem.*

FEBRES VALIDÆ, &c. In ſanguinolentis per febrilem calorem rarefacto ſanguine, ſimúlque celeriùs moto, ſic repleri poſſe vaſa majora encephali, ut minora ab his diſtentis comprimantur, ad §. 1010. n°. 3. *lit.* α, probatum fuit; adeóque omnes functiones encephali ſic poterunt ab hac cauſa lædi. Ad hanc cauſam videtur pertinere illa ſpecies catalepſis, de qua *Aetius* (vide §. 1039.) dixerat & quæ largâ narium hæmorrhagiâ ſolvebatur. In morbis acutis inflammatoriis quandoque ægros ſic videmus, oculis apertis, inſenſiles jacere, catalepticorum more, & quidem malo omine; quòd & *Hippocrates* monuit dicens, (*e*) *Laſſati, ſingultuoſi, & catoche correpti, malum.* Vidi aliquoties in morbis acutis ægros ſic jacentes, ſed non manebant in eodem ſitu membra elevata vel vario modo flexa: hinc non poſſum affirmare, quòd veram catalepſin in morbo acuto decumbentibus obſervaverim. Sed nec ille caſus *Aetii* refert omni modo veram catalepſin. An fortè hoc *Hippocrates* indicare voluit, dum dicit, (*f*) *Convulſio, tremor, jactatio, cum catocho parvo, circa aures abſceſſus proritant.* Dum enim materies morboſa in febribus acutis metaſtaſin versùs ſuperiora facit, ſolent functiones encephali lædi; quæ denuo reſtituuntur, ſi omnis hæc ma-

(*a*) Hippocrat. Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. XC. Charter. Tom. VIII. pag. 756.

(*b*) Patholog. Lib. V. Cap. II. pag. 70.

(*c*) Medicin. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Enarration. Morbor. Obſervat. II. pag. 151.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Coacar. Prænot. n°. XLVI. Charter. Tom. VIII. pag. 855.

(*f*) Prædiction. Lib. I. Comment. III. n°. CLXIV. Charter. Ibid. pag. 805.

teries, in parotides depoſita, illas elevat in tumorem: unde ante hanc depoſitionem factam catalepſis inducitur quandoque, ſed non perfecta; & ideo parvum catochum vocavit *Hippocrates*. Non auderem tamen abſolutè dicere, quòd vera catalepſis in morbis acutis non fiat, ſed crederem minùs frequenter hoc contingere.

§. 1041. DISSECTA cadavera demonſtraverunt arterias venáſque cerebri valde turgentes fortiter impacto denſo cruore.

Multùm prodeſſe ad intelligendas morborum cauſas cadaverum ſectionem; nemo dubitat: interim tamen magnâ cautela hîc opus eſt, ne pro morbi cauſa habeatur illud, quod potiùs morbi effectus eſt: multa enim in cadavere inveniuntur mutata per morbum ipſum, quæ non præexſtiterant ante morbum, utì antea ad §. 11, dictum fuit. *Hollerius* teſtatur, quòd in cadaveribus illorum, qui catalepſi perierant, invenerit (*a*) *Venas majores, quæ rectà decurrunt à poſteriore capite ad ſinciput, plenas concocto & craſſo ſanguine, & poſterius cerebrum ſeroſâ materiâ occupatum*. In alio homine, catalepſi mortuo, (*b*) *Serum rufum, in cerebri poſteriore parte contentum, & ſanguis concretus in majore vena, quæ medium caput perreptat, inveniebatur*. Verùm non videtur ex his Obſervationibus concludi poſſe, quòd in catalepſi ſemper tales cauſæ adſint. Si enim ſola repulſa ſperati matrimonii (vide §. 1040.) hunc morbum producere pòtuerit in homine ſaniſſimo, videtur à longè ſubtilioribus cauſis originem ducere poſſe morbus. Præterea per voluntatem ſuam poteſt homo ſe catalepticum fingere, & membra omnia in eodem ſitu retinere, quem habebant. Sed quàm latens, & efficax, illa cauſa eſt, quæ tamen, mutatâ voluntate, iterum abeſt! Præterea plures evaſerunt ab hoc morbo, utì poſtea dicetur; neque adeo facilis ſublatio illarum cauſarum videtur, quas in cadaveribus invenerunt. Negari quidem nequit, concretum in cerebri vaſis ſanguinem, & extravaſata in cavo cranii liquida, catalepſin facere poſſe; ſed non minùs certum eſt, & abſque his cauſis morbum natum fuiſſe. Ex illis, quæ præcedenti paragrapho recenſita fuerunt, conſtitit, vermes, ventriculum irritantes, hunc morbum produxiſſe; & *Galenus* jam habet ſequentia, (*c*) *Sic igitur & comitialis morbus, & carus, & coma, & catalepſis, & deliria, & melancholiæ, quibuſdam ob ſtomachi imbecillitatem oboriuntur, conſentiente principio, quod in cerebro & nervis eſt*. Hoc inprimis notandum videbatur, ne quis crederet, in Methodo Medendi ad ſolas illas cauſas attendendum eſſe, quas inſpectio cadaverum docuit.

§. 1042. SANATUR ſæpe excitatâ largâ narium hæmorrhagiâ.

(*a*) Comment. in Coac. Hippocr. pag. 66, & 326.
(*b*) Id, de Morb. Intern. Lib. I. Cap. IX. in Scholiis, pag. 60.
(*c*) De Symptomat. Cauſ. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 60.

Si nempe à vasis sanguineis cerebri nimis distentis hic morbus producitur, vel ab aliis evacuationibus sanguineis suppressis ortum habeat. Per hæmorrhagiam narium soluta fuit illa catalepsis, cujus ex *Aetio* facta fuit mentio ad §. 1039.

§. 1043. IN alios morbos rarò transit; aliquando tamen epilepsia, convulsio, dementia, ἀτροφία eum exceperunt; in mortem plerumque finitur.

Et ex propriis Observatis in Praxi vidi, & ex fidelibus Observatis celebrium Medicorum constat, multos hoc morbo correptos evadere, & postea illibatâ sanitate frui. Quod inprimis videtur contingere, ubi à valido animi affectu, assiduis lucubrationibus, aut consuetis evacuationibus suppressis, in hunc morbum inciderunt. Si enim sopiantur illæ turbæ, ab animi affectibus excitatæ, & vitari possint causæ, quæ illos excitaverant, corpus exerceatur salubri motu, & pacata sit mentis quies, suppressæque evacuationes restituantur, tunc sensim solet minui morbus, & tandem cessare omnino. Idem verùm est, si à vermibus catalepsis orta fuit; tunc enim, his expulsis, cessat. Verùm si ab extravasatis humoribus in cavo calvariæ morbus ille productus fuerit, tunc ab horum augmento, vel acrimoniâ per moram natâ, alii encephali morbi exsurgunt, & quandoque ipsam catalepsin comitantur. Sic *Hollerius* testatur se (*a*) *Vidisse hominem, qui comate, epilepsiâ, convulsione, & catoche, mutatis vicibus, teneretur.* Ex *Benivenio* refert *Dodonæus* (*b*) casum *Hieronymi Bencii*, qui ex catalepsi incidit in comitialem morbum nullis remediis cedentem. Habet & alium casum matronæ obesæ & plethoricæ, quæ catalepsin passa fuit, venæ-sectione in pede, & acri clysmate simul applicato, feliciter solutæ: cùm autem nulla vellet deinceps admittere remedia, quibus periculosa hæc plenitudo minueretur, & caveretur in posterum, post trimestre spatium in somnolentiam incidit, & accedente febre lentâ, gravi sopore periit (*c*). Atrophia autem videtur excipere catalepsin, in melancholicis, in quibus sæpe summa macies adest; utì & in verminosis, quando nempe à vermibus chylus consumitur: omnium maximè, si pertinax apositia catalepsin sequatur, per plures etiam septimanas; utì contigit in binis catalepticis, quorum Historiam scripsit celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* (*d*); quæ tamen ambæ evaserunt ex hoc morbo, licèt in una, deliria, convulsiones, singultus, catalepsis paroxysmum præcederent.

Quandoque tamen & in mortem finiri catalepsin, docent Observata. *Jacotius* testatur se vidisse (*e*) *Pauperem senem, exsuccum & extenuatum, hoc malo raptum, qui mensæ accumbebat apertis oculis, erecto ac firmo corpore,*

(*a*) Comm. in Coac. Hippoc. pag. 66.
(*b*) Medic. Observ. Cap. XLVI. pag. 146.
(*c*) Ibidem. Cap. V. pag. 10.
(*d*) Medic. Ration. Systemat. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Enarration. Morbor. Observat. I. II pag. 147-152.
(*e*) Holler. Comment. in Coacar. Hippoc. pag. 68.

manu dapibus admotâ, ut vivere & prandere mortuus videretur. Et *Hollerius* habet ſequentia, (*a*) *Simplex catoche virum robuſtum rapuit: ac neminem vidi præter unum eo malo liberari.* Verùm notandum eſt, quòd in illo loco commentetur *Coacam* prænotionem, quæ damnat ſingultum, laſſitudinem, catochum, tamquam mali ominis; ſed videtur ſatìs manifeſtum, quòd ibi agatur de catochò, qui in morbis acutis inflammatoriis contingit, & qui tunc meritò pro peſſimo ſigno habetur; cùm doceat, vim morbi in cerebrum rapi. Negari ergo nequit, quòd quandoque in mortem terminetur catalepſis; ſed ſimul conſtat certis Obſervatis, plurimos inde emergere, & quidem abſque alio morbo ſequente; in quibuſdam tamen, ſed paucioribus, in epilepſiam aut convulſiones abiiſſe catalepſin.

§. 1044. CURATIO tentatur pro varietate cauſæ varia. Excitando per objecta validè in organa ſenſuum agentia, ut ſunt lux, ſonus, ſtimulus, ſal volatilis acer, dolor, frictio, motus continuatus; hæmorrhagiæ ex naribus prolectu; hæmorrhoidalis, menſtruíve fluxûs prolectu; ſternutatoriis; vomitivis; veſicatoriis, fonticulis; ſetaceis; victu humectante.

Curatio hujus morbi duplex eſt, vel tempore paroxyſmi, vel extra eumdem. Dum paroxyſmus adeſt, ſolent acri quocumque ſtimulo, vel objectis validè in organa ſenſuum agentibus tentare Medici, ut mutetur illa diſpoſitio ſenſorii communis, quæ hoc tempore adeſt, & omnem ſenſuum actionem ſupprimit. Verùm & hîc cautela requiritur, uti jam antea in cura apoplexiæ dictum fuit: & prudenter monuit *Fridericus Hoffmannus*, à calidioribus ſtimulantibus abſtinendum eſſe, (*b*) *Si malum catalepticum ab humorum nimio orgaſmo, expanſione, ac ſtagnatione, fuerit ſubortum.* Neque in hyſtericis, catalepſi correptis, videtur tutus ſimilium uſus; dum enim valida talia ſtimulantia excitant ægras, convulſiones validiſſimas faciunt, æquè metuendas, & fortè plùs nocituras (*c*). Imò plerumque non multùm efficiunt; quod & propriis Obſervatis didici, & confirmatur illis, quæ in Actis Pariſinis (*d*) habentur. Mulieris enim catalepticæ pedibus ſuppoſito igne, ne quidem excitabatur ex ſuo paroxyſmo. Unde ubi lenioribus ſtimulantibus, frictionibúſque, non excitantur, vix ſuaderem, ut fortiſſima adhiberentur: oppreſſo enim penitus ſenſorio communi, nihil efficiunt, & ſæpe ſenſuum organa multùm lædunt ſuâ acrimoniâ; vel ſi acerrimi illi ſtimuli excitent ægros, ſimul ſæpe totum genus nervoſum mirificè turbant & irritant; inprimis in hyſtericis & hypochondriacis, quod non caret periculo.

(*a*) Comment. in Coac. Hippocr. pag. 66.
(*b*) Medicin. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Cautel. & Monit. Practic. §. 1. pag. 145.
(*c*) De la Mettrie Abrégé de la Théorie Chymique, pag. 280.
(*d*) Hiſt. de l'Académ. des Scienc. l'an. 1738. pag. 56.

Extra

Extra paroxyſmum verò curatio varia eſſe debet pro diverſitate cauſæ morbi. Si enim à ſanguinis nimia copia, vel rarefactione, morbus ortum duxerit, ſanguinis miſſiones conducunt, etiam repetitæ, ſi opus fuerit. Si à conſuetis ſanguinis evacuationibus ſuppreſſis catalepſis nata fuerit, illæ per idonea remedia revocandæ ſunt. De illis, quæ circa narium hæmorrhagiam proliciendam notanda ſunt, utì & de ſignis, quibus illa futura prævidetur, dictum fuit §. 741, & 779. Quomodo hæmorrhoidalis fluxus promovendus ſit, §. 889. n°. 2, explicatum fuit. De menſium ſuppreſſione curanda, poſtea in capitulo *De Morbis Virginum* dicetur. Balnea pedum, epiſpaſtica, vel emplaſtra aromatica, plantis pedum applicata, frictiones crurum & pedum, proderunt ſemper in tali caſu, quatenus impetum & copiam humorum à ſuperioribus avertunt.

In melancholica autem, ſiccâ & ſtrigoſâ temperie, evacuationes ſanguinis nocerent; illis victus humectans prodeſt, & blanda ſolventia ex melle, ſero lactis, fructibus horæis, &c; de quibus poſtea in capitulo *De Melancholia* pluribus dicetur. Spirituoſa remedia ſæpe & his profuerunt, inprimis ſi ſenili torpore jam langueret corpus. In moniali virgine, jam ſeptuagenaria, hic morbus curatus fuit ſpiritu vini, repetitâ deſtillatione, puriſſimo reddito (*a*); quo aſſumpto, mox ad ſe rediit; nec aliis remediis opus habuit, præter illa, quibus effœtæ per ſenium vires refocillarentur. Et per diuturnas febres intermittentes exhauſto corpore, ſi catalepſis prehenderit, reficientia, replentia, cardiaca, ſola profunt; omnia evacuantia nocent peſſimè, utì poſtea ad §. 1126, ubi de mania, à ſimili cauſa nata, agitur, dicetur.

Ubi autem catalepſis à validis animi affectibus, vel profundâ & diuturnâ nimis meditatione, ortum duxit, tunc obſervatum fuit, ſuperſtitem manere in ſenſorio communi talem diatheſin, quæ renovat morbum à ſimili cauſa, licèt multò leviore, quàm quæ primum paroxyſmum produxerat. Sic apud *Rondeletium* (*b*) legitur, de puella quæ nupſerat juveni, quem parùm amabat, & præ mœrore octo diebus poſt initum matrimonium catalepſi corripiebatur; redibat paroxyſmus, ſi vel de marito cogitaret. In illa ægra, cujus ex celeberrimi *Friderici Hoffmanni* Obſervatis mentionem feci, redibat catalepſis, (*c*) *Poſt auditam pſalmodiam, aut verba ex Divino Codice potiſſimùm prolata, quæ ardentiſſimumChriſti exprimebant amorem.* Optimum remedium in tali caſu eſt, imò unicum, ut peregrinatione concilietur quotidiana objectorum varietas, & vitentur ſedulò illa, quæ animi affectus validos excitare poſſent, vel profundas illas & diuturnas meditationes circa idem objectum facere. Fatetur ingenuè *Fridericus Hoffmannus*, quòd variis, & quidem generoſiſſimis remediis, incaſſum tentatis, perſtiterit morbus, (*d*) *Donec tandem mutato aere, ægrâque ad alia loca peregrinante, ſponte ſenſim evanuerit*. Sed & illa cataleptica, cujus Hiſtoria ex *Actis Pariſinis* paulò antè memorata fuit, quæ Lutetiam

(*a*) Dodonæ. Medicar. Obſervat. Cap. VI. pag. 11.

(*b*) Method. Curand. Morbos, Lib. I. Cap. XX. pag. 98.

(*c*) Medicin. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. IV. ad Enarrat. Morbor. Obſervat. II. pag. 151.

(*d*) Ibidem.

venerat, & ex magna folicitudine litis, à cujus exitu fortuna pendebat, in hunc morbum inciderat, ad fuos redux fana vixit & immunis ab hoc malo. Videtur enim in tali cafu fic fenfim deleri ille character fenforio communi impreffus, à quo per caufam procatarcticam accedentem renovatur morbus.

Sternutatoria folent laudari ut potentiffima excitantia paroxyfmi tempore; fed *Heerfius* (*a*) Capucino cataleptico, naribus fricatis ptarmicum potentiffimum infufflaverat abfque fucceffu. Cùm autem ad fe rediiffet, tunc incepit fternutare, & magnam copiam pituitæ excrevit. Si talis evacuatio indicaretur à caufa morbi cognita, ufum habere poffent; cæteroquin vix prodeffe videntur.

Vomitoria remedia tunc ufum habent, fi jufta fufpicio fit, fomitem mali circa ventriculum hærere. In cura autem apoplexiæ §. 1026, dictum fuit, quantam cautelam requirant vomitoria in capitis morbis curandis; atque ibidem §. 1025, de ufu & efficacia veficatoriorum, fonticulorum, & fetaceorum, dictum fuit.

(*a*) Obfervat. Medic. Lib. I. Obfervat. III. pag. 40.



CARUS.

§. 1045. CARUS est apoplexia levis, somnus verò gravissimus, cum febre, ex causis maximè cerebrum illæsum comprimentibus (1010. n°. 3. *lit.* α. β. γ. δ.), aut causis obstruentibus, sed faciliùs, quàm in apoplexia, solvendis (1010. n°. 2. *lit.* β. γ.): est in hoc aliqua perceptio, sed subitanea; aliquis sensus, sed parvus.

Antequam de Caro dicam, pauca præfanda habeo: scilicet, morbos soporosos variis quidem nominibus & à Veteribus & à Recentioribus fuisse insignitos; sed hos ipsos sibi non ubique constare in illorum nominum usu (exemplo sit (*a*) locus *Galeni* proximè secuturus paginâ sequenti): quamobrem operæ-pretium fuerit, eadem paulò accuratiùs, & ut passim sumi solent, declarare. Si quis naturaliter dormiat, *somnus* dicitur. Hic longior, brevior, profundior, leviórve, esse potest, sæpiúsque, aut minùs sæpe repeti, prout causæ fortè prægressæ, & consuetudo, tulerint; neque certis limitibus definiri; quibus etiam, ad hæc, vix opus foret. Sufficit cognoscere, quòd si evidenter modum excesserit, morbosus haberi debeat. Hujus autem excessûs varii gradus observantur. Si quis admodum somnolentus continuò ferè dormit, ita tamen ut subinde sponte, & à causis externis satìs facilè, excitetur; túncque, saltem quamdiu amicorum colloquiis utitur, vigil maneat, & suî compos, *Coma* dicitur. Sin ita, ut hebes, ac omnium ferè immemor, appareat, & frigida pituitosa cacochymia adsit simul, nuncupatur *lethargus;* cujus iterum varii gradus distingui possunt. At si vix unquam sponte, & à causis externis longè difficiliùs excitetur, statímque ferè quidquid agatur, in somnum recidat, nec tamen lenta illa frigida cacochymia adsit, vocatur *Carus.* Si nunquam sponte, & à causis externis, etiam validissimis, diúque applicatis, non ulteriùs excitetur, quàm ut levissima quædam sensûs motûsve indicia adstantibus exhibeat, *parapoplexia* est. Si nulla prorsus ejusmodi indicia, post similes causas præbuerit, unà cum omnium membrorum paralysi, *apoplexia.* His præmonitis, rem ipsam aggredior.

Caput κάρη, & per apocopen κάρ, dictum fuit veteribus Græcis: hinc carus sumitur pro morbo capitis, in quo adest gravis sopor, à quo vix possunt ægri excitari. Dum autem validis stimulis excitantur, deducunt palpebras per momentum, mox in somnum æquè profundum relabuntur. Apoplexiæ similis morbus, & quasi levior species, à qua tamen distingui debet, quia faciliùs sanatur, & integre quidem; quod in apoplexia exquisita rarò fit; si enim evaserit æger, semper ferè aliquam læsionem functionum anima-

(*a*) Hippocrat. Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LXIII. Charter. Tom. VIII. pag. 743.

lium relinquit (vide §. 1018.). Notaverunt (*a*) *Duretus* & (*b*) *Jacotius*, quòd respiratio facilior nec cum tanto stertore fit, ut in exquisita apoplexia. Cùm autem exquisita & fortis apoplexia plerumque fiat ab extravasatis liquidis in craniô; carus, frequenter sanabilis, potiùs à distentis vasis majoribus, reliqua minora comprimentibus, videtur fieri. Hinc in summo vigore febrium intermittentium ægri quandoque soporosi jacent; & post validam ebrietatem idem illud observatur; sic ut quandoque à minùs peritis pro apoplecticis habeantur; vidíque aliquoties, quòd jactatores satis imperiti gloriam tulerint sanatæ apoplexiæ, dum profundus talis somnus largam ciborum, & potûs inprimis, ingurgitationem sequebatur. *Heersius* (*c*) hominem, ab ebrietate jam in quartum diem dormientem, liberavit à perforatione calvariæ, quam jam moliebantur bini Chirurgi, raso capite, quia credebant apoplecticum esse, cùm supinus cecidisset ebrietatis primo tempore; examinans autem ægri caput, cùm nullum vestigium læsionis perciperet, pulsus optimus esset, respiratio liberrima absque ullo stertore foret, audacter negavit apoplecticum esse: vulsis mystacis pilis, evigilabat iratissimus homo, & minabatur pessima Medico, si ipsi denuo barbam velleret.

Difficulter etiam distinguitur à lethargo, de quo paulò post dicetur: saltem videmus, *Galenum* promiscuè lethargum & carum dixisse eumdem morbum. Ita autem habet (*d*) *Quum verò cerebrum ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur, in lethargicis affectionibus, coma erit; quod & ipsum, si lubet, soporem appellare poteris.* Cùm autem in textu dicatur & carus oriri à causis obstruentibus, sed faciliùs quàm in apoplexia solvendis, & citetur §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, ubi de causa pituitosa & frigida apoplexiam producente agitur; patet satìs, quòd morbus ille, qui carus vocatur, eamdem quandoque causam agnoscat ut lethargus (vide §. 1049.).

Fortè posset, majoris distinctionis gratiâ, cari nomen retineri ad designandum profundum soporem in febribus acutis, & aliis morbis, ubi copia sanguinis, nimia ejus rarefactio, aut & inflammatoria spissitudo adest. Lethargus autem vocaretur, ubi à mera glutinosa & inerti sanguinis cacochymia profundus talis sopor produceretur. Simile quid videtur indicasse *Ægineta* (*e*), dum de utroque hoc affectu agens, dicit, quòd febris carum præcedat, & quidem vehementior; lethargum verò subsequatur. Voluit tamen, eamdem esse materiam morbosam in caro ac in lethargo, quem dixit eumdem locum habere ac phrenitidem, cerebrum nempe; sed materiam penitus oppositam. Notum autem est, inflammatoriæ & calidæ densitati sanguinis opponi lentam & frigidam ejusdem cacochymiam. Interim tamen addit quòd carus frequenter superveniat febribus, & cerebri compressionibus; adeóque videtur agnoscere, quòd carus & absque pituitoso frigido sanguinis lentore fiat.

(*a*) Interpretat. & Enarrat. in Hippocrat. Coac. Prænot. Lib. II. Cap. II. n°. 1. pag. 99.

(*b*) Holler. Comment. in Coac. Hippoc. pag. 280.

(*c*) Observ. Medic. Lib. I. Observ. XIX. pag. 178.

(*d*) Hippocrat. Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LXIII. Charter. Tom. VIII. pag. 743.

(*e*) Lib. III. Cap. IX. pag. 28, versâ.

Cùm autem à similibus causis, sed levioribus, ortum ducat carus, ac apoplexia, non videtur periculo carere, licèt & sæpe sanetur; & hinc videtur *Hippocrates* pronunciasse, (*a*) *Sopor* (τὸ καρῶδες) *ubique malum.* Tamen in alio loco dubitantis instar ponit, (*b*) *Sopor an ubique malus?* Et meritò, quia non videtur absolutè semper & ubique mali ominis esse; quod & confirmavit *Galenus*, qui testatur se vidisse (*c*) *In ægris quibusdam qui tribus vel quatuor deinceps diebus, vigiles permanserant, difficilem excitatu somnum supervenientem; qui prorsus nocte diéque perseverans, magnum attulit auxilium.* Infantibus autem profundum talem somnum (*d*) per integrum biduum supervenisse sæpius observavit pulchro cum effectu. Unde ubi post vigilias protractas in morbis, aut summas defatigationes carus oritur, raro quid mali portendit, plerumque autem prodest: si ab ebrietate, quandoque quidem, sed rariùs, in apoplexiam degenerat; & tantùm ferè, ubi extremæ ingurgitationes præcesserunt, vel diu ebriosi vixerunt homines. Ubi autem ab infarctis cerebri vasis humore minùs meabili, vel distentis à copia aut rarefactione sanguinis, carus oritur, periculo non caret morbus, licèt tamen promptâ & idoneâ medelâ adhibitâ curabilis sit; imò quandoque solâ morâ temporis sponte cedat, ut statim videbimus.

§. 1046. HINC à caro soluto sanitas, nisi quòd fortè titubatio vacillans capitis aliquamdiu supersit.

Cùm levior cerebri illæsi compressio hic adsit, ablatâ copiâ liquidi distendentis, vasa majora, vel conciliatâ debitâ fluiditate sanguini, difficiliùs per vasa cerebri transeunti, redibunt functiones ad pristinam integritatem; quod post apoplexiam curatam raro fit, utì paulò antè dictum est. Ratio autem, quare apoplexia, paulò gravior, semper ferè aliquid mali relinquat, data fuit ad §. 1018. *Sydenhamus* epidemicam talem constitutionem vidit, inter cujus symptomata eminebat carus, sive somnus talis profundus, ad septimanas aliquot quandoque durans, à quo difficillimè excitabantur, mox iterum obdormientes ægri. Interim tamen, ubi moderatâ sanguinis missione, & enematibus injectis, nimius febrilis impetus ad debitum moderamen redactus fuerat, omnes ferè evadebant, sensim soluto morbo. Verùm convalescentibus, (*e*) *Caput ad dies aliquot debile atque infirmum, nunc versùs hanc partem, nunc illam, nutabat; aliáque aderant signa, quæ caput plurima fuisse passum ostenderent. At quo passu vires restituebantur, eo ipso discessit dictum symptoma.* In junioribus autem deliria potiùs aderant in eadem illa constitutione epidemica, sed magìs tranquilla, & nunquam ad immanes illos phreniticorum furores adscendebant: unde videtur in hoc morbo materies morbosa, cerebrum occupans, vel opprimendo sopivisse actiones sensorii communis, sed minùs quàm in apople-

(*a*) Coac. Prænot. n°. CLXXIX. Charter. Tom. VIII. pag. 861.
(*b*) Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LXIII. Charter. Tom. VIII. pag. 743.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Sect. V. Cap. II. pag. 278, & seq.

xia; vel irritando illas turbaſſe quidem, mitiùs quàm in phrenitide; atque inde denuo confirmatur, carum eſſe leviorem apoplexiam.

§. 1047. CURATIO petenda ex curatione apoplexiæ tradita (1020, ad 1036.).

Omnia, quæ in cura apoplexiæ dicta ſunt, hîc convenire, ex dictis ſatis patet: verùm cùm non adeo præceps periculum ſit in caro, hinc non ſimul & ſemel applicamus ſumma remedia, ut in apoplexia fieri debet ubi tantum in mora periculum eſt. Poſt moderatas evacuationes inprimis inſiſtendum eſt illis remediis, quæ impetum & copiam à capite derivant; ut ſunt clyſmata, epiſpaſtica, balnea pedum; & inprimis curandum eſt, ut æger (*a*) quotidie lecto abſtineat, ſaltem ad horas aliquot, erecto corpore in ſedili locatus: vel ſi id vetaret major debilitas, veſtibus indutus ſupra lectum cubet, capite paulùm elatiori. Diæta interim tenuis ſit, & omnia remedia calefacientia & moventia vitentur. Hâc Methodo vidit *Sydenhamus*, morbum illum ſenſim evaneſcere; & meliùs ceſſiſſe ægris, ſi morbus ſic ſuo relinqueretur genio, quàm ſi evacuationem quamcumque violentiorem moliretur illo tempore, dum febris ad juſtum illud moderamen redacta jam foret. De hoc autem febris moderamine videantur illa, quæ ad §. 610, habentur. Interim, mutato ſubinde corporis ſitu, & alutâ mollisſima ſuppoſitâ, cavendum eſt, ne gangræna à decubitu fiat, de qua videantur illa, quæ §. 422. *lit.* θ, habentur.

§. 1048. COMA vigil, coma ſomnolentum, cataphora, videntur tantùm eſſe cari leviores ſpecies (703, ad 710.).

Ex illis quæ ad §. 1045, dicta fuerunt, patet, quòd veteres Medici quandoque eumdem affectum, & coma, & carum, dixerint. Si autem conferantur illa, quæ ad paragraphos hîc citatos habentur, apparebit, carum his morbis omnino affinem eſſe, & tantùm gradu differre.

§. 1049. LETHARGUS autem levior eſt apoplexiæ ſpecies ex cauſa frigida, lenta, aquoſa: unde ex Hiſtoria apoplexiæ ejus cognitio & curatio petenda (1008, ad 1036.).

Oblivio Græcis λήθη dicitur: ἀεργὸς vocatur, qui abſque ullo labore inertem vitam tranſigit; adeóque lethargus deſignat ſegnem & otioſam oblivionem. Frigidam & inertem pituitam pro cauſa materiali poſuerunt veteres Medici (*b*), quando cerebrum occuparet. Et ſigna diagnoſtica, quæ

(*a*) Sydenham, Sect. V. Cap. II. pag. 282. (*b*) Æginet. Lib. III. Cap. IX. pag. 28, verſâ.

dederunt (*a*), hoc confirmant: pallidos enim, tumidos, decolores, partes sub oculis elevatas habentes, difficulter respirantes cum pulsu tardo, descripserunt lethargicos, quæ omnia signa talem cacochymiam indicant: adeóque videretur potiùs ad morbos lentos pertinere lethargus. Verùm cùm lethargus sæpe in apoplexiam subitò lethalem desinat, acutæ phrenitidi quandoque talis somnolentia succedat (vide §. 774.), obtinuit unanimi consensu ferè apud Medicos veteres lethargum morbis acutis adnumerare. Unde *Celsus*(*b*) de lethargicis agens, oppositum quidem hunc morbum phrenitidi dixit, sed tamen acutum esse, &, nisi succurritur, celeriter jugulare monuit: & videtur, oppositam illam horum morborum indolem ex symptomatum diversitate potiùs, quàm ex varietate materiæ morbosæ deduxisse. Sic enim habet: *In eo* (Phrenitide) *difficilior somnus, prompta ad omnen audaciam mens est: in hoc* (lethargo) *marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas.* Pariter & *Hippocrates*, priscos Medicos lethargum(*c*) inter morbos acutos numerasse, memorat: & alibi dixit quòd lethargicus, (*d*) *intra dies septem moritur; si verò hos effugerit sanus evadit. Aretæus* (*e*) etiam, & *Cælius Aurelianus*, (*f*) de hoc morbo egerunt in libris, quos de acutis morbis scripserunt.

Cùm ergo lethargus apoplexiam præcedere soleat (vide §. 1010. n°. 2. *lit. γ.*), & levior ejus species sit, jam de cura hujus morbi actum esse patet.

Ad lethargum referri posse videtur somnus, per plures septimanas, imò & menses, quandoque durans, à quo nullâ arte potuerunt excitari homines. Plures novi tales casus fuisse, ubi malâ fraude fingebant somnum, ut à numerosissimis spectatoribus stipem corraderent, interim tamen & in Historia Medica habentur talia, in quibus nulla ratio suadet, fraudem suspicari.

Ex terrore subito post iracundiam homo mediæ ætatis in talem somnum incidit, & in nosocomium delatus, per integros binos menses in eodem statu mansit, tentatis remediis etiam efficacissimis. Sequentibus duobus mensibus per intervalla videbatur sentire & noscere adstantes: subitò nudum hominem frigidæ aquæ immergebant; tunc oculos aperuit, sed non loquebatur. Sensim tamen ad se rediit postea, & quotidie perrexit se meliùs habere (*g*). Commendaverat jam *Celsus*, (*h*) aquam frigidam, affusam corpori, tamquam efficacissimum remedium ad lethargicos excitandos. Alius & legitur (*i*) de profundo tali somno & diuturno, casus, adhuc magìs mirabilis. Homo sanus, robustus, viginti quinque annorum, absque ulla cognita causa prægressa obdormiscit, & nullo modo per integrum mensem excitari potest: tunc

(*a*) Hippocrat. Coac. Prænot. n°. CXL. Charter. Tom.VIII. pag. 859. Confer. Cæli. Aurelian. Acutor. Morbor. Lib.II. Cap. II. pag. 76.

(*b*) De Medicin. Lib. III. Cap. XX. pag. 158.

(*c*) Lib. de Morbor. Acutor. Vict. Comment. I. text. VII. Charter. Tom.XI. pag. 5.

(*d*) De Morb. Lib. II. Cap. XXVI. Charter. Tom. VII. pag. 577.

(*e*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. II. pag. 77, & sequ.

(*f*) Acutor. Morbor. Lib. I. Cap. VI. pag. 19, & sequ.


(*g*) Académ. des Sciences 1713. Mém. pag. 419.

(*h*) De Medicin. Lib. III. Cap. XX. pag. 159.

(*i*) Philosoph. Transact. n°. CCCIV. pag. 1727. Abridgem. Tom. V. pag. 353.

ſponte evigilans, veſtes induit, ſolitóſque labores exercet. Poſt biennium circiter in ſimilem ſomnum incidit, & licèt venæ-ſectio, ſcarificationes, cucurbitæ, veſicatoria, applicata fuiſſent, per ſeptemdecim ſeptimanas in hoc veterno manſit, túncque ſponte evigilavit; nec perſuaderi ſibi paſſus fuit, quòd longam adeo noctem dormiviſſet, niſi poſtquam vidit, meſſim adeſſe maturæ ſegetis, probè memor ſe ſementis tempore obdormiviſſe. Poſt annum elapſum demum recidivam paſſus fuit, & adhuc longiore tempore dormivit. Egregius Medicus, fraudem ſuſpicatus, inter alia tentamina acerrimum ſpiritum ſalis ammoniaci, cum calce viva paratum, non tantùm ſuppoſuit naribus, ſed infudit ad unciæ mediæ quantitatem: dein replevit naſi idem foramen, per quod infuderat igneum illum ſpiritum, pulvere radicum hellebori albi; nec tamen ab acerrimis his evigilavit miſer, licèt ſequenti die naſus inflammatus tumeret maximè. Certum eſt, quòd nemo ſanus ſomnum ſimulare poſſet, ſi acerrimis talibus tentaretur ſtimulis, qui peſſimas convulſiones induxiſſent, niſi omnes ſenſus profundiſſimo tali ſomno fuiſſent ſopiti.

Simul ex his Obſervationibus patuit, quòd in tali ſomno, qui, naturali ſimillimus cæteroquin, ſolâ diuturnitate morboſus dici poterat, remedia etiam validiſſima parùm vel nihil profuerint, ſi immerſio ſubita in aquam frigidam excipiatur.



DE

DE MORBIS CHRONICIS.

§. 1050. HACTENUS de morbis principibus acutis internis, & externis: nunc de chronicis agendum. Illi verò, si in corpore nati, ortum duxerunt vel ex vitiis liquidorum sensim natis, vel ex vitiis relictis à morbis acutis non bene sanatis.

Optimè *Celsus*, utì & antea ad §. *565*, dictum fuit, definivit morbos longos, (*a*) *Sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est.* Certè morbi hi & frequentissimi sunt, & magna tædia ægris ac Medicis facere solent, dum ob pertinaciam causæ sæpe vel omnino non, vel difficillimè, eradicari possunt. *Celsus* quidem voluit, quòd magìs (*b*) *Ignoscendum Medico est parùm proficienti in acutis morbis, quàm in longis. Hîc enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, æger exstinguitur: ibi & deliberationi, & mutationi remediorum, tempus patet; adeo ut rarò, si inter initia Medicus accessit, obsequens æger sine illius vitio pereat.* Verùm binas ibi ponit conditiones ad felicem curam morborum chronicorum requisitas, ut nempe in initio morbi Medicus vocetur, & æger obsequens sit. Sed latenter sæpe morbi chronici subrepunt, & plerumque altas jam radices fixerunt, antequam Medici opem ægri implorent, cùm sensim tantùm functiones corporis lædere soleant. Præterea non semper obsequentes ægri sunt, cùm & imminens exitium non terreat, & ipsa curæ longitudo frequenter obsequii tædium pariat. Prudenter hoc monuit *Aretæus* dicens, (*c*) *Diuturnarum ægritudinum dolor multus est, tempus colliquationis longum, & medicatio instabilis: vel enim haud ex toto morbi deleti sunt, vel deleti, ex qualibet levi offensa revertuntur: nam laborantes æquo animo ferre usque in finem non audent: quin etiam si æquo animo ferunt, in victûs ratione nimis longa delinquunt.* Si jam simul consideretur, quòd in morbis acutis febris comes lentorem & viscididatem materiæ morbosæ solvat, si debito moderamine temperetur ejus impetus (vide §. *609*.), simúlque disponat, ut per evacuationes criticas exeat de corpore; quòd ægri, discrimine morbi territi, & gravibus symptomatibus perculsi, satìs obsequiosos se Medico præbeant; quòd acutus morbus, ipso fatente *Celso*, eò faciliùs curetur, (*d*) *Quò vetustior est* (tunc enim solet defervescere nimius ille acutorum impetus); Et contrà morbus chronicus morâ reddatur curatu difficilior; si, inquam, omnia hæc ponderentur, patebit, majorem difficultatem in

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. 1. pag. 111.
(*b*) Ibid. pag. 112.
(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. 1. pag. 26.
(*d*) De Medicin. Lib. III. Cap. 1. pag. 112.

morbis chronicis curandis esse quàm in acutis. Certè periti Medici plùs sperant in curanda peripneumonia, periculosissimo quàmvis & acutissimo morbo, quàm in phthisi: sæpius sanantur phrenitici quàm maniaci. Inflammatio hepatis toties sanatur, sed scirrhosa ejusdem visceris infarctio vix unquam. Idem & patebit percurrendo morbos, acutos & chronicos aliarum corporis partium. Unde meritò statuitur, quòd longus (a) *Morbus cùm penitus insedit, quòd ad difficultatem pertinet, acuto par est* non tantùm, sed longè difficiliùs eradicari possit. Sequitur jam, ut considerentur generalia illa, quæ de origine morborum chronicorum cognita habentur. Verùm tantùm hîc dicitur de caussis illis, quæ in corpore natæ morbis chronicis originem dederunt. Sunt enim & aliæ caussæ, applicatæ corpori, non præexistentes in corpore; quæ difficillimis morbis chronicis producendis sunt quàm aptissimæ. Compressio imprudens capitis in recèns natis, vel & junioribus, perpetuæ stultitiæ, & convulsionibus, toties dedit originem. Collaris nimia adstrictio narium hæmorrhagiam frequentem & cephalæam diuturnam produxit, quod vidi. Plurima mala à constrictione sola abdominis per thoraces rigidos in sequiori sexu observavit celeberrimus *Winslowus* (b). A lapsu, gravi contusione, similibúsve caussis, loco motis vertebris, immedicabiles paralyses, asthmata, &c, toties producta fuerunt. Dum epidemicæ quartanæ grassantur, sanissimi homines sæpe corripiuntur tali morbo, per plures menses durante, absque eo quòd ullum vitium antea in corpore observatum fuerit, vel ullus error in sex rebus non naturalibus commissus sit, cui origo hujus morbi ullâ specie tribui possit, utì postea in capitulo de morbis epidemicis pluribus dicetur. Verùm cùm de his omnibus antea actum sit, dum de vulneribus, contusionibus, obstructione, &c, tractabatur; & de morbis epidemicis postea dicetur; hîc loci tantùm agendum erit de illis caussis, quæ sensim natæ in corpore morbos chronicos producunt.

Bini autem generales fontes harum caussarum sunt: vel enim lentè subrepunt vitia, sensim in liquidis nata (subitaneæ enim liquidorum degenerationes morbos acutos producunt, vel illos ab epidemico miasmate natos brevì sequuntur); vel post morbos acutos, non ex integro sanatos, supersunt variæ degenerationes humorum. Fortè mirum videbitur, quòd nulla hîc fiat solidarum partium mentio, quatenus ab illarum degeneratione chronici morbi produci possent. Verùm considerandum est, quòd hîc agatur de morbis longis, & quòd solidarum partium morbi nunquam diu persistere possint, quin sequantur morbosæ degenerationes fluidorum. In solidis partibus enim vel peccat nimia laxitas, vel nimia rigiditas, vel adest soluta unio partium cohærentium. Sed nimia laxitas solidarum partium spontaneam corruptionem fluidorum producit (vide §. 26-54.), de qua sequenti paragrapho ad numerum tertium dicetur. Nimia rigiditas vasorum vel omnem motum suffocat, vel, nimis forti reactione vasorum in liquida contenta, fluidissima expellit; reliqua condensat, adeóque morbosam diathesin liquidis nostris conciliat; de qua

(a) De Medicin. Lib. III. Cap. 1. pag. 112.

(b) Académ. des Scienc. Ann. 1741. Mémoir. pag. 234, & suiv.

ad secundum numerum sequentis paragraphi dicetur. Soluta autem unio partium solidarum, antea cohærentium, effusionem humorum, & spontaneam degenerationem effusorum, pro suo effectu habet. Hinc patet ratio, quare generalis illa divisio causarum morborum chronicorum sufficiat. De singulis his jam seorsim agendum erit.

§. 1051. VITIA liquidorum sensim nata oriuntur: 1°. Ex ingestis, aere, cibo, potu, condimento, medicamento, veneno, tam alienis, ut nostris humoribus similia non sint; tam validis, ut vi nostrorum viscerum & humorum nobis assimilari non possint. Eáque sunt α. *Acor* (60, ad 69.). β. *Austerum*, ex acore & terrestri plurimo unitis, ut à fructibus immaturis, vel adstringentibus, succis, vinis, & similibus, quæ liquores coagulant, vascula constringunt, hinc obstructiones duras pariunt (31. 36. 40. 50. 51. 113. n°. 1. 117.). Sanatur diluentibus, alcalicis fixis, saponaceis alcalicis, diu, prudenter usurpatis. γ. *Acre pingue aromaticum*, ex cibis, potibus, condimentis, calidis odore, sapore; hæc calorem, attritum, læsionem minimorum vasculorum, dolores calidos, attenuationem liquorum, horum putrefactiones, extravasationes, & similia multa producunt: curantur aquosis, farinosis, gelatinosis, acidis. δ. *Pingue iners*, à nimio usu pinguium; ex animalibus terrestribus, piscibus, vegetabilibus oleosis; hinc obstructio (117), ranciditas biliosa, inflammatio, corrosio, putrefactio pessima (82. 526.). Curatur diluente, saponaceo, acido. ε. *Salsedo muriatica*; ex sale, salitísve; vascula destruit, liquida solvit, acria reddit illa; hinc ἀτροφίαν, solutiones vasorum, extravasationes liquorum, non citò putrescentium, sed maculas producentium. Tollitur aquâ, acidis, lixivio calcis vivæ. ζ. *Alcali* (76, ad 91.). η. *Glutinosum* (69, ad 76.). 2°. A viribus nostris nimiis in ingesta (50, ad 58. 92, ad 106.). 3°. A spontaneis nostrorum humorum vitiosis permutationibus (58, ad 91.).

Sanitas habet latitudinem quamdam (vide §. 1.); & in hac latitudine admittit parvas mutationes, quæ à perfecta & strictè dicenda sanitate recedunt quidem, interim tamen nondum turbant multùm functiones. Unde *Galenus* (vide §. 1.) dixit, (*a*) *Non enim absoluta ipsa tantùm est, quæ indivisibilis simul est, & dicitur sanitas, verùm etiam quæ ab hac deficit, modò tamen usibus nostris adhuc non sit inepta.* Possunt ergo sensim humores nostri à conditionibus illis, quas in perfecta sanitate habent, recedere; & tamen, dum sic

(*a*) De Sanitat. Tuend. Lib. I. Cap. v. Charter. Tom. VI. pag. 45.

incipiunt degenerare, nondum sensibiliter functiones lædere. Verùm dum pergit ille recessus à sanitatis legibus, vel augetur copia humorum degenerantium, tunc læsio functionum manifesta fit, & dicitur morbus. Unde de diæta sanorum agens *Hippocrates* dicit, (*a*) *Nam etsi à cæteris non multùm deficiunt, temporis tamen spatio corpus ab excessu superari, & in morbum incidere necesse est.* Paulò pòst addit sequentia, (*b*) *Neque enim morbi derepente hominibus accidunt, sed paulatim collecti, acervatim se produnt.* Quod inprimis de morbis chronicis, sensim subrepenti humorum degenerationi originem suam debentibus, intelligendum videtur. Considerandæ jam sunt causæ præcipuæ, à quibus illa vitia in liquidis nostris sensim nascuntur.

1. In Physiologicis demonstratur, ingesta successivè per actiones conspirantes viscerum, vasorum, & sanorum humorum, in corpore mutari ita, ut fiant partes nostri corporis solidæ & fluidæ; sícque restituantur quotidie illa, quæ per ipsius sanitatis actiones pereunt de corpore. Verùm, utì antea ad §. 25, dictum fuit, requiritur ad hanc rem, ut ingesta sint talis indolis, ut possint per vires mutantes nostri corporis superari, & nostram induere naturam. Certa autem Experimenta docent non omnia ingesta æquè facilè superari à viribus permutantibus nostri corporis; imò & quædam diu moveri per vasa cum humoribus nostris, antequam propriam indolem deponant, & nostris liquidis solidísque omnino assimilentur. Qui allio quotidie in cibis utuntur, toto corpore ingratum allii odorem spirant; leporis, brassicæ foliis per aliquot dies nutriti, carnes ingratum admodum saporem, & odorem, acquirunt. Rubia tinctorum, animalium cibis permista, non tantùm interiorem ventriculi & intestinorum superficiem infecit suo colore, sed & solidissima ossa rubedine conspicuâ tinxit, retinens adhuc suam indolem, dùm jam adhæreret unita solidis animalis partibus. Sed & observatum fuit, hæc animalia languere, dum utebantur rubiâ, quæ adeo pertinaciter viribus assimilantibus resistebat (*c*). Patet ergo ferax satìs morborum chronicorum origo à sola ingestorum tali indole, ut admodum dissimilia sint humoribus nostris, & nimis resistant viribus permutantibus nostri corporis. Sed & simul apparet ratio, quare debiliores homines à pluribus ingestis lædantur & langueant, quæ à robustis, & exercitatam vitam degentibus, superantur satìs commodè; & cur debilibus conveniant talia nutrimenta, quæ, antequam ingerantur, jam possident dotes similes humoribus nostris sanis, utì explicatum fuit ad §. 28. Simul & inde intelligitur, quòd in robustis & exercitatis hominibus morbi chronici plerumque tantùm oriantur ex vitiis relictis à morbis acutis non bene sanatis. In debilibus verò, & otiosam vitam degentibus, chronica mala oriuntur ex vitiis liquidorum, sensim natis, ob minùs perfectam assimilationem ingestorum.

Aerem liquidis nostris inhærere, plurimis constat Experimentis (de quibus vide §. 647.) sed sic unitum aliis particulis, ut non sit elasticus; & pessima mala fieri posse, si pristinam elasticitatem denuo acquirat aer in liquidis hæ-

(*a*) De Vict. Ration. Sanor. Lib. I. Cap. 11. Charter. Tom. VI. pag. 449.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Medical Essays, Tom. V. Part. II. pag. 930. Académ. des. Scienc. Ann. 1739.

rens. Verùm demonstravit celeberrimus *Halesius* (*a*), notabilem partem substantiæ animalium & vegetabilium constitui ab aere tali fixato, non elastico; illúmque aerem sic per plurimos annos manere in solidis vegetabilium & animalium partibus; & denuo amissam elasticitatem acquirere dum per ignem solvuntur nexus, quibus cohærebat solidis. Vires ergo permutantes ingesta in animalibus habent hanc efficaciam, ut aerem reddant non elasticum, misceant intimè fluidis, uniántque solidis partibus nexu adeo durabili. An fortè in morbis languidis molestæ illæ flatulentiæ adeo frequentes sunt, quòd à debili vi assimilante non satìs subactus & mutatus sit aer ingestus? Verùm innumera per aerem dispersa fluctuant, quæ unà cum aere corpus ingressa sanitatem turbare possunt (vide §. 605. n°. 4.). Sic paludosa & depressa loca habitantes scorbuto pessimè solent affici: & alii morbi endemici à simili causa oriuntur frequenter; de qua re adhuc plura dicendâ erunt, §. 1408, ubi de morbis epidemicis agetur.

Verùm & ciborum major tenacitas, quàm ut viribus permutantibus corporis superari possit, frequens morborum chronicorum causa est. Dum teneris infantibus duriores cibi ingeruntur, vel & lenta farinosa fercula; tumet abdomen & indurescit, reliquum corpus lento marasmo extenuatur. Ob eamdem causam & in obsessis urbibus languent homines miserrimè, dum ex annonæ penuria minùs congruis alimentis uti coguntur (vide §. 25. n°. 1.). Idem & de potu verum est, etiam salubris aquæ, si majori copiâ ingurgitetur simul & semel, à siticuloso, & laboribus validis fesso, vel etiam à febre æstuante homine. Nisi enim vires tam validæ fuerint, ut movere possint ingentem aquæ potæ copiam, & per cutis spiracula, aut urinæ vias, educere, incipiunt brevì tumere, & in hydropem incidunt, homines à sola hac causa. *Piso* vidit adolescentem, (*b*) *Quòd in febre tertiana intemperantiùs bibisset aquam, sub ejus declinationem in ascitem incidisse*; idémque monet rustico contigisse, qui messis tempore, à labore æstuans, (*c*) immodico aquæ potui indulserat. Hinc belli duces prudenter positâ custodiâ cavent, ne lassi à longo itinere milites affatim hauriant aquas siticulosi. Observatum autem fuit longè magìs in tali casu nocere aquas stagnantes, quàm exercita cursu flumina: & hoc pariter monuit *Hippocrates*, dum hydropem universalem à tali causa nasci docet, (*d*) *Quum quis per æstatis tempus ex longo viæ itinere in aquam pluviam & statariam inciderit, eámque avidè copiosam biberit. Si igitur carnes aquam ebiberint & in se continuerint, nusquam autem secessus fiat, hæc contingunt.* Notum est, toties chlorosin, & summum languorem, fluorem album, uteri hæmorrhagias, fieri mulieribus, dum potibus aquosis tepidis abutuntur. Condimenta acriora, diu & multùm usurpata, pariter huc spectant; quatenus sensim acrimoniam humorum producere possunt talem, ut inde morbi chronici difficiles fiant; utì patet in scorbuto muriatico, affligente illos, qui salsamentis vel delectantur nimiùm, vel eduliorum aliorum penuriâ illis

(*a*) Vegetable staticks passim.

(*b*) De Morb. à Colluv. Serof. Sect. IV. Cap. III. Observat. CXIII. pag. 333.

(*c*) Ibid. Observat. CXIV.

(*d*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XXVIII. Charter. Tom. VII. pag. 658.

uti coguntur; utì in longinquis navigationibus toties contingit, præsertim si & aquæ simul adsit inopia.

Cùm autem, teste *Hippocrate* (vide §. 5.), (*a*) *Omnia medicamenta sunt quæ præsentem statum dimovent; vehementiora autem omnia immutant*, majorem adhuc degenerationem liquidis inducere possunt, & languidos morbos producere. Videmus hoc toties in illis hominibus, qui commodâ satìs sanitate fruentes de præcavendis morbis futuris semper sunt soliciti, & invitis sæpe Medicis extorquent remedia, vel proprio consilio semper quid conantur mutare in corpore, & (*b*) *In secunda valetudine adversæ præsidia consumunt*. Prudenter Medici piâ fraude similibus hominibus præscribunt talia, magno virium encomio, quæ corpus minimè turbare possunt. Verùm si, his non contenti, frequenti venæ-sectione, purgantibus, vomitoriis, abutuntur, sanitatem destruunt, & in chronicos morbos, difficillimè curabiles, incidunt, vel ob solas vires debilitatas, (*d*) *Cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit*; utì optimè monuit *Celsus*, purgantium medicamentorum nimis frequentem usum damnans. Notum est epitaphium Itali, qui præmaturâ morte similis imprudentiæ pœnas dederat:

Stava ben, ma per star meglio, stoqui.

Venena autem longè adhuc pejores morbos relinquunt, & plerumque penitus insuperabiles. Antea ad §. 586. *lit.* α, dictum fuit de puella, quæ ab arsenico assumpto per integrum triennium vixit morbosa. Venefici sic temperare noverunt deleteria hæc pharmaca, ut lento conficiantur morbo miseri, quibus hæc propinata fuerunt: quorum scelerum Exempla satìs numerosa apud Historicos habentur. Argenti vivi, per ignem agitati, vapores, illos, qui deaurandis metallis victum quærunt, miserrimos reddunt dum totâ vitâ tremuli omnibus membris manent; quandoque & epilepticos inde factos fuisse novi. Plumbi fusi halitus, calces plumbi quæcumque corpori ingestæ, colicam pictonum dictam, & postea pessimam paralysin, toties producunt. Omnia enim hæc à viribus corporis nostri domari nequeunt, & lentam, sed sæpe certam, perniciem faciunt.

Jam considerandæ sunt præcipuæ classes degenerationum in liquidis nostris, quæ sensim natæ morbos chronicos producere valent.

α. ACOR. De hac acrimonia, causis unde nasci solet, morbis qui inde fiunt, dictum fuit ad numeros hîc citatos.

β. AUSTERUM. Ubi numeris hîc citatis de roboranda nimia flacciditate solidarum partium nostri corporis agebatur, constitit, quòd, aucto fibrarum robore, vasorum cava his arctentur, & liquida coagulentur; vel saltem partium, fluida nostra constituentium, cohæsio inter se augeatur; unde pulchrum adeo effectum habent, ubi nimis soluti sunt humores, & nimis facilè cedunt liquidis impulsis vasa corporis nostri. Verùm ubi hæc vel diutius

(*a*) Lib. de Loc. in Homin. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. pag. 375.
(*b*) Cels. de Medicin. Lib. I. Cap. I. pag. 21.
(*c*) Ibid. Cap. III. pag. 31.

usurpantur, quàm par est, in morborum similium cura, vel imprudentes adhibentur corpori cæteroquin sano, obstructiones pessimæ, & vix curabiles, fiunt, quia binæ validissimæ obstructionum causæ concurrunt; nempe vasorum angustatio, & adunatio molecularum, quæ humores nostros constituunt (vide §. 108.). Dum in collyriis vitriolum, alumen, & similia, imprudenter oculis applicantur, teneræ & pellucidæ corneæ vasa sic corrugantur, humores ita coagulantur, ut callosæ opacæ maculæ totâ vitâ sæpe maneant, nullâ postea Arte solubiles. Dum rusticorum pueri immaturis fructibus abutuntur, tumido abdomine, infarctis visceribus, glandularum indurationibus, scabiei quâdam specie, toties pœnas luunt. Verum quidem est, quòd austera hæc in ventriculum & intestina agant primò & efficacissimè, & constringendo venarum absorbentium oscula sibi ipsis viam præcludere videantur, ne facilè sanguinem inficere possint: sed & ab hoc effectu solo magna mala produci poterunt, dum tunicæ internæ ventriculi & intestinorum extrema vascula sic contrahuntur, ut arteriæ nihil emittere, venæ nihil admittere, possint: turbatur enim inde tota chylopoiesis. Verùm ubi illa austera assumpta, vel à potu, vel à liquidis in intestina delatis, diluuntur multùm, ingrediuntur sic diluta, per vasa lactea, & glandulas mesenterii pessimè obstruunt; vel & à venis mesentericis delata per venam portarum ad hepar, & ibi similia mala producunt: hinc præcipuè abdominalium viscerum morbi chronici ab hac causa fieri solent. Pessima mala fieri ab usu vini austeri ex uvis non satis maturis pressi, quotidiana Observata docent; & fortè inde sæpe fiunt *contracturæ* dictæ, in Austria satis frequentes, dum ligamenta, quibus ossa articulata nectuntur, obrigescunt. Similem effectum coagulandi liquida, & contrahendi solida, habent & spiritus fermentatione parati, quibus abutentes homines chronicis solent perire morbis, scirrhosâ induratione omnia ferè viscera obsidente, uti antea ad §. 28. n°. 4, dictum fuit.

Prosunt hîc diluentia, quatenus omnem acrimoniam enervant simplici interpositione aquæ; & simul quatenus nimiam rigiditatem partium solidarum tollunt (vide §. 35.). Verùm liquidorum coagulum, ab austeris productum, sola aqua solvere vix valet; hinc adduntur alcalica fixa, quæ ab acido concreta attenuant & resolvunt. Cùm autem & alcalina acrimonia metuenda sit (vide §. 86.), hinc prudenter, & parcâ copiâ simul, copiosâ aquâ diluta, propinantur, & repetito usu horum salium compensatur parca illorum dosis, quæ adhibetur. In aquis quibusdam Medicatis moderata talis copia salis alcalini adest; hinc in his morbis pulchrum usum habent: tales sunt aquæ *Selteranæ*, *Antonianæ*, *Wildungenses*, *Buchenses*, & in diversis regionibus similes aliæ, quæ in morbis plurimis chronicis magno cum fructu adhibentur.

Non minùs tutum quàm efficax remedium etiam præbet sapo ex alcali fixo cum oleo puro presso quocumque paratus, qui vim solventem salis alcalini retinet, omne acidum domat, & simul ob oleum huic sali unitum, non nocet acrimoniâ. Ferri enim posse à corpore humano magnam hujus saponis copiam absque noxa, docuit usus Lithontriptici Anglicani; de quo postea in capitulo *De Calculo* dicetur. Junioribus ab acido laborantibus, & coagulato lacte intestina infarcta habentibus, pulchre prodest saponis usus; dum sales alcalini,

inprimis si majori copiâ adhiberentur, tenella horum viscera læderent.

γ. ACRE PINGUE AROMATICUM. Aromata sapore calido & odore fragranti cognoscuntur; & licèt diversa sit in variis acrimoniæ aromaticæ intensitas, omnia tamen acria sunt plùs minúsve. Verùm observatur, quòd illud sapidum & odorum oleo inviscatum hæreat, quibus vinculis liberum si fuerit, brevì in auras avolat; hinc pinguia vocantur aromata. Sic tota cinnamomi fragrantia in ejus oleo stillatitio hæret: in maci & nuce moschata, idem obtinet non tantùm, verùm & hæc contrita, & prælo pressa, magnam copiam olei sudant, quod frigefactum butyri consistentiam habet, & in Officinis Medicis ubique reperitur. In radicæ imperatoriæ discissa nudo etiam oculo distinguuntur folliculi, oleo tali aromatico pleni; quod idem etiam in pluribus seminibus aromaticis obtinet. Ob hanc causam stimulus, corpori ab aromatibus conciliatus, pertinaciùs hæret oleosâ tenacitate, & longè plùs calefacit. Notum est, omnia hæc cibis misceri, & condimentorum titulo divitum mensis adhiberi, ut ultra satietatem cum oblectamento cibos ingerere possint. Ex iisdem & spiritus aromatici & tincturæ parari solent, quas saccharo edulcoratas ultimæ mensæ apponere solent; ut nempe gravatus ingestorum copiâ ventriculus citiùs & feliciùs se hoc onere liberare queat. Faciliùs hæc feruntur ab illis, qui inter fercula solo aquæ potu sitim sedant: verùm & illi, qui vinis etiam generosis indulgent, ab his non abstinent, credentes ad digestionem ciborum hæc utilissima esse, imò ferè necessaria post lautas epulas. Sic ignes ignibus addunt, & sæpe calidissimæ febres ab horum imprudenti usu excitantur; utì antea ad §. 586. *lit.* α. dictum fuit. Verùm aucto motu humorum per stimulos hos aromaticos (vide §. 99.) calore majore excitato in corpore, acrimoniâ simul natâ in humoribus, dolores fiunt cum caloris sensu in ventriculo sæpe, frequenter & molestissimæ cephalalgiæ sequuntur, vasa rumpuntur; unde profusæ narium hæmorrhagiæ, hæmoptoe, hæmorrhoidum cum valido dolore fluxus, apoplexiæ, vel subitò lethales, vel & in diuturnam paralysin desinentes. Sed ab humoribus extravasatis, vel & putredine inductâ per nimium calorem (vide §. 84. n°. 5.); plurima & difficillima mala nasci posse, etiam chronica, patuit ex illis, quæ ad §. 85. 86. & 100, dicta fuerunt. Et postea ad §. 1491, patebit, dolentissimum & longum simul morbum, rheumatismum nempe, accidere illis, qui temperiem sanguineam, labe acri infectam habent. Alliorum, ceparum, piperis, sinapi, raphani rusticani, & similium, immodicus in condimentis usus non absque ratione hunc morbum quandoque fecisse creditur.

Quænam autem medela requiratur ad corrigendam hanc acrimoniam, dictum fuit ad §. 605. n°. 8.

δ. PINGUE INERS. Lauto victu, unà cum otio, pinguescere animalia, quotidianis Experimentis constat; & quidem eò usque, ut tandem propriâ pinguedine quasi sepulta suffocentur. Quanta autem mala fieri possint à sola pinguedine accumulata, comprimente vasa & viscera vicina, explicatum fuit ad §. 1010. n°. 1. Simul autem tunc dictum fuit, pingue illud oleum sic latere posse in multis vegetabilibus, ut nemo facilè crederet, tantam illius copiam adesse; quod oleum per chylopoiesin inde extricatur, & obesitatem magnam

facere

facere poteſt. Si ergo talia ſumantur alimenta, in quibus opimum illud pingue abundat, tunc & tantò major obeſitas fiet. Verùm hæc pinguedo ſano in homine blanda eſt, & ſolâ mole moleſtiam parit; inprimis ſi non per totum corporis habitum, ſed in quibuſdam tantùm locis, accumuletur. Talem caſum vidit celeberrimus *Boerhaavius* (vide §. 75. n°. 6.), ubi (*a*) tumor pinguis, ſex libras pendens, in cavo pectoris ſenſim excreſcens, poſt ſummas & vix tolerandas miſerias nobilem ægrum ſuffocavit. Verùm ubi illud pingue per febrim ſolvitur, attenuatur, ſanguini miſcetur, tunc peſſimam acrimoniam rancidam acquirit, & periculoſam admodum vaſorum plenitudinem producit; utì pluribus dictum fuit ad §. 693; ſimúlque ſubitam putredinem facit. Quænam autem remedia requirantur in tali caſu, eodem loco dictum fuit. Verùm hæc omnia obtinent, ubi ſubitò ſoluta pinguedo humoribus circulantibus miſcetur: poteſt autem & nocere, dum ſolâ mole vicina vaſa & viſcera premit; & tunc conducit illam nimiam obeſitatem minuere, quod obtineri poteſt, ſi fiant omnia oppoſita illis cauſis, quæ in ſanis hominibus pinguedinem accumulare obſervantur, quæ collegit *Celſus* dicens, (*b*) *Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & , ſi poſt prandium eſt, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, ſomnus plenus & non multùm nimis longus, molle cubile, animi ſecuritas, aſſumpta per cibos & potiones, maximè dulcia & pinguia, frequentior cibus, & quantùm pleniſſimè poteſt digerere.* Paulò pòſt ad extenuandum corpus laudat his contraria. Optima methodus eſt, ſubducere ſenſim de corpore illud quod abundat, ſimúlque robur addere partibus à nimia impletione diſtractis, & poſt depletionem penitus flaccidis. Corporis exercitia utrique huic ſcopo inſerviunt quàm pulcherrimè; nam & difflant illud pingue de corpore, & ſimul robur partium ſolidarum augent (vide §. 28. n°. 2.). Unde obeſos equos videmus ſolis laboribus macilentos reddi, licèt bono & copioſo pabulo nutriantur: ita & duris laboribus quotidianis victum ſibi comparantes homines pingueſcunt nunquam. Interim tamen & hîc prudentiâ opus eſt: obeſos enim homines, valida corporis exercitia ſubitò non ſine periculo obire poſſe, certum eſt. Fuſa enim per calorem corporis à motu auctum, pinguedo periculoſam plenitudinem vaſorum facere poſſet, & oleosâ immeabilitate vaſa minima in cerebro & pulmone obſtruere, unde toties ſubita mors ſecuta fuit; quod & in equis pinguibus, validiſſimo curſu exercitatis ſubitò, poſt longam in ſtabulis quietem, obſervaverunt equiſones.

Præſtat hinc priùs per purgantia leniora, ſed ſæpius repetita, minuere molem, quâ gravantur obeſa hæc corpora; & dein motu muſculari, gradatim aucto, uti; ſic enim ſenſim & tutò minuetur nimia obeſitas. Dum enim operarii validè corpus movent, urina exit rubicunda, induſia pingui tinguntur ſudore. Demonſtraverunt Chemici urinæ rubedinem ab oleo admiſto inprimis pendere, adeóque patet, quòd per corporis motum expellatur de cor-

(*a*) Atroc. & Rariſſim. Morb. Hiſtor. alter.

(*b*) De Medicin. Lib. I. Cap. III. pag. 28.

pore illud pingue. Unde *Galenus* (*a*) assiduam ventris dejectionem, exercitationem celerem, frictionem modicam, cibos qui, saturant quidem, parùm tamen afferunt nutrimenti, laudavit tamquam summa remedia ad minuendam obesitatem nimiam. Inde & intelligimus, quare *Hippocrates* commendaverit crassis hominibus, qui tenues fieri cupiebant, ut (*b*) *Sint pinguia quæ opsonia offeruntur: sic enim à paucissimis bellariis impleantur*. Paucitatem enim alimentorum in alio loco commendat: (*c*) *Quibuscumque morbis siccitas confert, semel in die cibum capere conducit; & cibos, ac potus pauciores, quàm ut repleantur, insumere; eósque laboribus & deambulatione conficere, & quàm minimùm dormire.* Solicitas (*d*) curas & vigilias macilentiam inducere, observatur, verùm hæc alia mala inducunt; hinc prioribus utendum potiùs.

Præterea observamus homines quosdam, qui semper macilenti manent, licèt copioso & lauto fruantur victu: in his acrior urina, subfœtida, & ex flavo viridescens observatur; color totius corporis subflavescens apparet: verùm hæc signa sunt tempériei biliosæ dictæ, in qua bilis & copiosa, & acris, adest. Unde profuit obesis, unà cum modò laudatis, si sumant amara illa, *absinthium*, *centaurium minus*, *gentianæ radicem*, & similia, quæ tantum usum habent in illis morbis, ubi bilis vel iners nimis est, vel copiâ deficit. Monuit hoc etiam *Galenus* de cura obesitatis agens, (*e*) *Quòd calidior sicciórque temperies exile corpus reddat: ergo talis tibi concitanda est crassi corporis temperies; si ad symmetriam rediturum sit.* Laudat autem ad hunc scopum obtinendum similia remedia, (*f*) *Rutæ semen præsertímque sylvestris, unà cum ipsis corymbis, & aristolochia rotunda, & minus centaurium, & gentiana, & polium*, &c. Tantam autem efficaciam in his remediis observavit, ut moneat, (*g*) quosdam periisse, qui graciles jam vel mediocris habitudinis cùm essent, his remediis imprudenter utebantur ad morbos articulares sanandos; ad quorum curam similia laudari solent, utì postea in capitulo *de Podagra* dicetur.

Licèt autem evacuantia plenis illis corporibus semper conducere videantur, videmus tamen apud veteres Medicos non laudari sanguinis missionem ad minuendam obesitatem. Dictum fuit ad §. 1010. n°. 1, vasa sanguinea in obesis angusta satìs inveniri; unde non semper in his sanguis abundat. Requiritur quidem venæ-sectio quandoque ad cavenda illa mala, quæ nimiam obesitatem sequi vel comitari solent; utì etiam, dum illud pingue calore corporis, motu subito, vel febre, solutum, venas denuo ingreditur, & periculosam maximè vasorum plenitudinem facit. Cæterùm sanguinis missiones repetitæ, potiùs corpus ad obesitatem disponunt; utì antea ad §. 106. *lit.* γ, dictum fuit.

ε. SALSEDO MURIATICA. Salem marinum, sive in condimentis assumptum, sive carnibus piscibúsve aut oleribus pro conservatione additum, posse

(*a*) De Sanitat. Tuend. Lib. VI. Cap. VIII. Charter. Tom. VI. pag. 175.

(*b*) Lib. de Salubr. Vict. Ration. Text. XII. Charter. ibid. pag. 227.

(*c*) Lib. de Affection. Cap. XII. Charter. Tom. VII. pag. 632.

(*d*) Cels. de Medicin. Lib. I. Cap. III. pag. 28.

(*e*) Method. Medend. Lib. XIV. Cap. XV. Charter. Tom. X. pag. 335.

(*f*) Ibidem.

(*g*) Ibidem.

admiſceri humoribus noſtris, illíſque pertinaciter adhærere, paulò antè dictum fuit eâdem hâc paragrapho. Verùm dum liquida noſtra, ob ſalem muriaticum admiſtum, acriora reddita, per minima vaſa moventur, hæc facilè eroduntur, & fiunt extravaſationes fluidorum: at cùm ſales muriatici omni putredini reſiſtant, hinc non facilè putreſcunt liquida extravaſata, ſed cute integrâ maculas cæruleas producunt; utì poſtea in capitulo *De Scorbuto* dicetur. Cùm autem ad reſtitutionem illorum, quæ quotidie per ipſam ſanitatem pereunt de corpore, requiratur (*a*) blanda humorum noſtrorum indoles, inde fit ἀτροφία, ubi humores noſtri acrimoniâ muriaticâ ſcatent. Videantur & illa quæ ad §. 605. n°. 7, de hac acrimonia emendanda habentur.

ζ. ALCALI. De hac acrimonia peculiari capitulo actum fuit ad numeros hîc citatos.

η. GLUTINOSUM. Et de hoc liquidorum noſtrorum vitio pariter dictum fuit.

2. Ingeſta alimenta mutantur à viribus noſtri corporis, ita ut propriâ ſuâ indole depoſitâ, acquirant dotes ſimiles noſtris liquidis & ſolidis. Verùm Phyſiologia docet, illam mutationem fieri, dum liquidis noſtris copioſis miſcetur parva pars ingeſtorum, & dein ſimul cum his per vaſa noſtra & viſcera movetur diu. Actio autem vaſorum noſtrorum in liquida contenta pendet à vaſorum contractione, per quam premunt & condenſant humores. Chylus enim & lac, ex ingeſtis cibis & potibus parata, minorem denſitatem habent quàm ſanguis & ſanguinis ſerum. Si ergo vaſa nimis fortia condenſant humores contentos nimis, tunc & fluidiſſima exprimuntur, & reſiduum minùs meabile fit; adeóque aptiſſimum redditur, ut circa ultimas vaſorum anguſtias hærere incipiat, & pertinaces obſtructiones faciat, dum ſimul rigida vaſa ſuæ dilatationi reſiſtunt. Qualia autem mala inde naſci poſſint, §. 52, & ſequentibus explicatum fuit. Sufficit hîc notaſſe, quòd & polypoſæ concretionis in ſanguine origo huic cauſæ meritò adſcribi queat. Quàm chronicum autem & difficile tale malum ſit ſatìs notum eſt!

Sed ſi, manente naturali vaſorum robore, per auctam velocitatem motûs circulatorii, intra datum tempus, vires vaſorum applicentur frequentiùs & fortiùs liquidis contentis; & illa degenerabunt à dotibus iſtis, quæ ad ſanitatem requiruntur; unde varia mala, tam acuta, quàm chronica, fieri poterunt; de quibus videri poſſunt illa quæ ad §. 100, habentur.

Ubi autem concurrunt ſimul & vaſorum ingens robur, & aucta circulationis velocitas, tunc ſubitæ & validæ fiunt humorum degenerationes, ut in morbis acutis; qui & iterum chronicis morbis toties dant originem; utì ſequenti paragrapho patebit.

3. Spontaneæ permutationes noſtrorum humorum dicuntur illæ, quæ à cauſis communibus, in omnia corpora agentibus, fiunt, nullâ habitâ ratione vaſorum in quibus continentur, vel motûs vitalis nimii aut torpentis, per quem agitantur continuò, utì antea ad §. 57, dictum fuit. Unde inprimis tales degenerationes fiunt ab humorum noſtrorum ſtagnationibus in diverſis corporis locis. De ſpontanea degeneratione humorum in acre, acidum, al-

(*a*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 451.

calinum, utì & in lentum glutinosum, dictum fuit ad numeros in textu citatos. Verùm & aliæ spontaneæ mutationes fiunt in humoribus nostris, quæ difficillimis morbis chronicis causam dant; quod paucis Exemplis demonstrare non carebit usu. Sanguis sanus de vena missus sponte suâ, licèt etiam retineatur in calore corporis sani, separatur in binas partes serum nempe fluidum, & rubram concretam massam. Si jam homo in syncopem veram delapsus per aliquot minuta horæ absque ullo motu cordis manserit, in cordis ventriculis, sinubus, auriculis, stagnabit sanguis, & similis separatio seri à parte rubra fieri incipiet; unde postea polypi manebunt totâ vitâ indissolubiles, & pessimè turbantes vitalium viscerum actiones. Si exitus bilis ex vesica fellea in intestinum duodenum à quacumque demum causa impediatur, stagnans bilis, resorptâ parte tenuiori, lentescet inspissata, & calculosas concretiones producet, quæ icterum pertinacissimum & chronicum toties faciunt. Urina sana, vase purissimo excepta, crustam calculosam deponit sponte; sed in corpore retenta idem facit, & miserrimos morbos producit, utì nimis notum est. Unctuosum illud smegma, quod in loculis cutaneis collectum, per patentia oscula exit in cutis superficiem, illámque inungit, si stagnet in tali folliculo, sensim inspissatur, & ingentes tumores steatomatosos producit, spontaneâ tali degeneratione. Sed & interioribus corporis similes tumores inventi fuerunt, utì antea dictum fuit. Ex his autem patet, in indagatione causarum, quæ morbos chronicos producunt, ad spontanea humorum nostrorum vitia attendendum esse.

§. 1052. EX morbis acutis malè sanatis oriuntur vitia in humoribus quocumque corporis loco: α. Purulenta (158. n°. 5. 6. 7. 402.), quæ producunt multa mala (936. n°. 4. 941.): sanantur (942.) β. Ichorosa (158. n°. 4. 206.), quorum effectus rodere, consumere. Sanantur blandis, demulcentibus, inspissantibus: γ. Putrefacta; quæ recensita (1051. n°. 1. *lit.* γ. ζ. n°. 3.).

Morbi acuti, utì jam sæpius dictum fuit, terminantur in mortem, sanitatem, vel & desinunt in alium morbum; & tunc dicuntur esse malè sanati, licèt sæpe impossibile sit Medico etiam peritissimo evitare ne morbus acutus in alium morbum desinat. Non enim semper est in potestate Medici, ut materiam morbi solutam, & mobilem redditam, expellat de corpore, sed satis frequenter, per metastasin ad alia loca corporis deposita, ibi novos morbos facit. Quinimo Artis est, Naturæ hæc molimina adjuvare, dum ad loca minùs periculosa illam metastasin futuram signa docent; utì pluribus dictum fuit in morborum acutorum Historia. Præcipua autem humorum vitia, quæ observantur, dum morbi acuti in alios morbos desinunt, sunt sequentia.

α. PURULENTA. Morbos acutos inflammatorios in locis, quæ occupant, abscessus producere, nemo mirabitur, cùm suppuratio exitus sit inflammationis validæ, nec tamen pessimæ, quæ in gangrænam terminatur. Verùm & observatur in morbis acutis quandoque, utì alibi ad §. 593, monui, quòd su-

bitò deponatur in quamdam corporis partem copia veri puris, licèt nullum signum topicæ inflammationis aut suppurationis in ullo corporis loco observatum fuerit. Unde credibile videtur, quòd tunc materies morbi subacta quidem fuerit, & mobilis reddita, sed simul degeneraverit, ut puri similes dotes acquisiverit omnino, licèt cum reliquis humoribus per vasa fluat; unde postea in varias partes deponitur pus jam factum, non verò generatur iis locis, in quibus postea invenitur. Observatis autem Practicis, & (a) *Hippocratis*, & (b) *Galeni* testimoniis, hoc tunc confirmatum fuit. De illis autem symptomatibus, quæ adsunt, dum pus fit, dictum fuit in vulnerum Historia, §. 158. n°. 5. 6. 7, utì & §. 387. Quanta autem mala fiant, si pus, in quodam loco corporis collectum, venis resorptum misceatur sanguini, dictum fuit ad §. 406, utì etiam ad §. 936. n°. 4, & §. 941, ubi de abscessu hepatis agebatur! Simul tunc ad §. 942, patuit, magnam difficultatem esse in emendanda tali cacochymia purulenta; & ibi dictum fuit de remediis, quæ cum quadam spe adhuc tentari possent.

β. ICHOROSA. Pus bonum, læve, æquale, inodorum est, & nullam acrimoniam habet: verùm ut illud fiat, requiritur blanda humorum indoles (vide §. 387.). Ubi ergo in morbis acutis acrimonia major in humoribus nata est, non nascitur blandum pus, sed tenuis, & pure longè acrior, ichor, magìs nocens. Manifestum hujus rei Exemplum habemus in variolis; illæ enim ubi boni moris sunt, & in corpore euchymo, pure bono albo crasso turgent; in confluentibus autem variolis, loco puris, invenitur ichor longè acrior, & pessimè sæpe depascens cutim, turpissimásque cicatrices inducens. Præterea pus bonum, nimis diu relictum in vomica clausa, calore & morâ redditur tenuius, sed & simul acrius, utì dictum fuit ad §. 406; atque venis resorptum totum sanguinem putridâ cacochymiâ inficere potest; vel ad quædam loca depositum difficillima curatu mala producere. Ille verò liquor dilutus, rubellus, tenuis (vide §. 158. n°. 4.), qui in vulnere recenti, dum vasa contracta sanguinem non ampliùs emittunt, observatur, quandoque & ichor vocatur, sed fortè minùs propriè: nam ille liquor in pus brevì convertitur, nec acrimoniam morbosam habet; cùm ichor propriè dicendus, nunquam in pus mutetur, sed morâ semper acrior evadat.

Sanatio similis requiritur ac in purulentis malis, talis nempe, quæ vires refocillando simul omni putredini resistit; verùm cùm hîc major acrimonia adsit, & solutio humorum, demulcentia, & parùm inpissantia, locum habent. Tales formulæ in *Materia Medica* ad §. 198. n°. 2. 3, inveniuntur; præcipuè si acetosæ radices vel folia addantur his decoctis, quæ putredini obsunt, & simul blandâ adstringendi vi nimiam humorum tenuitatem emendant.

γ. PUTREFACTA. In putredinem corrumpi posse humores in morbis acutis, antea sæpius dictum fuit; & inprimis illud in hepatitide metuendum esse, §. 933. 939. 945. 950, explicatum fuit. Quænam autem tunc medela adhiberi possit, numeris in textu citatis, dictum fuit.

(a) Prognostic. Comment. III. Sentent. XXIII. XXIV. XXV. Charter. Tom. VIII. pag. 676. 677.

(b) De Febrib. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 115.

§. 1053. MORBI acuti malè sanati in partibus solidis, compositísve, relinquunt abscessus (387. 402.), fistulas (413), empyemata (894), scirrhos (392. 484. 485. 486.), cancros (492. 494.), caries (526).

Morbi acuti, cùm vel inflammationem comitem habeant hujus illiúsve partis corporis, vel ad illam in decursu suo producendam admodum proclives sint, nisi per resolutionem sanari possint, relinquent omnes inflammationis non resolutæ, sequelas; quæ hâc paragrapho recensentur, & de quibus singulis ad numeros hîc citatos actum fuit. Præterea in singulorum morborum acutorum Historia dictum fuit de variis modis, quibus terminari solent in alios morbos, & qui omnes huc referri possunt.

Sic patet, quomodo ex morbis acutis, non bene sanatis, nasci possint, morbi chronici, tam ratione fluidorum, quàm solidarum partium nostri corporis.

§. 1054. EX his in morbis (1051. 1052. 1053.) simplicibus, aut omni modo compositis inter se, infiniti sanè alii, ut effectus, sequi possunt; adeóque ex eorum dato intellectu hactenus optimè perspici, & curari.

Si jam illa vitia, humorum nostrorum, sensim nata, vel post morbos acutos malè sanatos relicta, concipiantur hærere in diversis partibus corporis nostri, turbabunt functionem partis quam occupant, semper, & sæpe etiam vicinarum, dum vel mole suâ premunt, vel acrimoniâ irritant, rodunt &c; adeóque feracissima morborum seges ex talibus causis pullulare poterit. Si v. gr; pleuritis occupans latus in suppurationem abiverit, vomica ibi nata, introrsum tumens, pulmonem comprimet, & difficilem respirationem faciet: quandoque & talis saccus purulentus vicino diaphragmati accrescit, per illud erosum, pus sibi viam quærit, & in abdomen delabitur; cum præsenti quidem levamine oppressionis pectoris, quæ antea percipiebatur, sed tristi cum eventu: sequitur enim ascites purulentus, consumptio viscerum, quæ acrius quotidie redditum illud pus alluit; à putredine tympanites, & tandem post miserrima mala, inevitabilis mors. Verùm ante mortem quot non læduntur functiones! Quàm mira sæpe intercurrunt symptomata! Plures tales casus Practici habentur ad §. 958, qui docent, quàm numerosa & chronica mala sequantur quandoque morbos inflammatorios viscerum; utì etiam passim in morborum acutorum Historia antea tradita. Si quis jam hæc applicet singulis partibus corporis, non mirabitur morbos chronicos, licèt numerosissimos, reduci posse ad classes has causarum, quæ recensitæ fuerunt.

§. 1055. QUUM verò inde pendeant, ut patebit, omnes chronici; horum ergo generalis doctrina, divisióque hinc haurienda.

Magnum hoc usum in Praxi Medica habet, ut determinetur indicatio curatoria & Methodus Medendi, si, in classes quasdam dispositis morborum causis, memoria Medici juvetur, ut ordine sic indagari possint. Si enim quis attento animo has classes percurrat, in morbis etiam intricatissimis chronicis, inveniet quid agendum sit, ut tollatur morbus, vel saltem mitigetur: multi enim chronici omnino incurabiles sunt, utì postea patebit; & tunc Ars nihil facere potest, nisi ut morbos tales reddat faciliùs tolerabiles. Licèt autem multi morbi chronici oriantur ex morbis acutis malè sanatis, tamen longè plures à malo usu sex rerum non naturalium pendent. Unde *Sydenhamus* non dubitavit dicere quòd Acuti (*a*) *Ut plurimùm Deum habent Auctorem, sicut Chronici ipsos nos.* In acutis enim morbis homines, cæteroquin sanissimi, à latente sæpe causa, saltem nonnisi per suos effectus in corpore humano cognitâ, in summum deducuntur vitæ periculum. Id observatur manifestè in variolis, peste, & plurimis aliis morbis epidemicis; quorum morborum causa in ambiente nos aere hærere videtur, utì postea in capitulo *de Morbis Epidemicis* pluribus dicetur. Verum quidem est, quòd & aer minùs salubris, vel subita caloris & frigoris vicissitudine peccans, in quibusdam locis morbos endemios chronicos producere credatur, non sine ratione; interim (*b*) *Non tamen aeri ita immediatè originem debent suam, sed ut plurimùm communi omnium horum parenti, humorum scilicet, indigestioni.* Inprimis autem culpat magnos errores circa sex res non naturales, præcipuè in cibo & potu. Numquid opulenti homines, quibus familiare est ultra satietatem cibo uti & potu, ingravescente inprimis ætate, cum morbis chronicis luctantur frequentiùs, quàm illi quibus rei domesticæ angustia sobrietatem imperat etiam invitis? Hinc & *Sydenhamus* monet, falli illos, qui in morbis chronicis (*c*) *Omnem curationem medicamentis solis absolvi posse* autumant: nisi enim in cibo & potu temperantia possit obtineri, frustra plerumque Medicina adhibetur. Nolebat magnus ille Vir inediâ macerari tales ægros, sic enim vires perderent; sed tantùm concedebat facilè, (*d*) quantùm ventriculus digerere posset. Quinimo & (*e*) palato ægrorum consulendum voluit, licèt & difficilioris digestionis cibos appeterent, modò unicâ ciborum specie contenti viverent; ne ciborum, variis artibus culinariis præparatorum, illecebræ facerent, ut ultra satietatem comederent. Peccant sæpe hîc nimiâ solicitudine Medici, nimis exquisitam diætam imperantes ægris, qui diuturnis morbis conflictantur. Certè *Hippocrates* prudenter monuerat quòd, (*f*) *Quodcumque peccatum*

(*a*) Dissertat. Epistolar. ubi de variol. pag. 458.
(*b*) Id. Tractat. de Podagr. pag. 572.
(*c*) Ibid. pag. 578.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Aphorismor. Sect. I. n°. v. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 11.

committitur, majus in tenui, quàm in paulò pleniore victu, committitur; & absolutè noxium damnavit tenuem & exquisitum victum (*a*) in morbis longis. Sufficit ergo, ut simplici victu contenti sint, & evitent illa, quæ difficillimæ digestionis ferri tantùm possunt commodè ab hominibus sanis, robustis, & valido labore exercitatis; qualia sunt omnia aere, fumo, sale, indurata edulia, utì & pinguia admodum. Quantitatem ciborum tutissimè determinat fames; utì & si post assumptos cibos non admodum graventur. Simul etiam prodest, si partitis vicibus potiùs alimenta sumant, quàm simul & semel majorem copiam ingerant. Talibus diæteticis regulis facilè obtemperant ægri, & magìs morigeros se præstant ad reliqua præstanda, quæ longa sæpe horum morborum cura postulat. Et contrà morosos nimis in his Medicos nacti, clam comedunt illa, quæ severè prohibita fuerant; & dum inde vix damnum sentiunt, audaciores facti, indulgent genio in omnibus, & Medicorum consilia spernunt. Simul semper observandum est, ut eligantur tales cibi, quorum spontanea indoles opposita est vitio humorum prædominanti; de qua re dictum fuit §. 58, ad 92.

§. 1056. UNDE enim statim apparet, hos varietate quidem infinitos, ratione symptomatum, tamen ex origine non adeo composita pendere, neque tam varia medicamenta, Medendíve Methodum requirere; tum simul percipitur diuturnitatis in plerisque, incurabilitatis verò in multis ratio; idipsum pertractando jam patebit.

Ex hactenus dictis evidenter patet, innumerâ varietate symptomatum morbos chronicos observari debere, pro diversitate materiæ morbosæ, locorum in quibus hærent, functionum quas lædunt, & peculiari ipsius ægri idiosyncrisiâ. Omnium autem maximè mirabilia symptomata solent oriri in morbis, ubi sensorium commune, & qui inde pendent, nervi à causa morbosa afficiuntur; utì postea patebit, ubi de *Epilepsia, Melancholia, Mania,* dicetur. Interim tamen ex causis generalibus morborum chronicorum, quas consideravimus, patet, originem horum morborum non adeo multiplicem esse.

Verùm ex iisdem etiam deducitur, nec Medendi Methodum adeo diversam in his requiri. Novi plures miratos fuisse, dum consilia Medica celeberrimorum olim Medicorum evolverent, quòd ad morbos diversos, quoad symptomata, curandos adhibuerint sæpe vel omnino eadem, vel similia remedia. Multi ob hanc solam causam pessimè senserunt de summis in Arte Viris, qui longævo Artis usu & curationibus felicissimis optimè meriti fuerant de humano genere; imò & ægri plurimi ægre tulerunt, quòd iisdem, & sæpe satìs simplicibus, remediis diu uti cogerentur; inprimis fastidiosi divites, qui toties merentur, ut dimittantur inanes, dum credunt optimè

(*a*) Aphorism. Sect. I. n°. IV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 9.

secum

secum agi, si obsequiosus Medicus omnes angulos Pharmacopolii excutiat, mutans remedia quotidie, composita compositis cumulans, & pretiosissima quæque adhibens, quæ Pharmacopolis prosunt insigniter, ægris parùm; dum longè certiùs & citiùs crumenam exhauriunt, quàm morbum. Considerent illi, qui simplicitatem Artis in multis morbis chronicis elato supercilio contemnunt, quot & quàm diversi morbi curentur thermarum & aquarum medicatarum usu, per tot jam sæcula probato. Ad has confugere toties coguntur ægri, decantatissima alia remedia experti absque ullo fructu. Antea §. 107, demonstratum fuit, obstructionem fieri ob excessum molis transituræ supra capacitatem vasis transmissuri. Verùm in thermis aqua nativo calore laxat omnia, & emollit, venis bibulis cutaneis se insinuat, sanguini permiscetur, obstructa loca alluit; & si potentur simul salubres illæ aquæ, tutum & potens habetur remedium, ut moles concreta in vasis obstructis attenuetur & solvatur, (vide §. 132. 134.). Verùm observatur in omnibus illis aquis medicatis aliquod principium spirituosum, admodum fugax, quod reddit has aquas mobiles facilè per omnia vasa corporis, & facit ut longè majori copiâ potari possint, quàm aqua communis, etiam purissima. In quibusdam aquis medicatis illud volatile principium adeo fugax est, ut ipsis de fontibus debeant potari, nec ad modicam etiam distantiam transferri possint absque virium jactura: in aliis plùs cohæret reliquis harum aquarum partibus, hæque lagenis exactè clausis, servari possunt diu, & transferri ad dissita etiam loca, utì notum est. Verùm simulac periit ex his aquis illud volatile, vappidæ apparent gustui, sedimentum deponunt, & si potentur magnâ copiâ, ventriculum gravant, hærent diu in corpore, nec pulchros illos effectus medicatos præstant ampliùs. Quædam aquæ medicatæ præter illud volatile principium & puram aquam nihil aliud continent, saltem nullo tentamine Chemico aliquid aliud inde educi potuit. In aliis verò diversa reperiuntur: sal alkalinus, sal neuter, sali marino satìs affinis, sal amarus purgans, sulphur, ferrum in spirituoso illo principio volatili solutum & cum illo in auras avolans, si negligentiùs serventur hæ aquæ; in quibusdam ferri vitriolum fixius observatum fuit, &c. Potest hinc prudens Medicus eligere pro diversa cacochymia in morbis chronicis, pro varietate obstaculi removendi, quod viscera gravat, hos illósve fontes medicatos. Si simplex humorum dilutio, vel & elutio acrimoniæ muriaticæ è sanguine, requiritur, *Teplicenses aquæ* huic indicationi sufficient; si acidum, austerúmve, prædominetur in corpore, conducent illæ, quæ salis alkalini satìs mitis copiam aliquam gerunt, ut v. gr; *Selteranæ aquæ*, quæ lacti permistæ tantopere prodesse solent in cacochymia purulenta. Si saburra atrabilaria gravat abdominalia viscera, & solvendo & evacuando tam pulchre prosunt *Carolinæ*, hísque similes aliæ. Si languentibus illis flaccidis corporibus robur reddi debeat, & augeri solidorum actio in fluida; *Spadanæ aquæ* tanto cum fructu potantur, quæ ipsam quasi ferri animam corpori inspirant, & renato bono sanguine pallidum illum languorem

tam pulchre curant. Si jam fimul confideretur, magnum numerum morborum chronicorum in vifceribus abdominalibus fedem fuam habere, & inprimis in hepate, in quod omnis fanguis venofus vifcerum chylopoieticorum confluit, patebit ratio, quare adeo efficax fit in morborum chronicorum cura, aquarum medicatarum ufus: magnâ enim copiâ potatæ hæ aquæ, venis bibulis inteftinorum reforptæ citò, integris fuis viribus pro magna parte in venam portarum veniunt, & fic, per omnia hepatis loca diftributæ, folvunt impacta, & vafa obftructa referant.

Hæc generatim dixiffe de aquarum medicatarum viribus fufficiet: de fingulis enim agere nimis operofum foret, nec hujus loci: præfertim cùm tam pulchre de his fcripferit celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* (*a*), & recentiffimè de his etiam egerit multifariâ Eruditione & Scientiâ Medicâ celeberrimus vir *Antonius Cocchius* (*b*), illâ occafione, quòd thermæ Pifanæ *Auguftiffimi Imperatoris* Munificentiâ reftitutæ fuerint, & omnibus, quæ ad ægrorum utilitatem ac commoda fpectant, inftructiffimæ redditæ. In egregio hoc tractatu, præter alia lectu digniffima, habentur Hiftoriæ ægrorum, qui thermis his ufi fuerunt, optimâ fide confcriptæ, quæ attentum Lectorem multa docere poterunt.

Præter aquas medicatas, videmus fummos in Arte Viros magnam fpem pofuiffe pro cura morborum chronicorum in fuccis recentibus herbarum, verno tempore magnâ copiâ & diu potatis, fero lactis, fructuum, horæorum ufu, fapone Veneto, melle, &c; de quibus adhuc poftea in cura melancholiæ dicendum erit. Omnium horum vis folvens fatìs efficax, & abfque motu aucto aut turbis excitatis in corpore agunt.

Præterea in cura obftructionis §. 132. 133, motus vafis reciprocus laudatus fuit ad folvendas moles concretas, quæ vaforum anguftiis impactæ obftructiones faciunt; & inprimis frictiones commendatæ fuerunt, ut alternis illis compreffionibus & relaxationibus vaforum, unà cum ufu modò laudatorum remediorum; referentur obftructiones, folutâ & mobili redditâ materie impactâ. Quantum ufum habeant frictiones in multis morbis curandis, aliâ occafione ad §. 28. n°. 2, dictum fuit: & videmus, veteres Medicos ubique laudaffe frictiones in morbis chronicis, ac quidem meritò.

Huc etiam fpectant concuffiones illæ, quæ equitatione fiunt, vel vectione in rheda. Omnia enim vifcera, & inprimis abdominalia, pendula in cavo peritonæi, agitantur; sícque fæpe curantur mala, quæ cæteroquin vix tolli poffe videbantur, utì pariter ad §. 28, dictum fuit. Inde intelligitur ratio, quare ægri, qui tempore usûs aquarum medicatarum, de ipfis fontibus hauftarum, levamen quidem percipiunt, nondum tamen integre fanati ad fuos redire tentant, in ipfo fæpe itinere quotidie morbi refidui decrementum percipiant; & domum reduces de recuperata fanitate gaudeant. Concuffus enim illi totius corporis, in longiori inprimis itinere toties repetiti,

(*a*) Opufcul. de Aqu. Mineralib. earumque falutar. virtut.

(*b*) De i Bagni di Pifa in Firenze, 1750.

expediunt illud, quod jam inceperat ſolvi & mobile reddi per aquarum medicatarum uſum.

Simul etiam ex dictis patet ratio diuturnitatis horum morborum: cauſæ enim illæ, quæ à vitiis liquidorum, ſenſim natis, originem ducunt, ſenſim ſubrepunt, augentur ſæpe tardo gradu, & nonniſi curatione protractâ plerumque removeri poſſunt. Unde optimè monet *Sydenhamus*, quòd in chronicis morbis curandis (*a*) *Nemo ſanus exiſtimaverit, leviculam aliquam ac momentaneam alterationem, ſanguini atque humoribus à quolibet ſive remedii, ſive victûs genere ſuperinductam, curationis ſcopum poſſe attingere; at verò corporis habitus omnis aliò traducendus eſt, atque homo integer deinceps quaſi novâ incude refingendus.* Dum v. gr; chloroſi, ſive pallido virginum morbo, laborat puella, quàm parùm boni ſanguinis habet, quàm flaccida & inertia ſunt omnia ſolida! Intra paucos jam dies bonam hæmatopoieſin reſtitui poſſe, & robur addi univerſæ ſolidorum compagi, nemo exſpectare poterit. Menſes quandóque plures requiruntur, antequam, ſenſim aucto robore, redeat firma ſanitas. Videmus hinc rationem, quare Medici in curandis morbis chronicis ſæpe totum vivendi genus mutent, ut aliam conditionem inducant corpori, quàm quæ nunc adeſt. *Hippocrates* jam dixerat, (*b*) *Solùm vertere in longis morbis convenit.* Sic alius victus, alia aeris temperies, conciliatur, dum ſimul, à curis omnibus rerum agendarum liberi, oblectantur continuâ varietate objectorum, quæ peregrinantibus ſe offerunt; quod ſolum ſummi usûs eſt in morbis melancholicis curandis, utì poſteà dicetur. Illa verò mala quæ morbos acutos, malè ſanatos, ſequuntur, pariter lento gradu corpus depaſcere ſolent; & longum tempus requiritur, ſi adhuc curæ locus ſit, ut purulentâ, vel ichoroſâ, pejori etiamnum, labe infectus ſanguis depuretur, viſcera ulceroſa mundentur & conſolidentur, utì ſatìs patet. Longè adhuc diuturniora illa mala ſunt, quæ à ſcirrhis poſt inflammatorios morbos relictis originem ducunt.

Simul etiam inde apparet, quare eidem indicationi curatoriæ inhærendum diu ſit, nec mutanda quotidie remedia in curatione morborum chronicorum, licèt ſtatim non percipiatur ab horum uſu levamen. Prudenter hoc monuit *Celſus* dicens, (*c*) *In acutis morbis citò mutetur, quod nihil prodeſt: in longis, quos tempus, ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit: minùs verò removeatur, ſi quid paulùm ſaltem juvat, quia profectus tempore expletur.* Hoc ægris inculcandum eſt, nec fallaci ſpe brevis curæ lactandi ſunt: longè enim animoſiùs & morbi & diuturnæ curationis tædia ferent præmoniti, majorémque fiduciam ponent in Medico, qui vanis promiſſis illos nunquam deluſerit.

Satìs ſimul patet, quare multi morbi chronici omnino incurabiles ſint: ſi enim purulentum ulcus hepar, pulmonem, &c, exederit omnino, quis

(*a*) Tractat. de Podag. pag. 576.
(*b*) Epidem. Lib. VI. Comment. V. text. XX. Charter. Tom. IX. pag. 529.
(*c*) De Medicin. Lib. III. Cap. 1. p. 112.

curam ſperare audeat ? Dum videmus, ſcirrhum, confirmatum jam & durum, in partibus corporis exterioribus, ubi efficaciſſima remedia immediatè applicari poſſunt, toties reſolvi non poſſe, ſed ferro tolli debere, ne in cancrum immedicabilem degeneret; quis curam ſperare poterit, dum ſimile malum in viſceribus hæret?

Generalibus his circa morbos chronicos præmiſſis, pergendum jam eſt ad ſingulorum Hiſtoriam & Curationem.



PARALYSIS.

§. 1057. PARALYSIS vocatur musculi laxa immobilitas, nullo nixu voluntatis, vel vitæ superanda; sensus aliquando simul absolutè perit; aliquando levis, cum stupore, sensúque quasi punctorio levi, superest.

A resolvendo, ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, *Paralysis* dicitur, quasi solutio illius, quod antea firmum & validum erat; ut si multæ scopulæ, circello ligatæ, facerent stabile corpus, dein, hoc soluto, dilaberentur. Quandóque & *Paresis* dicitur à παρίημι, remitto, quasi levior paralysis gradus: adest adhuc quidam motus, sed non constans; superest sensus, sed hebes tantùm. Tale quid in morbis acutis quandóque contingere videmus, & *Hippocrates* in *Epidemicis* similiter notavit. In quodam ægro enim monet, quòd circa decimum quartum diem, postquam comatosus fuerat, (*a*) *Rigor absque tremore accidit, dissolutio, remissio, collapsio* (διάλυσις, πάρεσις, σύμπτωσις): & in alio notavit, quòd adfuerit (*b*) *Manuum ac pedum dissolutio*, ubi καλάλυσις vocabulo usus fuit. *Aretæus* autem, postquam dixerat, (*c*) *Apoplexia, paraplegia, paresis, paralysis, omnia genere eadem sunt; aut enim motionis, aut tactûs, aut utriusque, defectus est*, subjungit paulò pòst, *Urinæ autem in vesica aut suppressio, aut retinendi impotentia, paresis propriè est.*

Dicitur autem paralysis musculi laxa immobilitas, ut distinguatur à tetano, in quo morbo omnia rigent cum motûs impotentia. Verùm in somno profundo musculorum voluntariorum actio silet, neque tamen paralysis tunc adesse dicitur, quia si excitetur homo dormiens à quacumque causa, ad primum voluntatis nixum motus muscularis præstò est. Alii etiam musculares motus adsunt in corpore, qui voluntatis imperio non subjacent, sed ab illa parte encephali pendent, quæ spontaneis motibus vitalibus & naturalibus, prospicit; unde & musculi his motibus destinati paralytici fieri possunt (vide *Commentaria* §. 162.); túncque pariter nullo nixu vitali illa immobilitas superari poterit.

Notum est ex Physiologicis, nervos quosdam sensui, alios motui, servire, qui distinctissimi licèt sint in sua origine intra encephalum, tamen in truncos majores nervorum collecti, ad partes corporis unà deferuntur. Potest ergo impediri functio nervorum moventium, dum nervi sentientes adhuc illi-

(*a*) Epidem. Lib. IV. text. XLII. Charter. Tom. IX. pag. 327.
(*b*) Ibid. text. XLVIII. pag. 330.
(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 33.

bati sunt, vel minùs læsi; & vicissim. Observatur jam in paralysi, quòd frequenter sensus supersit, licèt plerumque hebetior, in partibus affectis, cum molesta quadam perceptione, & levi punctorio dolore, aut formicationis sensu: aliquando, licèt rariùs, unà cum motu omnis sensus abolitus est, & quidem malo omine, utì postea ad §. 1062, dicetur. Talem casum refert *Fridericus Hoffmannus* de juvene, qui ex subito terrore (*a*) paralysi partium inferiorum ab umbilico ad extremos pedes usque correptus fuit, abolito simul omni sensu, ita ut pedes comburerentur miserrimè absque ullo dolore, & solo nidore ustulatæ cutis hoc infortunium cognosceret: efficacissimis autem remediis incassum adhibitis periit post biennium.

Verùm & observatum fuit, ab iisdem causis, quæ motum tollendo paralysin inducunt, abolitum fuisse solum sensum. Postea ad §. 1060, patebit, humiditatem frigidam inter causas paralysis meritò numerari. Sed observavit *Galenus*, sensum in cute capitis graviter læsum fuisse homini, qui (*b*) *Quum sub multa pluvia ac vento impetuoso ambulasset pallium circa cervicem aiebat adeo madefactum ut vehementi se frigore in ea parte affectum, sentiret.* In milite observata fuit perfecta abolitio sensûs in toto brachio sinistro, superstite expedito motu omnium musculorum, ita ut arma tractare hoc brachio potuerit (*c*), licèt digitorum combustionem ad ossa usque nullo modo senserit. Similem insensilitatem in celeberrimo Medico observatam fuisse in digitis utriusque manûs, eodem loco legitur. Longè adhuc mirabilior Observatio habetur (*d*) de homine cujus unum brachium omnino paralyticum erat, superstite sensu acutissimo: alterum verò brachium omni carebat sensu, sed motu naturali gaudebat. Adest ergo in his casibus quasi paralysis nervorum sentientium. Interim tamen non solet talis morbus dici paralysis, quæ, ut optimè monuit *Aretæus*, (*e*) *Motûs tantùm ferè est actionisque defectio: quòd si nonnunquam solus tactus deficiat* (*rarò autem id evenit*) *potiùs* (ἀναισθησία) *id est, sensûs abolitio, quam paresis, id est, defectio, nominatur.*

§. 1058. CAUSA hujus proxima semper impeditus fluor liquidi nervosi à cerebro in musculum paralyticum, vel liquidi arteriosi in eumdem.

Demonstratur in Physiologicis (*f*), quòd causa muscularis motûs debeat posse adesse & abesse in musculo, adeóque aliunde in illum derivetur. Verùm nervi & arteriæ sunt illa vasa, per quæ ad musculum venire possit illa causa, quæ motum muscularem facit. Cùm autem motus muscularis ad nutum voluntatis fiat tanta cum celeritate, ut inter illud velle in mente, & motum

(*a*) Medic. Ration. System. Tom. IV. Part. IV. Cap. I. ad Enarration. Morbor. Observat. II. pag. 27.

(*b*) De Loc. Affect. Lib. IV. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 465.

(*c*) Academ. des Scienc. Ann. 1743. Hist. pag. 127, & 130.

(*d*) Sénac. De la Structure du cœur. Tom. II. pag. 291.

(*e*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 33.

(*f*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 401. 402.

in corpore excitatum, nullum obſervabile intervallum ſit; & cùm voluntas noſtra non habeat directum imperium in motum ſanguinis per vaſa arterioſa, hinc videtur cauſa muſcularis motûs, in muſculum præcipuè derivari ab encephalo per nervum. Unde paralyſis pro cauſa ſua proxima habet impeditum fluorem liquidi nervoſi à cerebro in muſculos paralyticos. In locis citatis pulchra Experimenta recenſentur, quæ hanc rem confirmant.

Verùm conſtat pariter, quòd ligatâ, vel diſciſsâ arteriâ, quæ ſola muſculo cuidam proſpicit, ſequatur paralyſis; & quòd etiam poſt mortem, injectâ aquâ tepidâ per arteriam, reſuſcitari poſſit muſculi contractio; unde concluditur, liquidi arterioſi ingreſſum in muſculum neceſſarium eſſe ad motum muſcularem. Verùm hîc conſiderandum eſt, quòd requiratur debita ſtructura muſculi, ut cauſa motûs per nervos ipſi applicata, effectum illum præſtet: injectiones autem *Ruyſchianæ* docuerunt, tantum eſſe arteriarum numerum in muſculo, ut totus ferè arteriis conſtare videatur; adeóque, ligatâ arteriâ, maxima pars molis muſculoſæ, collapſis vaſis, flaccida manet; dum & venæ nihil ampliùs ab arteriis accipiunt, adeóque pariter collabuntur. Dum autem in cadavere arteriæ aquâ tepidâ, vi adactâ per ſiphonem, turgent ſubitò repletæ, non mirum eſt, tumentium vaſorum augeri amplitudinem, longitudinem minui, adeóque muſculum contrahi, & partem huic muſculo affixam moveri. Verùm in ſanitate, æquabili motu ſanguis per arterias muſculi fluit, etiam in dormientibus, ubi muſculorum voluntariorum actio ſilet, neque tamen muſculi contrahuntur abſque voluntatis imperio, licèt etiam augeatur ſanguinis motus per curſum velocem, febrim, vel alias cauſas ſimiles. Unde videtur, arterias concurrere quidem ad motum muſcularem, quatenus inſignem adeo partem fabricæ muſculi conſtituunt; ſed cauſam, pro voluntatis nutu excitantem hunc motum muſcularem ab encephalo per nervos in muſculum derivari.

Poſſe enim & paralyſin fieri vitio degenerantis fabricæ muſculoſæ docuit diſſectio cruris paralytici, in quo maxima pars muſculorum degeneraverat in ſubſtantiam informem, ſimilem illi, quæ in ſteatomatibus deprehendi ſolet (*a*).

§. 1059. ERGO oriri poteſt 1°. Ab omni cauſa apoplexiam generante (1010). 2°. Ab omni ea, quæ nervum tranſmittendo ſpiritui ineptum reddit. 3°. Quæ introitum arterioſi cruoris in muſculum impedit. Inde paraplegiæ, hemiplegiæ, paralyſios partis ſingularis, natura intelligitur.

1. Cùm apoplexia ſit abolitio omnis motûs voluntarii, eſt quaſi paralyſis generalis, adeóque omnis cauſa apoplexiam producens poteſt eſſe cauſa pa-

(*a*) Gothofred. Salzmann. D. M. Argentor. Diſſertat. Medic. &c. 1734. Journal des Sçavans 1735. Décembre, pag. 485.

ralyſis. Verùm ſimiles cauſæ, quæ totum ſenſorium commune afficientes faciunt apoplexiam, poſſunt & paralyſes particulares harum illarúmve partium producere, dum pars tantùm ſenſorii communis afficitur, à qua oriuntur nervi, qui ad partem paralyticam tendunt. Sic obſervatur ſæpe, paralyſin muſculorum faciei in alterutro latere præcedere apoplexiam, dum cauſa morboſa nondum totum ſenſorium commune lædit, ſed ejus partem tantùm: & viciſſim paulò gravior apoplexia (vide §. 1018.) ſolet deſinere in paralyſin alicujus partis muſculoſæ, dum non in integrum ſublata eſt apoplexiæ cauſa, at pro parte tantùm. Sed & Obſervationes Practicæ confirmant particulares paralyſes tales fieri à cauſa in capite hærente. Sic legitur (*a*), puerum poſt lapſum habuiſſe manus ac brachia, & quoſdam muſculos capitis paralyticos, ita ut caput nunc antrorſum nunc retrorſum dilaberetur; ſimul ac truncum corporis huc illúcve inflecteret. Alter magìs memorabilis caſus habetur mulieris, in qua dolor diverſa capitis loca ſucceſſivè occupabat, & mutationem loci dolentis ſequebatur paralyſis diverſarum partium corporis (*b*); in partibus tamen paralyticis ſenſus ſupererat.

2. Cùm enim cauſa motûs muſcularis ab encephalo per nervum ad muſculum deferatur, hinc poſſunt fieri paralyſes ab omnibus illis cauſis, quæ nervum in tota ſua longitudine ad muſculum uſque impediunt, licèt totum encephalon bonum ſit, & muſculus integer. Vidi ſic tumentes & ſcirrhoſas glandulas ſubaxillares paralyſin brachii feciſſe, gradatim minuto motu, ac tandem penitus abolito. Sed & tumores nati in integumentis nervorum ſimile malum producere poſſe videbimus, ad ſequentem paragraphum.

3. De hac re dictum fuit paragrapho præcedenti. Sic in cura aneuryſmatis brachii, dum, arteriæ brachialis trunco intercepto per ligaturam, introitus ſanguinis arterioſi in muſculos ſuppoſitos impeditur, vel ſaltem inſigniter minuitur, obſervaverunt Chirurgi ſtuporem in manu, & quandóque paralyſin in quibuſdam manûs digitis, nata fuiſſe; quæ tamen mala poſtea evanuerunt, dum rami arterioſi, ſupra ligaturam arteriæ poſiti ſenſim magìs dilatati, idoneam ſanguinis copiam ad manum deducerent.

De paraplegiæ, hemiplegiæ, ac paralyſios partis ſingularis, natura; & quo ſenſu hæc nomina accipi ſoleant, dictum fuit ad §. 1018.

Verùm præcedenti paragrapho monitum fuit, quòd paralyſis poſſet fieri etiam vitio muſculoſæ fabricæ; licèt nervi & arteriæ adferentes liquida ſuo munere rite fungerentur. In nimis obeſis ſæpe languent muſculi compreſſi ab abundanti pinguedine, non tantùm incumbente muſculis, ſed & interpoſitâ ubique inter muſculorum fibras. Imò videtur admodum probabile, quòd in fibris muſcularibus poſſit fieri tanta laxitas, ut officium ſuum præſtare nequeant. Muſculus enim agens tumet & turget, dum ab encephalo per nervos cauſa muſcularis motûs influit; hinc requiritur debita reſiſtentia laterum in minimis his vaſis, ut reniti poſſint impulſo fluido, cæteroquin elongarentur

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1741. Hiſt. pag. 104.

(*b*) Ibid. Ann. 1742. Hiſt. pag. 53.

potiùs quàm diſtenderentur; talem autem nimiam flacciditatem vocaverunt Medici *atoniam* muſculorum. Sic & obſervamus in robuſtiſſimis hominibus firmam admodum carnem muſculoſam, in debilibus verò flaccidam. Ideo etiam, ſi muſculi quidam corporis à colluvie aquoſa vel balneis nimiis diu macerati fuerint, perdunt vires ſuas, & ſæpe penitus paralytici fiunt. Sic aſcitidem aliquando ſequitur funeſta lienteria, dum inteſtina, diuturnâ maceratione quaſi tabefacta, robur ſuum amiſerunt. Hinc etiam ſequenti paragrapho uſus nimius aquæ calidæ inter cauſas paralyſis numeratur.

§. 1060. ITAQUE apoplexia; levior parapoplexia (1009. 1010. 1015) epilepſia; convulſio; dolor ingens & diuturnus; omnes ſolitæ evacuationes retentæ cum ſubſequente vertigine, ut hæmorrhoidum, menſtruorum, abſceſſuum, fiſtularum, alvi, veſicæ, ſalivæ; metaptoſes cujuſcumque materiæ morboſæ in acutis, vel chronicis; quidquid obſtruendo, ſolvendo, comprimendo, ligando, diſtorquendo, diſtrahendo, conſtringendo, nervos lædit; adeóque craſſi humores, vulnera, eroſiones, abſceſſus, gangrænæ, tumores inflammatorii in integumentis nervoſæ medullæ, in gangliis, in nervis ipſis, ſeroſi, purulenti, ichoroſi, & ſimiles; fortes arctæque ligaturæ, fracturæ, luxationes; adſtringentia valde alimenta, medicamenta, venena; inde frigus ſummum, calor maximus, humiditas frigida, uſus aquæ calidæ nimius, aſſiduus, vapor arſenici, antimonii, calcis recentis, mercurii, & aliorum venenorum, paralyſin creare poſſunt.

Cùm præcedenti paragrapho generales cauſæ paralyſis enumeratæ fuerint, tunc ſequitur, ut præcipuæ cauſæ ſingulares recenſeantur.

APOPLEXIA, &c. De hac paulò antè dictum fuit. Cùm autem in epilepſia, utì poſtea dicetur, tanta violentia cerebro inferatur, atque etiam in hoc morbo, utì & in convulſionibus, tam horrendæ fiant membrorum diſtorſiones, non mirum eſt paralyſin ſequi hos morbos, vel ob læſum ſenſorium commune & nervos, vel quandoque ob muſculorum toties & tam fortiter diſtractorum læſam fabricam. In Praxi certè frequenter contigit, ut infantes poſt validam convulſionem paralytici fiant, & quandoque totâ vitâ maneant, optimis etiam adhibitis remediis.

DOLOR INGENS ET DIUTURNUS. Ex illis, quæ in capitulo de dolore ad §. 220, & ſequentes dicta fuerunt, conſtitit dolorem tunc percipi, quando fibra nervoſa ſic diſponitur, ut diſſolutionem minitetur; & quidem dolorem eò acriorem eſſe, quò diſtracta fibra nervoſa rupturæ propior eſt. Adeóque dolor ingens & diuturnus notat, deſtructionem nervorum imminere. Verùm quidem eſt, nervorum ſentientium actionem poſſe lædi, imò aboleri omnino, manente integritate functionum, quæ à nervis motoriis pendent, utì ad §. 1057, dictum fuit; adeóque patet, illos nervos in origine

sua & toto decursu distinctos manere; interim tamen nervi sentientes & motorii in truncis majoribus nervorum collecti hærent, adeóque si circa insignes ramos nervosos, aut ganglia, dolor ingens & diuturnus fuerit, metus est, ne causa dolorem excitans agat & in nervos motorios, adeo vicinos nervis sentientibus. Vidi sic à pertinaci dolore circa ultimam lumborum vertebram paralysin femorum & crurum secutam fuisse incurabilem. Accedit, quòd acerbi tales & diuturni dolores impediant omnem motum partis dolentis & sæpe vicinarum; unde musculi longo tempore quiescentes ad paralysin disponuntur. Videmus hoc evidenter in mulieribus, quæ pessimo more loricis, ex balænarum ossibus factis, corpus stringunt, diu sæpe noctúque: in illis totus truncus corporis sustinetur hâc loricâ, quæ constricto abdomine ossibus ilii utrimque innititur, simúlque axillas sustinet: hinc musculi dorsi validissimi, qui truncum corporis erectum firmant, otiantur; & cùm iidem musculi, decumbente in lecto homine vix agant, hinc, licèt deponatur noctu lorica, tamen manent illi musculi ferè otiosi. Unde miseræ mulieres, quæ à prima juventute his loricis usæ fuerunt, illas postea deponere nequeunt, quin antrorsum collabatur totus truncus corporis, musculis dorsi inertibus redditis, qui in valido & exercitato corpore spinam dorsi erectam & firmam tenere possunt, licèt grave pondus humeris imponatur, utì in bajulis videmus. Vidi non sine commiseratione miseras tales fœminas, quæ nequidem somni tempore deponere audebant loricas, expertæ jam sæpius, quòd vix se vertere in lecto possent, multò minùs corpus in lecto erigere, vel erectum sustinere. Ob hanc causam videtur post rheumaticam lumbaginem quandoque sequi levior paralysis artuum inferiorum, frictionibus tamen sensim superabilis, dum sæpe per plures septimanas ne minimum quidem motum partium inferiorum tentare audent. Dolentissimum hunc morbum expertus celeberrimus *Boerhaavius* per plures septimanas, caruit usu artuum inferiorum, dolore jam cessante: frictionibus autem validis adhibitis, superatum fuit hoc malum quàm integerrimè, & quidem brevi satìs tempore, quod in paralysi, ab impedito influxu spirituum per nervos productâ, raro vel nunquam tam citò fit. Unde videtur hoc malum à flaccida inertia musculorum tam diu quiescentium factum fuisse.

OMNES SOLITÆ EVACUATIONES RETENTÆ, &c. Evacuationes illæ solitæ sunt vel humoris boni & naturalis, sed tantùm peccantis copiâ si retinetur in corpore; vel humoris inutilis aut morbosi, qui retentus non tantùm auget copiam, sed & alienâ ab humoribus sanis indole turbat omnia. Ad priorem classem pertinent evacuationes hæmorrhoidum, menstruorum, & salivæ bonæ; ad posteriorem salivæ morbosæ excretio, & illa evacuatio, quæ per alvum & vesicam, abscessus & fistulas, fit.

Sic videmus, viros lautè viventes, neque per exercitia corporis dissipantes ingesta, si firma habeant viscera, plethoricos fieri: sæpe in his illud abundans per hæmorrhoidalia vasa exit de corpore; imò in multis hoc fit determinato temporis intervallo; & tunc optimè se habent. Verùm si consueta talis evacuatio non successerit, brevì sequentur capitis morbi, inter quos vertigo, ut antè dictum fuit, agmen ducere solet, docens vasa sanguinea encephali tunc

nimis repleri, & incipere turbari functiones sensorii communis. Unde *Hippocrates*, utì ad §. 1017, dictum fuit, monuit, (*a*) *Ex hæmorrhoide parùm apparente, vertigines obortæ parvam ac modicam siderationem* (brevì futuram) *significant*. Tunc enim natura evacuationem superflui molitur quidem, sed non perficit, & sanguis, per inferiora hæc vasa exire non potens, superiora vasa urget ac distendit. Idem verum est, si in mulieribus menstrua supprimantur; & observatur ferè semper caput affici, dum jam prodibunt menstrua, utì etiam dum parciùs solitò fluunt, & tamen abundantia sanguinis adest, utì antea ad §. 1040, dictum fuit.

Quanta autem & quàm varia mala fieri possint à pure vel ichore in abscessibus fistulísque collecto, & resorpto in sanguinem, antea ad §. 406, dictum fuit: si autem vertigo tunc docuerit, versùs caput tendere resorptum illud purulentum aut ichorosum, facilè patet, non tantùm paralysin, sed & subitò lethalem apoplexiam, inde sequi posse.

Cùm autem per alvum evacuentur talia, quæ inutilia corpori nocerent diutiùs relicta, utpote semiputrida; & tenuissima horum pars, venis bibulis crassorum intestinorum recepta, misceri sanguini possit; patet ratio, quare alvus diu intercepta encephali functiones turbare queat, adeóque & paralysin facere. Hinc alvum in febricitantibus (*b*) interceptam, vel & fæces alvinas (*c*) albas, damnabat *Hippocrates*, quia manebat in corpore biliosum illud, quod fæces tingere solet; & capitis morbos pessimos secuturos prævidebat, utì ad §. 772, ubi de phrenitide agebatur, pluribus dictum fuit.

Periculosior adhuc est vesicæ interceptio, inprimis si perfecta ischuria fuerit, quæ citiùs lethalis esse solet quàm alvi suppressio, & à qua dum moriuntur homines, semper præcedunt symptomata, quæ cerebri functiones læsas docent. Cùm autem per urinam, sales & olea sanguinis acriora reddita, unà cum superabundanti aquosa parte eluantur è sanguine, duplici ratione nocet urinæ suppressio, & ob acre retentum, & ob aquosam colluviem non satìs evacuatam, quæ tunc in cavis corporis colligi solet, utì postea patebit in capitulo *De Hydrope*, ubi urina pauca damnatur mala, & ut signum, & ut causa.

Sed & salivæ evacuatio solita suppressa inter causas paralysis locum meretur. Constat enim ex Physiologicis (*d*), à sanguine arterioso per carotides advecto secerni salivam, ut unà cum cibis manducatis permista deglutiatur, & chylopoiesi perficiendæ serviat. Nec certè parca quantitas salivæ secernitur, utì patuit Observatis Practicis. Militi enim unius tantùm parotidis ductus dissectus fuerat, & postea vulnus pro parte coaluerat, ita ut saliva secreta (*e*) non in oris cavum dilaberetur, sed extrorsum per fistulosam aperturam deplueret in genam. Brevis prandii tempore plura linteamina made-

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCXLVI. Charter. Tom. VIII. pag. 871.

(*b*) De Morb. Lib. I. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 535.

(*c*) Prognostic. Comment. II. Sentent. XX. XXI. Charter. Tom. VIII. pag. 629.

(*d*) Boerhaav. Institut. Medicar. §. 66. §. 235.

(*e*) Académ. des Scienc. Ann. 1719. Mémoir. pag. 452.

bant effluente salivâ in hoc milite. Si jam consideretur, similem copiam per alterius lateris parotidem excerni, glandulásque maxillares & sublinguales pariter secretioni salivæ servire, similémque humorem, sed tenuiorem, per arteriarum oscula exhalantia in omni puncto superficiei internæ & oris & faucium exire, patebit, quanta sit copia salivæ secretæ; inprimis si simul consideretur, non tantùm manducationis tempore exire salivam ex his ductibus excretoriis, sed diu noctúque, licèt minori copiâ quàm inter manducandum. Cùm autem à ramis carotidis externæ sanguinem recipiant organa salivam secernentia & excernentia, patet, quòd illâ salivæ excretione impeditâ, magìs debeant repleri carotidis internæ propagines, simúlque sanguis fluxurus per encephali vasa non liberetur lentescente illâ & mucosâ materiâ, quæ per salivares ductus separatur. Poterunt ergo ab hac sola causa turbari omnes encephali functiones, adeóque & paralysis produci. Ob hanc rationem periti Medici à siccitate oris interni, in morbis acutis, semper deliria & phrenitides metuunt. Ubi autem materies morbosa, unà cum salivæ fluxu copioso, exit de corpore in quibusdam morbis, tunc adhuc pejora mala prævidentur, si illa salivæ excretio cesset subitò. In variolis, utì postea dicetur, intempestiva suppressio salivationis ob hanc causam adeo mali ominis est; illico incipiunt tales ægri torpidi ac hebetes jacere, aliquando & delirare; plerumque subitò pereunt.

METAPTOSES CUJUSCUMQUE MATERIÆ MORBOSÆ IN ACUTIS VEL CHRONICIS. In febrium Historia §. 593, patuit, materiam morbosam, per febrim subactam & mobilem redditam, non semper eliminari de corpore, sed quandoque ad varias corporis partes deponi, atque sic novum morbum facere. Postea in Historia morborum acutorum pluribus Observatis Practicis hujus rei veritas confirmata fuit. Si ergo talis metastasis, vel metaptosis materiæ morbosæ fiat, aut ad cerebrum, aut ad medullam spinalem, aut ad nervos inde egredientes, facilè patet, paralysin inde fieri posse. Præterea observamus, in morbis acutis quandoque materiam morbi, depositam ad quædam corporis loca, subitos & magnos tumores facere, qui comprimendo vicinos nervos paralysin producere possunt. Sub axillis tales tumores natos vidi aliquoties in morbis acutis, & frequentiùs in hominibus cæterùm sanis; qui tumores, dum suppurabantur, nervos subaxillares suâ mole premebant adeo, ut stupor in brachio, & motûs muscularis magna debilitas, nasceretur, donec abscessu rupto illa nervorum compressio cessaret. Præterea post morbos inflammatorios capitis quandoque supersunt immedicabilia mala, ideo quòd inflammatorio tumore compressa pars medullæ cerebri inepta reddita fuerit, ut transmittat spiritus in nervos. Amaurosin veram, surditatem, post morbos acutos vidi, quæ nullis postea cesserunt remediis. Si simile malum oriretur circa originem nervorum, qui motibus muscularibus serviunt, immedicabilis sequeretur paralysis. Præterea demonstratum fuit ad §. 1018, apoplexiam paulò graviorem in paralysin frequenter terminari; imò vix unquam emergere ægros ab acuto hoc & adeo periculoso morbo, quin aliqua læsio in functionibus cerebri supersit.

Sed & idem in morbis chronicis verùm eſt. Poſtea ubi de melancholia agetur, patebit §. 1104, quòd humor atrabilarius, ſolutus & motus, inter alia peſſima mala etiam paralyſin quandoque faciat. Similis effectus in peſſimo ſcorbuto §. 1151. n°. 4, obſervatur, ut & à materia podagrica, dum non ampliùs ad ſolita loca in extremis corporis partibus deponitur (vide §. 1273.). Verùm nullum morbum chronicum frequentiùs ſequitur paralyſis, quàm *Colicam Pictonum* dictam; in quo morbo, poſt acerbiſſimos dolores abdominis, repetitis vicibus toleratos, paralyſis ſequitur, nunc artuum ſuperiorum, nunc inferiorum; & ubi paralyſis adeſt, ceſſant abdominis cruciatus ſæpe, vel ſaltem inſigniter minuuntur. Frequentes habui occaſiones mirabilem hunc morbum videndi, & licèt non negem, illum ab aliis cauſis naſci poſſe, tamen frequenter obſervavi hunc morbum in illis, qui plumbo fundendo, ceruſſam præparando, terendo, &c, operam dabant. Vidi integram familiam hoc morbo laboraſſe, dum ad culinares uſus adhibebatur aqua, in magno receptaculo plumbeo collecta, & diu hærens. Obſervavi hunc morbum frequentiùs in opulentis hominibus, qui exquiſitiſſima vina magno ſatìs pretio redemerant in uſus ſuos; fortè plumbo admiſto edulcorata, utì novimus olim à fraudulentis œnopolis in Germania factum fuiſſe. Vidi non ita dudum nobilem juvenem, cui pro curanda gonorrhœa datum fuerat ſaccarhum Saturni ad drachmam ſingulis diebus in emulſo, & quidem per decem dies continuos, in hunc morbum incidiſſe; unde tamen, licèt ægre, evaſit. Hinc credo ſatìs conſtare, quòd à plumbi vaporibus, ejus calce variâ, diu tractatâ, vel & in corpus ingeſtâ *Colica Pictonum* originem ducat; licèt fortè & ab aliis cauſis naſcatur. Vidi enim alios ægros hoc morbo miſerrimè excruciatos, in quibus accuratiſſimo etiam examine non potui detegere, quòd plumbum in culpa fuerit. Præterea hæc colica in regionibus Americæ meridionalibus tam frequens eſt, ut ferè pro morbo endemio haberi poſſit; utì ab eruditiſſimo viro *Guilielmo Bullio*, in his oris nato, & nunc feliciter ibi Medicinam exercente, ſæpius audivi, qui & pulchram de hoc morbo ſcripſit diſſertationem inauguralem, quam in *Academia Lugduno-Batava* defendit anno 1734. Verùm hæc ſolet eſſe diſſertationum Academicarum ſors, ut poſt paucos annos nullibi ferè inveniri poſſint; unde laudabili conſilio celeberrimus *Hallerus*, propriis laboribus de Republica Literaria optimè meritus, plures melioris notæ collegit & typis denuo mandari curavit. Parvus, ſed utilis, de hoc morbo difficili curando tractatus (*a*) habetur, ubi & ſimul præcipui Auctores recenſentur; qui de hoc morbo ſcripſerunt. *Ægineta* antiquiſſimus, quantùm novi, Medicus, qui de hoc morbo egit, ſuâ auctoritate confirmat, paralyſin in colica hac fieri per metaptoſin materiæ morboſæ. Sic enim habet (*b*) *Noſtris temporibus colicus quidam morbus moleſtus fuit, ex quo*

(*a*) A. de Haen Medic. Haga-Batavi de colica pictonum. Hagæ Comit. 1745.

(*b*) Lib. III. Cap. XVIII. pag. 31.

inprimis superstites futuros artuum motus omnimoda privatio sequebatur: tactûs verò sensus incolumis servabatur, uti videbatur, ceu criticâ quâdam ex profundo metastasi factâ, &c. Et alibi de eodem morbo agens quem epidemico modo Italiam & alia loca infestasse perhibet, dicit, (*a*) *Ex quo multis quidem in epilepsiam, aliis paralysin artuum, superstite sensu, quibusdam in utrumque hunc morbum, prolapsus. Ac eorum qui in epilepsiam inciderunt, plures perierunt; ex illis verò qui in paralysin, plures servati fuerunt, tamquàm in crisi causâ transpositâ* (μεταστάσης τῆς αἰτιάς). Interim tamen fateor, quòd videatur adhuc dubium superesse, an illa paralysis fiat per transpositionem materiæ morbosæ ex abdomine ad artus; an verò mirabili illa proprietate, quâ partes quædam corporis malè affectæ agunt in alias, etiam dissitas: de qua re antea ad §. 701, dixi. Probè memini me plures sanasse, nullo remedio applicato ipsis partibus paralyticis ad dissipandam morbosam materiam, sed solis remediis internis, unà cum frictionibus, unguentis aromaticis, emplastris similibus, abdomini tantùm adhibitis.

QUIDQUID OBSTRUENDO, SOLVENDO, COMPRIMENDO, &c. Dictum fuit ad numerum secundum paragraphi præcedentis, omne illud, quod nervum transmittendo spiritui ineptum reddit, paralysis causam esse. Quidquid ergo vel nervi continuitatem solvit, vel comprimendo ejus cavum delet, paralysin faciet illius musculi, cui talis nervus prospiciebat. An autem crassior humor nervi cavum obstruendo, illum impervium reddere possit, non adeo evidenter constat. Antea ad §. 119, demonstratum fuit, quòd obstructio vix locum habere possit, nisi in vasis in quibus fluida moventur ex latiori amplitudine in majores angustias. Verùm non constat, nervos talia vasa esse. Majores trunci nervosi, ramis emissis, magnitudine quidem decrescunt; at constat, illos tantùm esse nervorum minorum fasciculos; nec subtilissimi Anatomici hîc finem adhuc invenerunt, sed apparuit semper, minimam etiam fibrillam nervosam ex aliis minoribus compositam esse: qui nervi non videntur conici, sed æquabilis ubique crassitiei. Idem etiam confirmatur inde, quòd & in sua origine ex medulla cerebri nervi sint exilissimi; non verò, ut in arteriis observatur, quæ, maximæ in sua origine, minuuntur amplitudine in suo decursu. Præterea illud fluidum, quod corticali encephali substantiâ secernitur, & medullosis staminibus traditur, omnem ferè imaginationem tenuitate suâ superat; hinc vix videtur aptum esse, ut in nervos jam delatum crassescere posset, ita ut illorum cavum obstrueret. In origine fibrillæ medullosæ ex cortice, per errorem loci (vide §. 118.), crassius liquidum dilatatam cavitatem tenuissimi talis vasculi ingredi posse, & ibi hærere immeabile, atque à tali causa paralyses oriri posse, nervis integris & perviis, sed vitio hærente circa nervorum primam originem in encephalo, satìs verosimile videtur. Mala similia, post

(*a*) Lib. III. Cap. XLIII. pag. 45, versâ.

morbos capitis inflammatorios relicta, hoc suadere videntur. Verùm non constat, liquidum illud minima nervorum cava jam ingressum sic crassescere posse, ut obstructionem faciat.

Verùm singulæ fibrillæ nerveæ tunicis obvolvuntur, ut, ex sua natura tenerrimæ, tutò deferri possint ab encephalo ad dissita corporis loca; & plures nervi minimi in unum fasciculum ope membranæ involventis colligantur, hinc multiplicatur tunicarum numerus. Docuerunt jam Anatomici, & inprimis per injectiones, has tunicas innumera perreptare vascula arteriosa, quæ obstrui possunt, & inflammari. Præterea, majorem nervum dissecando, invenitur tunica cellulosa interposita singulis fibris majorem nervum constituentibus, quæ frequentissima inflammationis sedes est, utì ad §. 283, dictum fuit. Sed & novimus in aquosa colluvie turgere extravasatâ lymphâ cellulosam membranam quandoque per totum corpus, adeóque & in nervorum sibi mutuò adjacentium interstitiis hoc fieri poterit. Patet ergo, plurimos morbos in nervorum tunicis sedem habere posse, à quibus nervorum actio lædi, vel & integre aboleri, potest, licèt nihil mali in ipsa propriè dicenda nervi substantia hæreat, sed tantùm in integumentis: &, ut postea patebit, curabiles fortè solæ sunt illæ paralyses, quarum causæ non hærent in ipso nervo, sed in membranis nervum ambientibus, quarum vasa distenta nervum comprimunt quidem, nondum tamen integre destruunt. Præcipua mala in textu enumerata sunt, quæ hoc modo nervis nocere poterunt; utì & illa quæ cohæsionem nervi solvendo, ejus actionem destruunt.

ADSTRINGENTIA VALDE ALIMENTA, MEDICAMENTA, VENENA. Cùm paralysis §. 1057, dicatur laxa musculorum immobilitas, primâ fronte mirum apparet, cur adstringentia, §. 28. n°. 4, laudata ad curandam fibram debilem & laxam, hìc recenseantur inter causas paralysis. Certum est, quòd adstringentia remedia hanc vim habeant, ut plùs cohærere faciant fibras solidas nostri corporis; & in mortuis animalium partibus eumdem effectum præstent, utì ad §. 28. n°. 4, dictum fuit, pulcherrimísque Experimentis, à celeberrimo *Halesio* (*a*) institutis, confirmatur. Verùm inde tantùm concludi potest, quòd adstringentium remediorum efficacia hoc efficiat, ut vis contractilis musculorum spontanea augeatur, quæ omnino diversa est à causa muscularis motûs (*b*). Sed eadem hæc adstringentia (vide §. 117.) moleculas, humores nostros constituentes, adunari faciunt, adeóque obstructionibus, & quidem pertinacissimis, originem dare possunt, inflammationésque (§. 377.) producere, si nervis immediatè applicentur. Saltem facilè intelligimus, talem noxam posse fieri in tunicis vasculosis nervum tegentibus, adeóque à morbis, in nervorum involucris natis, posset paralysis produci, utì paulò antè dictum fuit. Verùm quidem est, adstringentia ingesta difficulter in sanguinem venire posse, cùm propriâ suâ efficaciâ debeant

(*a*) Haemastaticks Exper. XVI. pag. 131. (*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 401.

sibi ipsis aditum præcludere, constrictis venarum absorbentium osculis; adeóque vix credibile videtur, quòd integris suis viribus in nervorum cava minima venire unquam possint per hanc viam; sed constat, quòd adstringentia, nervis quàm proximè applicata, illorum actionem turbare queant. Acaciæ succus linguæ impositus illam sic corrugat, ut sapor pereat per aliquod tempus: imprudens applicatio similium ad oculos immedicabilem quandoque cæcitatem produxit. Præterea videmus, rusticorum pueros, acerbis & immaturis fructibus abutentes; intestina habere infarcta & abdomen tumidum. Constat autem ex Physiologicis, ingestorum transitum per intestinorum gyros fieri muscularibus intestinorum fibris, quæ motum dictum peristalticum efficiunt. Cùm ergo, austeris illis assumptis, hæreant ingesta in tubo intestinali, nec promoveantur versùs anum, patet ab horum effectu impediri actionem fibrarum muscularium intestinorum, imò & quandoque integre aboleri; túncque in cadaveribus inveniuntur omnia intestina infarcta & distenta. Adstringentium autem assumptorum vis in ventriculum & intestina integrâ suâ efficaciâ agit; hinc prudentia requirit, ut ad roborandas has partes, si nimis laxæ fuerint, parciore dosi dentur & sæpe repetitâ, utì antea ad §. 28. n°. 4, dictum est. Paulò antè monitum fuit, pessimas paralyses ab adstringentissimis plumbi calcibus & saccharo Saturni fieri. Unde patet, adstringentia, licèt cohæsionem solidarum partium augeant, nocere posse musculari motui.

FRIGUS SUMMUM. Adunari per frigus & inter se concrescere humorum nostrorum moleculas, antea ad §. 117, patuit: & à summo frigore subitam gangrænam, omnia depascentem, imò & sphacelum nasci, ad 454, dictum fuit; adeóque nervos, & musculos destrui posse per solum frigus, patet. *Hippocrates* dixerat, (*a*) *Cerebrum, quæque ex eo oriuntur, frigidâ quidem offenduntur, calidâ verò delectantur.* Certè videmus, omnia animalia torpere in magno frigore: imò quædam, omni motu voluntario privata, longam noctem totâ hyeme dormiunt, & verno tepore denuo pristinam agilitatem acquirunt: idem novimus fieri in insectis agilissimis. Observamus in corpore humano, medullæ cerebri, oblongatæ, spinali, nervis, ubique apponi congeriem vasorum, quæ rubrum sanguinem calidum gerunt; & frigus sic arcent ab his partibus, quæ, tenerrimis vasis cùm constent, non possent ab attritu fluidorum ad vasa calescere. Sic cerebro & cerebello pia mater, numerosissimis arteriis sanguineis scatens, non tantùm incumbit, sed duplicatis processibus profundè se in gyros cerebri, & sulcos cerebelli, interserit: in ventriculis cerebri plexus choroidei, toti vasculosi, reperiuntur: per ipsam cerebri & cerebelli medullam conspicua vasa sanguinea decurrunt. Nervi optici in toto suo decursu arterias sanguineas circumvolutas habent, & per illorum meditullium arteria decurrit, cujus rami intra fundum oculi in ipsa retina distribuuntur. Tertium nervorum par, quartum, & sextum, agilissimis totius corporis musculis destinata, in decursu suo à medulla oblon-

(*a*) Lib. de Liquidor. usu Cap. 11. Charter. Tom. VI. pag. 444.

gata

gata ad oculos tranſeunt per ſinus cavernoſos duræ matris prope curvaturam arteriæ carotidis; quinimo ſextum par plerumque firmiter arteriæ carotidi adhæret; ſic in toto hoc itinere calido ſanguine foventur. Si jam contrà conſideretur, in laxis & frigidis corporibus, in quibus ſanguis ruber deficit, omnes motus muſculares languere, patebit ſatìs, quantùm boni calor ſanus faciat ad corporis agilitatem; & contrà frigus illam minuere, imò ſi validum fuerit, vel diu infeſtaverit quamdam corporis partem, illam paralyticam reddere poſſe. Sic obſervavit *Galenus*, ani & veſicæ ſphinċteres reſolutos fuiſſe, (*a*) *Sive ſederit quis ſuper lapidem frigidum, ſive in aqua frigida ſupra modum fuerit verſatus:* idem malum (*b*) *Nonnullis etiam in aqua frigida natantibus* contigiſſe monet.

CALOR MAXIMUS. Blandum illum & naturalem calorem pulchre prodeſſe omnibus nervorum actionibus, ſtatim vidimus; verùm dum ultra modum augetur, peſſimè nocet: diſſipantur enim liquidiſſima de corpore, & reſidua humorum maſſa denſior fit, atque ad morboſas concretiones prona. Quinimo conſtat, calore magno humores noſtros coagulari, unde & inter cauſas obſtructionis §. 117, recenſetur calor, quatenus humorum noſtrorum moleculas adunat, ſicque illas ineptas reddit, ut per vaſorum anguſtos fines libere tranſire poſſint. Hæc autem immeabilitas noſtrorum humorum per calorem nimium non tantùm fit diſſipatione partis liquidiſſimæ, verùm etiam coagulo ſubito per magnum calorem inducto. Sic ſerum ſanguinis aquæ fervidæ inſtillatum coagulatur illico, & quidem gradu caloris multùm remiſſiore ac eſt ille, qui in ebulliente aqua obſervatur. Cùm autem noxæ inſpiſſatorum humorum noſtrorum circa minima vaſa obſerventur citiùs, qualia ſunt illa quæ encephali fabricam conſtituunt; hinc Medici læſas functiones cerebri præſagiunt, ubi in morbis maximus calor obſervatur. Ideo etiam in Pathologicis (*c*), ubi aeris nimis æſtuantis noxæ recenſentur, notatur quòd inprimis genus nervoſum lymphaticúmque, & horum actiones, inde ſummopere lædantur, ob hanc cauſam; & notatum fuit §. 772, calorem ingentem præcedere veram phrenitidem. Ubi autem calor magnus vel capiti, vel tali loco ubi magni nervi decurrunt, applicatur, utì quandoque agricolis ſub ſole aprico obdormientibus contingit; tunc tantò majus periculum eſt. Unde *Hippocrates*, paralyticos fieri homines monuit, (*d*) *Ubi caput repentè inſolatum, aut frigore correptum fuerit.*

HUMIDITAS FRIGIDA. Frigus cum humiditate multò magìs impedire perſpirationem inſenſibilem, quàm ſiccum frigus (*e*) docuit *Sanctorius*: addidítque alibi, à tali aere converti (*f*) *Inviſibilem perſpirationem in ichorem, qui retentus, & deinde non reſolutus, magna ex parte in cachexiam faceſſere ſolet.* Hinc videmus à tali aere coryzas, catarrhos, & ſimilia mala produci, in quibus magna copia humorum per nares depluit & per ſputa rejicitur.

(*a*) De Loc. Affect. Lib. I. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 399. 400. Confer. Ibid. Lib. IV. Cap. VII. pag. 465.
(*b*) Ibid. pag. 400.
(*c*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 746.
(*d*) Lib. de Aer. Loc. & Aqu. Cap. II. Text. XIV. Charter. Tom. VI. pag. 191.
(*e*) De Static. Medicin. Sect. I. n°. LXVII.
(*f*) Ibid. Sect. II. n°. VI.

Verùm illud retentum si circa majores nervos, vel horum originem in encephalo aut medulla spinali, colligatur, poterit illorum actionem lædere, & vel integre abolere. Ab hac enim causa, (*a*) *Serosa colluvies* in corpore nascitur, quam adeo frequentem apoplexiæ & paralysis causam invenit *Piso*, ut solam hanc ferè in his morbis agnosceret, utì antea in Historia apoplexiæ dictum fuit. Unde & *Hippocrates* inter morbos, humidâ tempestate frequentes, numerat (*b*) Apoplexias. Dum frigida aqua quasdam partes corporis alluit diu, paulò antè ex *Galeno* memoratum fuit, vesicæ & ani sphincteres resolutos fuisse. De se ipso narrat *Avenzoar* (*c*), dum paralyticum curaturus iter suscepisset tempestate frigidâ, pluviosâ, cum vento valido, & sinistrum pedem non satis tectum vento & pluviæ expositum habuisset diu, partem hanc paralysi correptam fuisse, cum sensûs etiam abolitione. Feliciter tamen & brevì curatus fuit ignis accensi calore valido, & inunctione linimenti calidi aromatici, cùm topicum tantùm esset, & recens hoc malum.

USUS AQUÆ CALIDÆ NIMIUS, ASSIDUUS. Antea ad §. 1059, dictum fuit, posse oriri in fibris muscularibus tantam laxitatem, ut officio suo fungi nequeant, & à tali musculorum atonia paralysin fieri posse. Verùm antea ad §. 30, demonstratum fuit, aquosa fibras solidas corporis quàm maximè debilitare; & simul ex *Hippocrate* tunc monitum fuit, ab usu aquæ calidæ copiosiore metuendam esse, (*d*) *Carnium effœminationem, nervorum impotentiam, mentis stuporem*, &c. Fuerunt circa finem elapsi sæculi, quidam Medici in hac opinione, sanitatem optimam fore, ubi sanguis & omnes humores essent tenuissimi; adeóque inculcabant omnibus, sanguinem non posse nimis dilui: hinc suadebant sanis hominibus, ut magnâ copiâ quotidie calidos aquosos potus sorbillarent, theam, caffeam & similes. Vidi plurimos, his potibus diu abusos, adeo enervatum corpus habuisse, ut vix languida membra traherent, ac plures etiam apoplexiâ & paralysi correptos fuisse. Sic enim laxantur tandem in his omnia viscera & vasa, ut debita copia spirituum ad motus musculares requisitorum perfici non possit, & simul in musculis ab eadem causa inducatur illa atonia. Sed & similis laxitas ab aere tepido ac humido, si diu durat talis tempestas inducitur; & *Hippocrates* notavit, quòd post tempestatem austrinam & pluviosam, (*e*) *Paraplegiæ cœperunt, multósque invaserunt, eorúmque nonnulli derepente interierunt.*

VAPOR ARSENICI, ANTIMONII, &c. Antea in enumeratione causarum apoplexiæ §. 1010. n°. 5, patuit venenatos tales vapores delere posse actionem omnium nervorum, functionibus animalibus servientium, apoplexiam inducendo: sed simul constitit Observationibus ibi recensitis, paralysin inde productam fuisse. Ex illis, quæ de paralysi, colicam pictonum sequente, eâdem hâc para-

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 748.
(*b*) Aphorism. Sect. III. n°. XVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 109.
(*c*) Apud. Zacut. Lusitan. Histor. XLVII. Tom. I. pag. 84.
(*d*) Lib. de Liquidor. usu. Cap. XI. Charter. Tom. VI. pag. 444. Confer. Aphorism. Sect. V. n°. XVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 203.
(*e*) Epidem. Lib. I. Comment. II. text. LX. Charter. Tom. IX. pag. 63.

grapho dicta sunt, patuit plumbi vaporem paralysin sæpius facere. Ab argento vivo, in vapores per ignem resoluto toties invenimus paralyticos reddi homines, qui imprudenter se illi exponunt, ut Deauratores, Chemici, Metallugi, &c. Fortè & alia plura venena sunt, quæ idem malum producere possunt, etiam externâ applicatione. Unicam Observationem adduxisse sufficiet, quæ hoc confirmat. Nobilis mulier ulcusculo infra oculum sito, quod cancrosum suspicabatur applicuit particulam recentis folii solani furiosi, quod *bella donna* solet vocari; & noctis unius spatio pupilla oculi amiserat omnem motum, dilatata manens quàm maximè, etiam dum oculus splendido lumini exponebatur; amoto folio solani, paulatim redibat pupillæ mobilitas. Coram se hoc vidisse testatur *Raius* (a); neque id casu factum fuisse, quia tribus distinctis vicibus, dum tentaretur folii solani applicatio, semper sequebatur idem effectus.

Quinimo, cancroso hoc ulcere eradicato & sanato, Chirurgus imposuit particulam ejusdem folii eidem loco, ubi ulcus fuerat, hâc spe, ut repelleret humores, ne huc denuo confluerent; verùm eadem pupillæ dilatatio secuta fuit. Similem ferè noxam ab imprudenti applicatione opii, mandragoræ, hyoscyami, ad oculorum gravissimos dolores sopiendos se observasse sæpius *Galenus* (b) testatur.

Pertractatis sic paralysis causis, sequitur consideratio effectuum, qui à paralysi producuntur.

§. 1061. CAUSA proxima (1058), & remota (1059. 1060.), adeóque his nata paralysis ipsa, varios admodum producit effectus, pro varietate sedis, ubi illa causa hæret; pro varietate magnitudinis, quâ ibi hæret; pro diversitate partis affectæ, prout vitæ necessaria magìs minúsve, magìs mediatè, vel immediatè; inde enim lethalis, minùs lethalis, sanabilis, incurabilísve, haberi potest.

Ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt de causis proximis & remotis paralysis, patuit illas posse in diversis locis hærere corporis, dum paralysin producunt: hinc primò inquiritur meritò in sedem, ubi illa causa hæret, ut dein prognosis justa, & bona Methodus Medendi, haberi possint. Potest enim causa, paralysim cruris v. gr; faciens, hærere in ipso encephalo, & in medulla spinali, & in magno trunco nervoso, qui ex medullæ spinalis extremo exeuntibus ramis nervosis collectis fit. Verùm longè alii effectus ejusdem causæ metuendi sunt, si in cerebro hæreat, quàm si in nervo crurali: nam ad vicina cerebri loca, quæ aliis partibus corporis prospiciunt, propagata hæc causa producet nova mala, dum in nervo crurali

(a) Histor. Plantar. Lib. XIII. Cap. XXIII. pag. 680.

(b) Method. Meden. Lib. III. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 58.

tantùm lædere poteſt functiones illorum muſculorum, quibus ille nervus proſpicit. Præterea poterit cauſa, nervi functionem impediens, eſſe in nervorum involucris tantùm, vel & in ipſa nervi propriè dicta ſubſtantia; unde iterum diverſa prognoſis deducitur, dum ſæpius cauſa paralyſis in nervorum integumentis hærens, per Artem tolli poteſt; ubi verò ipſam nervi ſubſtantiam occupat, raro vel nunquam curatur. Quomodo autem detegi poſſit ſedes hujus cauſæ, poſtea ad §. 1070, dicetur.

Verùm & pro varietate magnitudinis ipſius cauſæ quæ paralyſin facit, iterum alia prognoſis habetur. Si vertebra lumborum parùm tantùm ex ſitu mota fuerit, premendo medullam ſpinalem leviter tantùm, ſpes curæ ſupereſt: verùm ſi multùm receſſerit ex loco ſuo versùs interiora corporis, medulla ſpinalis ſæpe integre deſtructa eſt, & nullum remedium habetur. Magnitudo cauſæ etiam à facili vel difficili ejus ablatione deſumitur. Longè citiùs tolli poterit paralyſis à plethora nata, quàm illa, quæ à ſeroſa colluvie in encephalo accumulata producitur. Dum à ſolani furioſi particula ulceri applicata pupillæ paralyſis ſequebatur, facilè tolli poterat removendo hanc cauſam.

Verùm & ipſa pars affecta novam diverſitatem affectuum paralyſis facit, prout his illíſve uſibus ſervit. Longè diutius toleratur paralyſis brachii, quàm paralyſis inteſtinorum; cùm per hanc impediatur nutrimenti aſſumpti digeſtio, & chyli in ſanguinem ingreſſus, requiſitus ad conſervationem corporis. Ex his autem omnibus rite conſideratis prævideri poſſunt illa, quæ ſperanda ſunt vel metuenda in paralyſi, de quibus ſequenti paragrapho agitur.

§. 1062. PARALYSIS cordis, pulmonum, muſculorum reſpirationi inſervientium, gulæque, brevì lethalis: ſtomachi, inteſtinorum, & veſicæ, à cauſis internis, valde periculoſa: muſculorum faciei mala & facilè in apoplexiam mutabilis: paraplegia valde periculoſa, apoplexiæ prænuncia, hâc natâ lethalis: hemiplegia mala, paraplegiæ affinis, hinc apoplexia necans; quæ cum frigore, inſenſilitate, atrophiâ partis, mala raróque medicabilis: quæ cum ſæva convulſione, & magno calore partis oppoſitæ, mala. Ex horum verò oppoſitis ſcitur, quænam ſanabilis, minúſque metuenda ſit; quænam verò toties cauſa repentinæ, nec ullo præſagio prævisæ, mortis, ſine ullo ferè ſymptomate concomitante.

CORDIS. Probatur in Phyſiologicis (a), cor verum muſculum eſſe, & & muſculari vi agere; adeóque & paralyſin pati poterit, ut reliqui omnes muſculi, ſi à quacumque cauſa impediatur applicatio cauſæ muſcularis mo-

(a) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 187.

tûs ad cor. Verum quidem eft, quòd cor quafdam proprietates habeat, quæ in aliis mufculis non adeo inveniuntur, nam & exfectum de corpore pergit moveri per aliquod tempus, & quiefcentis jam poft mortem irritando denuo renovari poteft actio (vide §. 1.). Interim tamen Anatomica cordis exploratio docet, fimilem ftructuram adeffe in hoc vifcere, ac in aliis mufculis corporis; nervos numerofos ad cor venire; arterias binas, & magnas quidem, refpectu molis ipfius cordis, fanguinem copiofum celerrimè circumducere per totam ejus fubftantiam; adeóque validiffimas hîc motûs mufcularis caufas adeffe. Sectiones vivorum animalium docuerunt, cor pallefcere, dum agit, ut reliqui corporis mufculi. Hinc licèt cor peculiares quafdam, fibi foli proprias, dotes poffideat, & tamen omnia illa habet, quæ in reliquis mufculis deprehenduntur, adeóque & fimiles morbos pati poterit à caufis fimilibus. Summi & fubiti animi affectus omnes mufculos quandoque fic refolvunt, ut non ampliùs corpus fuftinere poffint, fed cadant homines; fimúlque ferè femper fequitur fyncope, five cordis quies. Unde fapiens *Homerus*, dum *Penelope* nunciabatur filii difceffus, & procorum infidiæ, hæc bina conjunxit, dicens, (*a*).

——τῆς δ᾽ αὐτοῦ λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.

Sed cor in fyncope perfectè fe habet, ut §. 1057, dictum fuit in definitione paralyfis; quòd nempe fit mufculi laxa immobilitas, nullo nixu voluntatis vel vitæ fuperanda. Verùm cùm cor à fanguine venofo in cava ejus influente fic irritetur, ut de novo contrahatur, illa incepta paralyfis cordis tollitur fæpe, & multi in fyncopen delapfi revivifcunt, dum fricantur membra, aquâ frigidiffimâ pectus & facies refpergitur, ftimulantia naribus fupponuntur, &c; quibus omnibus motus fanguini venofo versùs cor conciliatur. Quandoque tamen à valido & fubito animi affectu lethalis cordis paralyfis fequitur. Fortiffimè dimicantem militem in prælio dum mirabantur omnes, nec minùs dolebant, illum occubuiffe tandem, mortuo arma auferunt, ut cognofcerent quis effet. Nobiliffimus Vir (cujus pofteritas adhuc in magno honore eft, & mihi hujus facti veritatem confirmavit) cum aliis accurrit, & videns filium effe, oculis apertis cadaver infpiciens obriguit, & paulò pòft mortuus cecidit (*b*). Sed & Obfervata docuerunt, fyncopen fequi, dum externa cordis fuperficies ab infolitis rebus tangitur, ubi, vulnere vel ulcere pericardium penetrante, nudum cor patebat. Dum enim celeberrimus Chirurgus, digito immiffo per ulceris aperturam, cor tangebat, fyncope fequebatur (*c*). Unde pericardium, firmiter nexum diaphragmati, jugulo, fterno, totum cor, cum auriculis, finubus, & majoribus truncis vaforum cor ingredientium, ex eóque egredientium, inclu-

(*a*) Odyff. Lib. IV. verf. 703.
(*b*) Effais de Montagne, Liv. I. Chap. 11. Tom. I. pag. 7.
(*c*) Sénac de la Structure du cœur. Liv. IV. Chap. v. Tom. II. pag. 344.

dit, illúdque à duris ambientibus partibus defendit, ne dum movetur, in illas impingat & lædatur, vel saltem turbetur in motu suo; cujus perennitas & æquabilitas vitæ adeo necessaria est.

PULMONUM, MUSCULORUM RESPIRATIONI INSERVIENTIUM. Constat ex Physiologicis, pulmonem, dum aer aperto pectore undique illum allabitur, contrahi in spatium minus, quàm occupabat, dum hærebat in thorace integro, illúdque inprimis fieri (*a*) *Actione contractili fibrarum muscularium, squamosa segmenta bronchiorum connectentium;* quæ ergo renituntur pulmonis dilatationi inter inspirandum, & aeris expulsionem ex pulmone, tempore exspirationis, promovent. Si ergo paralysis fiat in his musculis sive fibris, mesochondriis dictis, exspiratio difficilior erit, manebit distentus aere contento pulmo, nec novum inspiratum aerem admittet. Cùm autem ad liberum transitum sanguinis, ex corde dextro per pulmonem in cor sinistrum, requiratur alterna illa dilatatio & contractio pulmonum, patet, magnum vitæ periculum à tali paralysi imminere. Asthma spasmodicum, per intervalla repetitum, à convulsis his fibris muscularibus agnoscunt omnes Medici. An fortè & dyspnœa continuò affligens à paralysi harum fibrarum fieri posset? Vidi asthmaticos plures, qui summa cum molestia exspirabant, & longè commodiùs inspirationem perficiebant. In tribus cadaveribus hominum, qui antea orthopnœâ & dyspnœâ laboraverant, *Ruyschius* invenit (*b*) *Vesicularum pellucidarum acervum ab aere expansarum, & ita obstructarum, ut levi compressione eas ab aere evacuare* non potuerit: nec impulsus per asperam arteriam flatus commercium habebat cum his expansis vesiculis; aciculâ autem perforatæ hæ vesiculæ subsidebant, aere emisso. Probabile videtur, inertes redditas has fibras non expulisse aerem inspiratum; & à mucosis viscidis humoribus, quibus pulmo in similibus morbis gravari solet, obstructos & infarctos fuisse asperæ arteriæ minimos ramos, qui ad has vesiculas pertingebant, tandem penitus concretos. Si talis harum fibrarum paralysis in toto pulmone, vel in magna ejus parte, fieret, satìs patet respirationem inde difficilem reddi debere; imò & quandoque integre supprimi posse.

Si jam similis paralysis contingeret musculis, qui in respiratione vitali pectoris cavum dilatando efficiunt, ut pulmo ab aere distendi queat, satìs patet, citò de vita actum fore.

GULÆQUE. Videantur illa, quæ de gulæ resolutione, & periculo hujus morbi, dicta fuerunt ad §. 785, & §. 818, ubi de angina ex hac causa nata agebatur.

STOMACHI, INTESTINORUM, ET VESICÆ, &c. Constat ex Physiologicis (*c*), ventriculum non tantùm ut cavum vas recipere ingestos cibos & potus, sed & illos retinere, premere vi musculari, atterere motu vermi-

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 602, & seq.

(*b*) Observation. Anatomico-Chirurg. Centur. n°. XIX. pag. 19. Confer. Ibid. n°. XX. XXI. pag. 20.

(*c*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 83.

culari ſive periſtaltico dicto, promovere ad pylorum, & deinde in inteſtinum duodenum propellere. Si ergo paralyticæ fiant hæ fibræ ventriculi, omnis illa actio ceſſat, & tunc ventriculus fungitur tantùm officio vaſis ingeſta excipientis, ſed non mutat illa per propriam ſuam efficaciam. Actio diaphragmatis & muſculorum abdominalium contenta ex ventriculo paralytico exprimere quidem poterit, ſed cruda & immutata in tubum inteſtinalem tunc venient. Cùm autem à paris octavi binis truncis, ad latera œſophagi decurrentibus, nervos ſuos accipiat, patet, quare periculoſa ſit paralyſis ventriculi, ſi à cauſis internis oriatur, cùm juſtus metus tunc ſit in ipſo encephalo, circa nervorum horum originem, paralyſis cauſam hærere.

Verùm & ventriculi paralyſis ſæpe ortum ducit à ſola nimia flacciditate fibrarum muſculoſarum ventriculi, licèt omnes nervi, & nervorum origo, optimè ſe habeant. In helluonibus, qui ingenti copiâ cibi & potûs quotidie ingurgitatâ ventriculum immaniter diſtendunt, tandem toties diſtractis ventriculi fibris omne robur perit, & poſtea totâ vitâ languet ventriculi actio. Sed fibræ illæ muſculoſæ ventriculi, dum agunt, utrumque ejus orificium arctant, ne cibi, nondum digeſti, exire citò poſſint (*a*): hinc in paralyſi ventriculi, per pylorum non ſatìs arctatum, crudi & immutati cibi elabuntur, inteſtina irritant, unde tormina & cita ingeſtorum vix mutatorum per alvum egeſtio. Si ſimul reliqua viſcera bona ſunt, tunc quandoque fames canina adeſt, dum corpus nutrimento indiget quidem, attamem parùm vel nihil ex ingeſtis proficit, unde perpetuum illud cibi deſiderium manet. Talem appetitûs canini & lienteriæ cauſam detexit *Ruyſchius* in cadavere mulieris, quæ à longo tempore cum his malis conflictata fuerat; invenit enim viſcera ſatìs bene conſtituta, pylorum autem ita relaxatum, (*b*) *Ut omnes digitos junctim compoſitos admitteret.*

Præterea ad §. 1060, dictum fuit, uſum aquæ calidæ nimium & aſſiduum paralyſin facere poſſe. Verùm ventriculus omnium primò hoc vitium ſentire debet, cùm omnis aqua calida aſſumta in ventriculum primò veniat: unde & Medici toties obſervant inſuperabiles ventriculi languores in illis, qui tepidis aquoſis illis potibus abutuntur. Cæterùm paralytica illa ventriculi mala, à ſimilibus cauſis nata, ſummam moleſtiam quidem faciunt & ægris & Medicis, tamen non adeo periculoſa ſunt, quàm ſi ab internis cauſis, nervos ipſos vel nervorum originem afficientibus, producerentur.

Similem morbum ab iiſdem cauſis & in inteſtinis locum habere poſſe, ſatìs patet: tunc autem abſque ſenſu per alvum demittuntur brevi tempore, quæ ingeſta fuerant, pariter vix mutata. In ſanitate autem inteſtina adeo validam vim ſe contrahendi habent, ut copioſo etiam potu aſſumto nihil liquidi per alvum exeat: morbus ille ſolet lienteria vocari, de qua videantur iſta, quæ ad §. 719, & ſequentes habentur.

Veſica autem fibras muſculares numeroſas ſatìs fortes habet, vario modo ſe mutuò decuſſantes, quarum ope omnem urinam ex cavo ſuo exprimere

(*a*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 83.
(*b*) Obſervat. Anatomico - Chirurgic. Centur. nº. LXXIV. pag. 69.

poteſt. Si autem illæ fibræ paralyticæ fiant, & ſphincter veſicæ adhuc ſuum robur retineat, tunc fit retentio urinæ, utì toties contingit in illis, qui nimis diu urinam continuerunt. Si verò ſphincter ſimul reſolutus fuerit, urina clam dilabitur. Duplicem hanc veſicæ paralyſin pulchre etiam notavit (a) *Aretæus.* Cùm autem veſica & à nervis intercoſtalibus & à plexu meſenterico inferiori ramos accipiat, utì etiam à crurali; patet quoque ratio, quare ejus paralyſis, à cauſa interna producta, habeatur adeo periculoſa. Inde in morbis, urinæ involuntaria emiſſio pro ſigno affecti cerebri habetur, adeóque mali ominis, utì aliâ occaſione ad §. 734, monitum fuit. Quando autem à cauſa, in ipſa veſica vel ejus ſphinctere hærente, urinæ incontinentia naſcitur, moleſtum quidem admodum eſt, ſed non adeo periculoſum, malum.

MUSCULORUM FACIEI MALA, &c. Quia muſculi faciei nervos ſuos habent à quinti nervorum paris ramis, adeóque metus eſt, ne cauſa hujus paralyſis in ipſo encephalo hæreat, quæ aucta facilè apoplexiam producit. Si enim brachium aut crus paralyticum fuerit, poterit cauſa hærere in ſpinali medulla, vel in nervis majoribus inde egreſſis; adeóque topica remedia, circa locum, ubi mali origo hæret, applicata uſum habere poſſunt; quòd fieri nequit, ſi cauſa mali in encephalo hæſerit. Toties hoc obſervant Practici, quòd jamjam in lethalem apoplexiam delapſuri incipiant habere paralyſin in muſculis faciei, vel & linguæ. Medias inter epulas incipiunt balbutire, quandoque cibi ore contenti, reſolutis muſculis genarum & labiorum, excidunt fœdo ſpectaculo, & paulò pòſt apoplectici concidunt. Paralyſis autem muſculorum faciei inprimis inde diſtinguitur, quòd in latere non paralytico facies tendatur, angulus labiorum trahatur ſurſum, dum oppoſitum latus paralyticum longiùs apparet & pendulum quaſi. In genere ferè dici poteſt, quòd quò paralyſis altiori in loco corporis hæreat, eò ſit periculoſior; quoniam cauſa mali encephalo tunc propinquior eſt. Cùm autem muſculi oculorum altiſſimi ferè ſint totius corporis, hinc patet, quare peſſimam prognoſin pronunciaverit *Hippocrates* (vide §. 734.) in morbis acutis, ſi oculi (b) *Pervertantur, aut unus altero minor ſit.* Cùm enim oculus extra orbitam protuberet per actionem muſculi trochleatoris, cui quartum par nervorum impenditur, ſi ille muſculus paralyticus fuerit, oculi bulbus profundiùs quaſi ſubſidebit in orbita, & minor apparebit quàm alter; verùm hoc denotat per morbum jam affici cerebrum, adeóque peſſima metuenda eſſe. Quandóque tamen topicum tantùm malum eſt, non affecto cerebro, & feliciter ſanatur; quales caſus vidi aliquoties. Sæpius tamen ſimul ſtupores in brachio, manúve, fiunt, & paulò pòſt vel apoplexia, vel hemiplegia, ſequitur. Optimè hocmonuit *Hippocrates* dicens, (c) *At verò diſtorſiones in facie, ſi nulli alii corporis parti communicent, citò ſedantur, aut ſuâ ſponte, aut ad neceſſitatem coactæ; reliqui verò ſiderati* (apoplectici) *fiunt.*

(a) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VII. pag. 34.

(b) Prognoſtic. Comment. I. Sentent. X. Charter. Tom. VIII. pag. 597.

(c) Prædiction. Lib. II. Cap. XVII. Charter. Tom. VIII. pag. 826.

PARAPLEGIA VALDE PERICULOSA, &c. Antea, 1018, dictum fuit, quòd hodie soleat vocari paraplegia, quando motus voluntarii cessant in omnibus partibus cervici suppositis. Causa ergo ipsam spinalis medullæ originem impedit, ubi medullæ oblongatæ continuatur, adeóque encephalo proxima est; quæ si augeatur, apoplexiam faciet, & quidem lethalem, quia omnia, quæ à spinali medulla pendent, jam inde sublata erant. Solet contingere, quando vel thecam vertebrarum, vel ipsam medullæ spinalis interiorem substantiam replet & comprimit sanguis effusus, aut extravasatum serum, quod sensim mole auctum in cavum calvariæ regurgitet, & ibi pariter omnia comprimat. Potest & fieri à luxata vertebra cervicis, sed pariter ferè semper lethali cum eventu, utì aliâ occasione ad §. 818, dictum fuit.

HEMIPLEGIA MALA. Hemiplegia vocatur, utì ad §. 1018, dictum fuit, quando dimidia pars corporis à capite ad calcem usque motu voluntario destituitur. Paraplegia sæpius apparuit, nullo vitio intra cranium existente; at fortè nunquam visa fuit hemiplegia, nisi encephalum similiter affectum fuerit, nam balbutiunt ferè semper, memoriam læsam habent, &c. Hinc pariter metus est, ne increscente causâ hemiplegiæ, sequatur lethalis apoplexia. Ubi verò apoplexiæ succedit paraplegia, vel hemiplegia, melior spes est; quia tunc novimus morbi causam minui, & quasdam encephali partes liberari.

QUÆ CUM FRIGORE, INSENSILITATE, &c. Duplex inprimis causa paralysis enarrata fuit §. 1059, nempe omne illud, quod nervum transmittendo spiritui ineptum reddit; & deinde quidquid arteriosi sanguinis introitum in musculum impedit. Si ergo frigus adsit in parte paralytica, novimus, circumductionem sanguinis per arterias hujus partis, unde calor in corpore oritur, non ampliùs fieri; adeóque non tantùm nervos ad partem hanc tendentes esse impeditos, verùm etiam arterias; tantóque difficiliùs curabile esse malum, cùm circulatio deficiat in parte, vel saltem sit adeo debilis, ut calorem parti affectæ conciliare nequeat. In pulchra illa Dissertatione celeberrimi *Alstoni* (a), quam *De Opio* conscripsit, ejúsque effectis in diversis animalibus, legitur, quòd inter ranas, his Experimentis capiendis destinatas, una fuerit, cujus crus posterius carebat sensu & motu: dum verò paralyticam hanc partem microscopio lustrabat, invenit globulos rubros sanguinis penitus dissolutos, & vasa distenta liquido homogeneo rubro: unde videtur in hoc animali sanguis hæsisse immotus, fibris arteriarum muscularibus etiam paralyticis factis, adeóque non potentibus deplere arterias distentas. Cùm autem ad §. 1057, dictum fuerit, quandoque unà cum motu & sensum omnino perire in parte paralytica, meritò & hoc pro malo omine habetur, quia causa paralysis non tantùm nervos moventes, sed & sentientes, impedit, adeóque satìs valida est.

Omnium autem pessimum signum est, si pars paralytica simul fiat atrophica: tunc enim denotat, nihil humoris vitalis nutritii adferri ad partem am-

(a) Medical Essays Tom. V. pag. 155.

pliùs; ideóque ſenſim lento maraſmo contabeſcere. In illa paralyſi, quæ colicam pictonum dictam ſequi ſolet, omnium frequentiſſimè illa atrophia partium paralyticarum obſervatur. Crebram occaſionem habui hunc morbum videndi & tractandi, & ſumma cum commiſeratione vidi deltoides muſculos in utroque brachio evanuiſſe quaſi, ita ut ſolâ cute tectum humeri articulum tangere potuerim. Toroſam illam carnem muſculoſam, quæ primæ phalangi pollicis in parte manum ſpectante apponitur, & pollicem magnâ vi, dum agit, versùs manûs palmam adducit, pariter adeo emarcuiſſe vidi, ut ne veſtigium ejus ferè ſupereſſe videretur, & miſeri illi nullam vim manubus exercere potuerint. Patet autem ſatìs, quàm parùm tunc ſpei curationis ſuperſit, quando tota muſculi moles tali maraſmo contabuit. Cauſa enim motûs muſcularis tamquam duplex conſiderari poteſt, vel delata ad muſculum, vel prærequiſita & præexiſtens in muſculo. Prior cauſa ex voluntatis imperio per nervos defertur ad muſculum, ſed fruſtra, niſi fabrica organica ipſius muſculi bona ſit; quæ cùm perierit tali maraſmo, nihil ſperari poteſt, niſi adhuc reſtitui poſſit muſculi toroſitas. Verùm, tali morbo jam inveterato, vaſa contracta, aut collapſa quandoque, jam concreverunt, nunquam poſtea humoribus futura pervia. In phthiſicis videmus quidem circa finem vitæ omnium muſculorum molem inſigniter minutam eſſe, ſed ſuperſunt tamen omnes motus voluntarii, quia illa imminutio toroſitatis tantùm pendet à conſumpta pinguedine, ſuperſtite & illibatâ eâ parte, cui per nervos applicata cauſa muſcularis motûs facit muſculum turgere. Unde meritò monuit *Hippocrates* ſequentia: (*a*) *Quibus unà cum hoc quòd movere non poſſunt, morboſa pars corporis attenuatur, hi in ſanitatem reſtitui non poſſunt: quibus autem colliquationes non acceſſerint, hi ſani evadent.* Similia certè & apud *Celſum* leguntur: (*b*) *Quacumque verò parte corporis membrum aliquod reſolutum eſt, ſi neque movetur & emacreſcit, in priſtinum habitum non revertitur; eóque minùs, quò vetuſtius id vitium eſt, & quò magìs in corpore ſenili eſt.* Senectus enim ipſa in maraſmum ab exſiccatione tendit; adeóque nulla ſpes eſt, maraſmo jam tabeſcentes partes corporis in decrepita ætate denuo reſtitui poſſe.

QUÆ CUM SÆVA CONVULSIONE, &c. Poſtea ad §. 1064, ubi recenſentur modi, quibus Natura paralyſin ſanavit, dicetur, quòd per magnam febrim ſupervenientem, & tremorem convulſivum partis affectæ, tollatur quandoque paralyſis. Ad §. 1068, autem patebit, quòd præcipua remedia, quæ ad paralyſin curandam laudantur, ſint talia quæ motum excitant, & calorem augent. Cùm ergo à valida illa actione, quæ, impedita æqualiter diſtribui, in latere oppoſito tantâ vi ſe manifeſtat, non poſſint ſuperari illa obſtacula, quæ paralyſin produxerunt, patet ſatìs, quare tunc magna difficultas in curatione prævideatur.

EX HORUM VERO OPPOSITIS, &c. Hoc ſponte patet. Sic enim paralyſis

(*a*) Prædiction. Lib. II. Cap. XVII. Charter. Tom. VIII. pag. 826

(*b*) De Medicin. Lib. II. Cap. VIII. pag. 75.

descendens ad inferiora, & liberas relinquens partes superiores, faciliùs curabilis est, quàm si paralysis inferiores artus primò occupans sursum adscendat; tunc enim solet in lethalem apoplexiam brevì terminari.

QUÆNAM VERO TOTIES REPENTINÆ, &c. Quidam homines subitò moriuntur, sed prægressa fuerunt signa latentium in corpore malorum, dolores in thoracis intimo quasi cavo, palpitationes cordis, &c: & post mortem inventæ fuerunt plerumque in cadaveribus incisis manifestæ causæ. Sed & observatæ fuerunt subitæ mortes absque ullis signis prægressis, neque postea in cadavere inventæ fuerunt ejusmodi mutationes, quibus meritò subita talis mors tribui poterat. Tunc non sine ratione creditur, cor, paralyticum factum, cessasse à motu. Illud videtur inprimis obtinuïsse, ubi subiti & validissimi animi affectus hominem perculerunt; cujus rei Exemplum paulò antè in eadem hac paragrapho memoratum fuit, & cui similes plures casus in *Historia Medica* habentur.

§. 1063. QUÆ omnia (1057, ad 1063.) si quis singulis musculis, cujuscumque demum functionis auctoribus, applicat, infinitorum certè, & maximè mirabilium, morborum causas intelliget, diagnosin, prognosínque sciet.

Pleræque functiones corporis nostri fiunt per motus musculares; unde & sponte patet, illas turbari posse, imò & deleri integre, per paralysin. Quando in hemiplegia totum dimidium corporis latus motu musculari voluntario caret, noverunt Medici causam in encephalo hærere tam validam, ut dimidiam partem motuum, per nervos voluntatis imperio subjectos, exercendorum, tollat. Sed si similis levior causa partem encephali quamdam impediat, turbabuntur tantùm quædam functiones in corpore, reliquis integris manentibus. Idem contingit, si nervis, ex medulla oblongata vel spinali jam egressis, quoddam impedimentum nascatur in toto decursu ad musculos usque, quibus hi nervi prospiciunt. Dum autem, nervorum origine & nervis ipsis bonis, fabrica musculi destructa vel insigniter mutata fuit, pariter functionum læsio observabitur. Patet hinc, quot & quàm mirabiles morbi ex hactenus dictis de paralysi intelligi possint: unum alterúmve Exemplum Practicum ulteriùs hanc rem illustrabit. Si quis consideret mirabilem laryngis fabricam, numerosos musculos, qui cartilaginum laryngem constituentium, variam tensionem & motum regunt, rimæ glottidis aperturam moderantur; si dein attendat, quòd ad vocem formandam pharynx, velum pendulum palatinum, uvula, lingua, labia, &c, concurrant, quæ omnes partes per musculos moventur; si jam præterea noverit, ad unicæ literulæ elocutionem numerosos adeo musculos requiri, non mirabitur, quare toties, post apoplexiam sanatam, omnes functiones in integrum restituantur, solâ sæpe tantùm loquelâ impeditâ; dum vel balbutiunt totâ vitâ inter loquendum, vel quandoque aliquas tantùm literas distinctè pronunciare nequeunt. Si enim in encephalo adhuc impedimentum manse-

rit qualecumque circa originem nervuli, qui huic illíve musculo, ad loquelam requisito, servit, manebit tale vitium. Sed & idem sequi poterit, si totum encephalum bonum fuerit, & in quibusdam nervis impedimentum manserit, quod liberum commercium inter encephalon & musculos tollit. Notum est, Anatomicos, dum viva animalia dissecant, rescindere sæpius nervos recurrentes, vel & ligare, ut caveant molestos ejulatus & clamores; animal enim, his nervis resectis, mutum est. Sed & in puero observavit loquelam abolitam *Galenus*, dum imprudens Chirurgus strumas in profundo sitas excisurus, & hæmorrhagiam metuens, non discindebat membranas scalpello, sed unguibus lacerabat, simúlque malâ fortunâ distrahebat nervos recurrentes; (*a*) *Atque hoc pacto puerulum liberavit à strumis, sed mutum reddidit.* Mirus satìs etiam casus apud *Wepferum* (*b*) habetur, de muliere serosâ capitis colluvie laborante, cui loquela interdum sensim minuebatur, quandoque per decem & ultrà horarum spatium integre abolebatur; dum verò, superveniente tussi, tenue & crudum sputum copiosè ejiceret, loquelam in instanti recuperabat. Imò, quod magìs mirum videtur, si manu cranium premeret circa suturam lambdoideam illo tempore, dum loqui non poterat, redibat loquela; manu amotâ, statim denuo muta erat.

Sed & Observationes Practicæ docuerunt, encephalo nervísque integris & bonis, musculari verò fabricâ læsâ & destructâ, difficiles & satìs miros morbos natos fuisse. Scytharum ille morbus, quem fœmineum, (*c*) θηλείαν νόσον, vocavit *Herodotus*, & ab irato numine ob templum spoliatum huic genti immissus credebatur, ab *Hippocrate* tribuitur (*d*) assiduæ equitationi; quia hoc morbo tentabantur opulentissimi Scythæ, qui inprimis equitando totam ferè vitam transigebant. Perpetuis enim illis succussibus inter equitandum, & compressione non interruptâ ferè, à pondere corporis equo insidentis, sic labefactabantur musculi libidinosi, ut nulla fieret postea membri virilis erectio. Observavit *Ruyschius* post puerperium quandoque urinæ incontinentiam per aliquot dies, imò & septimanas fieri, à nimia extensione vaginæ per transitum fœtûs grandioris, unde (*e*) *Sphincter vesicæ, qui vaginæ arctè cohæret, ita extenditur*, ut munere suo postea fungi nequeat: monet & quandoque fœtûs capite diu hærente in vagina, vel rudi Obstetricis attrectatione, gangrænam sequi destruentem sphincterem vesicæ.

Patet ergo, ex hoc fonte plurimorum & mirabilium morborum causas & diagnosin posse hauriri, utì & prognosin. Ubi enim à distractione nimia vaginæ oriebatur sphincteris vesicæ atonia, sperabat meritò *Ruyschius* curationem: quando autem gangræna hîc nata destruxerat fabricam, nihil sperandum erat. Unde & Scythæ, multiplici Observatione docti, omnem spem recuperandæ virilitatis deponebant, & muliebri postea stolâ amicti tractabant opera muliebria.

(*a*) De Loc. Affect. Lib. I. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 396.

(*b*) Observat. Medico-Practic. de Affectib. Capit. Observa. 32. pag. 62.

(*c*) Lib. I. Cap. CV. pag. 44.

(*d*) Lib. de Aer. Loc. & Aqu. Cap. XI. Charter. Tom. VI. pag. 210.

(*e*) Observat. Anatomico-Chirurgic. nº. XXII. pag. 22.

§. 1064. SANAVIT Natura hunc morbum attenuando & dissipando materiem morbosam, malâ crisi ad cerebri exteriora, ejus ventriculos, circa medullam oblongatam, spinalem, exitum nervorum à medulla, nervos, depositam; solvendo impacta per magnam febrim supervenientem; movendo per tremorem convulsivum partis; educendo per diarrhœam largam & diuturnam.

Sequitur jam paralysis curatio. Antea sæpius in morborum curationibus describendis notatum fuit, quòd prudentes Medici omni attentione mentis consideraverint salubria illa Naturæ molimina, per quæ morbi etiam difficillimi tollebantur quandoque; & his observatis rite, atque intellectis, conati sint similia per Artem efficere, quæ sponte nata viderant profuisse. Facilè autem patet tunc sperari posse curationem paralysis, ubi encephali, medullæ oblongatæ, spinalis, nervorum, & fabricæ musculosæ, integritas mansit; ac morbosa causa impediverit tantùm liberam determinationem causæ motûs muscularis ab encephalo per nervos & musculos. Quidquid ergo hanc materiam morbosam sic attenuare potest, ut dissipetur vel evacuetur de corpore; vel attenuatam jam sic movere, ut locum mutet, nec ampliùs impediat encephali & nervorum actionem, sanabit paralysin. Binæ unciæ seri glutinosi, in ventriculis cerebri hærentes, pessima producere possunt mala; eadem hæc seri quantitas, imò longè major, in panniculo adiposo crurum collecta facilè fertur absque magno malo. Vidi aliquoties homines somnolentos, hebetes, obliviosos, miro modo levatos fuisse, dum subitò incipiebant tumere pedes & crura: idem levamen toties observatur in Praxi à tumore artuum inferiorum in illis, qui asthmate laborant. Unde videtur probabile, solâ metastasi materiæ morbosæ, nervorum functiones impedientis, paralysin curari posse.

Febris autem, utì antea probatum fuit ad §. 587, stagnantia agitat, movet, resistentia subigit, & materiam morbosam mobilem redditam expellit de corpore sæpe; quandoque & ad alia corporis loca deponit. Unde febris sæpe medicamenti virtutem exercet, ratione aliorum morborum (vide §. 589.). Præterea constitit ex illis, quæ ad §. 1017, habentur, universalem omnium musculorum voluntariorum resolutionem, apoplexiam scilicet, sanari febre magnâ superveniente; adeóque & eodem modo faciliùs poterit curari paralysis. Sartorem ter paralysi correptum, & toties sanatum febre magnâ superveniente, vidit celeberrimus *Boerhaavius*. Plura de hac re habentur ad §. 1017.

Tremor autem convulsivus partis paralyticæ bonus est, ut causa, & ut signum: notat enim, causam muscularis motûs denuo applicari musculis paralyticis, sed nondum tali cum constantia, ut durabilis sit effectus, sed mox vacillet denuo: unde incipientem sanationem indicat, & integræ curæ magnam spem faciet; inprimis si levis convulsio tremorem hunc comitetur: omnes enim musculi, qui in nobis diu quieverunt, si subitò mo-

ventur, convelluntur, utì videmus in illis, qui ex ſomno expergeſiunt à magno fragore audito, vel ſimili cauſa, ſubitò ac validè agente in ſenſorium commune & nervos. Verùm & ille tremor convulſivus prodeſt, ut cauſà, cùm per hos concuſſus expediri poſſit ſæpe omne illud, quod adhuc immeabile in ipſis muſculis, arteriarum finibus, fortè & in ipſis nervis, vel ſaltem horum involucris, hæſit. Percipitur quandoque ſimul puncturæ ſenſus in parte affecta, pariter læto omine. Sic videmus, ſæpe, quando quis dormitabundus obliquè inſedit coxæ, & toto ferè pondere corporis compreſſit magnum truncum nervoſum per poſteriora femoris decurrentem, quòd totum crus ſtupeat immobile; mutato autem ſitu corporis, adeóque compreſſione ablatâ, paulò pòſt moleſtus ſenſus percipitur, ac ſi innumeræ aciculæ partem hanc pungerent, paulò pòſt redit motus & ſenſus. Omnia ergo illa ſymptomata in parte paralytica obſervata, denotant motum liberum per arterias & nervos in muſculos inchoatum jam eſſe, adeóque magnam integræ curæ ſpem affulgere.

Larga autem & diuturna diarrhœa materiam morboſam, inprimis ſi pituitoſa iners fuerit, de corpore ſubducit, & pariter profuiſſe obſervata eſt, etiam in ipſa apoplexia, utì antea ad §. 1017, dictum fuit. Nec obſtat, quòd *Hippocrates* dixerit, (*a*) *Ex diuturno morbo alvi deductio malum*; nam ibi illa diarrhœa conſideratur, ut peſſimus effectus morbi longi, tabefactis jam viſceribus, vel reſolutis penitus inteſtinis, originem debens; utì aliâ occaſione ad §. 720, dictum fuit: ideo *Hippocrates* dixit *ex morbo diuturno*, non autem *in morbo diuturno*. Laudavit enim (*b*) validam diarrhœam in alba pituita laborantibus, dum nempe ſoluta hæc ſaburra expellitur de corpore, utì pariter ad §. 720, monitum fuit.

Patebit poſtea Medicos, Naturam morbos curantem imitatos, dediſſe talia remedia, quæ calorem & motum augerent in corpore, nervos ſtimularent, vel alvum ſubducerent; & ſæpe feliciſſimo cum ſucceſſu, ubi curabilis erat paralyſis.

§. 1065. CURATIO requirit ablationem cauſæ (1059. 1060.), nervorum functionem & arteriarum impedientis; dein liberi fluxûs reſtitutionem.

Ad §. 1059, generales claſſes cauſarum paralyſis enumeratæ fuerunt, & §. 1060, cauſæ particulares præcipuæ explicatæ ſunt. Curatio jam cujuſcumque morbi primò requirit ablationem cauſæ, adeóque & id in paralyſi curanda verum erit. Interim hoc ſolum nondum ſufficit, ſed requiritur præterea, ut liber fluxus humorum per arterias & nervos ad muſculos reſtituatur, qui antea impeditus fuerat. Ultima autem hæc curationis pars ſæpe difficillima eſt, utì ad §. 1018, jam monitum fuit, ubi de vitiis, quæ poſt ſanatam leviorem apoplexiam ſupereſſe ſolent, agebatur. Dictum enim tunc eſt, quòd ipſa nervorum ſubſtantia adeo mollis & tenera ſit, ut à

(*a*) Aphoriſm. Sect. VIII. n°. VII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 343.

(*b*) Ibid. Sect. VII. n°. XXIX. pag. 305.

caufis comprimentibus validioribus fæpe omnino deftruatur; vel & quandoque minima hæc vafa, omni transfluxu humorum privata per longum tempus, hinc collapfa, concretis inter fe lateribus, nullo modo poftea pervia iterum reddi poffint. Probè novi, Experimentis olim frequentibus in canibus vivis inftitutis, dum ligabantur arcto vinculo par vagum & intercoftale in collo, folutis poft pauca minuta ligaturis, hæc animalia languiffe, & poft paucos dies periiffe; quia per fortiter adftrictam ligaturam læfa fuerat nervorum fabrica, nec apta ampliùs erat, ut libere fpiritus ad vifcera tranfmitteret. Hæc eft ratio, quare prudentes Medici non multùm fperent de curanda paralyfi, quæ per plures jam annos perftitit; quia jurè metuunt, nervofam fabricam vel deftructam effe, vel jam concretam adeo, ut nihil ampliùs tranfmittere poffit. Hinc in tali cafu membrorum paralyticorum motus emendatur quandoque utcumque, fed raro vel nunquam in integrum reftituitur; utì quotidianæ Obfervationes Practicæ docent.

§. 1066. CAUSA impediens aufertur variis modis, caufæ, priùs perfpectæ, facilè applicandis.

Nihil generale ad caufam paralyfis tollendam laudari poteft; nam pro varietate caufæ diverfa medela requiritur, utì fponte patet. Ex Hiftoria ergo illorum, quæ ægro contigerunt ante paralyfin natam, & ex fignis diagnofticis, quæ præfentem corporis conditionem denotant, debet indicatio curatoria erui. Si enim v. gr; os humeri luxatum, fub axilla hærens, nervos ibi pofitos, ad brachium decurrentes, comprefferit, fruftra adhiberentur decantatiffima quævis anti-paralytica remedia, nifi priùs illud os in priftinam fuam fedem reftitueretur. Hoc autem facto, fi liber fluxus per nervos, antea compreffos, nondum reftitutus fuerit, tunc ftimulantia, frictiones, &c, locum habebunt.

§. 1067. SI illa caufa intus hærens, craffa, ftagnánfque eft, utendum iis remediis, quæ producere poffint illa, quibus Natura (1064) hunc morbum fæpe fanavit.

In curatione jam defcribenda, non agitur de paralyfi, quæ à retentis menftruis, hæmorrhoidibus, tumoribus plethoricis vel inflammatoriis, fit: talis enim eamdem curam requirit, quæ ad §. 1030, in apoplexia, à fimilibus caufis natâ, defcripta fuit, vel provocatione evacuationum confuetarum, nunc fuppreffarum, perficitur. Agitur autem hîc de morbo chronico, cujus caufa lentior eft ac ftagnans; & in tali cafu Ars conatur imitari illa Naturæ molimina, per quæ paralyfin fanatam fuiffe conftat. Verùm hæc erant, motus auctus per febrim validam, convulfivæ partis affectæ concuffio, vel fubita folutio humorum, & folutorum per alvum eductio. Si jam percurramus omnia remedia à probatiffimis Medicis laudata ad hunc morbum curandum, patebit, ad has tres claffes reduci poffe omnia. Unde iterum difcimus, nunquam Artem Medicam magìs prodeffe humano generi,

quàm ubi Naturæ, morbos curantis, vestigia sequi potest. De remediis autem, à quibus illud sperari potest, sequenti paragrapho agitur.

§. 1068. ERGO curatio tentatur, 1°. attenuantibus, dissipantibúsque; α. Aromaticis, cephalicis, nervinis, uterinis dictis, vegetabilibus, specie succi expressi, infusi, decocti, extracti, spiritûs, conditi. β. Salibus fixis ustione, volatilibus destillatione, aut putrefactione, hinc elicitis. γ. Oleis expressione, coctione, infusione, destillatione, hinc productis. δ. Saponaceis ex horum combinatione per artem productis. ε. Virosis animalium partibus, insectorum succis, spiritibus, oleis, salibus, tincturis. ζ. Salibus, fossilibus, crystallis metallicis, & iis, quæ ex his maximè composita. η. His omnibus, ut se mutuò juvent, cum prudentia, permistis: atque horum quidem usu attenuatio, dissipatio, calor febrilis, obtinetur. 2°. Validis stimulantibus, & impacta quæcumque fortiter, motu nervoso tremente & convulsivo excitato, excutientibus: eò inprimis sternutatoria, & vomitoria fortia pertinent; si aliquoties inprimis repetuntur. 3°. Purgantibus per alvum calidis, solventibus, aromaticis, vegetabilibus, vel & fossilibus acribus, metallicísque mercurialibus, antimoniatis, adeóque fortibus hydragogis, largâ dosi, pluribus diebus successivè repetitâ, datis; quorum ope copiosa, & aliquamdiu perdurans diarrhœa, excitetur. 4°. Implendo primò vasa corporis largo potu attenuantium præmissorum, dein excitatione majoris motûs, & sudoris, ope vaporis spirituum accensorum.

1. Laudantur ad hunc scopum omnia illa, quæ crassa attenuare, stagnantia movere, & dissipare, possunt.

α. Omnes plantæ, & variæ plantarum partes, quibus odor fragrans, sapor calidus & penetrans inest, ad hunc scopum laudantur: hinc ab omni tempore cephalica, nervina, uterina, remedia vocata fuerunt. Antea ad §. 75, ubi de cura glutinosi spontanei agebatur, de horum usu dictum fuit; & in *Materia Medica* ad quintum §. 75; numerum, series foliorum, florum, radicum, seminum, descripta habetur, in quibus & odoris fragrantia, & acre aroma calefaciens, adest; simúlque ibi formulæ ex his concinnatæ habentur, ut vario modo talia remedia præparari & exhiberi possint. In succis expressis hæret & aromaticum illum stimulans harum plantarum, & simul saponaceum illud solvens, quod in omnibus plantarum, recèns pressis succis, plùs minúsve adest. Infusa continent omne quod solubile est in aqua ferè fervida, diu vasis clausis cum his aromatibus digestâ; adeóque pariter pulchrum usum habent. Decocta verò spoliantur plerumque maximè fragranti & volatili aromaticarum plantarum parte, nisi vasis

clausis fiant, & brevi tantùm coctione: ob eamdem causam pleraque extracta (quæ sunt tantùm decocta inspissata), ex fragrantibus vegetabilium partibus parata, minorem efficaciam habent, & solas fixiores partes horum remediorum continent. Frustra certè cochleariæ, nasturtii, raphani rusticani, & similium plantarum, vires quis ab extractis, vel succis inspissatis, exspectaret, cùm illud acre stimulans adeo volatile in his sit, imò in genere omnia extracta, parata ex partibus vegetabilium, quæ destillatione largiuntur fragrantes & aromaticas aquas, minùs efficacia sunt. Verum quidem est, quòd talia extracta possint dilui dein in propriis aquis stillatitiis sícque illis restitui illud fragrans volatile, quod perierat; sed sic majori labore obtinetur illud quod infusum vasis clausis paratum, vel succus plantarum recèns pressus, præbere poterat. Parantur jam ex his aromatibus spiritus destillati, in quibus sola volatilis pars horum medicamentorum hæret; non autem saponacea fixior, solventi tamen virtute prædita pars; adeóque stimulando & calefaciendo agunt tantùm. Formulæ tales *in Materia Medica* ad locum citatum habentur; & plurima similia in omnibus Officinis sub titulo aquarum anti-apoplecticarum, anti-paralyticarum, &c, prostant. Pulchra etiam methodus est, dum hæc aromata exhibentur in substantia (ut vocant); dum nempe sicciora, in pulverem trita, cum syrupo quocumque officinali aromatico in conditi sive electuarii formam rediguntur, & omni trihorio vel quadrihorio diei una vel altera drachma deglutitur. Idem fit, si recentes & succulentæ herbæ, flores, radices, &c, tundantur in pultem, additâ æquali copiâ sacchari siccissimi, conservationis causâ; unde talia medicamenta *Conservæ* vocantur in Officinis, & eodem modo adhibentur. Inprimis autem efficaces illæ sunt, si recèns paratæ usurpantur: diu enim servatæ in Officinis magnam partem fragrantiæ suæ amittunt. Dum enim hæc deglutita hærent in ventriculo, sensim ab humoribus in ventriculum venientibus, solvuntur; & dum sæpius de die repetitur horum remediorum usus blandâ, sed continuâ actione stimulant, calefaciunt, movent. Similes formulæ pariter in *Materia Medica* eodem loco habentur, ad quarum normam plures aliæ concinnari poterunt.

β. De vi attenuante & solvente horum salium antea §. 135, in cura obstructionis dictum fuit. Ex plerisque plantis, in cineres combustis, sal fixus alkalinus educitur, elixiviando in aqua, qui potenter satìs dividit crassa & glutinosa. Verùm cùm ad curam paralysis præcipuè laudentur illa quæ unà cum vi solvente possident stimulantem acrem vim, & mobilissima ex sua natura, per calorem corporis nostri quaquaversum disperguntur; hinc solia volatilia solent ad hunc scopum præferri fixis. Acres anti-scorbuticæ plantæ plures talem salem habent, qui, leviter tantùm fractis vel contusis partibus harum plantarum exhalans, nares penetrabili admodum stimulo ferit, ut in cochlearia, nasturtio, sinapi, alliis, cepis, notum est. Hæ plantæ leni igne talem salem largiuntur, etiam formâ siccâ; vel, cum vino aut vini spiritu destillatæ, dant acres illos spiritus, anti-scorbuticos vulgò dictos, in quibus talis sal volatilis copiosus hæret. Ex reliquis plantis

priùs putrefactis, nequidem acidissimâ acetosâ exceptâ, talis sal volatilis alkalinus per destillationem educi potest. Præterea omnes animalium partes, etiam absque putrefactione prægressa, tales sales in destillatione largiuntur. Sal cornu cervi, eboris, &c, talis est, utì & sic dictus spiritus cornu cervi, eboris, serici crudi, &c, qui nihil aliud sunt, nisi sal volatilis alkalinus, aquoso phlegmate simul inter destillandum adscendente dilutus. Sales illi aquis stillatitiis aromaticis diluti, divisis dosibus dati, & solvendo & stimulando pulchre prosunt.

γ. In plurimis plantis aromaticis amabilis illa fragrantia, ex sua indole admodum volatilis, oleo irretitur, ut hæreat, nec statim avolet: unde olea illa, per Artem Chemicam inde separata, in compendio illam vim aromaticam possident, utì patet in oleo cinnamomi, caryophyllorum, origani, rorismarini, &c: plurima enim talia olea stillatitia in Officinis habentur. In quibusdam aromatibus oleum illud separatum à reliquis partibus hæret in loculis peculiaribus, & levi pressione inde educi potest; utì patet in corticibus recentibus citri, & aurantiorum; ex quibus leviter inter digitos pressis fragrantissimum oleum, fractis loculis his, cum impetu prosilit, & sic purum, nullam ignis vim passum, colligi potest. Nux moschata, & reticularis illa mirabilis pars, hujus nucis externæ superficiei adhærens, quæ *macis* nomine in Officinis prostat, contusa in mortario, dein prælo pressa, dant magnam copiam olei fragrantis, butyri consistentiam habentis. Baccæ lauri recentes contritæ, si in larga copia aquæ coquantur leviter, supernatat oleum viride aromaticum, quod frigefactum pariter consistit, sed mollius tamen est oleo expresso nucis moschatæ. Omnia jam hæc & externo & interno usu egregiè in hoc morbo prosunt. Prostant insuper in Officinis olea per infusionem parata ex herbis aromaticis & oleis mollibus expressis, olivarum, amygdalarum, &c. Verùm pleraque horum admodum debilem vim aromatum infusorum possident, unde priora præferuntur.

δ. Oleum sali unitum, ita ut miscela ex his binis facta æquabiliter dilui possit in aqua, vocatur *sapo*. De variis saponibus, & magnâ illorum efficaciâ in solvendis obstructionibus, antea ad §. 135. n°. 3, dictum fuit. Cùm autem in cura paralysis unà cum vi attenuante requiratur vis stimulans & calefaciens, hinc sapones illi, per Artem Chemicam ex oleis aromaticis fragrantibus & salibus alkalinis parati, præ reliquis laudantur. Sic sapo ille, *Starkeyanus* dictus, qui ex sale alkalino fixo & fragranti oleo æthereo terebinthinæ fit, meritò commendatur. Inprimis verò sales volatiles oleosi in Officinis dicti, qui ex sale volatili alkalino, spiritu vini rectificato, & aromatibus, vel horum oleis stillatitiis, parantur, atque in omnibus Officinis prostant, summi usûs sunt; formula talis salis volatilis oleosi in *Materia Medica* ad §. 75. n°. 5, habetur.

ε. Illa, quæ gravem & vehementem odorem spirant, Latini dixerunt *Virosa*: talia jam habemus in *Materia Medica*, quæ sunt animalium partes, vel & animalium succi. Virosa *Virgilio* dicta castorea, moschus, zibethum, calefaciunt, excitant, movent, & hoc effectu pulchre prosunt. Cas-

toreum autem præ reliquis ſolet uſurpari, quia moſchus & zibethum tantam gravis odoris vim diffundunt, ut hyſtericis & hypochondriacis ſæpe magnam moleſtiam faciant, adeóque ſi non ægris, ſæpe ſaltem adſtantibus, noceant. *Aetius* (a), qui collegit remedia, à veteribus Medicis ad curandam paralyſin laudata, caſtoreum commendat, cum æquali copia opopanacis & ſagapeni miſtum. Præterea in uſu Medico ſunt quædam inſecta, quæ ſale alkalino volatili ſcatent, & contrita illum odorem ſpirant; quæ & vi ſolvente & ſtimulante proſunt. Millepedum recentium contritorum cum aqua quadam aromatica expreſſum ſuccum, eorumdem exſiccatorum pulverem, & utì coccinellæ, & granorum kermes (quæ pariter ad inſectorum familiam pertinent) efficax remedium invenerunt Medici recentiores. Cantharides adhuc longè acriorem ſtimulum habent, & vim ſolventem efficaciorem, ſed raró & nonniſi magna cum cautela adhibentur uſibus internis, cùm peſſima ſæpe & metuenda ſymptomata producant; ideóque à veteribus Medicis tamquam venenatæ damnatæ fuerint.

Ex his jam per Artem Chemicam educuntur ſales volatiles alkalini ſatìs acres, olea fœtida, externo & interno uſui ſervientia in hoc morbo curando, ut oleum cornu cervi, ſanguinis humani, &c. Unde iterum efficacium remediorum magna varietas haberi poterit.

ζ. Quantum attenuandi & reſolvendi effectum habeant ſales, antea ad §. 135. n°. 1, dictum fuit. Iidem majori copiâ exhibiti ſtimulandi vim ſatìs inſignem poſſident. Ubi autem metalla, in menſtruis ſuis ſoluta, ſub ſalis forma habentur in cryſtallos redacta, patiuntur ſe aquâ dilui, & æquabiliſſimè diſtribui poſſunt per totum corpus; ſícque efficaciſſima habentur remedia, quibus Chemici toties ſtupendas curationes perfecerunt, in morbis chronicis difficillimis. Ubi ſales illi metallici in pauca copia aquæ diluuntur, tunc ventriculum & inteſtina irritant, ſícque vomitorii vel purgantis remedii vires præſtant: quando autem largâ aquæ copiâ diluuntur, tunc abſque irritatione multa tranſeunt primas vias, venis bibulis primarum viarum corporis recepta permiſcentur ſanguini, & cum illo per totum corpus mota obſtructiones pertinaciſſimas reſerant. In multis aquis mineralibus ferrum ſolutum hæret, & per tot ſæcula ſalubres harum aquarum effectus laudaverunt Medici. Remedia enim omnia, quæ ex animali vel vegetabili regno petuntur, quámvis magnâ certè vi medicatâ polleant, tamen citiùs videntur mutari per vires corporis noſtri, quàm illa, quæ ex regno foſſili habentur. Ex oſſium animalium cineribus, utì & vegetabilium, imò ipſo mellis exuſto carbone, ferrum educitur, adhibito magnete. Unde meritò concluditur, quod diviſum in moleculas, ultra omnem ferè imaginationem parvas, potuerit ire per vaſa animalium & vegetabilium, ac tamen priſtinam ſuam naturam retinere, non verò mutatum fuiſſe in vegetabilem vel animalem naturam, adeóque vires ſuas conſtanter ſervaſſe. Hinc apparet, quantùm boni ſperari poſſit à ſalibus metallicis, magnâ copiâ aquæ dilu-

(a) Lib. VI. Cap. XXVIII. pag. 109.

tis, ita ut suâ acrimoniâ non irritent primas vias, sed ad intima corporis penetralia pervenire possint. Præterea considerandum est, quòd ex unione metalli cum menstruo solvente novæ oriantur vires, quæ nec in metallo solo, nec in menstruo, præexstiterant, sed tantùm observantur natæ, dum hæc simul unita sunt. Insipidum argentum solutum in spiritu nitri dat crystallos amarissimas, ex quibus purgans illud lunare *Boylei* paratur, quod hydropicorum aquas tam feliciter sæpe educit: illa vis cathartica non erat in argento, nec in spiritu nitri, sed in concreto ex his binis sibi mutuò unitis. Notum est argenti vivi plures uncias impunè quandoque assumtas fuisse; paritérque spiritum salis marini, aquâ dilutum, facilè tolerari à corpore humano: sed hæc bina simul unita faciunt sublimatum corrosivum, cujus pauca grana robustissimum etiam hominem necare possent. Verùm idem illud sublimatum corrosivum, dum minimâ copiâ admodum dilutum exhibetur, pulcherrima sæpe præstat in curandis morbis, & à quibusdam instar arcani tegitur: de qua re postea alio loco adhuc plura dicenda erunt.

Sic & habemus in Officinis compositos sales, qui mirâ solvendi efficaciâ valent, & tamen absque molestia feruntur à corpore, etiam largiori dosi dati; ut tartarus tartarisatus, tartarus regeneratus, sal neuter ex miscela spiritûs aceti cum sale volatili alkalino natus; utì & ex miscela salis volatilis cornu cervi cum sale succini acido, &c; quæ omnia huic scopo servire possunt.

ν. Diversæ sic remediorum efficacium classes enumeratæ fuerunt; sed & possunt plures ex his combinari simul cum prudentia, ut unitâ quasi operâ tantò citiùs & feliciùs curam perficiant. Pulchrum sic vidi effectum, dum per aliquot dies deglutitis pilulis ex aloe, sagapeno, myrrhâ, galbano, sícque detersis primis viis, dabatur manè in lecto drachma salis cornu cervi in unciis aliquot aquæ stillatitiæ florum lavendulæ, vel alterius similis soluta; superbibendo, infusum aromaticum ligni sassafras, rutæ, rorismarini, similiúmve; unáque eodem tempore perfricabatur pars affecta: de qua re sequenti adhuc dicetur paragrapho. Repetebatur autem sæpius hujus remedii usus, quia difficilis ille morbus raró, vel nunquam, subitò curari potest.

Simul prodest aer calidus & siccus; unde æstas fervida paralyticos juvat: & alio anni tempore per Artem talis aeri temperies conciliari poterit vel & peregrinatione ad regiones siccas, calidas & montanas. Carnes assatæ inprimis ferinæ, & avium montanarum, condimenta acria ex sinapi, alliis, cepis, origano, satureiâ, &c; vinum molle, sed generosum, cerevisia meraca, sed non acris, qualis inprimis est *Momma Brunsvicensis*, quàm pulcherrimè profuisse vidi aliquoties. Verùm omnibus his in homine etiam frigidæ temperiei calor & sitis excitabuntur; talísque diæta §. 586, inter causas febris numerata fuit. Sed per magnam febrim supervenientem Natura curavit paralysin, ut §. 1064, dictum fuit; & scopus Artis est, in curando hoc morbo Naturam imitari; adeóque attenuationem, dissipationem, & calorem febrilem, producere.

2. VALIDIS STIMULANTIBUS, &c. Pleraque remedia, quæ præcedenti numero laudata fuerunt, præter vim ſolventem etiam ſtimulo agunt, quo circulatio augetur, & major producitur in corpore calor. Verùm hîc agitur de alia ſtimulantium ſpecie, quæ abſque ulla ſæpe acrimonia, ſenſibus detegendâ, miris tamen modis totum corpus turbant, & inprimis in totum ſyſtema nervoſum agunt, ac convulſivis validis motibus omnes corporis partes agitant; hâc ſpe, ut excutiatur illud, quod impedimentum facit libero tranſitui ſpirituum nervoſorum in muſculos paralyticos. Poſtquàm enim per ſolventiſſima remedia aliquo tempore exhibita, per calorem & motum auctum humorum circulantium, omnia jam diſpoſita fuerant ad faciliorem tranſitum per vaſa omnia, tunc ſubitæ tales & validæ concuſſiones mirum quandoque effectum præſtiterunt in hoc morbo.

Sternutatoria jam remedia tales concuſſus excitant: nam inter ſternutandum nulla pars corporis eſt, quæ non concutitur, nullus ferè muſculus, qui non movetur, imò apparuit ſæpius, ipſa membra paralytica ſubſilire inter ſternutandum; ſicque motûs redintegrati initium fit, & meritò ſperatur, repetitis ſternutationibus motum in partibus paralyticis magìs augendum eſſe. Ita enim illud obtinebitur, quod aliâ Methodo, ſed fortè minùs efficaci, tentandum juſſit *Celſus*: ſi enim motum imbecillitas prohibet, dicit, (*a*) *Vel geſtetur, vel motu lecti concutiatur: tum id membrum quod deficit, ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium, moveatur, & vi quâdam ad conſuetudinem ſuam redeat.* Quidquid jam nervos, per narium internam ſuperficiem diſperſos, irritat, ſternutationem producere poteſt: ſic ſola agitatio plumulæ in naribus hoc efficiet. Habentur præterea remedia *Errhina* ſive *Ptarmica* dicta, quæ naribus attracta ſtimulant, & ſternutationem, quandoque etiam validiſſimam, producunt. Mitiora ex fragrantibus & aromaticis herbis fiunt, vel recentibus, in turundæ formam convolutis, & naribus immiſſis, vel exſiccatis in pulverem tritis. Acriora ſunt tabacum, in non aſſuetis, nigellæ ſemina, hellebori radices, euphorbium, &c; quæ ultima, cum cautela uſurpari debent, quia narium membranam causticâ ſuâ vi quandoque exulcerant, & ſternutationem vix compeſcendam, ac convulſiones minitantem, producunt. Sedari tamen ſolet nimia ab his acrioribus ptarmicis excitata ſternutatio, ſi per nares attrahatur lac tepidum recens, vel cum althæâ, malvâ, ſimilibúſve emollientibus, decoctum.

Ob eamdem cauſam laudantur vomitoria, & fortia quidem: neque adeo proſunt quatenus evacuant, ſed quia concutiunt totum corpus & movent, ſimúlque convulſivum motum pluribus muſculis inducunt; utì antea ad §. 652, dictum fuit. Per hanc Methodum enim Ars conatur imitari illud, quod Natura per tremorem convulſivum partis paralyticæ efficit (vide §. 1064.). In paralyticis poſt cœnam (*b*) vomitum utilem eſſe, *Celſus* dixit; ſed videtur ibi tantùm intellexiſſe levem vomitum, qui aquâ tepidâ ſolâ, vel pauco ſale & melle admiſtis, poterat excitari; qualem vomitum inter diæ-

(*a*) De Medicin. Lib. V. Cap. XXVII. pag. 179. (*b*) Ibidem.

tetica remedia habuerunt Veteres, utì ex alio *Celsi* loco (*a*) patet. Hîc autem validiora longè requiruntur, & præsertim antimoniata, quæ longè magìs corpus turbare solent, molestas anxietates producere & jactationes corporis, quàm mitiora ex vegetabilium familia desumpta.

Verùm satìs patet, validissimos illos concussus per vomitoria & sternutatoria adhiberi non posse, nisi viscera bona fuerint, vires satìs firmæ, & nullus metus sit apoplexiæ à plenitudine vasorum, quæ rumpi possent in encephalo inter vomendum vel sternutandum; utì aliâ occasione ad §. 1026, monitum fuit.

An non eidem scopo inservire posset mirabilis illa concussio, quæ per vim electricam partibus paralyticis applicatam excitatur? Certè fulmineâ quasi vi celeritate penetrat per omnia: & cùm miris his phœnomenis intenti Philosophi invenerint modos, quibus augeri potest quàm maximè intensitas hujus actionis electricæ, tam validi nasci possunt concussus in corporibus animalium, ut sæpe periculo non caruerint hæc tentamina electrica. Coram vidi, aviculas ictu tali fortissimo electrico periisse, & sub calvaria sugillationem manifestam in dura piâque matre observavi. Cum prudentia tamen & hoc tentari posset, meretúrque certè; cùm hactenus nulla Methodus cognita habeatur, per quam tam celer & validus motus in corporis nostri variis partibus excitari possit. Interim tamen & hîc cavendum est, ne tantus motus destruat nervos, quibus curandis adhibetur, vel & in partibus non affectis noxam producat. Vidi hominem robustum, dum digitum indicem dextræ manûs admovebat virgæ ferreæ, per artificiosam machinam multiplicatâ vi electricâ imbutæ, ictum tam validum illico sensisse in sinistro genu, ut cecidisset præ doloris acerbitate, nisi illum sustinuissent adstantes; & doloris in hoc loco molestas reliquias per plures dies percepisse; neque ullo pretio vel precibus potuisse adigi, ut iterum experiretur, vim electricam, quam antea comtempserat ignarus. Numerosissima circa vim electricam à Viris celeberrimis instituta fuerunt Experimenta, quæ summam ejus efficaciam, sed & simul periculum, docuerunt, dum minùs prudenter hæc Experimenta tractarentur, quæ recensere non est hujus loci. Verùm in paralysis curatione multùm inde exspectari posse boni, patet directis & fidelissimis Experimentis. Potest enim ex quovis musculo, & variis ejusdem musculi partibus, ad lubitum scintilla electrica educi; dúmque hoc fit, musculi illi convulsivo modo agitantur, quod hîc requiritur. Possunt hi concussus repeti pro lubitu, imò & majori, vel minori, intensitate adhiberi. Cùm autem argumenta à priori minùs convincere soleant Medicos, effectus felices tentaminum electricorum in hoc morbo curando majoris ponderis sunt. Unicum adduxisse sufficiet, descriptum à celeberrimo *Jallaberto* (*b*), Experimentalis Philosophiæ Professore & cultore eximio, qui in homine, jam per quatuordecim annos bra-

(*a*) De Medicin. Lib. I. Cap. III. pag. 30.

(*b*) Expériences sur l'Electricité, &c. pag. 143, & suiv.

chium dextrum paralyticum habente, fausto cum eventu vim electricam adhibuit. Notandum autem est, talem fuisse paralysin, cujus curatio ab aliis remediis vix sperari poterat. Diuturnitas enim mali, aliis remediis frustra tentati, partis affectæ insensilitas, color lividus, atrophia (vide §. 1062.), difficillimam dabant prognosin. In tali tamen, & tanto morbo, post decem dies jam redibat sensus, augebatur membri, antea atrophici, torositas, color apparebat naturalis, & continuato usu sensim augebatur musculorum, antea paralyticorum, robur. Hæc curatio sufficit, ut in paralysi tentetur electricæ virtutis efficacia: sed & ex illis, quæ contigerunt huic ægro, dum fortissima ipsi applicabatur electricitas (Commotionem vocant Philosophi, quia totum corpus validissimè concutitur in hoc Experimento), prudenter agere discent Medici, qui hanc curam ægris suis adhibent (*a*); nec minùs Philosophi, ne se facilè exponant tantis periculis, quæ intensissimus electricitatis gradus, fulminis instar producit. Festinatam optabat celeberrimus Vir ægri curam; sed proprio adstantiúmque periculo, & ægri ipsius incommodo non levi didicit, in similibus potiùs lentè festinandum esse.

Nec obstat, quòd non omnes paralytici hâc methodo sanati fuerint; nam semper Medici doluerunt, paralysin sæpe nullis remediis obedire: sufficit profuisse agitationem illam miram, per vim electricam productam, membris paralyticis, ut cum prudentia tentetur idem in posterum. Cùm autem vis electrica, ad summam intensitatem deducta, multa similia habeat cum fulminis actione mirabili, an fortè & ab ipso fulmine, simili utcumque, sed longè intensiori, efficaciâ agente, curari posset paralysis? Habet *Diemerbroeckius* (*b*) casum talem mirum, quem ipse viderat. Mulier enim, quæ sexto ætatis anno ex subito terrore, paralysi totius corporis, excepto solo capite, correpta fuerat, & postea extrema inferiora per triginta & octo annos habuerat paralytica, subito liberata fuit ab hoc morbo, dum horrendâ tempestate ingruente fulmen ingens illam undique circumfulsisset. Testatur autem *Diemerbroeckius*, omnium conspectui expositam fuisse sanatam illam mulierem, séque ipsam millies invisisse paralyticam, & postea per quindecim annos & plures vidisse sanam. Verum quidem est, quòd & summo terrori mirabilis illa & subita sanatio adscribi posset; sed morbus ante tot annos à terrore ortum duxerat. Interim tamen *Historia Medica* plures tales Observationes exhibet, quibus constat, ab ira subitanea terrore magno, sanatam fuisse paralysin. Sic irâ summâ percitus herus, dum famulum fuste excipere nititur, liberatur illico ab annosa contractione poplitum, quæ omnem gressum impediverat. Alteri, per plures annos jam hemiplectico, incassum tentatis omnibus auxiliis, dum domus deflagrabat, in qua decumbebat miser, illico rediit motus, & à summo ædium præcipitem se dedit, posteáque liber ab hoc morbo vixit, (*c*). Filius

(*a*) Expérienc. sur l'Electricit. pag. 43, & suiv.

(*b*) Observat. & Curat. Med. Observat. X. pag. 9.

(*c*) Schenck. Observat. Medicin. Lib. I. de Paralys. pag. 94.

Crœsi mutus, dum Persam militem, in patrem irruentem videret, exclamavit illico, (a) *O homo, ne perimas Crœsum;* & postea per totam vitam loquelâ usus fuit. Omnia hæc satis docent, summas & subitas animi perturbationes motum quandoque reddidisse partibus paralyticis, adeóque & illud tentari posse; sed tamen ancipiti cùm eventu, cùm & aliæ Observationes numerosæ docuerint, ab iisdem paralysin, aliáque plurima mala, imò & subitam mortem producta fuisse.

3. PURGANTIBUS PER ALVUM, &c. Iterum est artificiosa imitatio illius Methodi, quâ Natura sanavit quandoque paralysin, diarrhœâ nempe largâ & diuturnâ. Habemus jam in Arte talia remedia, quæ hoc efficere possunt; & seliguntur illa, quæ unà cum vi purgante calefaciunt, movent, excitant, fundúntque humores corporis nostri. *Aloe, scammonium, colocynthis, gutta-gamba, jalappa,* & similia, hâc vi pollent: hæc enim sæpius exhibita, unà cum validis evacuationibus fundunt sic totum sanguinem, ut inde pallor in toto corpore nascatur, licèt nec gutta sanguinis per alvum exiverit; adeóque ille pallor à sola sanguinis rubri dissolutione ortum ducit. Habentur & plura composita Officinalia ex his parata: *Extractum catholicum, panchymagogum, pilulæ cocciæ* dictæ, & alia plura similia; quibus si addantur præparata mercurialia efficacia, sed tuta tamen, ut *Mercurius dulcis, præcipitatus albus, turbith minerale,* perfectissimè huic indicationi curatoriæ inserviunt. Omnia autem hæc, quia humores solutos sub tenuis aquæ forma per alvum educunt, vocantur *hydragoga.* Interim tamen semper considerandum est, an vires adhuc satìs constent, ut valida hæc remedia ferre possint, & an nulla labes tabefactorum viscerum adsit. Quámvis autem continua sic per aliquot dies excitata diarrhœa plurimùm prosit, si tamen minùs tutum videatur, subitâ tali colliquatione humorum, & colliquatorum expulsione, uti per aliquot dies continuos, potest, interpolatis vicibus, validum tale purgans dari, & diebus à purgatione liberis possunt adhiberi illa remedia, quæ ad primum numerum hujus paragraphi laudata fuerunt; cujus Methodi pulchros successus aliquoties vidi.

4. De hac Methodo antea ad §. 529, dictum fuit, ubi de morbis ossium curandis agebatur; patúitque tunc, medullosum oleum corruptum, in imis ossium recessibus hærens, sic elui posse, & servatos fuisse artus, qui exstirpandi ferè omnibus videbantur. Decoctum guaiaci inprimis tunc laudabatur tamquam attenuans & simul antisepticum remedium, quod & in hoc casu adhiberi posset: interim remediis, ad primum numerum laudatis, copiâ aquæ dilutis, corpus impleri posset per aliquot dies, & dein sudor elici ope vaporis accensi spiritûs vini. Sic enim dilutis & attenuatis priùs humoribus magnus calor, & celerior motus, conciliatur, quæ simul juncta aptissima videntur, ut obstacula, liberum motum subtilissimi humoris per membra paralytica impedientia, removere possint; inprimis si vapor accensi spiritûs vini determinetur, ita ut sedem causæ detectam (de

(a) Herodot. Lib. I. Cap. LXXXV. pag. 35.

qua §. 1070. agit) alluat. *Wepferus* (*a*) hâc Methodo frequenter usus fuit cum successu in paralysi & aliis nervorum morbis curandis, utì ejus observationes testantur.

§. 1069. FRICTIONES externæ siccæ, calidæ, ad ruborem usque, vel cum spiritibus penetrante & stimulante virtute præditis ex animalibus, vegetabilibúsque, aut cum oleis, linimentis, balsamis, unguentis, nervinis prosunt. Balnea vaporum, immersiva; emplastra acria, aromatica, attrahentia dicta; cucurbitæ; scarificationes; vesicatoria; fustigationes; dolorem & levem inflammationem excitantia, ut urticæ, & similia, juvant.

Quantùm boni in multis morbis à frictione exspectari possit, antea ad secundum numerum §. 28, dictum fuit. Acceleratur enim motus sanguinis in parte, quæ fricatur; deinde etiam diuturnâ & validâ frictione augetur motus in toto corpore: cùm autem pars corporis perfricata incipiat rubere, tumere, calescere, patet quòd humores majori copiâ & impetu fluant per hanc partem. Verùm & frictio agitat nervos per partes dispersos, & movere ac solvere potest illa, quæ in vasis, nervorum tunicas perreptantibus, hærent immeabilia; unde sæpius paralyses nascuntur. Hinc meritò *Celsus* dixit, (*b*) *Membrum aliquod resolutum ipsius frictione confirmatur.* Cùm autem quandoque paralytica membra atrophica fiant, & torositatem suam perdant, frictio proderit ad (*c*) *Alendum id, quod tenue & infirmum est.* Sed & per frictionem excitatur electrica vis, saltem in quibusdam animalibus hoc observatum fuit, in felibus, v. gr; an fortè & ob hanc causam prodest frictio? Applicantur autem illæ frictiones capiti, collo, infra orbitas oculorum, ad menti partes laterales, ponè aures, maximè cervici, & toti spinæ dorsi, axillarum cavis, inguinibus, cavis subpopliteis, in quibus locis nervi notabiles satìs propinqui sunt integumentis corporis. Varia autem seliguntur loca, quibus frictio applicatur, pro diversitate sedis causæ paralyticæ, ut sequenti dicetur paragrapho. Cùm autem in paralysi laxitas musculorum percipiatur (vide §. 1057.) hinc panni lanei, frictioni servientes, imbui solent vapore aromatico roborante; qualis suffumigii formula ad hunc numerum in *Materia Medica* habetur. Ob eamdem rationem spirituosis liquidis perfricantur partes paralyticæ, quæ stimulant & roborant simul: talis formula eodem pariter loco habetur, & omnes spiritus aromatici, tam simplices, quàm compositi, qui in Officinis prostant, eidem usui servire possent. Solent & inungi, post frictionem fortem & diuturnam, partes paralyticæ unguentis aromaticis, *nervinis* vulgò dictis in Officinis; cujus & formula eodem loco habetur. Interim tamen hæc, cùm

(*a*) Observat. Medic. Pract. Observ. LXXII. pag. 72, & aliis pluribus locis.

(*b*) De Medic. Lib. II. Cap. XIV. pag. 89.

(*c*) Ibid. pag. 88.

pinguibus & oleosis constent, fortè laxabunt partes jam inde nimis flaccidas; hinc spirituosa & vapores illi aromatici videntur præferendi: pulchrum tamen usum & hæc habent, si debito modo applicantur. Solent enim in membris paralyticis flexores musculi, semper validiores musculis extensoribus, propriâ contractilitate breviores reddi, & articulos in continua flexione retinere, dum simul ligamenta articulorum diuturnâ quiete fiunt magìs rigida: ideo unguenta talia, post frictionem, si illiniantur musculis flexoribus & articulis, proderunt; dum simul spirituosis & vaporibus aromaticis emendatur laxitas extensorum, à prævalente contractilitate flexorum per longum tempus distractorum. Nimiam enim & diuturnam distractionem debilitare fibras solidas, antea ad §. 25. n°. 3, demonstratum fuit. Præstat autem, ut illæ frictiones bis de die repetantur, & intermedio inter has tempore emplastro aromatico calefaciente tegatur pars, ut sic continuò foveatur, calescat, stimuletur. Talis emplastri formulæ pariter in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur. Quare autem talia emplastra dicantur attrahentia, patet ex dictis ad §. 134, ubi de his agebatur.

BALNEA VAPORUM, IMMERSIVA. Cùm nihil magìs laxet corporis fibras solidas, quàm aqua calida, & inprimis vapor inde adsurgens, flaccidísque paralyticis partibus hæc laxantia minùs conducere videantur; hinc potiùs proderunt sicci illi calores, (*a*) *Et arenæ calidæ, & laconici, & clibani, & quarumdam naturalium sudationum, ubi à terra profusus calidus vapor ædificio includitur*, quos laudat *Celsus*. Et postea addit, nervorum quoque quædam vitia sic optimè curari, (*b*) *Quoties humor intus nocet, isque digerendus est.* Plurima talia loca, ubi siccæ hæ thermæ habentur, recenset *Baccius* (*c*). Ob eamdem rationem balnea immersiva non semper prosunt in cura paralysis, & tantùm in illo casu, ubi obstaculum, liberum influxum spirituum & sanguinis arteriosi in musculos impediens, balneis potest emolliri & solvi; vel ubi anchyloses, à diuturna quiete partium paralyticarum natæ, requirunt balnea, ut debita flexilitas ligamentis rigidis redeat. In illo autem casu, ubi cura paralysis acres requirit stimulos, motum majorem in parte affecta vel in toto corpore, & roborationem flaccidarum partium, balnea humida, tam vaporis, quàm immersiva, minùs prodesse videntur. Ubi autem medicatæ thermæ, cum impetu prosilientes, vel ex alto decidentes in partem paralyticam, movent & concutiunt satìs fortiter, tunc sæpe pulchrè profuerunt: tales casus recensuit celeberrimus *Cocchius* (*d*). Verùm *Cælius Aurelianus* in cura paralysis dicit, (*e*) *Aquarum ruinis partes, in passione constitutæ, sunt subjiciendæ, quas Græci* κατακλυσμοὺς *appellant; plurimam etenim earum percussiones faciunt corporum mutationem.* Ubi pulchrè præcipuum effectum aquæ illabentis percussioni adscribit.

Balneum autem frigidum à quibusdam laudatum fuit ad curandam para-

(*a*) De Medic. Lib. II. Cap. XVII. pag. 93.
(*b*) Ibidem.
(*c*) De Therm. Lib. IV. pag. 118.
(*d*) Dei Bagni di Pisa, Cap. IV. pag 197.
(*e*) Morbor. Chronic. Lib. II. Cap. I. n°. XLVIII. pag. 361.

lysin: certè, si effectus aquæ frigidæ, corpori subitò applicatæ, considerentur, videtur cum spe successûs & hæc Methodus quandoque tentari posse. Sequitur enim horror & concussus totius corporis à frigidissima aqua applicata; postea oritur calor, rubor, pulsus fortior &, celerior; sique lectum petat homo post subitam talem immersionem in aquam frigidam, solet plerumque sequi magnus sudor. Sic per Artem conciliatur febris corpori, cum horrore & frigore incipiens, subsequente dein calore & sudore. Verùm febris & motus convulsivus partis §. 1064, numerata fuerunt inter illa auxilia, quibus natura uti solet ad hunc morbum sanandum. Præterea ad §. 1064, monitum fuit, bonum signum esse, si in parte affecta puncturæ molestæ & formicationis sensus percipiatur; sed si quis aquâ frigidissimâ vel nive manus lavet, talem sensum habebit. Nec desunt Observationes numerosæ, quæ docent, plurimis incassum tentatis, etiam balneis calidis, curatas fuisse paralyses per frigida balnea; & inprimis, si cataractæ labentis ex alto aquæ supponatur pars affecta (*a*). Natationibus marinis utendum esse suadet *Cælius Aurelianus*, monens quòd, (*b*) *Partibus passione vitiatis inflatæ vesicæ sunt adjungendæ, quò natandi laborem minuant*. Sed talis natatio balneum frigidum dat. Tutissimus modus balneo frigido utendi videtur esse, si simul & semel immergantur ægri, & mox educantur, ne frigus insolitum ad interiora penetret; talísque immersio repetatur aliquoties; dein lecto calido committantur. Sensim sic, indurato ad frigus corpore, & longior mora in balneo frigido, & frequentior immersio impune feruntur.

EMPLASTRA ACRIA, &c. De illis emplastris paulò antè dictum fuit. Videmus, ab omni ævo Medicos applicuisse talia partibus paralyticis, quæ motum & calorem augere, levémque inflammationem excitare, possent. Sic *Trallianus* in genere laudat acriora, (*c*) *Quæ emortuum sensum revocare possunt*, & ex pipere, euphorbio, castoreo, &c, parata linimenta commendat. *Celsus* jubet, (*d*) *Torpentis membri summam cutim exasperare, vel urticis cæsam, vel imposito sinapi, sic ut, ubi rubere cœperit corpus, hæc removeantur*. Præterea laudat (*e*) resinâ cutem, tertio quoque die, diutius vellere, instar emplastri supra partem affectam extensâ. *Dropaces* solent hodie vocari talia emplastra tenacia ex pice, resinâ, colophoniâ, & similibus parata; quæ si parti corporis, bene detersæ, ne humida vel pinguis sit, applicentur, pertinatissimè adhærent, & si subitò avellantur, cutim inflammant, ac dolorem molestum excitant. Sic & per cucurbitas applicatas potest in quocumque loco corporis inflammatio excitari, si simul scarificatio fiat, tunc cavetur ne materies in vasis distentis hærens peccet stagnando, sed educatur. Videantur & illa, quæ de his, utì & de vesicantibus, dicta fuerunt ad §. 1025, in cura apoplexiæ.

(*a*) Floyer, ψυχρολουσία, pag. 212. 456.
(*b*) Morbor. Chronicor. Lib. 2. Cap. I. n°. XLVIII. pag. 361.
(*c*) Lib. I. Cap. XVI. p. 94, & seq.
(*d*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVII. pag. 179.
(*e*) Ibidem.

Præterea ad §. 1062, dictum fuit, atrophiam partis paralyticæ pessimi ominis esse: verùm omnia hæc irritando partem affectam, illámque rubefaciendo, calorem augendo, efficiunt, ut distendantur & impleantur vasa nimis rigida vel collapsa; sícque atrophiam præcavent, vel jam natam emendant. Unde *Galenus* picatione utebatur ad instaurandas partes atrophicas; (*a*) *Siquidem humectat, & calefacit, sanguinis multitudinem attrahens.* Eidem scopo inserviunt *Fustigationes*, sive, ut *Galenus* eodem loco vocat, pulsationes, ἐπικρούσεις, quæ erant molles percussiones partis cujusdam corporis, cujus torositas augeri debebat. Utebantur autem ad hanc rem ferulis parvis levibus, mediocriter inunctis, quibus percutiebant partem atrophicam, donec rubere & tumescere inciperet; cujus rei & alia occasione ad §. 35. n°. 1, mentionem feci. Urticis autem partem cædere affectam magni usûs est, & hoc solo remedio subitam & perfectam sanationem paralysis factam fuisse, legitur (*b*). *Celsus*, utì paulò antè dictum fuit, jam laudaverat (*c*) hoc remedium, & *Aretæus*, ad excitandos lethargicos (*d*) urticis crura verberanda jussit: lanugo enim illa, quæ folia & caules hujus plantæ obsidet, acutis spiculis constat, quæ pungendo irritant, & fortè etiam minimam liquidi guttulam vulnusculis his instillant; unde ardoris molesti sensus, rubedo in cute, & tubercula prurientia nascuntur. Similem usum habet *alumen plumosum* in Officinis dictum, quod parti cuicumque corporis affricatum, excitat molestissimum pruritum. Dantur & plures aliæ plantæ acres, quæ in pultem contritæ, & applicatæ partibus paralyticis, dolorem excitant & inflammationem faciunt. Omnes ferè ranunculorum species, raphani rusticani radix in scobem rasa, bulbi ceparum, allia, sinapi semina contusa, &c, talem effectum præstant. Chemici laudaverunt acres alcalinos volatiles sales, olea acria empyreumatica, ignis vi ex animalium plantarúmve partibus expressa, ut oleum cornu cervi, ligni guaiaci, &c. Hæc parti affectæ si applicentur, dolorem molestum excitant, & inflammationem tantam quandoque, ut brevì gangræna sequi posset. Unde prudenter monuit *Aretæus* (*e*), acria talia, cuti applicata, frequenter removenda esse, & inspiciendum locum, an pustulæ ibi nascantur, gangrænæ imminentis signum in loco inflammato (vide §. 427.); túncque hæc tolli debere. Ipsâ inustione curam apoplexiæ, epilepsiæ, paralysis, tentasse Ægyptios, felici cum successu, *Alpinus* (*f*) affirmat: utebantur autem (*g*) turundâ ex gossypio factâ, conicâ, cujus basis parti affectæ applicabatur, ut apice incenso ignis lentè gliseceret, simili ferè modo, ut alii in Asia populi *Moxam* adhibent, ex detritis artemisiæ foliis paratam. Difficilis ille & tædiosus morbus meretur, ut nihil intentatum relinquatur molestum quámvis fuerit, unde curatio sperari posset.

(*a*) Method. Medend. Lib. XIV. Cap. XVI. Charter. Tom. X. pag. 336.

(*b*) Académ. des Scienc. Ann. 1741. Histoir. pag. 103.

(*c*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXVII. pag. 179.

(*d*) De Curat. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. II. pag. 80.

(*e*) Ibidem.

(*f*) De Medic. Ægypt. Lib. III. Cap. XII. pag. 211.

(*g*) Ibid. pag. 209, 210.

§. 1070. **M**AXIME autem curandum, ut ad ſedem cauſæ detectam omnia remedia (1068. 1069.), ſi poſſibile, applicentur. Pars læſa, plures ſimul eodem vitio læſæ, Scientia muſculorum, nervorum, horum unio, origo, diſperſus, & cognitio functionum ab uno quoque horum pendentium, ſi comparantur inter ſe, clarè docent ſedem latentem mali.

Cùm autem illa cauſa, quæ nervum tranſmittendis ſpiritibus ineptum reddit, ſícque paralyſin facit, (vide §. 1059) diverſis in locis hærere poſſit, patet ſatìs, optimum effectum exſpectari poſſe à remediis, ſi applicentur illi loco, quem hæc cauſa occupat, ut integris quàm maximè viribus, attenuando, movendo, ſtimulando, in illam agere poſſint. Summi ergo usûs eſt ìn paralyſi curanda bene diſtinguere locum, ubi illa paralyſis cauſa hæret. Verum quidem eſt, illam cauſam poſſe hærere in ipſo encephalo, & ibi impedire liberum influxum ſpirituum in ipſam originem nervorum, qui ad partem paralyticam tendunt; utì fit in exquiſita apoplexia, in qua omnium muſculorum voluntariorum paralyſis adeſt: & poſt apoplexiam ſæpe tales particulares paralyſes ſuperſunt, quæ totâ vitâ manent, dum in ipſa origine nervorum in encephalo vitium hæret; túncque topicis remediis, in ipſam ſedem mali agentibus, locus non eſt; ſed illa ſola conveniunt, de quibus in cura apoplexiæ dictum fuit. Præterea quandoque particularis paralyſis apoplexiam mox ſecuturam præcedit, causâ pariter in encephalo hærente, quæ brevì aucta totum ſenſorium opprimit. Sed in utroque hoc caſu plures aliæ animalium functionum læſiones ſimul adſunt, vel paulò pòſt ſequuntur, quæ manifeſtè docent, cauſam omnium horum malorum in ipſo cranio hærere. Ubi verò ſenſus omnes vigent, interni externíque, & paralyſis partem quamdam corporis occupat; tunc remedia topica, frictiones, veſicatoria, unguenta, emplaſtra, &c, applicari debent illi loco, ubi nervi ad partem affectam ſpectantes, ex medulla ſpinali egrediuntur. Sic v. gr; ſi inferiores artus paralytici forent, circa ultimas lumborum vertebras omnia hæc Artis molimina fieri deberent: ſi artus ſuperiores ſimiliter affecti ſunt, cervicis ultimis vertebris eadem applicantur. Idem jam in reliquis particularibus paralyſibus verum eſt. Fida Anatome hìc facem præfert, & exactiſſimæ Tabulæ *Euſtachianæ* demonſtrant origines nervorum, illorúmque decurſum, quàm pulcherrimè, ita ut ex harum Tabularum conſpectu facilè determinari poſſit locus, cui debeant topica illa remedia in diverſis paralyſis ſpeciebus applicari. *Galenus*, magnâ adeò peritiâ in Anatomicis valens, pulcherrimè hoc inculcat, dicens, (*a*) *Si quis, ex Anatome, ad quam partem deſcendant ſinguli nervi, à ſpinali medulla prodeuntes, cognoverit, affectas ſedes quàm facillimè inveniet... Nam non ſolùm crura & manus temere ac fruſtra multi*

(*a*) De Loc. Affect. Lib. IV. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 465.

Medici totâ die noctéque calefacientibus remediis perfricant, negligentes locum, ubi vel ſpinalis medulla, vel nervus aliquis ex ipſa emergens, læditur. Pluribus deinde Exemplis Practicis hujus rei veritatem confirmat. Pariter & *Trallianus* pulcherrimas Regulas Diagnoſticas dat, quibus ſedes mali cognoſci poſſit, quas hîc deſcribere operæ-pretium credidi: (*a*) *Si igitur ex ſuperioribus partibus quædam affectæ fuerint, nempe oculus, naſus, aut lingua, aut quædam in facie, conſtat, quòd ipſum cerebrum habeat morbum, illique primariò ſuccurrendum ſit; ſi ergo nulla ex prædictis partibus ſenſu, aut motu, aut utroque læſa fuerit, neceſſe eſt ſpinalem medullam laborare, aut aliquem nervorum ex ipſa prodeuntium affectum eſſe, ſtatuere. Attendito igitur diligenter, quæ ſit pars affecta, & unde initium trahat, aut à qua vertebra id aut nervo recipiat, atque illi curationem adhibeto: non autem, ut vulgò, ſymptomatibus tantùm obſiſtito. Itaque reſolutas partes ſic internoſcere oportet, animum Scientiæ Anatomicæ adhibendo.*

Probè memini hæc veterum Medicorum dogmata mihi in Praxi exercenda pulcherrimè profuiſſe, & lætus recordor me aliquoties brachiorum reſolutionem, *Colicæ-Pictonum* ſuccedaneam, feliciter curaſſe, dum frictiones, emplaſtra aromatica, &c, ſoli abdomini applicarem; licèt ex Anatomica nervorum Hiſtoria fatear me non intelligere, quomodo nervi, per abdominalia viſcera diſperſi, moleſtiſſimo & diuturno dolore excruciati, paralyſin brachiis inducant cum atrophia muſculorum. Sufficiebat mihi noviſſe in nervis abdominalibus morbum habuiſſe originem; & in aliis morbis jam didiceram, nervos multos habere mirum imperium in alias partes corporis, quod ex cognita hactenus corporis fabrica liquidò explicari nequit: cujus rei, omni attentione Medicorum dignæ, plura adhuc dabit teſtimonia epilepſia, de qua jam dicendum erit.

(*a*) Lib. I. Cap. XVI. pag. 88.



EPILEPSIA.

§. 1071. PRIORI malo adverſus valde morbus epilepſia eſt, quæ adeſſe dicitur, quoties homo ſubitò proſternitur, amiſſis ſenſibus externis, internîſque, cum concuſſu violento, involuntario, muſculorum omnium, vel aliquorum, reciproco, alterna cum requie, & novo paroxyſmo.

Ε'πίληψις, ἐπιληψία, τὰ ἐπιληπτικὰ, apud Auctores Medicos ſignificant illum morbum, de quo hîc agitur: quæ omnia derivantur ἀπὸ τῦ ἐπιλαμβάνειν, à comprehendendo, quia, utì lictores non opinantem reum ſubitò invadunt & comprehendunt, ſic & dirus ille morbus ſubitò adoritur; & momento antè ſanos homines media inter vitæ munera proſternit. Vocaverunt & *Morbum Sacrum*, ἱερὴν νῦσον, quali nomine apud *Hippocratem* (*a*) occurrit: vel quia à Diis immiſſis credebatur morbus; vel (*b*) *Ob magnitudinem, omne enim magnum ſacrum dici conſuevit.* Hoc enim ſenſu & os ſacrum (ἱερὸν ὀςῦν) dixerunt Anatomici, & videmus etiam Latinos Auctores, omne quod præclarum & magnum erat, ſacrum vocaſſe; *Sacram anchoram, auri ſacram famem*, &c. Ideo etiam *Celſus* (*c*) Majorem Morbum nominavit. Vocaverunt & *morbum Herculeum*, quia *Hercules* illo laboraſſe credebatur (*d*): vel potius, utì *Galenus*, innuit, ut morbi (*e*) magnitudinem hoc nomine deſignarent; fortè & ob curæ difficultatem, & quòd *Herculeo* ferè robore opus ſit, ut paroxyſmi tempore miſeri ægri contineantur, ne ſibi ipſis miſerrimè noceant, allidendo membra, diſtorquendo, &c. Vidi certè, quatuor viros robuſtiſſimos vix continere potuiſſe teneram virginem tempore inſultûs epileptici. Sacri Auctores vocaverunt epilepticos, lunaticos (*f*), σεληνιαζομένυς; & illa, quæ aliis in locis de eodem morbo habentur, confirmant hoc aſſertum. Miſer enim ille puer, quem *Adorandus Salvator* liberavit, ab infantia laborabat hoc morbo, (*g*) cadebat in ignem & aquam, loquelam & auditum amiſerat, cadens in terram ſpumabat, dentibus ſtridebat, repentè clamabat dum concideret, &c; quæ omnia ſymptomata epilepſiam comitari, poſtea videbimus. Cùm autem ille morbus in primo ſuî initio ſæpe noctu invadat, & circa magnas Lunæ

(*a*) Lib. De Morb. Sacr. Cap. I. Charter. Tom. X. pag. 475.
(*b*) Aret. de Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 28.
(*c*) Lib. III. Cap. XXIII. pag. 172.
(*d*) Ariſtotel. Problem. Sect. XXX. Quæſt. 1. Tom. IV. pag. 227.
(*e*) Hippocrat. Epidem. Lib. VI. Comment. VI. Text. VII. Charter. Tom. IX. pag. 550.
(*f*) Matth. Cap. IV. verſ. 24. Confer. Ibid. Cap. XVII. verſ. 15.
(*g*) Marc. Cap. IX. verſ. 18, & ſeq. Confer. Luc. Cap. IX. verſ. 39, & ſeq.

mutationes frequenter repetitis sæviat insultibus, hinc videntur Lunæ tribuisse hunc morbum; quod & apud *Aretæum* (a) habetur.

Comitialem morbum, dictam fuisse epilepsiam, legitur: sive quòd in frequenti hominum cœtu sæpius observentur morbo suo infestari epileptici; sive quòd comitia dirimerentur, si quis epilepticus concideret: ita enim legitur apud *Serenum* (b)

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quòd fieri nobis suffragia justa recusant.
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Consilium populi labes horrenda diremit.

Ob morbi autem atrocitatem, quidam vocaverunt *morbum sonticum*, quia hoc nomine intelligebatur morbus vehementior, vim graviter nocendi habens (c). Vocaverunt & *morbum caducum*, quia concidunt ægri, dum hoc morbo corripiuntur, & hoc nomine in pluribus linguis designatur. Morbus etiam puerilis vocatur, quia huic ætati frequentior est (d).

Cùm autem ille morbus ingenti diversorum symptomatum numero stipetur, utì postea patebit, debent inter illa seligi talia, quæ semper in hoc morbo adsunt, ut ejus bona definitio dari possit, & haberi signa diagnostica, quæ morbum hunc adesse demonstrant. Epilepsia autem præsens cognoscitur, si omnes sensus interni & externi aboliti sunt, & simul motibus convulsivis, ab arbitrio mentis minimè pendentibus, agitentur musculi. Distinguitur sic à paralysi, in qua flaccida immobilitas musculorum est: à catalepsi pariter, in quo morbo sensus abolentur quidem, sed corpus illum situm retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat: ab apoplexia, quia in apoplecticis cum abolitione sensuum & motuum arbitrariorum adest imago profundi & perpetui somni, absque convulsivis motibus. Verum quidem est, quòd apoplectici quandoque paulò ante mortem convellantur, sed tunc epilepsia succedit apoplexiæ priùs existenti. Adeóque signa diagnostica epilepsiæ præsentis redigi possunt ad hæc bina; sensuum nempe abolitionem & perturbationem motuum muscularium. Concussus autem illi violenti & involuntarii musculorum reciprocis vicibus fiunt: ubi enim convulsi musculi rigent nec relaxantur, tunc tetanus dicitur, si universum corpus sic obriguerit; spasmus verò, si in parte singulari quadam corporis idem obtinuerit; de quibus postea ad §. 1088, dicetur: hîc autem agitur de exquisita & propriè sic dicenda epilepsia.

Oportet autem Medicus cautus sit in Diagnosi hujus morbi, quia sæpe contingit, scelestos homines se epilepticos fingere in plateis publicis, & largas à prætereuntibus colligant eleemosynas, posteáque in sinu rideant,

(a) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 28.
(b) Q. Seren. Sammon. p. 162.
(c) Aul. Gell. Noct. Attic. Lib. XX. Cap. I.
(d) Hippocrat. Lib. de Aer. Loc. & Aqu. Cap. II. text. XI. Charter. Tom. VI. pag. 190. Confer. Æginet. Lib. III. Cap. XIII. pag. 29, versâ.

quòd

quòd etiam ipsos Medicos simulato morbo fefellerint. Facilè autem fraus detegitur, si pulsum tangendo cutis unguibus intercepta subitò & fortiter vellicetur; signa enim doloris percepti tunc illico videmus, si morbum simulent, cùm cæteroquin epilepsiâ sensus tam perfectè aboleantur, ut tempore paroxysmi in ignem delapsi miseri tales ægri ad ossa usque partes corporis combusserint absque ullo doloris sensu. Talem casum habuit celeberrimus *Boerhaavius* in juvene nobili, sed pessimæ indolis, qui, si negarentur ipsi à parentibus quæ desiderabat, mox fingebat hunc morbum: dum autem vocatus jubebat Chirurgo, ut ferro candenti tangeret pedis pollicem, mox exsiliit; & postquam noverat in primo futuro paroxysmo cauterium applicandum esse, non ampliùs ausus fuit morbum fingere.

Solet autem plerumque cessare talis insultus epilepticus, & post aliquod temporis intervallum redire similis; ideóque inter morbos chronicos numeratur. Interim tamen certum est, quandoque & primo hujus morbi insultu exstingui homines; túncque ad acutissimos morbos referri mereretur. Ob hanc causam *Aretæus* & inter acutos, & inter chronicos morbos, epilepsiam numeravit, dixítque, (*a*) *Epilepsiæ, id est, comitialis morbi, primus casus perniciosus est, si acutè invadat: nonnunquam enim & uno die hominem perdit. Periculosæ etiam sunt per circuitus exacerbationes: unde factum est, ut in acutorum numerum comitialis morbus poneretur. Quòd si malo adsuescat homo, & morbus tenaciter adhærens occupet, non solùm diuturnus, verùm etiam nonnullis perpetuus, efficitur.* Quot casus docuerunt, unico paroxysmo exstinctos fuisse infantes! In morbis acutis adultorum, insultus epilepticus unicus & lethalis sæpius observatus fuit. Vidi in muliere parturiente, & annosâ jam, licèt primiparâ, in ultimis nixibus puerperii paroxysmum epilepticum contigisse horrendum & lethalem, quámvis nunquam antea hunc morbum experta fuisset. Et contrà novi hominem, qui vigesimo-quinto ætatis anno ob subitum & maximum terrorem epilepticus concidit, quíque ad octuagesimum ætatis annum cum hoc morbo luctatus fuit, redeuntibus vario temporis intervallo paroxysmis. Patet ergo, alternam illam requiem, cum redeunte iterum paroxysmo, frequenter in hoc morbo obtinere, non tamen absolutè requiri ad morbi hujus definitionem dandam, cùm unicus quandóque paroxysmus hominem rapiat; quod & *Hippocrates* (*b*) notavit, utì & *Celsus*, qui sic habet: (*c*) *Homo subitò concidit, ex ore spumæ moventur, deinde interposito tempore ad se redit, & per seipsum consurgit. Id genus sæpius viros quàm fœminas occupat, ac solet quidem etiam longum esse, usque ad mortis diem, & vitæ non periculosum. Interdum tamen, cùm recens est, hominem consumit.*

(*a*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I, Cap. V. pag. 83. 84.

(*b*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. IV. Charter. Tom. X. pag. 480.

(*c*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXIII. pag. 172.

§. 1072. MORBUS hic mirâ facie variatus tam mirabilis apparet, ut diis, dæmonibus, iræ divinæ, incantamentis, & similibus causis, naturalibus majoribus, adscriptus sæpe fuerit.

Minimè mirum videtur, quòd hic morbus, tam horrendis & tam variis symptomatibus stipatus, creditus fuerit pendere à causis, quæ naturalibus majores essent. Sanissimus homo, in quo nec versatissimi in Arte Medici aliquod sanitatis vitium detegunt, uno momento sæpe hoc morbo prosternitur; & postquam deferbuit talis paroxysmus, refectúmque fuit quiete lassatum à tantis agitationibus corpus, quandóque nulli effectus tanti morbi supersunt, & integra redit sanitas; licèt in corpore hoc maneat latens dispositio, quæ novum morbi insultum faciet post magnum satìs temporis intervallum. Tempore jam hóc, inter distantes paroxysmos medio, sæpe nihil deprehenditur in corpore quod culpari possit. Nullum signum ab attentissimis & peritissimis Medicis invenitur, ex quo distinguere queant talem hominem huic morbo obnoxium esse; ideóque jam antiquis temporibus epilepsiæ originem causis majoribus adscripserunt, & incantationibus, atque expiationibus variis ejus curam tentaverunt. Hujus asserti veritatem jam apud *Hippocratem* videmus, qui hunc morbum non magìs sacrum dicendum voluit, quàm (*a*) febres tertianas & quartanas, quæ certis temporum intervallis redeunt, licèt non intelligatur evidenter ratio, quare determinato temporis spatio novus recrudescat paroxysmus; ideóque explodit vana illa & superstitiosa remedia, quibus hunc morbum (*b*) curare volebant vafri impostores, imperitiam suam obvelantes sacris ritibus, & præceptorum diæteticorum numero. Tot enim monebant esse curationis impedimenta, ut impossibile foret, quin æger quorumdam subinde oblivisceretur; sícque semper in illum culpa rejici poterat, si non sanaretur morbus. V. gr; inter alia plura jubebant ægrum nunquam (*c*) *Pedem pedi, neque manum manui, superimponere.* Sed quis hoc evitabit, etiamsi attentissimus fuerit, dum plurium mensium spatio talis curatio sæpe protrahi debebat? Semper hinc effugium habebant, quo excusarent irritum talis curationis successum; & licèt æger exactissimè observasset omnia præcepta (quod vix impossibile videtur), si non sanaretur, hanc adhuc causam dare poterant, nondum placatos esse divos, qui irati hunc morbum immiserant. Pro variis autem symptomatibus, quæ epilepsiam comitabantur, (*d*) diversa assignabant Numina, quæ placari debebant, utì in locis citatis legi poterit.

Certò constat, hunc morbum produci à causis talibus, quæ sensibus observatæ fuerunt, & illarum causarum ablationem morbi curam absolvisse, utì postea patebit. Sed & fassi fuerunt summi in Arte Viri, atque in rebus Anatomicis peritissimi, quòd in cadaveribus hoc morbo defunctorum nihil invene-

(*a*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. I. Charter. Tom. X. pag. 475.
(*b*) Ibid. Cap. II. pag. 476. 477.
(*c*) Ibid. pag. 476.
(*d*) Ibid. pag. 477.

rint sæpe, quod culpare poterant. In pessima epilepsia, *idiopathica* dicta, causa morbi in ipso encephalo hæret, & quandoque difficillimè distingui potest, cùm intricatissimam encephali fabricam tam parùm adhuc novimus. Molem, figuram, integumenta, gyros cerebri & cerebelli, descripserunt Anatomici, medullæ oblongatæ tubera miris nominibus insigniverunt, &c; sed nullus determinavit hactenus memoriæ sedem, originem determinatam illius potentiæ corporeæ, quæ musculos ad arbitrium voluntatis movet, nec plura alia; de qua re & antea mentionem feci §. 276, ubi, in vulnerum capitis Historia, agebatur de determinando loco affecto in encephalo. Poterit ergo in mirabili illa fabrica encephali vitium hærere corporeum, immanes illas turbas faciens, licèt sensibus, inprimis post mortem, detegi non possit; unde meritò concludere licet, non ideo semper ad causas supernaturales referendum esse hunc morbum, licèt nulla causa sensibus obvia detegatur. An autem absolutè negari potest, quòd morbus ille unquam à causis supernaturalibus productus fuerit? Certè non videtur; nam puer ille epilepticus, de quo præcedenti paragrapho dictum fuit, sanatus fuit ab *Adorando Salvatore*, expulso dæmonio. Probè novi, summos in Arte Viros statuere, à causis naturalibus hunc morbum productum fuisse; & æquè stupendam esse sanationem tanti morbi, ab infantia jam affligentis, quàm dæmonis expulsionem; sed certè huic opinioni mihi parùm favere videtur ipse textus, qui sic legitur, (*a*) *Increpavit spiritum immundum dicens illi: Spiritus sine locutione & surde, ego tibi impero: exi ex eo, & ne ampliùs introeas in eum. Et exclamans* (spiritus), *& multùm discerpens eum, exiit.* Discipulis postea privatim interrogantibus, cur non potuerint ipsi ejicere illum spiritum, respondit, (*b*) *Hoc genus in nullo potest exire si non in oratione & jejunio.* Solebat autem *Christus* Discipulis suis (ut ex pluribus Sacræ Scripturæ locis patet) postea exponere, quæ hominum auscultantium turbis dixerat, & quæ non satìs intellexerant: jam autem talia illis dicit, quæ manifestè firmarent illam opinionem, quam habebant, quòd à malo spiritu morbus miseri illius pueri productus fuerat. Certè dæmoniaci illi, de quibus legitur in Sacris (*c*), habebant talia symptomata, qualia in maniacis observantur; sed disertè in textu asseritur, dæmones egressos fuisse de miseris illis, & veniâ impetratâ abivisse in greges porcorum, qui mox furibundi de præcipitio in mare ruerunt. An potest ille textus ullo modo intelligi de melancholico delirio, aut maniâ à causis naturalibus natâ? Hinc patet, morbos eosdem, quos à causis naturalibus nasci novimus, etiam à supernaturalibus productos fuisse. Vidi innocuum quadriennem puerum, qui simulac Orationem Dominicam recitare incepisset, convellebatur illicò; & simul tantum ac tam horrendum clamorem edebat, qui ejus vires longè superare videbatur: interposito aliquot minutorum intervallo, iterum rogavi aviam, quæ puerum ad me adduxerat, ut juberet puerum easdem preces repetere, idque

(*a*) Marc. Cap. IX. vers. 25. 26. Confer. Luc. Cap. IX. vers. 42.
(*b*) Ibid. vers. 29.

(*c*) Matth. Cap. VIII. vers. 28. & seq. Confer. Marc. Cap. V. vers. 2. Confer. Luc. Cap. VIII. vers. 27.

in quartam vicem usque, semper eodem cum successu; & licèt eventum prævidissem jam, ac animum obfirmarem, non potui impedire, quin, audito hoc clamore, horrerem totus, quámvis me non adeo pusillanimem credam, ut à levioribus facilè movear. Licèt autem scrupuloso examine omnia expenderim, non potui vel minimam malæ fraudis suspicionem habere. Videtur hinc prudentis Medici esse, non semper & statim, ubi inusitata in morbis symptomata apparent, ad causas supra naturam positas refugere; neque etiam impossibilia pronunciare illa, quæ facta fuisse certò novimus. Utì enim optimè celeberrimus *Fridericus Hoffmanus* ex *Plinio* dicit: (*a*) *Quemadmodum multa fieri non posse, priusquam facta sunt, judicantur; ita multa quoque, quæ antiquitus facta, quia nos ea non vidimus, neque ratione assequimur, ex iis esse, quæ fieri non potuerunt, judicamus. Quæ certè summa insipientia est.* Tractatus ille supra hanc rem legi meretur.

§. 1073. NULLA quippe gesticulatio, inflexio, posituráque noscitur, quam non aliquando exhibuerit; omnes quoque nonnunquam æmulatur motûs, cursûs, ambulationis, gyrationis, prostrationis, decubitûs, erecti, rigidíque corporis species.

Agendum nunc est de variis & miris symptomatibus, quæ in epilepticis observantur tempore paroxysmi. Numerosissima certè hæc sunt, & conabor illa ordine recensere, prout ipse observavi, vel ex fidis Auctoribus collegi.

Primò autem describenda est exquisitissima epilepsia, in qua subitò prosternitur homo cum abolitione omnium sensuum internorum & externorum, & convulsivâ agitatione musculorum. In omnium pessima specie, absque ullo signo præmonente, cadunt illico; & Experimenta Practica docuerunt, illam ferè semper incurabilem esse. Frequentiùs primò sentiunt vertiginem; (*b*) *Splendores quidam purpurei, aut nigri, aut omnes unà permixti, ob oculos in orbem versantur, ac discurrunt, ut in cælo iris prætenta esse videatur: aures sonant, fœdum odorem sentiunt*, vel sapor ingratus in ore, nascitur. Quosdam vidi, quibus scintilla lucida apparebat ante oculos, quæ subitò augebatur, donec in immensum jubar cresceret, & tunc cadebant. Alii omnia objecta incipiebant videre, ac si densâ nebulâ óbfuscarentur; & subitò crescente hâc caligine concidebant: hoc & *Aretæus* notavit, vocans (*c*) σκίης φαντασίην. Quidam sentiunt à digito pedis, manûsve, vel & ab alio quodam corporis loco, auram quasi frigidam adscendere, quæ ubi ad præcordia venit, corruunt. Horum omnium ægri adhuc memores sunt, quando à paroxysmo resurgunt; reliqua autem, quæ paroxysmi tempore contigerunt, ignorant omnino. Unde postea, dum plures jam paroxysmos passi fuerunt, ex præviis

(*a*) Dissertat. de Diabol. Potent. in corpor. Præloqu.

(*b*) Aretæ. de Cauf. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. V. pag. 1.

(*c*) Ibid. pag. 2.

illis signis futuram calamitatem prævident, & quantùm possunt sibi cavent, vel adstantium auxilium implorant. Plerique ipso momento, dum cadunt, validum clamorem edunt, cujus tamen conscii non sunt: sequuntur tunc mirabiles & variæ plerumque in singulis epilepticis partium musculosarum convulsiones.

Frons enim & cutis capillata capitis miro quandoque agitantur modo; pili eriguntur; supercilia moventur, deprimuntur & ad se mutuò accedunt simul; ut fit in hominibus indignantibus: oculi tunc fixi, tensi, prominuli, ut in iratis, apparent. Palpebræ agitantur, & clauduntur plerumque, sed palpantes & tremulæ, rarò integrè clauduntur, sed inter palpebrarum distantes limbos oculi album apparet (*a*): sæpe & sub palpebris semiclausis bulbi oculi magnâ velocitate rotantur, ita tamen ut ferè semper pellucida cornea sub palpebra superiori occultetur. Quandoque his motibus convulsivis tanta vis oculorum musculis infertur, ut postea semper vitium quoddam maneat; & plurimos observamus luscos & strabones, qui in prima infantia convulsionibus epilepticis tentati hoc vitium contraxerunt.

Mobilis autem illa faciei pars, quæ sub oculis ad mentum usque extenditur, numerosis musculis constans, qui in singulis ferè cadaveribus diversi reperiuntur ab Anatomicis, & cujus partis solâ mutatione Pictores & Statuarii omnes animi affectus exprimere noverunt, miro modo agitari solet. Quandoque celerrimâ vicissitudine omnes animi affectus exprimuntur in his miseris, labia contracta & elongata in acutum exporriguntur rostrum; mox retroacta, oris rictum ad aures ferè usque producunt; quod tam celeri reciprocatione factum vidit celeberrimus *Boerhaavius* in muliere Judæa epileptica, ut in vertiginem raperet videntem.

Maxilla inferior quandoque à superiori abducitur tantâ vi, ut luxetur antrorsum; & dum in paupere infante, finito paroxysmo, non fuerat restituta hæc luxatio, totâ vitâ mansit, qui postea multis annis supervixit, sed fatuus, & in nosocomium receptus omnium certè commiserationem movebat. Lingua tunc turgida & elongata ex ore hiante prominet, & nisi adstantes subere, vel alio simili corpore molli, maxillis interposito, caveant, momento pòst, convulsivo motu ad se mutuò adductis maxillis, lingua intercepta graviter vulneratur, vel pars ejus integre abscinditur; quod & *Aretæus* (*b*) monuit. Frequentissimè hoc contingit, tempore paroxysmi linguam morsu vulnerari, & tunc fœdo spectaculo unà cum spuma sanguis exit: fit hoc, quando motus manducationis fiunt à validissimis illis musculis, qui huic functioni serviunt: tunc dentium stridor ingratissimus percipitur; & non sine horrore recordor, quòd coram viderim in tenera satis puella dentium molarium fragmenta exsiliisse cum impetu.

Caput miris modis rotatur, flectitur; quandoque collum riget inflexile, aliquando pronum incurvatur, ut maxilla pectori adhærescat: in aliis versùs scapulas retroflexum caput hæret, velut in illis, qui per vim crinibus trahuntur, quæ omnia & *Aretæus* (*c*) observavit.

(*a*) Aretæ. de Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. v. pag. 2.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Ibidem.

In brachiis, manubus, digitis, fiunt omnes motus extenſionis, flexionis, rotationis, pronationis, ſupinationis; & cùm pollex plures & validiores habeat muſculos flexores & versùs manum adducentes, quàm reliqui digiti; hinc fortiſſimè ſolet versùs volam manûs adduci, quod multi pro ſigno validi paroxyſmi habent; & quia vident, remittente paroxyſmo, adductam in pugnum manum denuo explicari, ideo ſæpe magnâ vi nituntur in paroxyſmi vigore pollicem abducere, ſícque aliquando partes illas miſerrimè diſtrahunt, dum ſummam vim convulſorum muſculorum majori violentiâ ſuperare conantur; poſtea moleſtiſſimi dolores manent in his partibus adeo vexatis. Si levi vi manûs contractæ explicari poſſint, non nocebit hoc tentaſſe; ſed quàm imprudenter agunt rudes ſæpe & robuſtiſſimi homines, dum omni conatu hoc perficere tentant! In femoribus, cruribus, pedibus, &c, hi motus non adeo obſervari poſſunt, quia veſtibus teguntur; ſed ſimiles adeſſe vel ex eo conſtat, quòd pedibus calcitrent validiſſimè. Dixit *Aretæus*, quòd (*a*) *Id genus calamitatis eſt jugulatis tauris haud adſimile.* Notum enim eſt, hæc animalia, dum vaſis majoribus diſciſſis ſanguis effluit, paulò ante mortem ex inanitione vaſorum validiſſimè convelli, & pedibus calcitrare.

Verùm & interiores corporis partes ſimiliter agitari, docent ructus, borborygmi, vomitus, alvi & urinæ excretio inſciis facta: ſeminis expreſſio per muſculos libidinoſos. Sed & vitales actiones quàm maximè turbantur. Nam (*b*) *Inter initia arteriarum motus vehementes ſunt & celeres & parvi; in fine verò magni, tardi & languentes, in univerſum autem ordine carentes* (ἄτακτοι): quales etiam inveni in omnibus epilepticis, quibus paroxyſmi tempore adfui. Pariter & reſpiratio miris turbatur modis: primo paroxyſmi initio ſolent affici muſculi vocales, nam omnes ferè cum clamore cadunt; poſtea oritur nixus validus reſpirationis, ut in illis, quibus ſuffocatio imminet; & edunt talem ſonum, qualem audimus in robuſtiſſimis hominibus, dum valido nixu grave pondus elevare, vel obſtaculum quoddam removere conantur. Hoc ſymptoma videtur feciſſe, ut Veteres crederent, totum hunc morbum eſſe nixum cerebri ad explodendum aliquod malignum vel pituitoſum gravans. Verùm impeditâ reſpiratione ſanguis liberè per pulmonem tranſmitti nequit, adeóque nec cor dextrum & ſe evacuare: unde ſanguis venoſus accumulatur circa cor dextrum, omnes venæ conſpicuæ apparent turgidiſſimæ, inprimis venæ frontis, raninæ ſub linguâ, jugulares in collo: incipit tunc liveſcere facies, imò ferè nigreſcere, primò ſub oculis circa palpebram inferiorem, ubi laxa admodum cutis eſt; utì etiam circa labia, ſimili ferè modo, ac fit illis qui in laqueo hærent: quod optimè notavit *Aretæus*, dicens, (*c*) *Malæ rubent quidem, ſed quum morbus increvit & faciei livor accedit, cervicis vaſa diſtenduntur, vox ut in ſtrangulatu aufertur: etiamſi vehementer inclames, non ſentiunt: eorum vox nihil niſi gemitus & ſuſpirium eſt: reſpiratio verò ſuffocatio quædam eſt, veluti in iis qui laqueo ſtrangulantur.*

(*a*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. V. pag. 2.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Ibidem.

Dum autem arteriæ narium, oris interni, faucium, se in venas distentissimas evacuare nequeunt, urgentur rami laterales secretorii tantò magìs, & mucus solitò viscidior exprimitur; quod confirmatur illis quæ ad §. 819, dicta sunt, utì & Experimento *Lowveri*, qui (*a*) canis venas jugulares ligaverat, de quo ad § 793, dictum fuit. Idem & in pulmone fit, túncque ingratus ille ronchus auditur, & fœdo spectaculo per os ac nares spuma viscidissima exit, quandoque & sanguinolenta, si lingua paroxysmi tempore à dentibus vulnerata fuerit. Spuma autem illa adeo lenta est, ut in fila duci se patiatur. Hæc omnia *Aretæus* (*b*) pulchrè notavit, & simul cum *Aureliano* observavit, quòd fiat (*c*) *Ante dimissionem, per os atque nares spumarum fluor.* Quòd autem intellexerit *Aurelianus*, illud fieri circa paroxysmi finem, patet ex alio loco, ubi docet, quomodo hysterica passio ab exquisita epilepsia discerni possit. Ita enim habet, (*d*) *Frequenter simile pati epileptici, & à matrice præfocatæ mulieres, inveniuntur: siquidem non aliter sensibus privantur; sed discernuntur, quòd in ultima accessionis parte, per os atque nares spumarum fluore non afficiantur.*

Hoc autem ideo inprimis notari meretur, quia illa viscida pituita, in fine paroxysmi per os & nares excreta, Veteribus ansam dederat cogitandi, hanc pituitam ferè esse unicam & solam causam mali (*e*), hâcque expulsâ, cessare insultum morbi. Verùm ex dictis patet, pituitæ illius excretionem esse potiùs effectum morbi, quàm causam; & ad §. 1075, patebit, plures alias causas diri hujus mali fidelibus Observatis cognitas esse; adeóque non sufficere illam curationem solam, quæ incidendo mucosum lentorem & evacuando de corpore agit.

Patet simul ex dictis, circa finem paroxysmi adesse periculosissimum statum, dum suffocatio imminet; & quandoque sic unico paroxysmo pereunt, utì ad §. 1071, dictum fuit. Frequentiùs tamen tali modo finitur: post suffocationem illam imminentem, & expressionem spumæ ex ore ac naribus, incipiunt minui motus convulsivi, respiratio liberior fit, sed stertorosa, cum somno profundo, quasi apoplectico, qui vario tempore in variis durat: deinde ab hoc somno evigilant, omnium illorum, quæ paroxysmi tempore contigerunt, immemores: tunc autem, ut *Aretæus* optimè notavit, (*f*) *Ab initio membris segnes sunt, capitis gravitate premuntur; dissoluti sunt, languidi, pallentes, consternati animo, ob lassitudinem morbique verecundiam contristantur.* In multis & sensuum hebetudo, & memoriæ debilitas, manet: tamen post binos trésve dies, per bonum victum & quietem, refocillatis corporis viribus, sæpe tam perfecta redit sanitas, ut nullum tanti morbi vestigium supersit; & post aliquod temporis intervallum, sæpe satìs longum, idem malum similibus symptomatibus stipatum redit. Tunc autem vocabatur *Are-*

(*a*) Tractat. de Cord. Cap. II. pag. 123. 124.
(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. V. pag. 3.
(*c*) Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. IV. n°. LXV. pag. 293.
(*d*) Ibid. n°. LXXI. LXXII. pag. 295.
(*e*) Hippoc. Lib. de Morb. Sacr. passim.
(*f*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. V. pag. 3.

tæo epilepſia chronica; ſi verò unico tantùm inſultu hominem vel perimeret, vel liberaret, tunc ad morbos acutiſſimos referri poterat.

Chronica autem epilepſia varia admodum habet intervalla inter binos paroxyſmos. Vidi, qui ſemel in anno tantùm corripiebantur; alii vere & autumno, plures ſingulis menſibus, inſultum habent, circa magnas mutationes lunæ; alii, circa novilunium, & plenilunium, adeóque bis in menſe: plures vidi, qui plurimos paroxyſmos patiebantur intra viginti quatuor horarum ſpatium.

Cùm autem involuntarius motus muſculorum ſit, tempore paroxyſmi, quandoque omnium, quandoque aliquorum tantùm, & ſæpe diverſorum muſculorum motus ſibi mutuò ſuccedant, facilè patet, incredibilem varietatem ſymptomatum occurrere tempore paroxyſmi in diverſis epilepticis. Hinc cùm geſticulationes, & quævis mutationes poſituræ corporis, fiant ope muſculorum, intelligitur, quàm mira hîc accidere poſſint, neque imitanda facilè voluntatis imperio in muſculos tempore ſanitatis, quia in epilepticis longè validiùs agitantur muſculi; unde ſæpe turpes difformitates & diſtorſiones poſtea ſuperſunt, utì in ſequentibus dicetur. Plura mirabilium epilepſiarum Exempla habentur apud *Schenckium* (*a*).

§. 1074. OMNES tamen hæ varietates tantùm verſantur in mutatis motibus aliquarum partium mobilium, adeóque muſculoſarum; ergo tantùm ponunt varias muſculorum contractiones; hinc varios liquidi nervoſi influxus: inde variam hujus à ſenſorio communi expreſſionem in nervos; tandem itaque varias cauſas in cerebri medulla has expreſſiones producentes: quæ optimè noſcuntur enarratione harum hiſtoricâ.

Sequitur jam, ut dicatur de epilepſiæ cauſis obſervatis, quibus mirabilia hæc ſymptomata adſcribi poſſunt; & ſimul de loco corporis cui applicantur hæ cauſæ, dum ille morbus adeſt.

Ut autem hæc clarè & evidenter intelligantur, notandum eſt ex Pathologicis (*b*), quòd cauſæ morborum à Medicis vocentur duplici nomine; vel enim eſt cauſa proxima, vel remota. Cauſa proxima dicitur illa, cujus præſentia morbum facit, cujus abſentia morbum tollit. Cauſa autem remota morbi dicitur illa, quæ ſic diſponit corpus, dum adeſt, ut aptum ſit morbum ſuſcipere, ſi adhuc alia cauſa præter priorem acceſſerit: neutra ergo ex his cauſis morbum producit, ſi ſola exſtiterit, ſed ſimul unitæ morbum præſentem faciunt. Cauſa jam remota, quæ corpori inhæret, vocatur *prædiſponens*: altera autem quæ huic accedit, vocatur *procatarctica*, ſive ſimpliciter *occaſio*, quæ tantùm nocet illis, in quibus prior illa prædiſponens cauſa aderat.

His præmiſſis conſideremus, in epilepſia abeſſe omnes ſenſus internos &

(*a*) Obſervation. Medicinal. Lib. I. pag. 103, & ſeq.

(*b*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 740, & ſeq.

externos;

externos; simúlque eodem tempore fieri agitationes summas musculorum. Verùm ex illis, quæ de apoplexia & paralysi dicta fuerunt, patuit, caussam musculos moventem ab encephalo per nervos derivari in musculos; & sensuum exercitium fieri, dum mutatio nervi, à rebus sensibilibus excitata in sensuum organis, libere propagari potest ad nervorum originem in encephalo. Adeóque illo tempore, dum paroxysmus epilepticus adest, encephalon, sensuum & motuum muscularium origo, afficitur; & quidem ita, ut sensuum perceptio nulla adsit, motus autem musculares validissimi excitentur. Verùm illi motus musculares produci nequeunt, nisi causa muscularis motûs ab encephalo per nervos veniat ad musculos; adeóque causa epilepticum paroxysmum producens debet efficere, ut medulla encephali in nervorum origines validissimas tantorum motuum causas derivet. Varia ergo occurrent phœnomena in diversis epilepticis paroxysmi tempore, prout in hos illósve nervos, majori vel minori impetu, simul vel successivè, causa muscularis motûs venerit. Unde optimè dixit *Ægineta*, quòd in encephalo ejúsve ventriculis causam constitutam habeat epilepsia (*a*) συνεστακμένην ἔχει τὴν αἰτίαν, quia est totius corporis convulsio, cum noxa principum animæ facultatum; licèt agnoverit, & à ventriculo, & ab utero, & ab aliis corporis partibus, per consensum (κατὰ συμπάθειαν) epilepsiam fieri. Illud enim morbosum, in aliis quibuscumque partibus corporis hærens, non producit epilepsiam, nisi encephalon affecerit; & ægri sæpe sentiunt à parte quadam corporis, pede v. gr; adscendere aliquid versùs superiora, & paulò pòst epileptici cadunt, nisi ligaturâ, aut validâ compressione partis, impedire possint subitò illum adscensum, utì postea dicetur.

Ex quibus omnibus liquet, morbi hujus causam proximam, sive integram & adæquatam, paroxysmi tempore, in encephalo hærere; causam verò excitantem, sive procatarcticam, in aliis multis corporis locis esse posse. Videntur autem Observata docere, quòd illo ferè loco, ad quem pervenit mutatio nervis sentientibus inducta ab objectis sensibilibus, sit & principium motûs muscularis. Si enim meditabundo homini musca oculos quàm maximè prætervolat, mox motu automatico manum subitissimè admovet; quod & fecisset ex voluntatis arbitrio, si prævidisset illud futurum esse. Illum autem locum, ad quem mutatio organorum sentientium pervenit, & à quo motûs muscularis origo pendet, vocaverunt Medici sensorium commune, utì antea in capitulo *De Apoplexia* dictum fuit. Hinc epilepsia, est morbus sensorii communis, per quem potestas sentiens aboletur, potentia verò motus musculares excitans, summos effectus præstat, absque conscientia & voluntatis imperio.

Verùm observatur, quòd post paroxysmum epilepticum jam sedatum, & omnes functiones encephali in integrum restitutas, maneat tamen ejusmodi diathesis, ut renovetur paroxysmus à talibus causis, quæ in aliis hominibus hanc diathesin non habentibus, nihil tale producunt. Ira, Venus, terror

(*a*) Lib. III. Cap. XIII. pag. 29, versâ.

etiam levis, crapula, & plurima alia, epilepticis novum morbi insultum adferunt, utì notum est. Superest ergo in illis hominibus causa proegumena sive prædisponens, quæ facit, ut tales homines, absente paroxysmo, maneant obnoxii, ut denuo corripiantur epilepsiâ, si huic causæ latenti, & nullo signo sæpe se manifestanti, alia causa occasionalis se junxerit. Certis enim constat Observatis, quòd hæc diathesis proegumenica epilepsiæ veræ, licèt pessima sit, possit adesse in homine, nec tamen nocere ulli functioni cognitæ. Imò videtur illa diathesis epileptica latere posse totâ vitâ, nunquam se manifestans; cùm hic morbus, utì sequenti dicetur paragrapho, transeat quandoque ab avo in nepotem, non laborante filio, in quo tamen videtur eadem diathesis adfuisse, cùm suæ illam progeniei tradiderit.

Verùm hæc diathesis videtur hærere in sensorio communi, illúdque sic disponere, ut irritetur & turbetur postea à talibus causis accedentibus, quæ illud antea non affecissent. Multa certè argumenta hoc suadere videntur. Vidi sanissimam puellam decem annorum, à parentibus vegetis, nunquam epilepsiam passis, natam, per plures annos fuisse epilepticam, & primo paroxysmo fuisse correptam, dum joci gratiâ humi decumbentem sub plantis pedum titillassent diu quædam puellæ, aliis illam immotam vi retinentibus, ne intolerabilem ipsi hanc molestiam, mutato situ corporis, vitare posset. Nihil hîc morbosi humoris culpari poterat, nulla læsio capiti contigerat; & semel turbatum sensorium commune, per nervos in extremis partibus corporis positos, retinuit impressam quasi talem diathesin, quæ postea à pluribus aliis causis accedentibus paroxysmum epilepticum renovabat. Si enim misera hæc titillationis minas tantùm intentari videret aliis, mox cadebat epileptica. A levi iracundia, terrore, attentione animi parùm diutiùs protractâ, redibat novus paroxysmus. Toties doluerunt peritissimi Medici, insanabilem totâ vitâ epilepsiam natam fuisse, à solo terrore, in sanissimis etiam corporibus; & inprimis in talibus, qui agilissimum corpus, & ingenium promptissimum habebant.

Certum autem est, sensorium illud commune non æquè firmum esse in omnibus hominibus, & in quibusdam faciliùs irritari, omnésque ejus actiones turbare. Duro labori ab ineunte ætate adsuetus rusticus firmum corporis robur habet, talémque fracti orbis ruinæ ferirent ferè impavidum; dum molliter educta puella à subito quocumque fragore convellitur. Nec invicto mentis constantissimæ robori hoc adscribendum est in tali rustico, sed hebetudini & majori quasi callositati sensorii communis. Verùm idem ille quàm stupidus est in illis, quæ mentis aciem requirunt! Robustis gaudet lacertis, sed magnam membrorum agilitatem non habet: solos illos motus exercet alacriter, quos quotidiani labores imperant; cæterùm rigidus ferè in omnibus membris. Unde intelligimus, quare pro diversa dispositione sensorii communis diversimode afficiantur ab iisdem causis homines; & illa, quæ turbant omnia in quibusdam, nullam mutationem inducant aliis.

Quò autem homo origini suæ propior est, eò encephalon, ejúsque propagines, medulla spinalis & nervi, majorem partem totius molis corporeæ

faciunt, quod & Pictores & Statuarii obfervant, dum junioribus caput majus proportionaliter ad truncum corporis tribuunt. Sed & fimul mollior encephali ftructura in junioribus obfervatur; ideóque Anatomici, cerebri fabricam demonftraturi in exercitiis Academicis, adultorum cadavera ad hanc rem femper præferunt. Hinc *Hippocrates* (*a*), & poft illum omnes Medici, obfervaverunt, juniores magìs obnoxios effe huic morbo quàm adultos; videtur enim in illis excedens magnitudo encephali & tenerior fabrica facere caufam prædifponentem, quæ, levi causâ occafionali accedente, epilepfiam producit. Tormina abdominis, gingivarum tenfio & irritatio dentitionis tempore, frequentiffimè inducunt infultus epilepticos junioribus, dum fæviffimam odontalgiam & dolores acerbiffimos iliacos adulti ferunt abfque epilepfia fequente. Summâ excandefcit irâ nutrix, & imprudens dat ubera infanti; convellitur illico (utì tot Obfervata docuerunt), dum nutrix defervefcente hoc brevi furore nihil mali patitur. Illa ergo mutatio, per validum talem animi affectum in humoribus nutricis nata, non potuit firmius ætate jam fenforium commune turbare; dum pauculùm lactis, ab iratæ nutricis uberibus ducti, tenerum & mobile infantis corpufculum tam mifere afficit.

Verùm cùm ætatis augmento nimia hæc mollities aut teneritudo encephali & totius generis nervofi fenfim emendetur, patet ratio, quare magna fpes curæ in junioribus affulgeat. Ubi autem adultum & firmum jam corpus hic morbus invaferit, longè difficiliùs, imò rarò, curatur: debuit enim valida caufa fuiffe in adulto morbum producens, dum in junioribus etiam leviffima fufficiat. Ideo *Hippocrates* dixit, (*b*) *Quibus comitiales affectus ante pubertatem oboriuntur, deceffum fortiuntur; quibus verò quintum & vigefimum annum agentibus oboriuntur, iis plerumque commoriuntur.* Videantur & illa, quæ ad §. 712, habentur, ubi de convulfione febrili agebatur.

Optimè autem latentem illam diathefin fenforii communis, quæ prædifponens caufa epilepfiæ eft, defcripfit *Helmontius*, dicens, (*c*) *Sic namque comitialis per menfes & annos fubinde dormit, imò & nunquam excitatur, nifi per venerem, iram, mærorem, partum, &c. Neque eft enim ulla materia, fomes caduci, alicubi detenta; quia vel putreret, arefceret, confumeretur, vel priftinam veneni labem amitteret: quod cùm non fiat, verùm in vitam perennet, aliud proin exordium, atque hofpitium immediatum, quàm recrementa delegit. Sigillatur quippe in idea entis activi & conftantis per totam vitam.* Alibi habet fequentia, quæ pariter huc fpectant: (*d*) *Quidquid porrò fordium ingeftum, admiffum, aut vivendi errore obnatum eft, five id caufæ procatarcticæ, five demum familiæ, productum fectetur, totum prorfus nil nifi occafionale eft: ad cujus fcilicet importunitates Archeus ipfe commotus, veram morbi repræfen-*

(*a*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. VI. Charter. Tom. X. pag. 482.
(*b*) Aphorifm. Sect. V. n°. VII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 197.
(*c*) Ort. Medicin. Tract. de Morb. Archealib. §. 17. pag. 440.
(*d*) Ibid. Tractat. Butler. init. pag. 466.

tat scenam. Unde inprimis perspicuum est, tam esse morbos reales, dum silent, dormiúntque, quàm quos contingit expergefactos in suo meditari paroxysmo.

Postea autem patebit, quando de curatione hujus morbi agetur, magnum usum habere considerationem causæ prædisponentis, & illius distinctionem à causis excitantibus. Sæpe enim non est in potestate Medici causam prædisponentem tollere, & tunc sola spes curæ in eo consistit, ut tollantur causæ excitantes, & in actum deducentes, illam latentem diathesin epilepticam, quæ sola paroxysmum epilepticum renovare nequit.

Sequitur jam enumeratio causarum hujus morbi, tam illarum, quæ prædisponunt, quàm aliarum, quæ procatarcticæ, sive occasionales, dicuntur.

§. 1075. ILLÆ autem sunt, 1°. Hæreditariæ, ex labe gentili patris, matris, parentúmve, aut majorum, silente sæpe morbo in genitore, dum ex avo derivatur in nepotem. 2°. Congenitæ, ex imaginatione matris gravidæ excitatâ per conspectum epilepticum. 3°. Cerebrum in integumentis suis, superficie, substantiâ, ventriculis, malè affectum, per vulnera, contusiones, abscessus, pus, saniem, ichorem, sanguinem, lympham acrem, fœtidam, excrescentias osseas cranii interni, impressiones ejus, cartilagineam sinuum venosorum naturam, fragmenta, spinásve ossium, vel instrumentorum lædentium meningas, cerebrúmve, argentum vivum ad cerebrum quacumque viâ delatum. Idem cerebrum affectum malè per inflammationem, corruptionem, erosionem meningum, à carie ossis, bile atrâ, gummatibus venereis. Has autem causas juvant omnia, quæ liquidorum in cranium affluxum augent, ut sunt, plethora, motus, calor, ebrietas, epulæ, venus, ingenium perspicax, altum, meditatio profunda, affectus animi ingentes, imaginatrix vis ingens, terror metúsque inprimis. 4°. Omnes violentæ affectiones generis nervosi, ut sunt magni & periodici dolores, passio hysterica, rosiones & irritationes à lumbricis, dentitione, acri humore, lacte caseoso, acri, acido infantum, meconio, contagio variolarum, cardiogmo, ulcerosâ materie alicubi hospitante, inediâ, crapulâ, acribus poculentis, esculentis, medicamentis, venenis. 5°. Ab interceptis nonnullis, quæ olim excerni solebant, sanie, pure, menstruis, lochiis, hæmorrhoidibus, urinâ. 6°. Fumis nonnullis paroxysmum integrantibus, fomite alicubi hærente, unde sensu elevatæ auræ adscendens cerebrum petit.

1°. Morbos propagari ex parentibus in prolem, numerosis constat Ob-

ſervatis. Neque tantùm in epilepticis hoc animadverſum fuit, verùm & phthiſin & podagram derivari in ſeros nepotes conſtat, uti poſtea dicetur. Mirabile inprimis hoc eſt, quòd latens in corpore illud ſemen morboſum per annos dormiat iners, antequam actuoſum fiat. Epilepſiæ autem illæ hæreditariæ ſæpius circa pubertatis tempus primo ſe manifeſtant paroxyſmo, &, ſeminali contagio propagatæ, illo tempore, dum aptum ad generationem corpus redditur, inſurgunt, poſtea per totam vitam ſæpe durantes. Utì externâ corporis formâ & magnitudine, ingenio, animi affectibus, proles parentibus ſimiles ſæpe fiunt; ſic videtur & intima partium corporis conſtitutio frequenter referre eamdem ſimilitudinem. Quandoque & contingit, quòd ſeminale tale vitium iners maneat in filio, redeat in nepote: fortè ſi firmo corporis robore, vitâ actuoſâ & frugali, domaverit filius latentem hanc diatheſin, ne in nervum erumpat; quam tamen labem ſeminalem tradit ſuæ progeniei. Fortè in prima generatione nondum ſe exſerere poteſt impreſſus character morboſus, & in ſecunda tantùm ſe manifeſtat progenie. Similia Exempla in Hiſtoriis habentur. Sic apud *Plinium* leguntur ſequentia, (*a*) *In Lepidorum gente tres, intermiſſo ordine, obducto membranâ oculo, genitos accepimus; ſimiles quidem alios avo, &c. Indubitatum exemplum eſt Nicæi nobilis Pyctæ Byzantii geniti, qui adulterio Æthiopis natâ matre, nil à cæteris colore differente, ipſe avum regeneravit Æthiopem.*

Sed & plura ſimilia obſervamus in rerum natura, quæ per multos annos manent abſque ullo effectu ſenſibili, & poſtea ſubitò ſe manifeſtant, ubi requiſitæ conditiones concurrunt, ut latens tale & ſilens principium reddatur actuoſum. Stamen vitale, intra ſacculum colliquamenti hærens in ovo fœcundo, quieſcit ibi, & nullo ſigno ſe manifeſtat: poſt plures menſes, ſi calor incubantis gallinæ accedat, viginti circiter diebus illud ſtamen minimum, omnes ſenſus priùs fugiens, excrevit in pullum. Notum eſt ſemina vegetabilium per plures annos adhuc apta manere, ut ſui generis plantulam producant, ſi fœcundæ terræ committantur. In embryone, dum adhuc in utero materno latet, jam adſunt rudimenta dentium, quæ in fundo alveolorum ad ſeptimum uſque ætatis annum, & ultrà, manebunt; túncque ſubito incremento augebuntur & emergent: imò multis in ſenectute jam provecta novi prodierunt dentes. Pubertas in utroque ſexu determinato ætatis tempore naſcitur, & miram mutationem corpori inducit: hujus tamen mutationis rudimentum jam in prima hominis formatione aderat, licèt ſeriùs in actum deducatur. Poterit ergo & in prima origine naſcenti homini talis quaſi character morboſus impreſſus eſſe, qui ſuo tempore ſe manifeſtabit. Hanc rem conſiderans *Helmontius* dixit, (*b*) *Ergo morbi hæreditarii inoleſcunt fœtui, ab ente morboſo. Idea nimirum, ſpiritui ſeminali impreſſa (cùm ſit ipſe morbus adhuc in vita prima ſeminis deliteſcens, & ſigillatus) adhuc dormit & ſuî maturitatem exſpectat, donec expergefactus ab Archei agitatione, prorumpénſque, producta ſua parere ſit apta.*

(*a*) Lib. VII. Cap. XII. pag. 147.

(*b*) Ort. Medicin. Tractat. de Morb. Archealib. §. 15. pag. 440.

2°. Distinguitur hæc causa à priore, quòd non pendeat à labe seminali; sed quòd epilepsia nascatur in fœtu adhuc intra uterum maternum concluso: non ex causa per hæreditariam labem propagata, sed à causa fœtui jam concepto accedente per matris territæ imaginationem, dum videt epilepticum morbi sui paroxysmo correptum. Cùm autem miser talis infans statim à nativitate epilepticis insultibus obnoxius sit, ideo morbus ille tunc *congenitus* dicitur. Apud *Hildanum* (*a*) talis casus legitur, ubi juvenis, robusta, & optimo corporis habitu prædita, matrona gravida mirum in modum perterrita fuit, dum epilepticus ferè ad ipsius pedes procideret: pòst menses aliquot primipara puellum feliciter enixa est, qui non diu pòst comitiali morbo correptus fuit, & multis remediis frustra tentatis, periit hoc morbo, antequam primum ætatis annum adimpleret. Uterque parens sanus erat, & postea eadem hæc matrona aliquot liberos peperit, qui nunquam huic morbo fuerunt obnoxii. Plures similes casus sparsim apud Observatores habentur.

Verum quidem est, quòd frequentes satìs in recèns natis observentur convulsiones, à meconio, vel ab acida acrimonia, intestina vellicante, &c. Verùm, expulsis his fæcibus, & emendatâ hâc acrimoniâ, cessant brevì illæ convulsiones: in misero autem hoc puello ad mortem usque redierunt paroxysmi epileptici.

Cùm ergo alia plurima Observata doceant, imaginationem matris gravidæ miras mutationes posse inducere fœtui, intra ejus uterum contento, videtur meritò & epilepsia in recèns nato observata tali matris terrori tribui posse. Novi quidem hæc omnia negari à quibusdam, quia non concipiunt, quomodo mutata cogitatio matris posset sic afficere fœtum; & derideri sapientes viros tamquam nimis credulos, qui fidem adhibuerunt illis, quæ propriis viderant oculis, vel apud probatissimos Auctores legerant. Fateor, me nullo modo intelligere nexum causæ in matrem agentis cum effectu observato in fœtu; & quare terror ille potiùs non reddiderit matrem epilepticam, quàm fœtum; sed an ideo negari debet illud, quod factum fuisse constat. *Galenus* jam suo tempore de hac re conquerebatur, dicens, (*b*) *Multi Medici rerum quæ manifestè conspiciuntur, causas reddere nequeuntes, eas esse omnino negant.* Vidi olim venustissimam puellam, quæ me de affectibus hystericis, quibus obnoxia erat, consultum venerat. Conspiciebam erucam, sub collari nudæ cuti insidentem in cervice: metuens, ne terreretur, amovere volui digitis hoc insectum: subridens illa dixit, relinquas, quæso, erucam, quam totâ vitâ gestavi; & permisit facilè, ut accuratiùs inspicerem. Vidi autem colores varios pulchros, crines erectos erucæ, quàm evidentissimè; nec ovum ovo similius esse poterat, quàm illa erucæ effigies, ultra cutis superficiem prominens, erat huic insecto.

(*a*) Observat. Chirurg. Cent. III. Obs. VIII. pag. 191.

(*b*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. III. Charter. Tom. VII. pag. 486.

Mater autem ejus affirmabat, quòd, hanc puellam dum utero gereret, in horto deambulanti eruca ex arbore in cervicem deciderat, illámque ægre inde amovere potuerat. Altera mulier gravida per tres menses terretur à simia, quam brachio suo insilituram credebat; aufugit, & partem corporis, pro qua metuebat, alterâ manu arripuit & perfricuit. Parit debito tempore sanam puellam, quam vidi jam adultam, in cujus dextra manu in parte externa cubiti tota cutis fusca erat, & pilis pollicem cum dimidio longis hirta. Sapone priùs perfricato loco, novaculâ abraserunt, dum novem annos nata foret; sed mox locum abrasum occupabat densum pustularum agmen, totum brachium inflammabatur quàm validissimè, non sine gangrænæ instantis metu. Idoneis remediis sedato hoc malo, recreverunt pili, & mansit deforme illud imaginationis maternæ vestigium, quod postea patienter ferre maluit, quàm novam curam tentare.

Vellem rogatos illos Viros, qui meam in his credulitatem ridebunt, an putent se intelligere plurima alia mirabilia, quæ in generationis opere fieri certò novimus. Dicant causas, quæ tubas *Fallopianas* pendulas & libere fluctuantes erigunt, fimbrias explicant, ovariis applicant: explicent, cur uterus suscepto masculino semine, conceptu facto, incipiat crescere in omnem dimensionem: cur menstrua non prodeant: cur excusso fœtu decrescat uterus, increscant mammæ: quomodo fœtus nectatur funi umbilicali: quomodo nascatur placenta & se affigat utero, &c? Credo arduum fore subtilissimis etiam Philosophis, ut demonstrent nexum causæ cum his effectis, quos tamen revera existere nemo negabit. Nec meliori jure ergo effectus maternæ imaginationis in fœtum negare licet ob hanc rationem, quia non intelligitur modus, quo hæc fœtûs mutatio fieri posset.

3°. Præcedenti paragrapho dictum fuit, illo tempore, dum paroxysmus epilepticus adest, encephalon affici; adeóque minimè mirum videri poterit, si illa; quæ encephalon lædunt, epilepsiam etiam producunt frequentissimè. In vulnerum capitis Historia pluribus locis probatum fuit, à læsione encephali per instrumenta vulnerantia, à contusione valida capitis pariter, convulsiones pessimas productas fuisse; utì etiam solâ effusione sanguinis in cavo cranii; & multò magìs, si sanguis, vel alii effusi humores, morâ & stagnatione in acrem & rodentem ichorem degeneraverint. Verùm in omnibus illis casibus causa violenta vulnerans, vel contundens, capiti applicata fuerat. Contingit autem & sensim, absque talibus causis prægressis, in cavo calvariæ accumulari humores, qui vel mole premere vel acrimoniâ acquisitâ encephalon lædere, sícque hunc morbum producere possunt. In cadavere epileptici colluviem talem aquosam invenit in cavo cranii *Piso* (*a*), & inprimis versùs posticam capitis partem. *Drelincurtius* plurium epilepticorum infantum calvarias dissecuit, & ventriculos anteriores, sero flavente acri turgidos, reperit. In ebrioso viro, epilepsiâ exstincto, gelatinam flavam

(*a*) De Morb. à Seros. Colluv. Sect. II. Part. II. Cap. VII. pag. 159.

copiosam inter duram & piam matrem vidit. *Poupartus* (*a*) in cadavere juvenis epileptici, inter calvariam & duram matrem, pituitam albam spissam observavit: ipsa autem dura mater tumida, simili quasi pituitâ madens, vix ab illa distingui poterat, neque cranio videbatur adhærere, nisi hujus pituitæ ope. Imò *Hippocrates* (*b*) talem pituitam videtur pro sola causa epilepsiæ habuisse; & diuturnum hunc morbum ideo incurabilem pronuntiavit, quia encephalon (*c*) *Eroditur à pituita ac colliquatur*, per moram nempe acriore redditâ.

EXCRESCENTIAS OSSEAS CRANII INTERNI. Ubi de morbis ossium antea agebatur, dictum fuit ad §. 549, quandoque latentes ob causas tumores tales osseos excrescere. Si hoc in capite interno fiat, comprimetur à tali exostosi encephalon; & si acutæ figuræ fuerit talis excrescentia, facilè patet, quàm enormia mala inde fieri debeant. Vidi tale sceleton, in quo nullum ferè os erat, quin acutis ejusmodi osseis prominentiis hirtum foret. Sed & similia in cavo calvariæ fuerunt observata. Vidit *Lamottius* (*d*) duram matrem illo loco, ubi falcem format, osseis talibus aculeis asperam, in cadavere juvenis, qui per octodecim annos epilepsiâ laboraverat. Sic autem eminebant illi aculei, ut piam matrem lædere & pungere potuerint. Raram hanc Observationem *Academiæ Regiæ Scientiarum* transmisit, in cujus Historia etiam habetur (*e*). Invenit tamen in eodem cadavere ventriculos cerebri sero extravasato plenos. Postea celeberrimus *Hunauldus* in adulto homine, pariter epileptico, similia spicula ossea invenit infra sinum longitudinalem superiorem, quæ cerebrum punxerant (*f*). Et in cadavere juvenis epileptici, inventum fuit intra ipsum cerebellum os irregularis figuræ, quod longitudine pollicem, latitudine verò dimidium pollicem, æquaret (*g*).

INTROPRESSIONES EJUS. Calvariæ cavum semper plenum est naturaliter; unde, abscisâ post mortem calvariæ ollâ, non facilè iterum adaptari potest, quia encephalon, osse coercente, liberum exsurgit: dum ergo, intropressâ calvariâ, minuitur ejus cavum, encephalon comprimitur; unde & epilepsia, & plura alia mala, fieri poterunt, uti ad §. 267, dictum fuit.

CARTILAGINEAM SINUUM VENOSORUM NATURAM. Ut functiones cerebri rectè perficiantur, requiritur expeditus motus humorum per arterias, & reditus eorumdem per venas. Sinus autem venosi quasi diverticula quædam sunt, in quibus sanguis colligi potest, & retineri, saltem per aliquot momenta, dum per tussim, risum, nixum validum, impeditur liber sanguinis motus ex corde dextro per pulmonem, adeóque & venæ jugulares se commodè evacuare nequeunt; debent ergo illi sinus utcumque cedere posse: si ergo in car-

(*a*) Acad. des Scienc. Ann. 1705. Histoir. pag. 62.
(*b*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. III, & IV. Charter. Tom. X. pag. 478. 479.
(*c*) Ibid. Cap. VI. pag. 483.
(*d*) Traité Complet de Chirurgie, Tom. II. pag. 398.
(*e*) Ann. 1711. Histoir. pag. 36.
(*f*) Ibid. Ann. 1734. Histoir. pag. 59. 60.
(*g*) Ibid. Ann. 1737. Histoir. pag. 71.

tilaginem obduruerint, distendenti sanguini cedere nequeunt inflexiles, simúlque tunc crassescere solet substantia sinuum in cartilaginem mutata, adeóque & minuitur sinuum cavitas: utroque hoc modo turbatur facilis reditus sanguinis venosi ab encephalo. Talia autem impedimenta reditûs sanguinis venosi à capite in cadaveribus epilepticorum deprehensa fuerunt (*a*).

FRAGMENTA, SPINASVE, &c. Si enim acuta ossea spicula, enata ex duræ matris processibus, irritando & pungendo cerebrum, epilepsiam producere potuerint, utì statim dictum fuit; idem fiet, si post vulnera capitis validásve contusiones, aspera fragmenta ossis, vel instrumentorum vulnerantium partes relictæ, similem irritationem fecerint. De his autem dictum fuit in vulnerum capitis Historia.

ARGENTUM VIVUM, &c. Notum est quòd argentum vivum satìs facilè bibula venarum oscula ingrediatur, in superficie externa & interna corporis disposita, inprimis si subtilissimè divisum fuerit. Experiuntur hoc illi, qui metallis inaurandis operam dant, & igne argentum vivum, quocum hoc artificium peractum fuit, in auras difflant. Sic enim argentum vivum, vi ignis adeo divisum, ut in aere volitare possit, unà cum aere inspirato hauriunt, & tremore membrorum, paralysi, epilepsiâ, sæpe corripiuntur. Eadem mala contingunt illis, qui in fodinis argenti vivi versantur, & inprimis his, qui ignis vi ex minera sua argentum vivum excoquunt. Postquàm luis venereæ cura per inunctiones argenti vivi tentata fuit, & sæpe, imprudenti consilio ab Agyrtis magna copia unguentorum mercurialium applicabatur, numerosissima Observata docuerunt, similia mala contigisse miseris talibus, ac priùs recensita fuerunt. Imò constitit, argentum vivum, humoribus circulantibus mistum, miram mutationem corpori inducere (de qua re postea in capitulo *De Lue Venerea* dicetur); sed & frequenter elabi ex vasis, colligi & stagnare in ossium cellulosis recessibus, ibíque pondere suo membranas sensiles premendo & distrahendo, dolores molestissimos, totâ vitâ pertinaciter manentes, producere. Sic *Matthiolus* (*b*) observavit, ex osse cruris corrupto hominis, qui decies à diversis Empiricis inunctus fuerat, argentum vivum non semel emanasse. Aliquoties & talia ossa calvariæ vidi in quorum diploe argenti vivi globuli manifestè apparebant. Nec repugnat, in ipsa cava encephali argentum vivum sic eructari posse, & summa mala producere. Cùm autem epilepsia satìs frequenter observata fuerit sequi imprudentem applicationem argenti vivi, ac quidem in hominibus nunquam antè huic morbo obnoxiis, in quibus nulla alia epilepsiæ causa, severo etiam examine, detegi potuit; patet & hanc morbi causam reliquis adnumerari posse.

IDEM CEREBRUM AFFECTUM MALE, &c. Illæ causæ, quæ hoc numero hactenus recensitæ fuerunt, omnes sunt tales, ut irritando, rodendo, &c, cerebrum lædendo, hunc morbum fecerint. Verùm inflammatio eumdem ef-

(*a*) Bonet. Sepulcr. Lib. I. Sect. XII. Tom. I. pag. 283. 292.

(*b*) Aphrodisiac. pag. 268. B.

fectum præstare poterit, utì facilè patet; ideóque in phrenitidis Historia §. 774, convulsiones numerantur inter illa mala, quæ pessimam phrenitidem sequi solent, & §. 775, patuit, in cadaveribus hoc morbo defunctorum non tantùm inflammationes in capite interno repertas fuisse, sed & inflammationis sequelas, abscessus nempe, sphacelos, & acres rodentes liquores; quæ singula certè sufficiebant, ut ante mortem epilepsiam producerent. Si bonum pus, post validam contusionem collectum sub cranio, potuerit producere fortissimam epilepsiam, illico levatam, dum perterebrato cranio exitus conciliabatur puri (*a*), facilè intelligitur, pure acriorem longè saniem corruptam pejora adhuc mala facere debere. Verùm illud pus hærebat inter cranium & duram meningem, adeóque premendo mole suâ, vel irritando, nocuerat tantùm, nondum ad ipsam cerebri substantiam penetrans. Si ergo caries nata fuerit in ossibus cranii, corrupta sanies ex affecto osse depluens in meninges cerebri, epilepsiam facere poterit; qualis casus apud *Bonetum* (*b*) legitur de juvene, qui post diuturnum capitis dolorem vehementissimâ corripiebatur epilepsiâ, cujus tertio paroxysmo exstinguebatur. Apertâ calvariâ, inveniebatur os occipitis juxta cerebellum carie exesum, ita tamen ut externa calvariæ lamina adhuc integra mansisset; unde, nudato cranio, in externa ejus superficie nihil mali detegebatur. Si (*c*) *Rerum graveolentia*, ut monet *Aretæus*, epilepsiæ paroxysmum renovant, quantò magìs hoc faciet cariosi ossis pessima fracedo, ipsum encephalon immediatè afficiens, dum hoc putridum tegmine osseo cranii coercetur, ne extrorsum difflari possit. Gummata autem venerea solent frequenter ossa, quibus insident, corrumpere carie; vel, si intra cranium hæreant, premendo mole suâ encephalon, nocere possunt; de quibus postea in capitulo *De Lue Venerea* dicetur. Atra verò bilis, soluta & mota, si ad cerebrum venerit, cùm simul tunc magnam acrimoniam habeat, frequenter hunc morbum producit; sed pessimum, & plerumque citò lethalem, utì postea ad §. 1104, dicetur.

HAS AUTEM CAUSAS JUVANT OMNIA, &c. Verùm illæ causæ, hactenus recensitæ, non semper præsentem sistunt hunc morbum, saltem non omnes: intervallum inter paroxysmos hujus morbi est, &, utì antea dictum fuit, sæpe satìs longum. Manet ergo illa causa prædisponens, licèt non renovet paroxysmum, nisi vel augeatur ipsa, vel nova alia causa accedat, quæ, priori juncta, paroxysmum epilepticum producit. Videmus autem, Antiquis jam innotuisse latentem illam dispositionem epilepticam, quæ silere posset diu, & dein improvisò emergere. Hinc Legislator (*d*) posuit, licere emptori restituere servum, quem emerat, nescius, illum huic morbo obnoxium esse; & dum in aliis morbis latentibus, nec vulgò cognitis, spa-

(*a*) La Motte, Traité complet de Chirurg. Tom. II. pag. 387, & suiv.

(*b*) Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XII. Tom. I. pag. 273.

(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. v. pag. 1.

(*c*) Plato de Legibus, Lib. XI. Tom. II. pag. 916.

tium sex mensium pro termino restitutionis statueret, integrum annum concessit, si morbo sacro laboraret: probè enim gnarus erat, longa talia intervalla inter hujus morbi insultus quandoque inveniri. Minùs fortè æquus videtur fuisse Medicis & Gymnastis, dum hoc restituendi servos emptos jus illis negaret, credens illos Arte suâ & Experientiâ detegere posse latentem illam diathesin; cùm tamen certum sit peritissimos Medicos in hac re falli posse, dum in illis, qui diu à paroxysmo liberi sunt intermedio tempore nullum sæpe signum læsæ sanitatis apparet. Videtur autem in more fuisse antiquitus, ut servos venum expositos gagatis lapidis nidore explorarent emptores, ut detegerent, an epilepsiæ obnoxii forent. Nidore hujus suffumigii insultum epilepticum excitari, *Aretæus* (*a*) monuerat; & *Apuleïus* magiæ accusatus, dum causam suam ageret, habet sequentia: (*b*) *Quòd si magnum putarem caducum dejicere, quid opus fuit carmine, cùm incensus gagates lapis, ut apud Physicos lego, pulchre & facilè hunc morbum exploret; cujus odore etiam in venalitiis vulgò sanitatem aut morbum venalium experiantur?*

Observatum jam fuit, quòd insultus epilepticus recrudesceret in prædispositis ad hunc morbum, si humorum copia, vel impetus versùs caput augerentur, quod inprimis fit à sequentibus.

PLETHORA. Quid plethora sit, & signa, quibus præsens cognosci possit, antea ad §. 106, dictum fuit. Ad §. 1010. n°. 1, data fuit ratio, quare plethora encephali functiones præ reliquis turbet. Dum ossei aculei, ex dura matre enati, pungebant piam matrem & cerebrum suppositum, tantò plùs debebant nocere, quantò magìs turgeret distenta in vasis suis pia mater. Sed in cortice cerebri naturaliter sanguis ruber non adest, hinc in plethora turgent inprimis piæ matris vasa sanguinea, & tantò validiùs premuntur illis aculeis eminentibus; unde miser homo levabatur validâ sanguinis missione, per quam depleta vasa subsidebant (*c*). Neque tantùm plethora instar causæ excitantis agit, sed videtur & sola quandoque sævissimam epilepsiam, & subitò lethalem, producere. In nobili juvene octodecim annos nato, athletici habitûs, & plethorico, hoc vidit *Carolus Drelincurtius* (*d*): post lautius enim prandium, dum se pilæ ludo accingeret, concidit epilepticus, sanguinem tamen naribus fundens: licèt autem efficacia tentarentur auxilia, novis insultibus crebris intra spatium sedecim horarum periit. Frigidissima autem vasa sanguinea encephali & sanguis extravasatus in cranio reperta fuerunt.

MOTUS, CALOR, &c. Per motum corporis validum, per calorem aeris auctum, videmus manifestè omnia vasa sanguinea plùs distendi, licèt copia sanguinis per motum vel calorem non augeatur, sed rarescant humores: hinc similem effectum hæc præstare possunt, ac nimia abundantia boni sanguinis in plethora. Quantùm in hominibus bene potis inflentur vasa sanguinea, sa-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. v. pag. 1.

(*b*) Apolog. prim. pro seipso, Tom. II. II. pag. 169.

(*c*) Académ. des Scienc. Ann. 1734. Histoir. pag. 59.

(*d*) Bonet. Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XII. Tom. I. pag. 294.

tìs notum est; & à sola ebrietate lethalem convulsionem fieri, nisi febris corripuerit, notavit *Hippocrates* (*a*); utì aliâ occasione ad §. 558, monui: non mirum ergo in prædispositis inde renovari paroxysmum. Epileptici tamen generosos potus sæpe amant, quia ab insultu resurgentes se adeo debiles & languidos sentiunt. Epularum autem luxus duplicem ob causam nocet, & quia copioso chylo crudo, sanguini affuso, augetur subitò fluidorum moles; & quia ventriculo admodum distento magìs turgent vasa sanguinea superiorum corporis partium, utì alia occasione ad §. 1010. n°. 3. *lit.* α, explicatum fuit. Unde etiam frequenter contingit, epilepticos solemnia convivia fœdare morbi sui paroxysmo; posteàque pudibundos hominum consortia fugere, & in pessimam melancholiam incidere.

VENUS. Si considerentur illa, quæ coitûs tempore in viro contingunt, aliqua similitudo cum epilepsia videtur adesse. Absque voluntatis imperio musculi erectores penis tenduntur; toties enim rigent invitis etiam, dum in aliis quovis pretio hoc redimere volentibus, flaccidi manent. Sed & verâ convulsione semen exprimitur (*a*), & illo tempore oculorum acies obnubilatur (hinc *putres in amore ocellos* dixerunt Poetæ); paulò pòst totum corpus resolvitur & languet; ita ut ferocissimus, œstróque venereo ferè furens taurus post coitum langueat mansuetus. Utì frequentes epilepsiæ paroxysmi omnes functiones cerebri lædunt, & tandem omnino delent, lethali apoplexiâ, sic & similes effectus ab immodica venere natos fuisse, ingens Observationum Practicarum numerus docet. Imò & constitit, ab imprudenti licitæ etiam Veneris usu epilepsiam secutam fuisse (*c*). Omnium autem maximè hoc metuendum est in illis, qui antea huic morbo obnoxii fuerunt; & contigisse novi, quòd talis venus primas conjugalis lecti delicias epileptico insultu fœdaverit. Non sine ratione Veteres ergo dixerunt, τὴν συνουσίαν εἶναι μίκραν ἐπιληψίαν. *Hippocratem* quidem hoc dixisse, voluit *Aulus Gellius* apud quem leguntur sequentia: (*d*) *HIPPOCRATES autem, Divinâ Vir Scientiâ, de coitu venereo ita existimabat, partem esse quamdam morbi teterrimi, quem nostri comitialem dixerunt.* Interim apud *Hippocratem*, saltem in ejus operibus, quæ ad nos pervenerunt, non memini hoc inveniri; & *Galenus* (*e*) tribui *Democrito* hanc sententiam memorat.

INGENIUM PERSPICAX, ALTUM. Omnes illas causas, quæ gravem & manifestam noxam cerebro ejúsve meningibus inducunt, epilepsiam producere posse, etiam in his, qui vervecum in patria crassóque sub aere nati sunt, certum est. Verùm illi, qui perspicaci mentis acie gaudent, videntur sensorium commune sic dispositum habere, ut à similibus causis etiam levioribus, turbetur faciliùs. Ingeniosissimas puellas & hoc morbo, & hystericis affectibus, frequentiùs corripi observant Medici; atque in viris, ad summa in

(*a*) Aphorism. Sect. V. n°. v. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 196. Confer. De Morb. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 559.
(*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 657.
(*c*) Heers, Observat. Med. 18. pag. 176.
(*d*) Noct. Attic. Lib. XIX. Cap. 11. pag. 465.
(*e*) Hippocrat. Epidem. Lib. III. Comment. I. text. IV. Charter. Tom. IX. pag. 207.

rebus humanis negotia capessenda natis, & Scientiâ claris, ille morbus sæpius observatus fuit: pauca, sed magna nomina hîc recensere sufficiet. *Julius Cæsar* gaudebat (*a*) *Valetudine prosperâ, nisi quòd tempore extremo repentè animo linqui, atque etiam per somnum exterreri solebat. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est.* Huic morbo & obnoxius fuisse *Petrarca* creditur (*b*). De seipso fatetur *Fabius Columna* (*c*), quòd epilepsiâ laboraverit, & ideo veterum Medicorum scripta evolverit, ut videret, an Antiquorum testimoniis probarentur illa, quæ Medici pro morbi curatione facienda suadebant. Radice autem valerianæ sylvestris usurpatâ, se ab hoc morbo liberatum fuisse memorat (*d*). Multiplici eruditione celeberrimum *Franciscum Redum* ultimis vitæ annis epilepticum fuisse constat (*e*), & septuagenario jam major inventus fuit manè in lecto mortuus.

MEDITATIO PROFUNDA. Omnes illi, qui studiis operam dant, propriâ experientiâ noverunt, quantùm caput afficiatur, dum diu attentissimâ mente eidem cogitationi inhærent; inprimis in abstracta Mathematicorum Disciplina: utì etiam dum in intimo quasi memoriæ recessu quærunt aliquid, quod se antea novisse sciunt, & cujus jam recordari nequeunt. Vidi egregium Virum, qui nimiis lucubrationibus sanitatem perdiderat, illico vertigine molestissimâ correptum, si attentâ mente auscultaret alios narrantes etiam brevem historiolam. Nihil autem molestius sibi accidere querebatur, quàm, dum aliquid in memoriam revocare vellet; tunc enim summopere angebatur, imò quandoque in animi deliquium incidebat, cum summæ lassitudinis sensu: nec poterat à scrutinio hoc semel incepto desistere, licèt omni modo obluctaretur; sed cogebatur invitus in eo pergere, donec deficeret. Sic *Galenus* observavit in juvene Grammatico, quòd (*f*) *Quoties nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut diutius inediam sustineret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur.* Vidi sic aliquoties, & dolui, optimæ spei pueros in pessimam & insanabilem epilepsiam incidisse, dum morosi Præceptores urgebant, ut absque ulla ferè interpolatione studiis incumberent: dúmque credulos parentes vanâ spe portentosæ filiorum eruditionis lactabant, turpissimè tantis exciderunt promissis, dum miseros discipulos epilepticos reddiderant, quandoque & totâ vitâ hebetes & fatuos.

AFFECTUS ANIMI INGENTES. Quàm subitas & validas mutationes in corpore producere possint animi affectus, antea ad §. 99, & 104, dictum fuit: simúlque tunc constitit, omnes functiones corporis per illos turbari posse, inprimis autem has, quæ ab encephalo pendent. Minimè ergo mirum est, ab iisdem excitari, & in actum deduci, latentem diathesin epilepticam. Dum validâ percellitur irâ homo, rubet facies & tumet, oculi sanguine suffunduntur, pulsus & fortior & celerior fit; quæ omnia signa docent auctam humorum celeritatem, & validiorem versùs caput affluxum: inde juvenis

(*a*) Sueton. Lib. I. Cap. XLV. pag. 59.
(*b*) In vita, præfixâ ejus operibus.
(*c*) In Præfatione Phytobasani.
(*d*) Ibid. pag. 120.
(*e*) In vita, præfixâ ejus operibus, pag. 10.
(*f*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 492.

Grammaticus, de quo ſtatim dictum fuit, corripiebatur epilepſiâ, dum iraſceretur. Idem & à gaudio ſubito, & triſtitiâ contigiſſe, vidi ſæpius.

IMAGINATRIX VIS INGENS. Antea ad §. 700, ubi de *Delirio febrili* agebatur, dictum fuit, quòd imaginatio dicatur perceptio ideæ natæ ex mutatione Phyſica organi ſentientis intimi, ſive ſenſorii communis, à cauſa interna. Quando enim à cauſa externa in ſenſus agente idea naſcitur, tunc dicitur ſenſuum perceptio. Mirabilem hanc facultatem homo poſſidet, ut per imaginationem rem abſentem ſibi ſiſtere tamquam præſentem poſſit; imò & novas excitare ideas rerum, quæ nunquam exſtiterunt, dum v. gr. ſibi chimæram imaginando ſiſtit. Utì jam & reliquæ mentis functiones non eâdem facilitate exercentur in omnibus hominibus, ſed in quibuſdam majus intellectûs acumen obſervatur, firmior memoria, judicium magìs accuratum; ita etiam in quibuſdam hominibus hæc imaginandi vis major eſt. Laudatur hoc in Pictoribus & Statuariis, qui pulcherrimâ ſuâ Arte hoc efficiunt, ut in aliis hominibus ſimilis idea excitetur per ſenſuum perceptionem, qualem illi imaginando conceperant. Poetarum enthuſiaſmus validæ imaginationi pariter originem debet. Ubi ergo vis imaginatrix ingens eſt, & ſolitariam inprimis vitam ducens homo ab objectis externis rarò & non adeo fortiter afficitur, tunc idea, per imaginationem nata, ſæpe fortiùs mutat ſenſorium commune, quàm aliæ ideæ ex ſenſuum perceptione productæ; & dum ſimul ſenſorium commune ſic mutatur, aliâ ratione, quàm unquam ab objectis externis factum fuerat, novæ & inſolitæ naſcuntur ideæ; quarum cauſas extra ſe exiſtere credunt, & bonâ fide putant, ſe revelationes aliáque multa mira vidiſſe. His autem ideis ſic per imaginationem natis ſi ſe jungat illud gratum vel ingratum (vide §. 700.), tunc inſuperabilis ſæpe perturbatio omnium functionum animalium ſequitur. Unde patet, quare iis, qui ad epilepſiam diſpoſiti ſunt, vivida talis imaginatio adeo noceat: imò obſervamus quandoque in initio paroxyſmi epileptici, vel paulò antè excitari tales novas & inſolitas ideas, dum pulcherrimos, & nunquam antè viſos, colores, ſonos ſuaviſſimos, odores nunc gratos, nunc ingratiſſimos, percipiunt; iraſcuntur quandoque, dum caput (*a*) ligno vel lapide percuti ex inſidiis credunt. Videmus præterea metûs ſigna in vultu apparere quibuſdam, dum concidunt; in aliis contrà ad riſum compoſita facies obſervatur: quæ omnia confirmare videntur, quòd tunc novæ ideæ naſcantur à cauſa interna in ſenſorium commune agente. Dum ſpectrum humeris inſiluiſſe, illúdque ad ædes ſuas uſque ſe detuliſſe, imaginabatur adoleſcens, peſſimè ſe inde habuit; & renovatâ ſimili ſpectri viſi imaginatione, fuit factus epilepticus (*b*).

TERROR, METUSQUE INPRIMIS. Nulla fortè cauſa frequentiùs produxit hunc morbum, & ſæpius incurabilem, imò & quandoque ſatìs ſubitò lethalem. Multos novi epilepticos factos fuiſſe & totâ vitâ manſiſſe, dum co-

(*a*) Aretæ. de Cauſ. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. v. pag. 2.

(*b*) Frid. Hoffmann. Medicion. Ratin. Syſtem. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. 11. ad Enarrationes Morbor. Obſervat. IV. pag. 32.

ram ipsis alter epilepticus conciderat; & numerosi tales casus in *Historia Medica* habentur. Doluit acerbissimè *Schenckius* (*a*), carissimam sibi conjugem robustam & optimæ valetudinis, ultimo graviditatis mense periisse cum fœtu, dum, incendio in vicinia excitato, de fenestra in sublimiori ædium parte conspexisset flammam, & scintillas per aera volitantes, ac quaquaversum dispersas: adeo enim sævâ inde corripiebatur epilepsiâ, ut intra duodecim horas, sæpius repetitis insultibus, exspiraret. Nihil autem morbosi prægressum fuerat in hac matrona; solus terror ingens & subitus causam dederat.

Verùm epilepsia, à terrore nata, renovare solet paroxysmos suos tunc inprimis, quando similis idea renascitur, ac fuit illa, quæ morbum excitaverat. Puer à cane magno insiliente ita terrebatur, ut paulò pòst concideret epilepticus; & postea dum majorem canem videret, vel & latrantem audiret, redibat paroxysmus. Unde discimus, quàm parùm sæpe requiratur, ut latens illa diathesis epileptica denuo in actum deducatur. Vidi hominem, qui aliquoties sumpserat haustum purgantem, nauseosum satìs, viso poculo, de quo hauserat remedium, horruisse non tantùm & nauseasse, sed & alvum deposuisse frequentiùs: sic sola idea fastidiosi remedii renovata purgantis pharmaci vices supplevit, & totum corpus turbavit. Numquid & literarum notulæ, nihil commune cum rebus significatis habentes, in nobis renovant easdem ideas, quas ante plures annos habuimus, & quarum memores non ampliùs eramus? Imò & ab hac sola causa sæpe renovantur validi affectus animi, iræ, odii, tristitiæ, &c, qui jamdudum sopiti fuerant. Simili modo videntur renovari insultus epileptici illis, qui à valido terrore in hunc morbum inciderant. Unde videtur *Galenus*, dum notabat illa, quæ vitanda erant in puero epileptico, ne recrudesceret paroxysmus, optimè interdixisse à quibus, (*a*) *Corpus vehementer moveri & perturbari solet, atque in reminiscentiam morbi referri* (ἐς τοῦ πάθους ἀναμνῆσαι), *& ad generationem paroxysmi deduci.* Ibi enim pulchre paroxysmum recrudescentem comparat renovatæ quasi memoriæ silentis antea illius dispositionis epilepticæ.

4°. Causæ illæ, præcedenti numero recensitæ, in ipso cerebro sedem suam habebant, & inde turbabatur miris adeo modis totum systema nervosum. Verùm à nervis mutatis in diversis partibus corporis turbari posse adeo cerebrum, ut inde epilepsia oriatur, constat certis Observatis. Dum leviter titillando attrectarentur plantæ pedum in puella, de qua præcedenti paragrapho dixi, fiebat mutatio in nervis quàm maximè dissitis ab encephalo, & fiebat epilepsia. Ab inopinato tubarum clangore puerum epilepticum redditum fuisse, & decem horarum spatio occubuisse, refert *Schenckius* (*c*). Antea ad §. 364, ubi de luxationibus agebatur, dictum fuit, quandoque pessimas convulsiones sequi, dum tentaretur reductio, ubi valida inflammatio jam aderat: imò ex *Hippocratis* Observatis constitit, utì ibidem

(*a*) Observat. Medic. Lib. I. pag. 128.
(*b*) Consil. pro Puer. Epilept. Cap. II. Charter. Tom. X pag. 488.
(*c*) Observat. Medic. Lib. I. pag. 109.

dictum fuit, quasdam luxationes non debere restitui, inprimis si (a) ossa luxata per vulnus factum exciderint, quia reductione factâ pereunt convulsi tales ægri. Ex quibus patet, violentas affectiones generis nervosi, quámvis ortas à causis agentibus in loca dissita ab encephalo, epilepsiam producere posse. Illud autem fieri observatum fuit à sequentibus.

MAGNI ET PERIODICI DOLORES. Magnum dolorem convulsiones producere, antea ad §. 226, probatum fuit: si ergo validi tales dolores recurrant per periodos, ab hac causa epileptici paroxysmi produci poterunt.

A calculis v. gr; renis pelvim, ureteres, vesicam irritantibus, epilepsiam natam fuisse constat. Puella duodecim annorum subitò corripiebatur insultu epileptico, & biennii spatio peribat, frequentiùs recurrentibus & validioribus paroxysmis epilepticis. In cadavere nihil inventum fuit in capite, quod pro causa hujus morbi haberi posset; sed in pelvi renis dextri reperiebatur triangularis calculus quinque drachmas pendens (b). Verùm quidem est, utì postea dicetur causas epilepsiæ quandoque esse adeo absconditas, ut & peritissimi Viri falsi fuerint, se in cadaveribus epilepticorum, omni curâ lustratis, nihil detexisse, cui morbus adscribi posset; adeóque posset non sine ratione dubitari, an quidem calculus ille pro causa haberi deberet, & an non fortè quid mutati in encephalo fuisset, quod morbo producendo suffecisset, licèt sensibus non detegendum. Verùm apud eumdem Auctorem alia Observatio (c) habetur puellæ ejusdem ætatis ferè, & similiter epilepticæ, quæ post validum paroxysmum, excretis quinque calculis, ab hoc morbo liberata fuit; adeóque probabile videtur, in priori casu à simili causa morbum natum fuisse. Notum autem est, calculos non semper eosdem cruciatus facere, sed prout in ureteres propelluntur, magísque angulosi sunt, & difficiliùs transeunt, &c, turbare corpus; adeóque à tali causa periodici insultus epileptici excitari poterunt.

PASSIO HYSTERICA. Antea ad §. 633, ubi de anxietate spasmodica agebatur, notatum fuit quibusdam hominibus adeo mobile esse totum systema nervosum, ut à levioribus causis sævæ convulsiones nascantur. In viris dicitur tunc *Morbus Hypochondriacus*; in fœminis verò *Passio Hysterica*, quia ab utero pendere omnia hæc mala crediderunt plurimi; imò uterum, loco suo motum, versùs superiora adscendere. Tales autem mulieres, sæpe satìs cæteroquin sanæ, ad iram provocatæ vel perterritæ, incipiunt angi, motum sanguinis per vasa turbatum habere, cum palpitatione cordis: non ita diu pòst sentiunt circa hypogastrium quid moveri & rotari quasi, quod adscendit plerumque in latere sinistro, & ubi diaphragmatis altitudinem attigit, tunc sentiunt se quasi suffocari, & in gula obstaculum molestissimum percipiunt; imò quandoque manifestè apparet, œsophagum distendi, paulò pòst cadunt, & sæpe diro modo convelluntur. Hæc est illa πνῖξ ὑστερικὴ,

(a) Lib. de Artic. Comment. IV. text. xv. Charter. Tom. XII. pag. 435.

(b) La Motte Traité complet de Chirurg. Tom. II. pag. 416.

(c) Ibid. pag. 20.

sive

five suffocatio uterina, Veteribus dicta. Cùm autem globi, quasi per abdomen adscendentis, motum sentiant, & constricto per fasciam abdomine, antequam ad diaphragma adscenderit, levamen habeant; in faucibus globi præfocantis sensum percipiant; circa menstruorum tempus sæpe recrudescant hystericæ illæ dictæ passiones; hinc concluserunt, uterum sic adscendere versùs superiora, vel saltem causam omnium horum malorum in utero hærere. Negari quidem nequit, corruptos humores, in uteri cavo collectos, vel in vasis per substantiam ejus dispersis hærentes, rodendo vel irritando nervosam hanc partem, pessima mala facere posse. Verùm ubi, nihil ichoris de utero prodit; nulla signa docent, inflammationem, ulcerationem, schirrum, &c, in utero hærere; post solum animi affectum tantæ excitantur turbæ, & in viris similia quandoque mala observantur; facilè patet, uterum pro causa absoluta & unica passionis hystericæ haberi non posse: sed omnia symptomata docent, in nervis, per abdominalia viscera dispersis, inordinatos tales motus excitari, qui postea totum cerebrum turbant, & pessimas convulsiones producunt; utì in sequentibus patebit fieri, si & in aliis corporis locis nervi similiter afficiantur. Contingit autem aliquando, quòd tempore paroxysmi talis hysterici mens constet, omnia audiant, intelligant, & finito paroxysmo, nullam mentis hebetudinem sentiant, nulla spuma ex ore prodeat: tunc hysterica, vel hypochondriaca, passio solet vocari, non epilepsia; quia, ex definitione §. 1071, data, sensus interni & externi abolentur in vera & exquisita epilepsia. Interim tamen affinia admodum hæc mala sunt, & passio hysterica sæpius observata fuit in epilepsiam mutari. Pathognomonicon signum passionis hystericæ, quæ sæpe quosvis alios morbos mentitur, *Sydenhamus* (vide §. 633.) posuit (*a*) urinæ limpidissimæ copiosum profluvium, quod insultum hujus morbi præcedere solet: sed *Hippocrates* monuerat sequentia; (*b*) *Epilepticis urinæ tenues & crudæ, præter morem, sine repletione, morbi invasionem significant.* Ubi prudenter notat, tunc talem urinam designare insultum epilepticum, si *præter morem & absque repletione fiat.* Dantur enim homines, & novi aliquot tales, quibus familiare est urinam copiosam instar aquæ limpidam emittere, etiam dum morbis acutis laborant; & potu tenui copioso assumpto, semper talis urina prodit. Verùm in hystericis & hypochondriacis, simulac turbari incipit per animi affectus, vel aliam quamvis causam, systema nervosum, limpida talis, inodora, insipida urina, ad aliquot sæpe libras excernitur, & paulò pòst sequuntur illæ anxietates ac convulsiones. Unde meritò passio hysterica inter causas epilepsiæ recensetur.

ROSIONES ET IRRITATIONES A LUMBRICIS. De vermibus, & plurimis malis, quæ ab his in corpore nasci observatum fuit, postea ad §. 1360, in capitulo *De Morbis Infantum*, dicetur. Sufficit hîc notasse, quòd, dum, rependo per intestina vel ventriculum, irritant has partes, vel rodendo lædunt, epilepsiam produxerint sæpius. In puero bienni, optimo corporis habitu

(*a*) Dissertation. Epistolar. ubi de Hyster. pag. 491. 492.

(*b*) Coac. Prænot. n°. DXCIX. Charter. Tom. VIII. pag. 887.

prædito, graviſſimis & continuis convulſionibus exſtincto, inventum fuit duodenum inteſtinum perforatum à lumbrico terete, qui adhuc vivus inde extractus fuit (*a*). Dum radicem valerianæ ſylveſtris ex *Fabii Columnæ* conſilio dabat epilepticis *Marchantus* (*b*), profuit pluribus; ſed vermes per anum expellebantur ab hoc remedio.

DENTITIONE, ACRI HUMORE, &c. In prima ætate cerebrum ejúſque propagines, nervi nempe, proportione majores ſunt ad reliquas partes quàm in adultis, & à levioribus etiam cauſis valde irritantur. Hinc omne, quod ſenſus validiſſimè afficit, & ſubitò, utì magnus fragor, lux vividiſſima, dolor acer, epilepticas convulſiones in junioribus producit; & ex centum hominibus vix unus eſt, qui non ſimile quid in primo vitæ ſtadio paſſus fuit, licèt poſtea totâ vitâ ab hoc malo immunis maneat. Præcipuè autem hoc metuitur dentitionis tempore, dum gingivæ tenſæ, inflammatæ ſæpe, dilacerantur ſenſim à dente ex alveolo emergente, ſícque magnum dolorem faciunt. Inprimis autem hoc contingit, dum canini dentes prodeunt, qui craſſiores, & obtuſum apicem habentes, gingivas difficiliùs findere poſſunt. Notavit hoc *Hippocrates* (*c*), ubi præcipuos in variis ætatibus morbos recenſet. Cùm autem cauſa talis epilepſiæ ceſſet, ſimulac dens prorupit, & lanceolâ dividi poſſit tutò in tali caſu gingiva; hinc alio loco *Hippocrates* dixit, (*d*) *Non omnes in dentibus convulſi intereunt, ſed & multi ſóſpites evadunt.*

Idem jam metuendum eſt in infantibus, ſi ventriculus aut inteſtina acri quocumque irritantur: quod in recèns natis à meconio retento, & poſtea à lacte aceſcente in ventriculo & inteſtinis, toties fieri obſervatum eſt; de quibus poſtea agetur in capitulo *De Morbis infantum.*

CONTAGIO VARIOLARUM. Videntur Obſervata plura docere, quòd, dum corpus gravatur, vel irritatur inſolito ſtimulo acri, tunc ſequantur ſæpe validæ convulſiones, per quas vel expellitur illud, quod gravat aut irritat; vel deponitur ad talia corporis loca, ubi minùs nocet. Si ventriculus moleſtâ ingeſtorum ſaburrâ oneretur, vel fluctuet iners pituita in ventriculo ferè vacuo, oritur nauſea & vomitus, per quem excutitur illud gravans aut irritans. Sed vomitum & nauſeam pro ſua cauſa proxima agnoſcere convulſionem fibrarum muſcularium, faucium, œſophagi, ſtomachi, inteſtinorum, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, antea ad §. 642, & §. 652, probatum fuit. Si acre quid oculis inſiliat, convelluntur palpebrarum muſculi orbiculares, nec diduci poſſunt palpebræ, niſi priùs, affluentibus ſimul copioſiſſimis lacrymis, illud acre enervatum fuerit, vel elutum de oculis. Idem in tuſſi & ſternutatione apparet, dum nares internæ, vel ſuperficies interna aſperæ arteriæ & ramorum ejus, irritantur. Unde *Galenus* comitialem morbum fieri dixit, (*e*) *Nervorum principio ſeipſum*

(*a*) Bonet. Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XIII. Tom. I. pag. 331.

(*b*) Académ. des Scienc. Ann. 1706. Mém. pag. 430.

(*c*) Aphoriſm. Sect. III. n°. XXV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 120.

(*d*) Libell. de Dentition. n°. XI. Charter. Tom. VII. pag. 871.

(*e*) Hippocrat. Lib. de Humorib. Comment. I. Text. I. Charter. Tom. VIII. p. 515.

quatiente, ut, quæ noxia sunt, excutiat. Ideo etiam *Hippocrates* (uti aliâ occasione ad §. 711, dictum fuit) monet quòd, (*a*) *Convulsio in febre oboriens, & eodem die desinens, bona est*: tunc enim illud, quod febrim fecerat, per convulsionem expellitur de corpore. In variolis autem sæpius hoc observatur, & inprimis in junioribus, quòd, paulò antequam materies morbi ad corporis peripheriam deponatur, paroxysmus epilepticus nascatur; papulis in cute erumpentibus, sedatur hoc malum, nec totâ dein vitâ redit: plures enim novi, qui prope tempus eruptionis variolarum, epilepsiam passi sunt, & totâ vitâ ab hoc morbo immunes postea fuerunt. Imò *Sydenhamus* (*b*), si paroxysmum epilepticum videret in infantibus, dentitione jam perfunctis, suspicabatur semper, variolas in procinctu esse, plerumque satis mites & boni moris. Idem ante morbillorum eruptionem frequenter contingit: & etiam sæpe observatur in aliis morbis exanthematicis, in febre miliari, petechiisque, antequam in cute appareant hæc exanthemata; quæ, si subitò retrocedant, novi insultus epileptici sequuntur, donec omnis materia morbosa ad cutim deposita fuerit.

CARDIOGMO. Veteres Medici καρδίαν vocaverunt superius ventriculi orificium, ubi œsophagus ventriculo committitur: hinc καρδιωγμὸν & καρδιαλγίαν, vocaverunt dolorem molestum & quasi rodentem, perceptum circa hanc partem, uti antea ad §. 63, dictum fuit; ubi simul notabatur, illud ventriculi orificium longè sensibilius esse ipsâ internâ superficie ventriculi. Tantum imperium hujus partis in reliquum corpus agnovit *Helmontius*, ut loco sedem posuerit, (*d*) Animæ Sensitivæ & Archei, cui omnia ferè tribuebat in morbis & morborum curationibus. Unde, ubi ille locus, vel à vermibus, vel ab acri humore in ventriculo hærente, irritatur, aut roditur, aut inflammatione corripitur, non mirum est, epilepticas convulsiones sequi. Videantur & illa quæ §. 953, habentur.

ULCEROSA MATERIA ALICUBI HOSPITANTE. Dum vomica purulenta nimis diu clausa manet, pus, morâ tenuius redditum & acrius simul, resorbetur venis, pessimâque mala producere potest (vide §. 406.). A tali causa epilepsiam, primo paroxysmo lethalem, vidi, ad cerebrum deposito per malam metastasin pure. Sed & observata fuit chronica epilepsia, repetitis frequenter paroxysmis molesta, quæ à carioso pedis pollice oriebatur (*e*): & apud *Schenckium* legitur, epilepticum sanatum fuisse, (*f*) *Aperto per cauterium tumore in coxa, & osse, quod simul computruerat, ablato; & parte illâ putri sanie diligenter purgatâ.*

INEDIA, CRAPULA, &c. Pluribus jam in locis (vide §. 229. 700. 710.) antea demonstratum fuit, cerebri functiones omnes turbari posse miris modis per causas tales, quæ in ventriculo hærent. Pulchre hoc notavit *Galenus*,

(*a*) Aphorism. Sect. IV. n°. XXXIX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 320.
(*b*) Sect. III. Cap. II. pag. 162.
(*c*) Ort. Medicin. Tractat. Sedes Animæ, pag. 229, & sequ. Confer. Tractat. Confirmatur Morborum sedes in Anima sensitiva, pag. 447, & sequ. & alibi passim.
(*d*) Bonet. Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XII. Tom. I. pag. 294.
(*e*) Observat. Medic. Lib. I. pag. 116.

fimúlque monuit, in quibufdam hominibus majorem ftomachi imbecillitatem ac fenfibilitatem adeffe, & illos inprimis ideo capitis morbis affici. Sic autem habet: (*a*) *Sic igitur & comitialis morbus, & carus, & coma, & catalepfis, & deliria, & melancholiæ, quibufdam ob ftomachi imbecillitatem oboriuntur, confentiente principio, quod in cerebro & nervis eft.* Ideóque alibi (*b*) triplicem epilepfiæ conftituit fpeciem, pro diverfitate loci, ubi caufa morbi hæreret: in cerebro nempe, vel circa ftomachum; vel tertiò in alia quadam parte corporis, unde, fentiente ægro, ad cerebrum ufque adfcenderet; de qua re ad fextum hujus paragraphi numerum dicetur. Similia apud *Æginetam* (*c*), *Trallianum* (*d*), & alios plures habentur. Ubi ergo in diuturna inedia acriores humores, inprimis bilis, ex duodeno inteftino in flaccidum & vacuum ventriculum facilè regurgitans, alluunt ftomachum, vel crapula gravat cibis potibúfve copiofis, & per moram fpontaneámque degenerationem acribus redditis; vel ingeruntur acria aromata, falina, &c, tali copiâ, ut rodere & irritare poffint fenfilem hanc partem, poterit fequi epilepfia. In Grammatico juvene *Galenus* obfervavit, quòd fimulac (*e*) *Diutius inediam fuftineret*, infultu epileptico corriperetur: & dum poftea, à *Galeno* curatus, integrâ valetudine frueretur, tamen breviffimâ convulfione vexabatur, (*f*) *Si aliquando ob ingruentia negotia diutius à cibo abftinere cogeretur.* Addit deinde, fe & alios vidiffe, qui epileptici caderent, (*g*) *Quum aut non probè concoxiffent, aut vini meracioris plurimùm potaffent, aut veneri intempeftivæ operam dediffent.*

Acria autem medicamenta, & venena, rodendo ventriculum, diras convulfiones feciffe, numerofiffimis Obfervatis conftat, & ubique ferè obviis; hinc illis non immorabor. Videmus ex pluribus *Hippocratis* locis, quòd hanc calamitatem (*h*) ab helleboro dato ortam obfervaverit. Hinc multus eft in enarrandis cautelis, quæ requiruntur, ut generofum illud remedium tutò dari poffit; & fimul monet, quid agendum fit, fi poft helleborum fumptum convulfiones fequantur.

Verùm & dantur alia venena, in quibus magna acrimonia non deprehenditur, quæ tamen in ventriculo hærentia fæviffimam epilepfiam producunt. Cicutæ aquaticæ radices faporis dulcedine placuerant innocuis pueris & puellabus, fed horrenda epilepfia fecuta fuit; nec evaferunt, nifi qui vel fponte, vel per Artem, noxium illud venenum evomuerant, utì aliâ occafione ad §. 229, notavi ex *Wepfero* (*i*). Hinc etiam apparet ratio, quare quandoque vomitoria, excuffis humoribus admodum acribus, fimiles morbos fanaverint; cujus memorabile Exemplum apud *Willifium* (*k*) legitur.

(*a*) De Symptomat. Cauf. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 60.
(*b*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. XI. Charter. Ibid. pag. 443.
(*c*) Lib. III. Cap. XIII. pag. 29, versâ.
(*d*) Lib. I. Cap. XV. pag. 63.
(*e*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 492.
(*f*) Ibid. pag. 493.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Epiftol. ad Democrit. de Veratr. Purgatiòn. Charter. Tom. I. pag. 27. Confer. Aphorifmor. Sect. V. n°. 1. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 193.
(*i*) Cicut. Aquat. Hiftor. & Nox. pag. 5, & feq.
(*k*) Patholog. Cerebr. Cap. IX. Obfervat. III. pag. 135.

5°. Multiplex Observatio docet, excerni de corpore humano sæpe talia, quæ vel copiâ obessent, vel pravâ qualitate, si manerent in corpore. Ubi jam salubres tales evacuationes à quacumque demum causa impediebantur, secuta fuit sæpe epilepsia. Juvenibus optimè valentibus, illo ætatis tempore, quo vasa minùs facilè cedere incipiunt liquidis impulsis, salubris sæpe narium hæmorrhagia nascitur, verno inprimis & autumnali tempore. Adultis, lauto victu utentibus, & simul sedentariam vitam agentibus, per hæmorrhoides frequenter talis evacuatio periodica fit. Si autem imprudenter cohibeantur hæ evacuationes, multa metuenda sunt mala: & monuit in genere de his *Hippocrates* sequentia: (*a*) *Qui statis temporibus sanguinem fundunt, siticulosi hi, difficiles, & exsoluti, si non fuderint* (sanguinem), *epileptici moriuntur.* Et alibi (*b*) ex mensium suppressione idem timendum esse, dixit. Verùm per periodicas illas evacuationes, laudabilis cæteroquin sanguinis minuitur copia tantùm; & longè plùs nocet suppressio aliarum evacuationum, quæ degenerantes à sanitatis conditionibus humores subducunt de corpore. Inde dum sanguis in uteri cavo post puerperium, vel in ejus vasis dilatatis, stagnat, & aere allabente corrumpitur, nec per lochia evacuatur, longè adhuc pejora mala sequi solent, quàm à menstruis suppressis; utì postea pluribus dicetur in capitulo *De Puerperarum morbis*. Ob eamdem rationem retentio urinæ, per quam naturaliter eluuntur de corpore sales & olea acriora sanguinis, capitis morbos producit: ferè omnes, qui ischuriâ pereunt, soporosi & convulsi moriuntur. Majus autem adhuc periculum est, quando in morbis acutis urina supprimitur; tunc enim citò convulsiones metuendas esse, aliâ occasione dictum fuit ad §. 772, & *Hippocratis* testimonio (*c*) confirmatum.

Præter has autem evacuationes, quæ omnes naturales ferè sunt, aliæ observantur, per quas nocens materia evacuatur, miris sæpe viis; & ab his suppressis pariter epilepsiæ periculum imminet. Sic videmus in infantibus cutim capitis plorare liquidum satìs copiosum, quod in crustas exsiccatur sæpe satìs densas, quæ, si nimis crassæ fuerint, impediunt hanc evacuationem, & epilepticos insultus producunt. Neque tantùm in capite, sed & in facie, imò per reliquam corporis cutim, simili modo acer talis humor exit, cum molesto quidem pruritu, sed plerumque magno sanitatis commodo, inprimis in infantibus magìs obesis. Frequenter vidi, dum matres pertæsæ harum molestiarum plumbatis linimentis exsiccabant manantia illa cutis loca, secutam fuisse validam epilepsiam, quâ sæpe subitò peribant; vel, si evaderent infantes, redibat in iisdem locis, aut in vicinia, similis excretio cutanea. *Hippocrates*, vel qualiscumque fuerit Auctor libri *De Morbo Sacro*, qui inter opera *Hippocratis* numerari solet, credebat, cerebrum abundare tali pituitâ, quæ, nisi repurgaretur, dum adhuc in utero hæreret fœtus, debebat hâc illâve viâ de cor-

(*a*) Prædiction. Lib. I. Comment. III. n°. CXXXIII. Charter. Tom. VIII. pag. 793. Confer. Coac. Prænot. n°. CCCXLV. Charter. Ibid. pag. 871.

(*b*) Coac. Prænot. n°. DXXII. Charter. Ibid. pag. 883.

(*c*) Prædiction. Lib. I. Comment. III. n°. CXXII. Charter. Ibid. pag. 786.

pore exire; secùs enim epilepsiam futuram esse metuebat: (*a*) *Quibuscumque pueris existentibus erumpunt ulcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui salivosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillimè degunt: hîc enim abit & purgatur pituita, quam in utero purgari oportebat; &, qui sic purgati fuerunt, comitiali morbo ferè non corripiuntur. Qui verò puri sunt, & neque ulcus ullum, neque mucus, neque saliva ulla prodit, neque in uteris purgationem fecerint, talibus periculum est, eos hocce morbo corripi.* Unde patet, quanta cum prudentia debeant tractari illæ eruptiones humorum per cutim in junioribus, neque tutò illas tolli posse, nisi alia evacuatio substituatur, per alvum v. gr; túncque adhuc magnâ cautelâ opus esse. In quibusdam jam adultioribus similis evacuatio pergit, quæ subitò suppressa, quandoque interiora capitis alluit, & pessima mala, ipsámque mortem, producit. Sic apud *Diemerbroeckium* (*b*) legitur casus adolescentis duodecim annorum, qui ab ipsa pueritia tineâ capitis laboraverat. Mater, de fœdo hoc malo abigendo solicita, agyrtæ consilio lotionibus & unguentis variis usa fuit, sícque satìs brevi tempore ablatum fuit malum. Verùm paucis diebus pòst aderat capitis dolor, quotidie accrescens, tandem ferè intolerabilis, nullis remediis cedens: secutæ fuerunt convulsiones epilepticæ, primò leviores, dein fortissimæ & continuæ, quarum vehementiâ periit. In cadavere dura mater tota apparebat rubore suffusa, & in superiori parte, versùs sinistrum latus, nigricans: dissectâ durâ matre, effluxit ichor nigricans & aquosus, qui inter utramque meningem latuerat. Et contrà *Tulpius* (*c*) observavit, in duobus infantibus epilepsiam sanatam fuisse, per manantia capitis ulcera. Aliquoties vidi in adultis utriusque sexûs hominibus, cæteroquin sanissimis, verno tempore ruborem nasci in variis faciei partibus, cum sensu caloris & pruritu: paulò pòst apparebant in cute rubente parva quædam foraminula, quæ plorabant liquidum subviscidum, quod brevì in crustas flavas densas concrescens, pertinacissimè hærebat cuti. Post aliquot septimanas sponte cadebant hæ crustæ, cutis acquirebat denuo colorem naturalem, & apparebat æquè nitida ac antè. In multis tamen vidi redire quotannis idem malum, fœdum quidem adspectu, sed absque ullo sanitatis detrimento: ubi verò pertæsi hujus molestiæ ægri adhibebant varia remedia, vel serpebat latiùs malum & durabat diutius, vel si cederet remediis, molesta capitis mala sequebantur, dolores, vertigines, &c; donec denuo recrudesceret hæc efflorescentia, cui revocandæ profuisse multùm vidi, si betæ recentis folia cuti applicarentur. Videantur & illa, quæ ad §. 725, de cutaneis talibus eruptionibus dicta fuerunt.

Observavi & aliquoties in Praxi, materiam podagricam, nondum ad inferiorum artuum articulos depulsam, epilepsiam vehementem fecisse, sanatam primo podagræ paroxysmo, nec totâ vitâ postea redeuntem.

(*a*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. IV. Charter. Tom. X. pag. 479.
(*b*) Observat. Medic. n°. LX. pag. 75.
(*c*) Observat. Medic. Lib. I. Cap. VIII. pag. 17.

6°. Observaverat jam suo tempore hanc epilepsiæ causam *Galenus*, cùm nempe, (*a*) *A parte aliqua qualibet incipit affectus, qui deinde, sentiente ægro, ad cerebrum usque adscendit.* In puero decimum tertium ætatis annum agente hoc primò viderat *Galenus*, ipse tunc temporis adolescens; puer ille simpliciter affirmabat, primum (*b*) *Affectionis initium in tibia sibi fieri; mox illinc rectà adscendere per femur, & illi superposita ilia, ac latera, ad cervicem & caput usque; quod ubi primùm attigisset, se non ampliùs sibi constare.* Postea alterum viderat epilepticum, sed jam adultiorem priori, similiáque passum, qui (*c*) *Dicebat veluti frigidam quamdam auram esse id quod adscenderat.* Comparabat hinc *Galenus* miram hanc epilepsiæ causam (*d*) venenatorum animalium morsibus. Utì enim tales morsus, apici etiam digiti inflicti, turbant omnia, sic & à tali fomite epileptico fit: pariter, utì ligaturæ validissimæ ponè locum demorsum impositæ, vel & subita resectio partis demorsæ, tollunt totum malum, dum impediunt, ne ad alias partes pergere possit, sic idem toties in epilepticis observatum fuit, utì postea ad §. 1084, dicetur. Plures tales casus vidi, & apud Observatores multa similia leguntur. Quandoque frigidam auram adscendere sentiebant; quandoque nihil distincti determinare poterant; in quibusdam oriebatur talis sensus, ac si formicæ sub cute reperent versùs superiora: verùm hoc ferè in omnibus obtinet, quòd illa aura versùs superiora vergat. Raro enim contingit illud, quod *Bonetus* (*e*) se observasse testatur in viro quinquagenario, cui per intervalla inguen sinistrum intumescebat: deinde formicationis sensus per totum crus lento gradu ad pedis plantam usque progrediebatur; quò, ubi pervenisset, citissimè recurrebat inde superiora petens, & cerebrum invadebat. Nolebat æger pati, ut Medici ferro aut igne fomitem illum epilepticum destruerent, sed ligaturâ tibiam arctè stringebat illico, dum prima mali initia perciperet; sícque impediebat paroxysmos. Ubi autem quodam tempore non satìs citò ligare crus potuerat, tam valido paroxysmo correptus fuit, ut exstingueretur mali, toties feliciter suppressi, vehementiâ.

§. 1076. QUÆ omnia (1075) Historia Observatorum, & incisio cadaverum, docuit.

Omnia illa, quæ de causis epilepsiæ præcedenti paragrapho dicta fuerunt, probatissimorum Auctorum Observatis & testimoniis fuerunt confirmata, vel visa in cadaveribus illorum, qui, dum vivebant, hunc morbum passi fuerant. Inquisiverunt enim semper Medici, & summo quidem jure, quid mutationis Physicæ in encephalo epilepticorum deprehenderetur, quod pro causa mirifici hujus mali haberi posset. Causa autem illa duplex est, utì antea dictum fuit, una, quæ paroxysmum præsentem producit; altera, quæ, dum pacatum est intervallum, facit illam diathesin ad regenerationem paroxysmi. Nonnunquam nihil omnino inventum est, quod sensibus perceptum

(*a*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. XI. Charter. Tom. VII. pag. 443.
(*b*) Ibid. pag. 444.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Sepulcret. Anatomic. Lib. I. Sect. XII. pag. 291.

poterat distinguere cadaver epilepsiâ mortui, ab alio: aliquando apparuit aliquid contra Naturæ leges consuetas in partibus quibusdam; & quando hoc sæpe eodem modo sic inventum fuerat, tunc Medici jure quodam arguebant, illud præternaturale, in pluribus cadaveribus epilepticorum deprehensum, haberi posse pro causa hujus morbi. *Willisius*, quo fortè nemo plures calvarias secuit, candidè fatetur, quòd sæpe (*a*) nullam causam sensibilem in cadaveribus epilepticorum invenerit: in aliis invenit colluviem serosam, (*b*) omnes cerebri cavitates & recessus implentem. Interim tamen & fidelibus Observatis constat, talem colluviem serosam inventam fuisse in cadaveribus illorum, qui aliis morbis capitis perierant, nunquam epilepsiam passi; utì passim apud *Pisonem, De morbis à serosa colluvie ortis*, habetur. Antea ad §. 11, monitum fuit, utilissimam quidem esse inspectionem cadaverum ad morbi latentes causas indagandas; interim tamen semper debemus memores esse, quòd in cadavere inveniamus talem statum, qualis paulò ante mortem adfuerat; quandoque illa, quæ reperiuntur præter Naturam in cadavere, sunt effectus morbi jam existentis, non verò causæ, quæ illum produxerant. Patebit sequenti paragrapho, quàm miræ mutationes in partibus fluidis & solidis corporis tempore paroxysmi epileptici fiant; adeóque & illæ post mortem deprehendi poterunt, sed morbi effectus quandoque, non semper causæ: sub hac ergo limitatione intelligenda sunt illa, quæ de causis epilepsiæ dicta fuerunt.

Certum enim est, causam epilepsiæ adeo latere posse, ut nullis sensibus detegi possit, sed tantùm se manifestet suis effectis. Dum, viso epileptico, territus homo corripitur eodem morbo, quis definire audebit, quid tunc mutatum fuerit in corpore? Antea ad §. 1071, dictum fuit, quosdam epilepsiam simulare, túncque nutu voluntatis omnes illas jactationes membrorum, contorsiones, &c, efficere: simulac cessant hoc velle, desinunt omnia, & ne vestigium causæ, quæ tantos motus excitare potuit, superest. Unde discimus, hominem sic factum esse, ut mens conscia ac volens agat in illud organum corporeum, unde motus musculares pendent, sícque motus excitare possit tantâ quidem celeritate, ut inter voluntatem efficacem & motum excitatum, nullum mensurabile temporis intervallum observari queat. Verùm simul novimus, hominem obnoxium esse huic calamitati, ut aliis causis, æquè parùm sæpe intelligendis, idem illud principium corporeum sic mutetur, ut mente, nec consciâ nec volente, similes motus excitentur, imò sæpe & validiores, utì statim videbimus. Unde patet, non semper inveniri mutationes sensibiles in cadaveribus hoc morbo defunctorum. Quis dabit rationem, quare nobilis fœmina toto graviditatis tempore epileptica esset, dum marem utero gestaret, minimè verò si sequioris sexûs fœtum? Ne autem fortuito casui hoc adscribatur, tres pueros peperit, semper epileptica, donec pareret; quinque autem puellas enixa fuit, toto graviditatis tempore ab hoc morbo libera (*c*).

(*a*) Patholog. Cerebr. Cap. IV. pag. 49.
(*b*) Ibid. Cap. X. pag. 164.
(*c*) La Motte, Traité Complet de Chirurgie, Tom. II. pag. 423-427.

§. 1077.

§. 1077. EFFECTUS hujus morbi reduci possunt: 1°. Ad mala corrupti tot violentis & repetitis convulsionibus cerebri, unde vacillatio memoriæ, hebetudo, stultitia, paralysis, apoplexia, mors. 2°. Ad mala nervorum & musculorum, unde horum, & artuum, contractiones, distorsiones, deformitates. 3°. A violento spasmo inflammatio, gangræna, nigredo partium sanguinolentarum, maximè quæ supra musculos sitæ sunt. 4°. Ad secretiones quasdam in impetu paroxysmi vi factas; cibi, potûs, lymphæ, bilis, spumæ, muci, salivæ, sursum rejectio; fæcum alvi viridium, seminis, urinæ per inferiora egestio; sanguis utrâque viâ secretus, huc spectant.

1. Licèt causæ procatarcticæ hujus morbi in diversis corporis locis observatæ fuerint, tamen, dum paroxysmus adest, cerebrum afficitur, utì ad §. 1074, probatum fuit. Non mirum ergo tot violentis agitationibus teneram pulpam cerebri lædi, & destrui quandoque. Præterea ad §. 1073, ubi enumerantur varia symptomata, quæ tempore paroxysmi adsunt, dictum fuit, venas jugulares turgere, impedito libero reditu sanguinis ab encephalo, faciem livescere, turgidos oculos protuberare sanguine suffusos; quæ omnia docent, magnam vim inferri vasis capitis à sanguine distendente; adeóque compressione mollis pulpæ encephali, extravasatione liquidorum ruptis vasis, expressione liquidi copiosioris & crassioris ex ultimis vasculis exhalantibus in ventriculos cerebri, mutatione diametri vasorum nimis distentorum, possunt variæ læsiones functionum encephali post finitum paroxysmum manere; quas recensuit *Aretæus* nempe, quòd, (*a*) *Auditus hebet, aures tinniunt, capiti bombi veluti quidam insonant, lingua in sermone perplexa est, ac titubat,.... rationem quoque usque eò morbus conturbat ac dejicit, ut prorsus denique infatuentur.* Unde & videmus epilepticos omnes à suis paroxysmis resurgere hebetes, tardos, obliviosos, debiles. Dum hæc mala à sola agitatione encephali, & majori distensione vasorum sanguineorum, ortum duxerunt, sensim solent minui, & redit sæpe omnium functionum cerebri integritas post aliquot horas: quandoque horum malorum vestigia per aliquot dies supersunt, túncque sensim iterum contractis vasis redit æquabilis humorum circuitus per encephalon. Ubi verò extravasati humores fuerint, lethalis apoplexia sequitur: vel imperviâ redditâ quâdam parte medullæ cerebri, insuperabile malum totâ vitâ manet. Numerosos tales tristes casus vidi, ubi infantes, validis paroxysmis epilepticis correpti, postea manserunt totâ vitâ hemiplectici. Alii immedicabili surditate laboraverunt; multi manserunt totâ vitâ fatui; & in nosocomiis plures tales miseros vidi, qui à prima ætate stulti vixerant; & omnes illi, quorum Historiam morbi à parentibus vel consanguineis expiscari potui, epileptici fuerant antea.

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 29.

2°. Ex illis, quæ in præcedentibus paragraphis dicta fuerunt, constat, tempore paroxysmi epileptici summos motus musculares fieri, & quidem longè validiores, quàm in iisdem hominibus sanitatis tempore per voluntatis imperium excitari potuissent. Sic tenera puella tantum robur habet, dum epileptica concidit, ut à pluribus viris robustissimis vix coerceri possit, ne partes corporis allidat miserrimè. Oculorum bulbos incredibili celeritate sub palpebris clausis rotari observatur, unde musculis oculum moventibus, magna distractio fit, & incurabiles sæpe totâ vitâ oculorum distorsiones manent. Verùm musculi plerique ossibus affiguntur, & ossa articulata movent; hinc in junioribus, quibus epiphyses facilè ab ossibus solvuntur, deformitates contingunt sæpe nunquam emendandæ. Quandoque membra ita circumtorquentur, ut distrahantur, imò & rumpantur ligamenta: unde luxationes, inflammationes dolentissimæ circa articulos, & anchyloses sequuntur. Quinimo in puero decem annorum ossa humeri, tibiæ & fibulæ, in paroxysmo epileptico diffracta fuisse, legitur (*a*); & licèt reposita fuissent idoneísque ligaturis firmata à perito Chirurgo, novo paroxysmo ingruente, iterum loco suo mota sunt, ac tristissimo spectaculo ante mortem os humeri fractum ipsam cutim perforavit. Si jam simul consideretur, nervos in artubus inter musculos decurrere, facilè patet, à tantis distorsionibus artuum & illos lædi posse; unde quandoque paralyses, atrophiæ partium, debilitates incurabiles, postea sequuntur. Dum opisthotono corripiebatur æger, tempore paroxysmi epileptici, ita ut horrendo spectaculo occiput nates ferè tangeret, & vertebræ dorsi crepitarent (quod summâ commiseratione me vidisse recordor) quantum periculum tunc aderat, ne medulla spinalis, & nervi ex vertebrarum commissuris exeuntes læderentur! Unde patet numerosa & varia mala sequi posse epilepsiam, ideo solùm quòd tantæ fiant artuum distorsiones, & validissimæ musculorum actiones, paroxysmi tempore.

3°. Demonstratur in Physiologicis (*b*) illo tempore, dum musculus agit, fibras musculares turgentes arctare magnâ vi interposita sibi intervalla, adeóque venas sanguineas, per musculi agentis substantiam dispersas, comprimi & evacuari; arterias similiter compressas rubrum sanguinem non admittere; unde musculi agentis (*c*) caro pallet. Verùm tempore paroxysmi epileptici violentus spasmus superat multùm solitam musculorum actionem sanitatis tempore, utì statim dictum fuit; àdeóque longè fortiùs comprimuntur vasa sanguinea. Sanguis ergo, per arterias vi cordis ad musculos pulsus, hærebit, vasa obstruet, sícque inflammationem producere poterit (vide §. 375.). Sed illæ arteriæ, quæ per cutim & tunicam cellulosam distribuuntur, magnâ vi sanguinis urgebuntur, dum spasmo distenti musculi nihil admittunt; hinc minora vasa dilatabuntur, crassiores humorum partes admittent, quæ per illorum extremos fines transire nequeunt; unde iterum inflammationis causa nascitur (vide §. 378.). Imò videmus, post validos pa-

(*a*) Boneti Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XIII. pag. 332.

(*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 406.
(*c*) Ibid. §. 401. n°. 7.

roxyſmos epilepticos vaſa cutanea minora quandoque rumpi, & puncta ruberrima per totam ſuperficiem corporis diſperſa manere, quæ ſenſim poſtea evaneſcunt. Ubi verò rupta vaſa, vel dilatata eorumdem extrema, ſanguinem rubrum eructaverint in tunicam celluloſam, tunc latiores maculæ, & ecchymoſes, apparent. Medici in Praxi verſati frequenter hæc ſymptomata obſervaverunt.

Verùm ſi muſculi diu ſic maneant rigidi, violento ſpaſmo diſtenti, arteriæ & venæ muſculi ſubſtantiam conſtituentes, nihil admittunt de humore vitali, adeóque naſcitur diſpoſitio ad gangrænam; hæc enim, utì ad §. 419, dictum fuit, eſt ea partis mollis affectio, quæ abolito influxu vitalis humoris in arterias, effluxu per venas, ad mortem tendit.

Venoſi ſanguinis motus acceleratur quidem muſculis vicinis turgentibus, dum agunt, & propinquas ſibi venas comprimentibus; ſed monitum fuit, ad §. 1073, reſpirationem impediri frequentiſſimè tempore paroxyſmi epileptici, hinc cor dextrum libere ſanguinem ſuum per pulmonem tranſmittere non poſſe; adeóque venæ non poterunt evacuari, ſed turgidæ manebunt, & ſæpe fient varicoſæ. Ob hanc rem videtur ex *Appollonii* Commentariis notaſſe *Trallianus* (*a*) quòd venæ ſub lingua poſitæ virideſcant in epilepticis, dum nempe validâ & repetitâ diſtenſione varicoſæ redditæ inſolito colore hæc loca inficiunt. Pariter & *Hippocrates* pro ſigno epilepſiæ prægreſſæ memorat, (*b*) *Venas craſſas circa ventrem varicoſas.*

Inde etiam intelligitur ratio, quare cadavera epilepticorum in ipſo paroxyſmi vigore ſuffocatorum, tam horrendam ſæpe ſpeciem referant; inprimis ſi tetano univerſali, quod quandoque fit, correpti fuerint ante mortem. Sanguis enim, per arterias pulſus, muſculorum ſubſtantiam tranſire nequit, dum violento ſpaſmo turgent; hinc vaſa cutanea urget, atque in tunicam cellularem effunditur; & quidem tantò magìs, cùm venæ diſtentæ in cor dextrum ſe evacuare nequeant. Hinc tota cutis turget immeabili ſanguine, in vaſis ejus diſtentiſſimis accumulato; panniculus adipoſus repletur ſanguine extravaſato; tota ſuperficies corporis nigra apparet, inprimis facies, palpebræ, & labia, tument horrendum in modum; lingua turgidiſſima fœdo ſpectaculo ex ore prominet; ſi dorſo incumbat cadaver, loca à pondere corporis preſſa albicant, dum reliqua omnia nigreſcunt. Si manus tetanodes thoraci vel abdomini appreſſa fuerit ante mortem, veſtigium manûs impreſſum apparet; quod vidit in puero, hoc morbo defuncto, celeberrimus *Boerhaavius*, & vix perſuadere potuit mœſtis parentibus, quòd à naturalibus cauſis tam horrenda mala produci potuerint; adeo terruerat illos albicans impreſſæ manûs veſtigium in cadavere, cæterùm nigerrimo inſtar Æthiopis. Rariùs contingit, in ipſo vigore paroxyſmi ſuffocatos perire epilepticos; longè ſæpius in fine paroxyſmi fiunt apoplectici, & ſic pereunt.

(*a*) Lib. I. Cap. xv. pag. 7.

(*b*) Prædict. Lib. II. Cap. vii. Charter. Tom. VIII. pag. 816.

4°. Ad §. 1073, notatum fuit, convulsivos illos motus non tantùm in musculis externis obtinere, sed & internas corporis partes similiter concuti: borborygmi & murmura abdominis, ejúsque inflatio subita tempore paroxysmi, hoc docent; utì etiam valida & celeris abdominis agitatio. Non mirum hinc, contenta ventriculi per vomitum excuti toties, sed & plura alia, quæ in ventriculi & duodeni intestini cavum venire possunt. Hinc dum validis illis concussionibus diaphragmatis, musculorum abdominalium, pendulum hepar cum vesica fellis adeo agitatur, fiunt quandoque bilis vomitus copiosi; & postea sæpe, eductâ sic omni bile, languet chylificationis opus. Idem jam de lympha pancreatis verum esse, facilè apparet. Præterea, dum venæ sanguineæ repletæ, nec potentes se libere in cor dextrum evacuare, turgent, sanguis arteriosus urget ductus excretorios in cava oris, faucium, narium, &c, patentes; illos dilatat; sícque copia non tantùm lymphæ, sed & crassioris muci, per os & nares fœdo spectaculo exit, simili modo ac observatur in illis, qui laqueo suffocantur: nam meritò *Aretæus* notavit, utì ad §. 1073, dictum fuit, quòd valido paroxysmo epileptico correpti similia patiantur, (*a*) *Veluti in iis qui laqueo strangulantur*. Verùm expressæ huic lymphæ & pituitæ via patet; ubi verò in cavis internis corporis vasa exhalantia copiosiores & magìs lentos humores dimittunt, collectio fit talis materiæ stagnantis, quæ ob lentorem majorem, vel copiam, venis bibulis resorberi nequit; unde toties in epilepticorum cadaveribus extravasata lympha, imò & lentior humor, in calvariæ cavo inventus fuit, qui solet tunc haberi pro causa hujus morbi, cùm sæpius videatur esse effectus. Idem jam in cavis reliquis corporis fieri poterit, sed frequentiùs in capite observatur, quia in paroxysmo epileptico videmus, capitis vasa magìs urgeri & distendi, quàm quidem in reliquo corpore. Ob eamdem etiam rationem validos & frequentes paroxysmos epilepticos passi habent palpebras tumentes; imò sæpe totam faciem pallidam ac inflatam, quasi, dum in tunica cellulosa collecta talis lympha hæret, utì & in leucophlegmaticis fieri solet. Inde etiam intelligitur, quare paroxysmus epilepticus in fine suo habeat somnum apoplecticum, dum vasa distenta sanguine, & lympha collecta, premunt encephalon: restituto dein æquabili per vasa transitu, evigilant quidem, sed hebetes & obliviosi manent sæpe per plures dies; donec, resorptâ iterum extravasatâ lymphâ, redeat integritas functionum encephali: quod nisi factum fuerit, manifestæ læsiones functionum encephali supersunt. Confirmatur hoc & inde, quia illi, qui ob glutinosam sanguinis cacochymiam in apoplexiam vergunt, habent similia symptomata (vide §. 1010. n°. 2. *lit. γ.*) ac epileptici, quando à paroxysmo tolerato resurgunt.

Sed & similia ob easdem rationes per alvum exeunt: neque hoc adeo videtur fieri, resolutis sphincteribus ani & vesicæ, sed potiùs actione validissimâ diaphragmatis & musculorum abdominalium, superante sphincterum resistentiam. Insciis quidem ægris, fæces alvinæ & urina exeunt; sed non sensim exeunt, utì fit in paralysi harum partium, at magnâ vi exprimuntur, ita quidem ut ad quinque pedum altitudinem & ultrà urinam ejectam

viderim à puero epileptico. In adultis ſemen etiam exprimitur, quod & *Ægineta* (*a*) notavit; unde ſæpe peſſimè languent, ſi frequentibus paroxyſmis corripiantur.

Verùm & hoc obſervatum fuit, fæces alvinas, paroxyſmi tempore prodeuntes, ſæpe virideſcere; & inde concluſerunt, acrem, æruginoſam dictam, bilem pro morbi cauſa habendam eſſe. Certum eſt, acre irritans in primis viis epilepticum inſultum producere poſſe, utì toties obſervamus fieri in infantibus; ſed ſimul verum eſt, magnas & ſubitas mutationes generis nervoſi momento temporis bilem ſic mutare poſſe; unde procul dubio fæcum alvinarum viridis ille color ſæpe morbi effectus eſt, non cauſa. Patuit ad §. 267, ubi de *Vulneribus Capitis* agebatur, ſaniſſimum hominem, ex alto delapſum in caput, ſtatim talem bilem vomuiſſe; ſimúlque tunc monitum fuit, ſolam agitationem in navi producere eumdem effectum in multis hominibus. In hyſtericis mulieribus, à ſola animi perturbatione ſubita, bilis æruginoſæ vomitus fit. Cùm autem in hoc morbo tanta fiat mutatio, & tam ſubita in toto ſyſtemate nervoſo, non mirum videbitur, ſi & inde ſimilis mutatio bilis contingat.

Haud mirum foret, validis adeo concuſſibus vaſa rumpi, & ſic ſanguinem evacuari ſurſum vel deorſum: præterea, utì antea dictum fuit lingua ſæpe dentibus intercepta læditur, & ſanguinem fundit quandoque ſatìs largâ copiâ. Verùm & videtur, impedito ſanguinis venoſi libero reditu ad cor, ſic poſſe turgere diſtenta vaſa, adeo urgeri ramos ultimos excretorios, ut & ipſum ſanguinem rubrum tranſmittant. Vidi aliquoties ſpumam viſcidam, ac ſanguine tinctam, ex ore naribúſque prodiiſſe paroxyſmi tempore; & tamen poſtea nullum læſionis veſtigium in lingua aut aliis partibus oris interni invenire potui, licèt omni curâ examinarem has partes. Si jam vena cava per hepar tranſiens pleniſſima fuerit, nec ſe in dextrum cor evacuare poſſit, tunc nec vena-portarum ſanguinem, à ſecretione bilis reſiduum, venæ cavæ tradere poterit; dum interim convulſi muſculi abdominales & diaphragma tantâ vi urgent ſanguinem vanoſum versùs hepar; hinc facilè poterunt dilatari oſcula vaſorum in cavum inteſtinorum patentia, ut ſanguinem ipſum tranſmittant, abſque ruptura tamen vaſorum. Simili modo & ſanguis à ſplene redux, dum hepar infarctum ſanguine nihil tranſmittere poteſt, per vaſa, brevia dicta, in cavum ventriculi viam ſibi facere poterit. Sic ratio patet, quare ſanguis ſurſum & deorſum quandoque ipſo paroxyſmi tempore, vel & poſt paroxyſmum finitum, exire poſſit; quod & in Praxi vidi.

Ex dictis patet, tempore paroxyſmi epileptici omnes ſecretiones & excretiones turbari poſſe; hinc miras ſæpe mutationes & læſiones functionum ſupereſſe poſt hunc morbum valido inſultu agentem, vel repetitis vicibus jam toleratum; illáſque eſſe poſſe admodum varias. Multas tales recenſuit *Hippocrates* (*b*); & plures aliæ obſervatæ fuerunt, quas ſingulas recenſere moleſtum foret: ſufficit fontes horum malorum indicaſſe.

(*a*) Lib. III. Cap. XIII. pag. 29, verſâ.

(*b*) Prædiction. Lib. II. Cap. VII. Charter. Tom. VIII. pag. 816.

Ubi autem, per tantos motus excitatos, per tot evacuationes factas tempore paroxysmi epileptici, excuti potest illud, quod irritando per stimulum suum morbum fecerat, redit perfecta sanitas, modò caveri possit, ne simile irritamentum renascatur denuo. Hoc inprimis patet in infantibus, quibus familiaris satis est hic morbus, dum acre stabulatur in primis viis; vel miasma morbosum, ad cutim deponendum, sanguini permistum hæret. Noverunt omnes Practici, sæpissime convelli infantes, dum variolarum vel morbillorum eruptio instat: imò *Sydenhamus*, utì postea in variolarum Historia dicetur, observavit lætum ferè semper morbi eventum esse, (*a*) si infantes circa tempus eruptionis variolarum convellerentur. Vidi aliquoties infantes convulsos fuisse, dum imprudenti consilio plumbatis unguentis siccabantur manantia capitis ulcera, quæ felici eventu, post toleratum paroxysmum epilepticum, denuo redierunt. Quoties observatum fuit, à saburra gravante primas vias, in hunc morbum incidisse infantes, & paroxysmi tempore sursum deorsúmque evacuatos optimè se habuisse, postea totâ vitâ ab hoc morbo immunes! Cùm autem tantâ vi sæpe dilatentur vasa cutanea, paroxysmi tempore, utì præcedenti numero hujus paragraphi dictum fuit, patet ratio, quare noxium miasma, sanguini permistum hærens, versùs cutim deponatur sæpe feliciter post paroxysmum epilepticum; qui ex sua natura non caret periculo, sed tamen quandoque sic bonum effectum præstat.

§. 1078. INDE intelligitur, quæ hæreditaria: cur ea nunquam sanabilis. Quæ idiopathica: cur raro curabilis. Quæ sympathica: cur sæpe curabilis?

QUÆ HÆREDITARIA, &c. Ubi nempe ex parentibus epilepticis morbus propagatur in natos; de qua re dictum fuit ad primum numerum §. 1075. Observaverat & *Hippocrates*, tetrum hunc morbum hæreditariâ labe propagari; hinc dixit (*b*) *Incipit autem, velut etiam alii morbi, secundùm genus. Si enim ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus; quid prohibet, ut cujus pater & mater hoc morbo correpti fuerint, eo etiam posterorum ac nepotum aliquis corripiatur? Genitura enim ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sana, à morbosis morbosa.*

Incurabilis autem habita fuit epilepsia hæreditaria ab omnibus Medicis, & quidem non sine ratione. Ad curæ enim felicitatem multùm facit cognitio causæ: sed quis distinguet illud, quod à parentibus traditum in primordiis hominis nascentis jam adfuit, & nullo signo se manifestat sæpe per plures annos, attamen postea hunc morbum facit? Quomodo & per quæ remedia tollet hunc latentem characterem Medicus? Non magis impedire poterit fortè, ne in nervum erumpat, quàm ne dentes aut barba suo tempore prodeant, quorum rudimenta dudum jam exstiterant, & tamen de-

(*a*) Sect. III. Cap. II. pag. 162.
(*b*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. III. Charter. Tom. X. pag. 478.

terminato tantùm vitæ tempore emergunt. Hinc videtur impossibile esse Medico, ut characterem illum morbosum, à parentibus in progeniem derivatum, auferat; & hoc sensu insanabilis dicitur epilepsia hæreditaria.

Verùm, utì ad primum numerum §. 1075, dictum fuit, quandoque ex avo in nepotem transit morbus, incolumi filio, qui tamen eumdem characterem morbosum tradit suæ progeniei. Hinc debuit fuisse causa in filio, quæ impedivit, ne latens illud morbi semen in actum deduceretur. Firmum corporis robur, frugalis & laboribus quotidianis exercitata vita, atque alia fortè plura, hoc efficere potuerunt, ut ad latentem illam causam proegumenam non accesserint causæ occasionales, quæ cum priori unitæ causam proximam & completam epilepsiæ facerent, sícque paroxysmum producerent. De hac re pluribus dicetur ad §. 1080.

QUÆ IDIOPATHICA, &c. Exquisita epilepsia dum fit, habet causam præsentem intra cranium, in ipso encephalo, & quidem in illa ejus parte, ubi est origo actionis sensuum & motuum arbitrariorum. Quando nunc hæc causa non excitatur ab alia causa occasionali in alio quodam loco corporis hærente, vocatur à Medicis epilepsia idiophatica; in qua causa prædisponens & occasionalis hæret in ipso encephalo. Tunc nullum indicium est sæpe futuri paroxysmi: verum quidem est, rariùs hoc contingere; tamen quandoque talis epilepsia observatur, in qua homines qui antea apparebant sanissimi, ictu oculi citiùs concidunt.

Hanc autem epilepsiæ speciem difficillimè curabilem esse, omnes agnoverunt Medici. Præcipua enim curandi hujus morbi spes in eo versatur (utì postea pluribus dicetur), ut detegatur causa illa excitans, quæ in homine epileptico paroxysmum renovari facit. Verùm illæ causæ in encephalo latentes adeo obscuræ sunt, ut vix detegantur nisi per suos effectus; sub sensus enim non cadunt. Unde *Hippocrates* de prognosi hujus morbi agens, difficillimè curabiles pronunciavit epilepticos, (*a*) *Quibus factus fuerit morbus nullam significationem præbens* (μηδὲν προσημαῖνον) *ex qua corporis parte initium sumat.* Similia & habet *Celsus* dicens, (*d*) *In eodem morbo si simul totum corpus afficitur, neque antè in partibus aliquis venientis mali sensus est, sed homo ex improviso concidit, cujuscumque is ætatis est, vix sanescit.* Periculum adhuc auget, quòd illi, qui morbum ingruentem præsentiunt, caveant sibi, ne tempore paroxysmi quid sinistri ipsis contingat, dum monent adstantes, ut sibi opem ferant: illi verò quibus inopinatò morbus irruit, miserrimè sæpe caput & artus ad pavimentum aliáve corpora dura allidant, in ignem decidant, &c; quod & *Aurelianus* (*c*) notavit.

QUÆ SYMPATHICA, &c. Ex illis, quæ dicta sunt ad §. 1075, ubi de causis epilepsiæ agebatur, & inprimis ex numero quarto, quinto, & sexto, istius paragraphi, constitit, irritationem validam nervorum in dissitis etiam regionibus corporis posse hunc morbum producere, licèt nullum signum

(*a*) Prædict. Lib. II. Cap. VII. Charter. Tom. VIII. pag. 816.

(*b*) De Medicin. Lib. II. Cap. VIII. pag. 73.

(*c*) Morbor. Chronic. Lib. I. Cap. IV. pag. 294.

docuerit, ullam noxam in encephalon adesse; & vicissim, ablatis illis causis irritantibus, aboleri morbum. Constitit etiam ibidem, interceptis nonnullis, quæ olim excerni solebant, hunc morbum produci. Epilepsia jam à simili causa orta Medicis vocatur sympathica, vel & deuteropathica, quia in tali casu encephalon non afficitur primariò, sed, aliâ corporis parte priùs affectâ, in consensum quasi trahitur. Videntur hinc omnes homines obnoxii esse huic morbo, modò quibusdam corporis partibus valida irritamenta applicentur. Sium aquaticum, sive cicuta aquatica *Gesneri*, dum in robusti hominis ventriculo hæret, pessimam epilepsiam producere potest, utì & plura alia venena. Tendo nudus, post gangrænam separatam, prehensus forcipe ab imprudenti Chirurgo, uno momento fecit tetanum universalem (vide §. 164.). Validissimæ tales causæ in omnibus hominibus hunc morbum producere possunt; verùm & leviores sufficient in illis, quibus totum systema nervosum & ipsum sensorium commune magìs irritabile est. Sic videmus, acidum in primis viis hærens toties infantibus epilepsiam facere; dum adultus & robustus homo ab eadem causa tantùm levia abdominis tormina percipit. Dum dens jamjam emersurus tendit & irritat gengivas, frequentissimè infantes epilepsiâ corripiuntur; cùm in adulto acutissimi odontalgiæ dolores per integros dies tolerentur absque hoc malo sequente. De mira illa protestate, quâ sordes, circa ventriculum hærentes, turbare possunt encephali actiones, antea ad §. 701, dictum fuit; ubi de *Delirio Febrili* agebatur; & multiplices Observationes Practicæ docere videntur, plures fortè in corpore nervos simile imperium in sensorium commune habere, utì facilè colligi potest ex illis, quæ ad §. 1075, dicta fuerunt. Ita videmus, plurimos epilepticos, antequam concidant, habere miras convulsiones musculorum faciei, oris, &c; alii in lingua miros sapores percipiunt; quibusdam collum intorquetur, humeri concutiuntur, manus distorquentur, &c; & sæpe subitâ ac forti frictione harum partium paroxysmus epilepticus, jamjam ingruens, avertitur. In tali casu videtur prima illa irritatio, paroxysmum productura, in his partibus hærere.

Interim tamen notandum est, posse partem quamdam corporis priùs affici in epilepsia idiopathica, licèt causa non hæreat in illa parte, sed in encephalo. Sic sæpe contingit, instante apoplexiâ, titubare linguam, loquelam dein aboleri, labia in uno latere obliquè sursum trahi, túncque mox sequitur morbus totius sensorii communis: hinc potest contingere, ut intra cranium idiopathicè incipiat formari morbus, qui se tantùm manifestat labefactatione parvæ partis encephali, unde origo nervorum pendet, qui ad illum locum corporis pergunt, in quo illa mutatio apparet. Non ergo tunc credimus, apoplexiam generari ex illo motu tremulo linguæ, distractione labiorum, &c; sed encephalon jam affici hæc signa docent, & dein increscens eadem causa delet omnes functiones animales. Ita etiam in epilepsia, licèt oriatur mutatio quædam in aliqua parte corporis ante paroxysmum, nondum tamen inde certò liquet, hoc loco hærere morbi fomitem: potest enim ob modò dictam rationem epilepsia esse idiopathica, licèt videatur

ori-

oriri ex alia quadam parte corporis priùs affecta: dum nempe affectio hujus partis tantùm index est causæ in ipso cerebro hærentis, quæ jam incipit actuosa reddi, ut paroxysmum producat. Dubium tamen illud solvi potest, dum medela adhibetur parti, quæ prima afficitur, instante paroxysmo: si enim, fricando, premendo, vel ligando, hanc partem, paroxysmus impeditur, vel multùm retardatur, tunc novimus, encephalon idiopathicè affectum non esse, sed affici à morbi fomite in hoc loco hærente. Et contrà si absque ullo effectu topica talis medela tentata fuerit, tunc meritò concluditur, idiopathicam esse epilepsiam, cujus causa integra in encephalo hæret, & quæ originem nervorum, ad hanc corporis partem tendentium, primò afficit, dum actuosa redditur, dein citò increscens turbat omnia. Ideo etiam in tali casu non semper signa incipientis paroxysmi in eadem corporis parte observantur, sed in variis; dum è contrà in sympathica epilepsia ab eodem corporis loco semper primum morbi initium oritur. Facilè autem patet, tutò semper topicam medelam tentari posse in illa parte, in qua prima paroxysmi incipientis vestigia apparent: vel enim inde levabitur morbus, vel evidentior acquiretur cognitio sedis, ubi morbi causa latet.

Simul etiam apparet ratio, quare epilepsia sympathica sæpe curabilis sit: possumus enim in multis partibus corporis, in quibus fomitem morbi latere observatum fuit, viam parare, vesicatoriis, cauterio, &c, ut exeat illud nocens; vel & nervum destruere, cujus irritatio totum sensorium commune turbat paroxysmi tempore; quod cum optimo eventu sæpius factum fuisse, patebit postea, quando de cura agetur.

Ob hanc causam veteres Medici similem fecerunt prognosin; nempe epilepsiam, ubi ex aliis partibus corporis initium capit, faciliùs curari, sed omnium maximè, quando (*a*) *A manibus ac pedibus* oritur; difficiliorem esse curam, si à latere nascitur; gravius adhuc malum esse, si (*b*) à capite incipit. Notandum enim est, quòd quidam epileptici ante paroxysmum sentiant capitis dolores, formicationes in cute capillata capitis, vertigines, &c. In his quidem paroxysmus non incipit absque ullis omnino signis; adeóque distinguitur ab epilepsia idiopathica; sed tamen causa excitans prope encephalum hæret, neque possunt semper tutò tentari illa, quæ manibus pedibúsque applicata fuerunt feliciter, quando ab his partibus morbus initium capere videbatur.

§. 1079. ATQUE etiam liquet, diversissima remedia, diversissimam curandi Methodum, ad hunc morbum requiri, pro nota varietate causæ, materiæ peccantis, loci, ad quem applicatio remedii, per quem eductio mali, fieri debet.

Pertractatis illis, quæ ad diagnosin, causas, effectus, prognosin, epi-

(*a*) Hippocrat. Prædiction. Lib. II. Cap. VII. Charter. Tom. VIII. pag. 816. Confer. Cels. de Medicin. Lib. II. Cap. VIII. pag. 68.

(*b*) Ibidem.

lepsiæ spectant, sequitur, ut dicatur de curatione hujus morbi.

Cùm autem ex dictis hactenus constet, adeo variâ specie hunc morbum apparere, à tam diversis & numerosis causis produci, facilè patet, non posse ullam generalem curandi Methodum statui, sed indicationem curatoriam debere erui ex causæ morbi cognitione, quæ solicitâ Observatione omnium, quæ in singulis ægris occurrunt, tantùm haberi potest. Unde simul patet, quàm vana sit jactantia universalis remedii, vel Methodi, ad quamcumque epilepsiam curandam; de qua re postea ad §. 1085, adhuc dicendum erit. Præcipui autem fontes, unde varia Medendi Methodus in hoc morbo deducitur, hâc paragrapho recensentur.

PRO NOTA VARIETATE CAUSÆ. In juniori ætate, utì antea dictum fuit, frequentior occurrit hic morbus, natus tamen à causis diversissimis. Sic toties à lacte coagulato acido in primis viis hærente, epilepticus insultus fit in teneris infantibus: in tali casu remedia, quæ illud acre enervant, & hanc saburram subitò expellunt de corpore, sunt optima antepileptica. Ubi autem tumens, dolens, & inflammata, gingiva irritatur à dente eruptionem jam tentante, incassum hæc darentur, & tunc lanceola Chirurgi dissecans gingivam unicum est remedium antepilepticum. Alia iterum requiruntur, ubi à contagio varioloso, ad cutim deponendo, epilepsia oritur; utì postea pluribus dicetur, ubi de hoc morbo agendum erit.

MATERIÆ PECCANTIS. Illa enim sæpe non tantùm diversæ admodum indolis est, sed & in variis partibus corporis hæret. Post validam contusionem capitis sanguis extravasatus encephalon premens epilepsiam quandoque produxit, utì in vulnerum capitis Historia patuit: trepano applicato, dum exitus conciliatur extravasato sanguini, morbus sanatur. Si autem tophus venereus, cranii osseam substantiam erodens, acrem tabum ploret, licèt via fiat collectæ huic saniei, nondum sanabitur morbus, quia pergit quotidie similis tabus stillare, & eumdem poterit denuo renovare affectum; adeóque alia cura requiritur. Dum venena assumpta, in ventriculo adhuc hærentia, hunc morbum producunt, patet evidenter aliam curam requiri, per quam vel expellitur hoc venenum, vel sic enervatur, ut ampliùs nocere nequeat.

LOCI AD QUEM, &c. Si paroxysmus epilepticus ex quadam parte corporis semper incipiat, ut dum v. gr; ex pede percipitur aura frigida quasi versùs superiora adscendere; paulò pòst homo concidat epilepticus, topicum remedium ex lege Artis applicatur huic parti, ut exitus paretur materiæ hîc hærenti, vel destruatur nervus in hoc loco, qui irritatus totum sensorium commune turbat. Ita etiam dum ab interceptis nonnullis, quæ antea excerni solebant (vide §. 1075. n°. 5.) hic morbus nascitur, optimum remedium est, ut iterum illa intercepta prodeant ex iisdem locis, per quæ ante morbum exire solebant. Dum manantia in infantibus capitis ulcera exsiccantibus unguentis curantur, ferè semper epileptici fiunt; & omnium optimè ac citissimè restituuntur ab hoc morbo, si raso capiti applicetur emplastrum lene aromaticum cum pauca copia vesicatorii emplastri mistum: utì v. gr; dum octava pars emplastri vesicatorii admiscetur unciæ emplastri meliloti

vel similis, & caput tali obvolvitur emplastro: incipit tunc intra paucas horas rubescere cutis, & plorare acrem ichorem, subito cum levamine. Idem verum est, ubi à menstruis, lochiis, hæmorrhoidibus, retentis, epilepsiâ nascitur; oportet enim tunc, has evacuationes denuo provocare per apta remedia. Neque tam facilè supplentur excretiones solitæ, suppressæ, per alias evacuationes, ac quidem vulgò creditur: per venæ-sectionem institutam minuitur quidem copia sanguinis, dum menstrua vel lochia suppressa sunt, sed manent tamen infarcta vasa uterina, & pessimos morbos faciunt; vix sanandos, nisi per consueta loca exeat illud retentum. Hæmorrhoidarios magìs juvant bina cochlearia sanguinis per hæmorrhoides excreta, quàm libra sanguinis ex vena incisa educta. Dum vera ischuria adest, tentaverunt Medici purgantia hydragoga, sudorifera valida, ut educerent illud retentum per alias vias; nec potuerunt tamen evitare funestum morbi eventum, nisi libera secretio & excretio urinæ restituerentur.

§. 1080. CAUSA enim prima & secunda, in mala conformatione solidorum consistens (1075. n°. 1. 2.), vix ullam suscipit radicalem medelam; paroxysmorum autem renovantes causas, utpote renatas assiduè, tollere tutò potest Medicus: unde hæ, quæ infinitæ, nec nisi observando cognoscendæ, indagari debent sedulò, dein pro sua natura curari.

Antea pluribus dictum fuit, quòd epilepsiæ causa duplex sit, una proegumena, sive prædisponens; alia excitans, quæ accedens facit morbi causam proximam, adeóque morbum ipsum producit. Verùm illæ causæ excitantes sive occasionales, non faciunt morbum, nisi in illis hominibus, in quibus illa causa prædisponens adest. Adeóque duplex curatio hujus morbi est, una radicalis, quæ illam causam proegumenam, latentissimam sæpe, delere valet: altera, quæ, manente causâ proegumenâ, tollit, vel cavet causas procatarcticas, sive occasionales. Sponte autem patet, integerrimam illam curam esse, quæ causam prædisponentem tollit; adeóque hanc semper præferendam esse, modò obtineri possit. Sic v. gr; in recèns natis & junioribus encephalon mollius, nervosum systema totum quàm facillimè irritabile dum, videtur facere causam proegumenam, quæ à levissimis causis occasionalibus accedentibus in actum deducitur; & sic paroxysmi epileptici adeo frequenter in junioribus occurrunt. Verùm, procedente sensim ætate, nimia illa encephali mollities emendatur; roborato sensim corpore, minuitur illa facilis irritabilitas totius generis nervosi, & postea per totam vitam manent liberi ab hoc morbo, quem primis infantiæ annis sæpius fuerant perpessi. Ideo sapientes veteres Medici (*a*) tantam spem collocaverunt in illa mutatione corporis, quæ per ætatem obtinetur, ita ut *Ægineta* volue-

(*a*) Hippocrat. Aphorism. Sect. II. n°. XLV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 84.

rit, in infantibus epilepsiâ correptis, nihil omnino tentandum esse: (*a*) *Nam ætate ad biliosiorem & sicciorem statum transeunte, & victu moderatiore adhibito, suâ sponte plerumque morbus finitur.* Docet simul hoc Exemplum, non abjiciendam esse omnem spem tollendæ vel emendandæ causæ proegumenæ in epilepticis.

Verùm dum ex labe hæreditaria originem duxit hæc causa proegumena; & latens per plures annos virili sæpe ætate, firmo jam corpore, morbum producit, facilè patet, parùm spei superesse, ut latentissimus ille character morbosus, in ipsis vitæ primordiis à parentibus traditus, deleri possit. Idem verum est, si à terrore matris nondum nato infanti morbosum illud vestigium impressum fuerit, quod vix unquam deletur postea. Huc & referri poterit mala cranii configuratio, dum partûs tempore, magnum caput infantis validis matris nixibus per angustiorem pelvim transprimitur, aut rudioris obstetricis manibus cranii figura mutatur: nisi enim statim post partum emendari possit illud vitium, incurabilia postea mala supersunt. Memini me in nosocomiis, ubi incurabiles epileptici & fatui servabantur, vidisse plures, in quibus vitiosa cranii figura manifestè observabatur. Præterea constitit ex illis quæ ad §. 1075. n°. 3, dicta fuerunt, à solo terrore natum hunc morbum, totâ vitâ perennasse incurabilem, licèt plurimis, & quidem efficacissimis remediis tentata fuerit curatio. A solo hoc animi affectu nata fuerat hæc causa proegumena, non delebilis totâ vitâ.

Videndum jam, quid ab Arte exspectari possit in tollendis causis talibus adeo latentibus, ut ne exercitatissimus quidem Medicus auderet dicere, quid mutatum sit in homine, antea sanissimo, nunc epileptico. Quantùm potui intelligere ex iis, quæ optimi Medici observaverunt contigisse in hoc morbo, vel tentaverunt ad eumdem curandum, ferè sola spes in illo consistebat, ut magna mutatio induceretur corpori. Non determinaverunt, quid mutandum esset in epileptico, ut fieret sanitas, sed tantùm præsentem corporis conditionem conabantur mutare in aliam: malebant enim periclitando per incerta agere, quàm miseros illos suo relinquere fato. Neque credi debet, talia tentata fuisse cæco impetu, sed optima cum ratione, dum Ars Naturæ, hunc morbum curantis, ductum sequebatur. Observaverat *Hippocrates*, circa pubertatis tempus, quando miro adeo modo totum corpus mutatur, (*b*) epilepsiam quandoque cessare. Ideo commendavit (*c*) mutationem regionum & vivendi generis ad hunc morbum tollendum. Sed idem illud confirmatum fuit Recentiorum Observatis. Novi epilepticos, qui in Indiam orientalem transmigraverant, immunes fuisse ab hoc morbo postea, quamdiu ibi vixerunt: in patriam reduces, & subitò abligurientes illa (ut solet sæpe hoc hominum genus) quæ magno labore, nec minori periculo, sibi comparaverant, recidivam passi fuerunt quidam; alii manserunt ab hoc morbo liberi. Cùm autem magnas illas regionum & victûs mutationes non semper

(*a*) Lib. III. Cap. III. pag. 29, versâ.

(*b*) Aphorism. Sect. II. n°. XLV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 84. Confer. Sect. V. n°. V. pag. 197.

(*c*) Ibidem.

ab ægris impetrare possent Medici, de aliis etiam corporis mutationibus cogitaverunt, eâdem spe freti. Constitit enim ex *Historia Medica*, morbos alios ingruentes, & corpus validè mutantes, sanasse epilepsiam. Ita testatur *Hippocrates* quòd, (*a*) *Quartanâ laborantes, magno morbo non capiuntur; si priùs autem capiantur, & quartana superveniat, liberantur.* In *Commentariis* ad hunc locum *Galenus* demonstrat, per magnum morbum hîc debere intelligi epilepsiam; quod & confirmatur alio textu *Hippocratis*, ubi eadem habentur, sed loco τῆς μεγάλης νόσȣ legitur (*b*) σπασμῶν. Recentiorum Observata confirmaverunt illa quæ *Hippocrates* scripserat. Epilepsia, quâvis hebdomadâ novo paroxysmo recrudescens, post varia remedia incassum tentata, sanabatur febre quartanâ; & sanus vixit postea homo, licèt cortice Peruviano hæc febris fuisset debellata (*c*). Puer decem annorum, jam à tribus annis epilepticus, paroxysmo interdiu pluribus vicibus recurrente, frustra adhibitis multis remediis, corripitur febre epidemicâ, plurimis molestis symptomatibus stipatâ: feliciter superat hunc morbum, & postea ab epilepsia immunis manet (*d*).

His & similibus pluribus Exemplis incitati Medici, tentaverunt delere caussam illam proegumenam epilepsiæ, turbando corpus validissimis remediis; non semper hâc spe, ut materia morbosa expelleretur per fortissima purgantia, emetica, &c; sed ut turbis tantis in corpore excitatis mutaretur fortè præsens conditio latens, quæ hunc morbum fovebat. Sic *Trallianus* (*e*), ubi morbus vetustus & contumax erat, ad veratrum album confugiebat. Similia in eodem casu laudat *Ægineta* (*f*). Recentiores Medici mercurialibus & antimoniatis remediis usi fuerunt ob eamdem causam, utì passim apud Observationum Medicarum Collectores habetur. Summa enim capita similium curationum hîc notasse sufficiet; nimis enim operosum, nec adeo utile foret, describere singula. Facilè autem patet, hîc magnâ prudentiâ opus esse, dum Herculea talia tentantur remedia, quæ, ab Agyrtis temere adhibita in debilioribus hominibus, toties morbum morte finiverunt.

Alii mitioribus quidem remediis usi sunt, ut similem effectum obtinerent, sed talibus, quæ per totum corpus mirabili vi penetrant vix mutata. In Asia moschi audacem dosin dant, & hoc imitatus fuit *Fridericus Hoffmannus* (*g*). Dedi pulchro cum successu, repetitis etiam vicibus, octenni puellæ decem moschi grana, & per plures dies saliva, urina, sudor, moschum redolebant; ita ut nimiâ fragrantiâ non assuetis molesta redderetur hæc ægrotula. In metallis, laboriosâ Arte resolutis ad intima usque, tale remedium quæsiverunt Chemici, quod non ageret evacuando, sed immutando tantùm. Hoc volebat *Helmontius*, dum dicebat, podagræ, caduci, maniæ, asthmatis, &c, (*h*) *Perfecta sanatio consistit in characteris seminalis & incorporei*

(*a*) Epidem. Lib. VI. Comment. VI. text. VII. Charter. Tom. IX. pag. 550.

(*b*) Aphorism. Sect. V. n°. LXX. Charter. Ibid. Part. II. pag. 242.

(*c*) Miscellan. Curios. Decur. III. ann. 3. pag. 34.

(*d*) Ibidem ann. 7. & 8. pag. 298.

(*e*) Lib. I. Cap. XV. pag. 75.

(*f*) Lib. III. Cap. XIII. pag. 29, versâ.

(*g*) Medicin. Rational. Systematic. Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. I. ubi de Curation. §. IX. pag. 23.

(*h*) Ort. Medicin. Tract. *Ignotus Hospes Morbus*, n°. XCIV. pag. 405.

fermenti ablatione, non item inmateriæ cujusdam sequestratione. Longo labore ex cupro præparatum remedium vidi, quod assumptum, nullam faciebat nauseam, sed miram quamdam formicationem quasi per totum corpus ad extremos digitorum apices usque; & illud quibusdam profuisse novi. *Aretæus* (*a*) cuprum dedit epilepticis, sed ut per vomitum vel alvum excuteret noxia: illud autem remedium, non turbando primas corporis vias, ad intima penetrare videbatur, & in totum nervorum systema agere, miris quidem, sed blandis concussibus. Unde apparet ab his, & forte aliis similibus, aliquid boni exspectari posse, præcipuè cùm tutior longè talis remedii usus sit, quàm illorum, quæ fortiter evacuando agunt; & à debilioris constitutionis hominibus non adeo facilè tolerantur. Interim tamen in horrendo hoc morbo aliquid audendum esse, meritò monuit *Aretæus*, dicens, (*b*) *Ingentibus medicamentis atque valentissimis in morbo comitiali opus est*; qui adeo calamitosus est, ut crediderit quòd, (*c*) *Si se mutuò in accessionibus spectantes ægroti, quæcumque patiuntur cernerent, non ultrà vitam ducere tolerarent.* Felices certè adhuc sunt miseri illi, dum omni sensu privati ignorant mala sua, & à morbo resurgunt hebetes & obliviosi, immemores omnium quæ contigerunt, dum paroxysmus aderat. Simul tamen sic monet quòd, (*d*) *Cæterùm medendi rationem Naturæ facilitatem sequi optimum est; quando per ætatis mutationes, in longè melius hominem permutat*; & ideo (*e*) victûs mutationem suadet. Ubi autem hæc frustra tentata sunt, tunc ad alia validiora remedia pergendum est, sed tamen semper magna cum prudentia.

Interim tamen sæpe accidit, ut optimi Medici doleant, plurimis etiam tentatis Methodis, se non potuisse delere illam causam proegumenam epilepsiæ. Tunc illud adhuc superest in Arte, ut caveantur, vel tollantur causæ occasionales, quæ unitæ cum causa proegumena, paroxysmos renovant. Verum quidem est, illas causas occasionales numero ferè infinitas esse, & in singulis ægris sæpe diversas: adeóque attentissimam & diuturnam sæpe requirunt observationem. Hoc autem tædium devorandum est Medico, si miseris illis succurrere velit.

Summa ergo cum cura inquiratur, quisnam locus in corpore observetur, in quo prima signa instantis paroxysmi deprehenduntur: dein accuratè notanda omnia symptomata, quæ à principio paroxysmi ad finem usque apparent, & quo ordine sibi mutuò succedant. Simul notandum, an aliquid tempore paroxysmi, vel intervallo inter binos paroxysmos medio, casu vel Arte applicatum, profuerit, an verò nocuerit. Observari debet, quo tempore anni paroxysmi frequentiores vel validiores fuerint; an circa novilunium vel plenilunium contingant: quid boni vel mali egerint evacuationes consuetæ menstruorum, hæmorrhoidum, sudoris, &c: quid venti, aeris temperies, meteora, effecerint in hoc morbo (plures enim epileptici instante tonitru corripiuntur paroxysmo). Indagandum præterea, quid fecerint

(*a*) De Curatione Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. v. pag. 84.

(*b*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Ibidem.

usus sex rerum non naturalium, gesta, ingesta, &c, in hoc morbo; ita toties observatum fuit, iram, bacchum, venerem, mœrorem, animi attentionem, ante consuetum tempus, induxisse paroxysmos.

Verum quidem est, quòd rarò Medici ipsi omnes has Observationes colligere possint, cùm non semper adsint ægris; sed tunc optimum est, dare regulas harum Observationum illis, qui cum ægris versantur, ut solicitè notent omnia, quæ singulis diebus contigerunt, & in diaria redigant. Vidi, exercitatissimos Medicos quandoque illustribus personis dedisse quædam remedia, non nocitura quidem, sed à quibus non multam sperabant efficaciam, & simul monuisse, ut omnia modò dicta accuratè notarentur; videbantur sic esse admodum soliciti de præscriptorum remediorum effectu, cùm potiùs colligerent Historiam morbi quem curare, vel saltem levare, conabantur.

Illis Observationibus sic collectis & in ordinem digestis, sedulò expendat Medicus omnia, & facilè deteget regulas agendorum & vitandorum, sed in singulari tantùm hujus ægri casu. Nam generales in omnibus epilepticis curandis regulæ haberi nequeunt; quod enim uni prodest, sæpe nocet alteri. Ubi hoc factum, tota difficultas evanuit, nam reliquum est tantùm facilis executio bene perpensarum rerum. Certum est, Medicos, luculentâ Praxi obrutos, sæpe deficere in cura hujus morbi, cùm tempus ipsis non sufficiat, ut singulari ægro tantam curam impendant: verùm & doluerunt toties, ægrorum custodes observasse illa, quæ ipsi neglexerant, non sine famæ damno. Credo firmissimè, si omnem animi attentionem adhiberent hîc Medici, quòd sanarent plures epilepticos, & levamen adferrent ferè omnibus. Dum in Grammatico juvene (vide §. 1075. n°. 3. 4.) *Galenus* observabat, paroxysmum nasci, si inediam pateretur, (*a*) panis buccellâ datâ poterat cavere tantum malum. Vidi epilepticum juvenem, cui ante paroxysmum incipiebat tremere inferius labium (symptoma vomitum futurum sæpe præcedens); mox cadebat epilepticus, & si paroxysmi tempore vomebat, brevì finiebatur insultus. Cùm autem singulo mense, circa plenilunium, insultum morbi pateretur, datum fuit vomitorium lene omni mense triduo ante plenilunium, & eodem die vesperì leve diacodiatum: reliquis diebus roborantibus utebatur remediis, &, sex mensium spatio tali medelâ usus, liber evasit à morbo. Ubi enim paroxysmi per aliquod tempus caveri possunt, videtur sensim minui causa illa proegumena, non excitata per magnum temporis intervallum. Antea ad §. 1075. n°. 3, notatum fuit, *Galenum* comparasse paroxysmum recrudescentem (*b*) renovatæ quasi memoriæ silentis illius dispositionis epilepticæ; & *Aretæus* (*c*) utitur vocabulo ὑπομνήσιος in eodem sensu, utì celeberrimus *Petitus* (*d*) optimè notavit. Quemadmodum jam illæ ideæ, quarum memoria magno temporis spatio non renovatur in nobis, sensim delentur & evanescunt quasi, ita & aliqua spes est, diathesin illam epilepticam in sensorio communi hærentem, diu

(*a*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. VI. Charter. Tom. VII. pag. 492. 493.

(*b*) Consil. pro Puer. Epileptic. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 488.

(*c*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.

(*d*) Ibid. pag. 277. 278.

silentem, nec excitatam per causas occasionales, sensim deleri posse, vel saltem sic disponi, ut minùs facilè à causis occasionalibus in actum ducatur.

§. 1081. TERTIA (1075. n°. 3.) cognoscitur ex symptomatibus aliis læsum simul cerebrum designantibus, ut est dolor, gravitas, plenitudo, læsio capitis antecedens, vertigo, tremor universalis, scintillæ oculorum, eorumdem immobilitas, circumgyratio totius capitis, vel & corporis. Hujus causa solida vix tolli potest, quia vix cognoscitur singularis: revellentia, discutientia, viam parantia, depurantia, juvant: hinc venæ-sectio, purgatio, vomitus, inustio, fonticulus, fistula, epispasticum, vulnus capitis, cranii perterebratio, antihysterica, opiata, prosunt: ex quibus quid eligi debeat, docebit inventa mali causa proxima (1079).

Tertia epilepsiæ causa, utì dictum fuit ad §. 1075, supponit encephalum, in integumentis vel propriâ substantiâ læsum: præcipuæ causæ harum læsionum tunc fuerunt enumeratæ. Signa autem, ex quibus cognosci potest, talem epilepsiæ causam adesse, hauriuntur vel ex prægressis noxis, quæ capiti contigerunt, vulnere, contusione validâ, morbis inflammatoriis capitis prægressis, &c, vel ex manifesta læsione functionum illarum, quæ ab encephali integritate pendent: præcipua hæc signa in textu recensentur, & de illis actum fuit in capitulis de *Phrenitide*, *Apoplexiâ*, *Catalepsi* & *Caro*, quæ ergo hìc repeti non debent. Ubi igitur ante epilepsiam talia signa læsarum functionum animalium præcesserunt, meritò licet suspicari tales causas; quod inprimis ideo monetur, quia tempore paroxysmi epileptici tanta vis encephalo infertur, ut sæpe maneant insignes læsiones functionum animalium, utì ad primum numerum §. 1077, pluribus dictum fuit; verùm tunc illæ læsiones sunt effectus epilepsiæ, non ejus causæ. Nisi autem ab externis & manifestis causis tales læsiones contigerint, non facilè patet, in quo loco encephali hæreat causa morbi, & cujus naturæ sit. Utì enim spicula ossea acuta, ex dura matre enata, cerebrum pungentia, epilepsiam faciunt, sic & acer ichor ex cariosa tabula interna cranii depluens, vel & similis sanies in ventriculis cerebri collecta, eumdem effectum præstare poterit. Hinc sæpe manet magna obscuritas de natura ipsius causæ morbi, & de loco, ubi hæret; adeóque & magna difficultas radicalis curæ. Verùm cùm ad 1075. n°. 3, monitum fuerit, omnes illas causas, encephalon malè afficientes, augeri per illa, quæ liquidorum in cranium affluxum augent, patet satìs, generalem etiam usum præstare omnia illa, quæ impetum & copiam humorum à capite revellunt. Hærentia in cavo calvariæ liquida discutere possunt; vias, per quas Natura quandoque hæc expellere visa fuit, laxant & aperiunt; imò etiam per Artem quandoque novæ viæ factæ fuerunt, per quas à noxiis liberari posset encephalon. Singula autem hæc, quæ in simili casu profuisse observata fuerunt, enumerabuntur.

VENÆ

VENÆ-SECTIO. Multi inveniuntur epileptici, in quibus ſigna præſentis plethoræ præcedunt paroxyſmum epilepticum: quandoque, licèt in reliquo corpore tanta plenitudo vaſorum non adſit, manifeſtè tamen apparet, vaſa capitis plurimùm diſtendi; ſentiunt enim dolorem tenſivum in capite, calorem majorem, oculos habent rubentes. In tali caſu minuere plenitudinem vaſorum, ſectâ venâ, conducit, utì facilè patet. Licèt autem non ſemper radicalis cura obtineatur per ſanguinis miſſiones, caventur tamen morbi inſultus. *Bonetus* (*a*) aliquot caſus habet, qui docent, per ſanguinis miſſionem epilepſiam quandoque curatam fuiſſe. Ubi autem plenitudo præcipuè vaſa capitis occupat, multùm boni exſpectandum eſt ab arteriotome, ſive arteria temporalis diſcindatur, ſive illi rami, qui ponè aures decurrunt: multo cum fructu ſe hoc tentaſſe in epilepticis, teſtatur *Severinus* (*b*), & plures caſus ibi recenſet. Sed & videmus, veteres Medicos audaciſſima remedia adhibuiſſe, ut pertinacem hunc morbum debellarent, inprimis ſi cauſa ejus in ipſo capite latere credebatur: tunc enim dixit *Aretæus* (*c*) ἐνοικέει: *ſi caput occupavit, inhabitat, id eſt*, fixam ſedem habet: quare (*d*) venas in cubito & fronte ſecari jubet, cucurbitulas applicari, & arterias omnes ante & poſt aures diſcindi, cavendo tantùm, ne ad animi deliquium uſque ſanguis educatur; metuebat enim inde morbi inſultum, & meritò, cùm convulſiones æquè ſequantur ſubitam vaſorum inanitionem, quàm nimiam eorumdem plenitudinem, utì aliâ occaſione ad §. 232, ex *Hippocrate* (*e*) monitum fuit.

PURGATIO, VOMITUS. Quantùm ab his boni in capitis morbis graviſſimis curandis exſpectari poſſit, ad §. 1026, ubi de cura apoplexiæ agebatur, dictum, ſimúlque tunc monitum fuit, in vomitoriis exhibendis majorem cautelam requiri, dum inter vomendum ſemper vaſa capitis magìs turgent. Præterea inprimis hæc remedia proderant, ubi à lenta inerti & frigida cauſa morbus oriebatur: idem etiam in epilepſia curanda verum eſt. Ubi enim calor, plenitudo vaſorum, vel ſanguinis diſpoſitio inflammatoria, adeſt; tunc à ſanguinis miſſionibus major utilitas ſperatur. Interim tamem purgantia per alvum impetum & copiam humorum à capite abducunt, adeóque hâc ratione ſemper proſunt: acriora & calida purgantia adhibentur, ubi lenta & iners morbi cauſa eſt; túncque *Hieram* ſuam laudabat *Aretæus*, (*f*) quæ pituitam è capite eliceret, inprimis ſi majori quantitate exhiberetur. Ubi autem inflammatoria ſanguinis diatheſis & calor adſunt, tunc inprimis illa conveniunt, quæ abſque aucto motu vel calore agunt, & tamen ſatìs validè alvum ſolvunt; qualia laudata fuerunt ad §. 396, ubi de cura inflammationis agebatur; & ad numerum ſecundum §. 1030, in curatione apoplexiæ à ſimili cauſa natæ.

Videmus etiam, plurimos ex antiquis Medicis multam ſpem collocaſſe in

(*a*) Sepulcret. Anatom. Tom. I. Lib. I. Sect. XII. pag. 286.

(*b*) De Efficaci Medic. Part. II. pag. 46, & 47.

(*c*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Aphoriſm. Sect. VI. n°. XXXIX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 273.

(*f*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.

purgantibus remediis ad hunc morbum curandum. Ratio autem facilè patebit ex illis, quæ apud *Hippocratem* habentur: videbat enim, epilepſiam eſſe admodum familiarem recèns natis: conſiderabat, illos (*a*) in utero materno balneo tepido immerſos fuiſſe, deinde in lucem editos habere carnes molliſſimas; circa aures, axillas, inguina, omnia humeſcere, nares, fauces, pulmones, ventriculum, inteſtina, muco copioſo madere: obſervabat, (*b*) per ætatem minui flaccidam illam corporis humiditatem, ſolidáſque partes firmari, ſed & ſimul tunc ceſſare infantilem epilepſiam: notabat in illis, (*c*) quibus quamcumque ob cauſam per ætatem minùs firmabatur corpus, illam diatheſin ad epilepſiam diutius manere: obſervabat in diſſectis capitibus ovium epilepticarum (*d*) pituitam copioſam, quandoque jam corruptam & olidam: videbat, (*e*) adultioribus epilepticis hyemali tempore frequentiùs paroxyſmum contingere, inprimis poſt teporis & frigoris viciſſitudines, quando ſubitæ illæ fuſiones humorum catarrhoſorum fiunt; utì etiam tempeſtate auſtrinâ & nebulosâ, & præcipuè ſi ſubitò tunc boreale frigus ſequatur: ſi jam (*f*) per emunctoria quæcumque illud lentum pituitoſum ſubducebatur de corpore in infantibus, ut per cutis capitis eroſiones lenes perpetuò manantes, muci copioſum fluxum per nares, vomitum pituitæ, alvum laxam, meliùs ſe habebant: & contrà, ſi impedirentur temere illæ evacuationes, malum recrudeſcebat peſſimè. Ex omnibus illis concluſerunt antiqui Medici, curationem epilepſiæ præcipue conſiſtere in evacuatione illius humidi ſuperabundatis; & dein roboratione partium ſolidarum. Per purgantia jam illa glutinoſa pulcherrimè funduntur & educuntur de corpore: diæta ſiccior, exercitia corporis, abſtinentia à glutinoſis omnibus, cautelam dabant, ne ſimilis copia glutinoſorum denuo accumularetur in corpore. Hanc autem unicam ferè cauſam epilepſiæ videtur ſtatuiſſe *Hippocrates*; & ideo inculcabat, ut mutaretur frigida illa & iners cacochymia in oppoſitam, bilioſam nempe & calidam; credebat enim (*g*) bilioſos nunquam epilepticos fieri.

Quámvis autem hæc cauſa, ab *Hippocrate* memorata, ſatìs frequenter occurrat; tamen ex antè dictis ſatìs apparuit, plures alias præterea epilepſiæ cauſas eſſe: ſed & ſimul conſtat, purgantium ſatìs inſignem uſum eſſe in cura epilepſiæ, dum ejus cauſa in capite hæret.

INUSTIO, FONTICULUS, FISTULA, EPISPASTICUM. Quantum hæc uſum habeant, revellendo impetum ſanguinis ad alias partes, in cura inflammationis, ad §. 396. n°. 4, dictum fuit; & ideo pulchro cum ſucceſſu ad apoplexiam curandam adhiberi ſolent, utì §. 1025, monitum fuit. Omnia enim hæc adhibentur partim ad derivandum impetum & copiam humorum in alias partes; partim etiam, ut per artificiales has vias exeat illud, quod retentum, vel ad caput derivatum, noceret. Obſervamus toties, infantibus, totam capitis cutim manare ichorem, quandoque ſatìs olidum; & bene tunc ſe ha-

(*a*) Libr. de Morb. Sacr. Cap. IV. Charter. Tom. X. pag. 479, & ſequ.
(*b*) Ibid. Cap. VI. pag. 482.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibid. Cap. IV. pag. 479.
(*g*) Ibidem.

bent: si imprudenti curâ coerceatur ille effluxus, epileptici fiunt, nec curantur, nisi denuo ille ichoris fluxus redeat. Puella circa pubertatis tempus incepit laborare epilepsiâ quod malo omine fieri antea jam dictum fuit: sola dum esset in ædibus, paroxysmo corripitur, & corruens supra carbones accensos, (*a*) *Facies ei & sinciput ita misere concremata sunt, ut cranio, cute & carne denudato, eschara lata & profunda inureretur; & postea exterior tabula ejus ad palmæ magnitudinem decideret. Ægrota interim quamdiu ulcera ab ustione contracta, sanie manabant, paroxysmis caruit; postquam ea sanabantur, caducus* (morbus) *rediit.* Unde patet, dum per hæc ulcera exibat tanta copia liquidi, exivisse simul illud noxium quod clausis ulceribus retentum renovabat morbum; vel saltem sic ad externa capitis revulsum fuisse humorum, per carotides allatorum, impetum, ut minùs urgeretur encephalon, & sileret morbus. Inde intelligitur ratio quare in curando hoc morbo Medici conabantur reddere cutim capitis nitidam & quàm maximè perspirabilem; dein irritabant (*b*) cucurbitis, dropacibus, sinapismis, à lenioribus incipiendo, sensímque procedebant ad reliqua, si priora nullum levamen attulissent. Sic rubefacientia capiti applicari jussit *Aretæus*, & præcipuè (*c*) cantharides; imò & (*d*) ignem capiti adhiberi jussit, si nempe reliqua nihil proficerent. Jure enim *Celsus* inter ultima remedia posuit, (*e*) *Occipitium incidere, & cucurbitulas admovere: ferro candente in occipitio quoque & infrà, quâ summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat. Quibus si finitum malum non fuerit, prope est, ut perpetuum sit.* Crudelis quidem hæc Methodus est, sed quacumque molestiâ redimere vellent atrocem hunc morbum ægrorum plurimi; præcipuè cùm Observationes Practicæ docuerint, etiam in adultis hunc morbum, rarò cæteroquin curabilem, sanatum fuisse. Sic cauterio prope futuram coronalem applicato, se quadragenarium hominem epilepticum curasse testatur *Piso* (*e*), & in Asia frequenter cum felici successu idem tentari scribit *Kæmpferus* (*f*). Plures Observationes, quæ idem confirmant, apud *Schenckium* (*g*) videri possunt.

Cùm autem cauterium præcipuè ideo prodesse videatur, quòd separatâ escharâ maneat locus ulcerosus, diu liquidum plorans; hinc convenit lenibus suppurantibus hæc ulcera diu aperta tenere; atque ideo fistulosa ulcera sponte nata, fonticuli, & setacea, similem effectum præstare, poterunt.

VULNUS CAPITIS. Discinduntur enim vasa plurima, inprimis si vulnus magnum fuerit; adeóque similes effectus exspectari possunt ac ab arteriotome. Præterea vulnus alicujus momenti vix curatur absque suppuratione, ideo & effectus præcedentium inde exspectari poterit. Si autem vulnus in cavum cranii penetraverit, exitus conciliabitur materiæ noxiæ con-

(*a*) Willis. Patholog. Cereb. Cap. III. Observat. I. pag. 39.
(*b*) Cœl. Aurelian. Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. IV. pag. 306. 307.
(*c*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.
(*d*) Ibidem.
(*e*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXIII. pag. 174.
(*f*) De Morb. à Serof. Colluv. Sect. II. Part. II. Cap. VII. pag. 173.
(*g*) Aanhangsel van de Historie van Japan, pag. 467.
(*h*) Observat. Medicinal. Lib. I. pag. 117.

tentæ, si hæc epilepsiæ causa fuerit. Fortuiti casus hoc docuerunt. Ita apud *Marcellum Donatum* (*a*) legitur de nobili Gallo, qui epilepsiâ laborans in Italiam proficiscebatur, ut primarios ibi Medicos consuleret; verùm à latronibus spoliatus, & pluribus vulneribus confossus pro mortuo derelictus fuit: præter alia vulnera, ingentem admodum plagam in fronte susceperat cum insigni ossis deperditione: unde post longum satis tempus ab hoc vulnere curatus fuit; & simul ab epilepsia, quæ singulis mensibus affligere solebat, liber evasit. Plura similia hinc inde apud Auctores Medicos reperiuntur.

CRANII PERTEREBRATIO. Ars enim imitata fuit, quod casus fortuitus docuerat profuisse. Antea ad §. 1075. n°. 3, notatum fuit, epilepsiam, post validam contusionem capitis sequentem, illico levatam fuisse, dum perterebrato cranio exitus conciliabatur puri sub calvaria collecto. In pertinaci epilepsia hanc operationem apud *Aretæum* (*b*) etiam commendari legimus. Verùm inprimis inde boni quid sperare licebit, si signa docuerint, extravasatos sub cranio humores hærere, vel corruptum calvariæ os in quodam loco esse. Nisi enim talis causa epilepsiæ fuerit, trepanum applicatum levat quidem morbum pro tempore, non autem eradicat. Dum enim homini epileptico ob capitis percussionem applicabatur trepanum, liber quidem fuit à paroxysmo, quamdiu patebat hoc vulnus, verùm, eodem cicatrice obducto, redibat morbus (*c*).

ANTIHYSTERICA, OPIATA. Illa non prosunt adeo, quòd tollant, vel minuant causam materialem morbi, cerebrum, in integumentis suis, superficie, substantiâ, aut ventriculis, malè afficientem, sed quatenus validos affectus animi sopiunt, subitas illas generis nervosi turbas compescunt & pacant; quæ causas illas stabiles, in encephalo hærentes, juvant, & in actum deducunt, utì §. 1075, dictum fuit.

EX QUIBUS QUID ELIGI DEBEAT, &c. Varia hîc recensita fuerunt remedia, sed satìs patet, illa non convenire in omni casu, sed diversa requiri pro singularibus causis, quæ cerebrum malè afficiunt; adeóque omni curâ priùs indagandam esse causam, quæ cerebrum lædit. Si enim v. gr; contusio valida prægressa metum faciat, ne effusi humores sub cranio hæreant, vel fragmenta ossis pungant meninges ipsámve cerebri substantiam, cranii perterebratio locum habebit. De signis autem quibus hoc cognosci possit, in vulnerum cranii Historia dictum fuit. Ubi verò signa docuerint, pituitosam frigidam cacochymiam in toto corpore abundare, & in cavo encephali sensim colligi (de his signis vide §. 1010. n°. 2. *lit. γ.*), tunc vesicatoria, setacea, fonticuli, &c, pulchrum præstabunt effectum. Si à lue venerea, cariosa reddita fuerint ossa cranii, medela huic morbo propria requiritur; & sic de reliquis.

(*a*) Lib. II. Cap. IV pag. 53. Confer. Schenck. Lib. I. pag. 116.

(*b*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 121.

(*c*) Mémoir. de l'Académ. de Chirurg. Tom. I, pag. 230.

§. 1082. QUÆ à causa quarta (1075. n°. 4.) fit, ea tractanda erit variè pro varietate suæ causæ proximæ: hinc anodyna, paregorica, narcotica, antithysterica; anthelmintica; demulcentia & corrigentia acrium; incisio apta gingivarum; ablatio, correctio, materiæ ulcerosæ; tunc fiunt antepileptica.

Priùs multiplices epiplepsiæ causæ in classes quasdam ordinatæ fuerunt, ut faciliùs possent indagari à Medico, cognosci, & dein causis cognitis apta medela adhiberi.

Causæ autem §. 1075. n°. 4, recensitæ extra cranium hærebant in aliis corporis locis, vel humoribus circulantibus mistæ per totum corpus vagabantur, mirabilésque excitabant turbas; donec iterum ad quædam corporis loca deponerentur, vel exirent per corporis emunctoria. Patuit hoc tunc de contagio variolarum, quod toties convulsiones epilepticas excitat, antequam illud virus, unà cum mutatis per ejus efficaciam humoribus, ad corporis superficiem deponitur. Idem de materia ulcerosa in quodam loco corporis hospitante, & in sanguinem resorpta, verum est. Simul tunc inter causas epilepsiæ numerati fuerunt dolores validi, ac periodici, perturbationes hystericæ totius generis nervosi, pluráque alia, quæ primas vias mole suâ, gravare, vel acrimoniâ irritare, poterant. Unde facilè patet, ad diversas adeo causas varia etiam requiri remedia, quæ hâc paragrapho recensentur.

ANODYNA, PAREGORICA, NARCOTICA. Inter effectus molestos doloris §. 226, etiam convulsio numerata; & §. 229. n°. 2, notatum fuit, posse obtineri per narcotica remedia, ut sensorium commune non sentiat dolorem, licèt maneat causa dolorem faciens; sícque posse tolli nonnullos effectus doloris, & quidem inprimis illos, qui fiunt ob turbatum sensorium commune per doloris acerbitatem. Ubi ergo epilepsia ab hac causa nascitur, sedando dolorem, multùm boni fieri poterit. Quænam autem dicantur anodyna & paregorica, quænam verò narcotica, & quomodo hæc adhiberi debeant, locis citatis explicatum fuit.

ANTIHYSTERICA. In illo nempe casu hæc usum habent, ubi nimis mobile genus nervosum à levissimis etiam causis turbatur totum, & miras sæpe convulsiones facit. Observaverunt jam Medici, dari in Arte talia remedia, quæ graveolenti halitu suo turbas illas systematis nervosi compescunt felicissimè. *Asa fœtida*, *castoreum*, *galbanum*, *ruta*, *&c*, talia sunt, quæ hoc effectu se probaverunt quàm efficacissimè, & ideo dicta fuerunt medicamenta antihysterica, quæ & externo & interno usu sæpe juvant. Omnia enim hæc naribus supposita, umbilico, plantísve pedum, sub forma emplastri applicata; profuerunt toties. *Trallianus* (*a*) plures epilepticos se curasse testatur rutâ sylvestri, quæ longè odoratior est & acrior rutâ hortensi; simúlque addit, se hoc didicisse à rustico, qui casu invenerat hujus remedii efficaciam. Contun-

(*a*) Lib. I. Cap. xv. pag. 80.

debat nempe hanc herbam, illiúsque fragrantiam toto corpore spirabat, dum conservus ejus epilepticus concideret; quem accedens, & nares ejus digitis arripiens, excitabat illico à paroxysmo hunc ægrum, qui postea ab hoc morbo liber vixit.

ANTHELMINTHICA. Quæ nempe, vel necando, vel expellendo vermes, hoc nomen merentur; de quibus postea in capitulo *De Morbis infantum* dicetur. Antea ad §. 1075. n°. 4, notatum fuit, quòd celeberrimum illud antepilepticum *Fabii Columnæ*, radix nempe valerianæ sylvestris, profuerit pluribus, dum ab ejus usu vermes expellebantur de corpore.

DEMULCENTIA ET CORRIGENTIA ACRIUM. Si percurramus decantatissimos illos pulveres epilepticos, qui in Officinis prostant, invenimus plerosque continere insignem copiam talium, quæ acidum absorbendi & enervandi vim possident. Cùm autem in juniore ætate acida acrimonia toties adsit in primis viis, & frequenter ob hanc causam epileptici fiant, patet ratio, quare tantam famam obtinuerint hæc remedia, licèt in epilepsiis, ab alia causa ortis, vix prosint. Simili modo & videtur agere oleum illud animale, frequenti rectificatione ab omni empyreumate liberatum, tenuissimúmque simul & molle redditum, quod *Fridericus Hoffmannus* (*a*), aliíque celebres Medici, in epilepsia inveterata persananda adeo commendaverunt. Summâ enim tenuitate suâ aptum est, ut penetret etiam per minima vasa, simúlque blandâ suâ indole obtundere potest & involvere omnem acrimoniam. Interim tamen etiam levi vi anodynâ agere videtur, cùm pacatum & reficientem somnum producat.

INCISIO APTA GINGIVARUM. Sic enim tollitur dolor & irritatio continua gingivarum in pueris dentientibus, quæ à lenta illa dilaceratione per dentem erupturum oritur. Quænam autem cautelæ hìc requirantur, postea dicetur in capitulo *De Morbis infantum*.

ABLATIO, CORRECTIO, &c. Nisi enim via possit fieri contentæ saniei in loco tali ulceroso, & mundari plaga, nulla spes curæ superest. Observationes Practicæ hoc confirmantes, habentur ad §. 1075. n°. 4. Si virus venereum ossa infecerit, inprimis cranii, sæpe epilepsia sequitur, non curabilis, nisi sanatâ hâc lue: túncque argentum vivum, quod tamen temere adhibitum epilepsiæ causa toties fuit (vide §. 1075. n°. 3.), prudenti Arte administratum, fit remedium antepilepticum.

§. 1083. A QUINTA causa (1075. n°. 5.) ortæ epilepsiæ medela fit solvendo materiam immobilem, laxando vias, expellendo: hinc vesicatoria, caustica, fonticulos, & fistulas, producentia; aristolochica; emmenagoga; hæmorrhoidas aperientia; diuretica; toties contra hunc morbum prosunt.

In hoc casu epilepsiæ causa pendet à suppressis quibusdam excretionibus, per quas exibant de corpore liquida quædam, vel sana, vel morbosa, uti

(*a*) Observat. Physico-Chymicar. Lib. I. Observ. XIV. pag. 58.

ad locum in textu citatum pluribus dictum fuit. Curatio ergo requirit, ut restituantur illæ excretiones, quarum suppressio hunc morbum produxerat. Interceptio autem solitarum excretionum fit, vel quia materies excernenda non satìs mobilis & fluida est, ut exire possit; vel quia vasa transmittentia liquidum excernendum non satìs pervia sunt; vel denique quia vis movens materiam per vasa nimis iners est. Facilè autem patet, singulas has causas seorsum existere posse, quandoque combinatas agere, imò & omnes concurrere. Simul inde intelligitur triplex indicatio curatoria, in textu proposita, quæ vel materiem excernendam spectat, vel vasa per quæ excretio hæc fieri debet, vel denique vires, quæ humores per vasa movent, & secretoriis vel excretoriis organis applicant. Prout autem plures ex illis causis combinantur, ita & concurrere debent plures indicationes curatoriæ ad tollendam morbi causam.

In Exemplo res fortè evidentiùs patebit: contingit quandoque à suppressis menstruis epilepsiam nasci; adeóque generalis indicatio curatoria est, ut restituatur menstrua hæc evacuatio. Quandoque laborant tales puellæ mucosâ lentâ sanguinis cacochymiâ, pallent, tument, & totus corporis habitus ad leucophlegmatiam inclinat; pulsus arteriarum debilis, lentus est in his, adeóque & materia excernenda non satìs mobilis est, & simul vires moventes debiles sunt. Si tunc per limaturæ ferri usum, frictiones, corporis motum, diætam sicciorem, augeatur vasorum actio in fluida contenta, superatur ille mucosus frigidus sanguinis lentor; color vividus in corpore, antea pallido, renascitur; calor fit æquabilis ad extrema usque, & menstrua suppressa redeunt, mobili nempe redditâ materie, & viribus moventibus instauratis.

Verùm contingit quandoque, sanguinem bonum esse, vires vitales satìs validas, & tamen menstrua supprimi, vel difficillimè, nec satìs magnâ copiâ, prodire, quia extrema vasorum orificia, in uteri cavum hiantia, nimis resistunt suæ dilatationi: tunc debent laxari viæ per balnea, vapores, &c. Sentiunt tales puellæ molestum sæpe ardorem circa os sacrum & pubem, valida tormina abdominis, & quandoque convulsiones patiuntur, inprimis circa primam menstruorum eruptionem. In multis sensim emendatur hoc malum, dum singulis mensibus dilatata hæc vasa magìs cedere incipiunt; in quibusdam satìs diu manet. Ille inprimis casus est, ubi fœcundum conjugium toties profuit: tempore enim graviditatis omnia uteri vasa admodum distenduntur, & excusso fœtu, magno cum impetu sanguis exit, simulac placenta solvitur ab utero, pergúntque puerperii tempore lochia fluere; atque sic disponuntur extrema oscula vasorum uterinorum, ut postea faciliùs cedant sanguini menstruo prodituro.

Quandoque in valde plethoricis observatur, sanguinem bonum esse, vasa pervia, sed nimiâ plenitudine sic distendi vasa, ut reagere nequeant in fluida contenta; simul tunc cordis vires supprimuntur, quia non potest libere se evacuare in vasa nimis plena (vide §. 106.), unde vis expellens deficit. Verùm simulac per sanguinis missionem minuitur sanguinis, vasa distendentis, moles, redeunt solitæ cordi arteriisque vires, & sæpe menstrua pro-

deunt, dum adhuc ſanguis de vena ſecta fluit, utì omnes Medici, in luculenta Praxi verſati, nôrunt.

Simul ex dictis apparet, quantâ prudentiâ opus ſit, ut Medicus indicationes curatorias generales adhibeat ſingularibus caſibus. Plethoricæ enim tali puellæ, ſuppreſſione menſium laboranti, limaturæ ferri uſus, frictiones, motus corporis, nocuiſſent quàm maximè: & contrà in debili & leucophlegmatica virgine ſanguinis miſſio auxiſſet cauſam ſuppreſſionis menſtruorum.

Facilè autem patet, ſimiles cautelas in Methodo Medendi etiam requiri, ubi ab illis excretionibus ſuppreſſis epilepſia nata fuit.

Verùm, utì antea dictum fuit §. 1075. n°. 5. fiant quandoque excretiones morboſi humoris per quædam loca corporis, quæ ſubitò ceſſantes, vel imprudenti medelâ ſuppreſſæ, ſumma ſæpe faciunt mala. Omnium frequentiſſimè hoc obſervatur in cutaneis illis eruptionibus, utì tunc monitum fuit. In tali caſu optimum eſt, fovere illa loca corporis, & leviter irritare, ut redeat conſuetus humorum per cutim exitus. Ita in infantibus, quibus manans ichore capitis cutis ſiccata fuerat ſubitò, & hinc epileptici facti fuerant, profuit lixivio ſaponis Veneti calido caput fovere, dein emplaſtro aromatico tegere; quinimo egregiè profuiſſe novi, utì antea monitum fuit, ſi una pars emplaſtri veſicatorii octo partibus emplaſtri de labdano permiſta ſupra totam cutim capillatam capitis extenderetur; poſt paucas enim horas incipiebat rubeſcere cutis, moleſtus oriebatur pruritus, & incipiebat denuo manare ichorem cutis, ſimúlque ſtatim ceſſabant inſultus epileptici. Tutiſſimum enim ſemper eſt educere ſuppreſſam excretionem per illa loca, per quæ antea exire ſolebat. Ubi verò ſic conſtricta ſunt vaſa cutanea per adſtringentia, ſpirituoſa, calces plumbi, & ſimilia, ut non poſſit reſtitui conſuetus ichoris in hoc loco effluxus, tunc in aliis corporis locis nova tentare emunctoria convenit, quibus illud noxium retentum exire poſſit, per veſicatoria, cauſtica, &c, de quorum uſu & efficacia ad §. 1081, dictum fuit. In junioribus etiam multùm profuit, per plures dies artificialem diarrhœam facere, datis mannâ, rhabarbaro, ſimilibúſve blandis purgantibus.

§. 1084. QUÆ autem à cauſa ſexta (1075. n°. 6.) oritur, tolli poterit, ſanatâ debilitate generis nervoſi nimis facilè movendi, quod exercitio motûs, luſûs, equitationis, vectionis; aſſumptu aromatum; uſu chalybis, & corroborantium, optimè fit: tum etiam loci fomitis exulceratione artificiosâ, profundâ, diuturnâ, inductâ cæſim, cauſticis, veſicatoriis; dein autem apertis retentis diu per ſuppurantia corroſivis miſta: tandem ligaturis nervum comprimentibus affectum.

In hac epilepſiæ ſpecie percipitur maniſeſtè, illud quod paroxyſmum renovat, ex alia corporis parte originem ducere, & ſenſu elevatæ auræ cerebrum petere. Duplex hinc curationis Methodus eſt: vel enim impeditur, ne ille locus corporis, unde paroxyſmus obſervatur incipere, cerebrum affi-

cere

cere possit; vel cerebrum & totum genus nervosum magis firmum conantur reddere Medici, ut à levi tali irritatione non adeo facilè turbari possit. Ultimo huic scopo inprimis conducit corporis motus quotidianus, prudenter auctus, donec satis validus fuerit; hoc enim videmus laxa & debilia corpora firmari mirum in modum, de qua re videantur illa, quæ ad secundum numerum §. 28, habentur. Docet autem constans Observatio, homines, cæteris paribus, huic morbo eò magis obnoxios esse, quò fuerint debilioris & laxioris fabricæ. Infantibus hinc adeo frequens epilepsia, qui, per ætatem firmato corpore, sæpe sanantur, utì antea dictum fuit. Ob eamdem rationem & teneris puellis longè frequentior, quàm illis, qui duro labore victum sibi comparare coguntur. Utilissimum ergo est, corporis exercitio firmum illud robur parare. Unde *Hippocrates*, de hac specie epilepsiæ agens, postquam dixerat, maximè sanari posse illos, quibus morbus à manibus vel pedibus initium sumeret, mox addit sequentia, (*a*) *Cæterùm horum curam aggredi oportet Medicum, qui Medendi Modum novit, si homines fuerint juvenes & laboris amantes.* Ex quo textu satis patet, quòd *Hippocrates* magnam spem curandi hujus morbi posuerit in vita laboriosa. Sic & *Aurelianus*, curam hujus morbi describens, sic habet, (*b*) *Exercitia vehementiora, quæ labore corpus afficiant, affectanda, quò magis fortitudo, quàm corporis robur, augeatur.* Per robur autem corporis intelligit obesitatem; nam statim subjungit heteroclito stylo utens ille Auctor: *Est enim semper gravabilis carnatio, & magis si tenuibus fuerit imposita viribus, & in iis passionibus, quæ in nervis esse noscuntur.* Sic & apud *Plutarchum* (*c*) legitur, quòd filiis illorum, qui epilepsiâ, melancholiâ, podagrâ, laboraverant, imperaverint Veteres austeram diætam, ademerint obsonia, bellaria, &c, atque exercitationibus corpus durantes impediverint, ne magni morbi exiguum semen incresceret. Magnum certè hujus Methodi Exemplum *Julius Cæsar* dedit, (*d*) *Qui habitu gracili, carne candidâ & molli, morboso capite, ac morbo comitiali obnoxius, non quærebat mollitiei prætextum in corporis imbecillitate, sed Medicinam imbecillitatis militiam, indefatigatis itineribus, tenui victu, & textum non subeundo, resistens ægritudini, corpus adversùs injuriam validum custodiebat.* Eidem scopo etiam inservit aromatum usus moderatus; quatenus horum efficaci stimulo actio vasorum in liquida contenta augetur, de qua re videantur illa quæ ad §. 28, in curatione fibræ debilis habentur: ubi simul laudatur chalybis & roborantium remediorum virtus ad nimiam debilitatem fibrarum solidarum curandam. Hæc videtur esse ratio, quare *viscus quercinus* tantum nomen obtinuerit in hoc morbo curando, cùm egregiam roborantem virtutem habeat: simul etiam intelligitur, cur *aquæ Spadanæ*, aliique fontes medicati his similes, ferro soluto prægnantes, tanto sæpe cum fructu in hoc morbo curando fuerint adhibitæ: roborant enim laxam nimis solidarum partium compagem, simúl-

(*a*) Prædiction. Lib. II. Cap. VII. Charter. Tom. VIII. pag. 816.

(*b*) Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. IV. nº. CXII. pag. 312.

(*c*) *De his, qui serò à Numine puniuntur*, Tom. II. pag. 561.

(*d*) Idem in Vita Jul. Cæsaris, Tom. I. pag. 715.

que vi diluente, & obstructiones viscerum reserante, pulcherrimè prosunt.

Verùm quandoque illa irritatio nervi, in dissita etiam ab encephalo corporis parte facta, adeo valida est, ut vel in robustissimo homine totum cerebrum turbet, si ad superiora adscendere possit frigidæ illius auræ, vel in aliis formicationis cujusdam, sensus. In tali casu à roborantibus nihil sperandum est, sed tunc tentaverunt Medici ligaturâ forti, subitò applicatâ, impedire adscensum illius auræ vel formicationis, sícque cavebant sæpe paroxysmum, sed non eradicabant malum. Ad §. 1075. n°. 6, talis casus memoratus fuit, ubi per ligaturam tibiæ factam, dum prima ingruentis mali initia sentiret æger, cavebatur paroxysmus. Et apud *Galenum* (*a*) similis ligaturæ effectus memoratur in puero, cui morbus comitialis à tibia oriebatur. Verùm simul notat; Medicos hanc ligaturam applicuisse, ut caverent paroxysmum interim, dum, purgato priùs corpore, *thapsiam* aut *sinapi* applicare meditarentur corporis parti, quæ prima afficiebatur ingruente paroxysmo. Integram enim curæ spem potiùs ponebant in erosione illius loci per acria medicamenta applicata; quæ & laudaverunt *Ægineta* (*b*), ac *Trallianus* (*c*) qui observavit, humida non pauca sic à parte affecta emanasse, sequente sanatione perfectâ.

In Asia exurunt partem talem moxâ impositâ; sic, escharâ deciduâ, ulcus nascitur diu sæpe plorans tenuem ichorem: vesicatorium fortè similem effectum fecit quandoque, si diu apertus teneretur ille locus. Omnia hæc conducunt, quatenus facilem exitum præbent acri humori hîc stabulanti, vel circa paroxysmi tempus collecto, qui nervum vel tendinem quemdam irritat, & tanta mala facit, utì aliâ occasione ad §. 164, pluribus Exemplis Practicis probatum fuit. Quandoque autem neque hæc sufficiunt ad curationem; & Observationes Practicæ docuerunt, curam successisse, dum locus ille ad ossa usque profundo vulnere dissecaretur, vel ferro candenti profunda inustio fieret. Utroque hoc modo destruebantur omnia in illo loco, ubi fomes mali latebat; neque tunc cura adscribi poterat eductioni humoris noxii, sed potiùs destructioni integræ nervi, cujus irritatio paroxysmum renovabat. Plures tales curationes ab Auctoribus memorantur: unicum sufficiet memorasse casum, sed admodum notabilem. Mulier triginta octo annorum per duodecim annos laboraverat epilepsiâ: primò tempore morbi singulis mensibus paroxysmum patiebatur; postea adeo invaluerat malum, ut singulis diebus quatuor vel quinque validas invasiones toleraret, quæ singulæ per horam & ultrà durabant; unde hebes & stupida reddita, rem familiarem ultrà curare non valebat. Omnis generis medicamenta adhibita fuerunt absque ullo levamine, semper ingravescente morbo. Interim tamen semper paroxysmus incipiebat à crure circa partem inferiorem gastrocnemiorum; mox caput petebat; túncque cadebat miserrimè convulsa, ore spumante. Medicus præsens tempore paroxysmi conferebat crus affectum cum altero, & nullam diversitatem dis-

(*a*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. XI. Charter. Tom. VII. pag. 445.

(*b*) Lib. III. Cap. XIII. pag. 30.

(*c*) Lib. I. Cap. XV. pag. 73.

tinguere poterat: audaci consilio scalpellum adegit ad binorum circiter pollicum profunditatem, & in fundo vulneris invenit corpus durum, cartilaginosum, pisum majus æquans suâ mole; separavit illud à musculis, & invenit nervo insidere; discidit nervum, & forcipe prehensum corpus illud heterogeneum eduxit; quod simul ac factum fuit, mox resurrexit ex paroxysmo ægra, séque optimè habere clamavit, & postea à diro hoc morbo omnino libera vixit, pristinámque mentis aciem, & corporis vigorem, recuperavit (*a*).

Quàm mirum videri debet omnibus, durum tale corpusculum, solâ mole irritans nervum, cui accreverat, in tam dissito à capite loco, toties singulis diebus excitasse paroxysmum! Quàm parùm speranda videbatur integra curatio, dum jam illa hebetudo aderat, quæ cerebrum tot violentis concussibus pessimè affectum docebat (vide §. 1077.)! Attamen felix egregii Medici audacia paucorum minutorum tempore eradicavit tantum morbum; & quidem absque dolore ægrotæ, cùm paroxysmi tempore epileptici sensu careant.

Enarratis omnibus illis quæ verâ fide constat profuisse in hoc morbo curando, superest ut dicatur quid agendum sit illo tempore, dum paroxysmus adest. Primò cavendum est suppositis pulvinaribus, vel alio quocumque modo, ne caput vel aliæ corporis partes duris corporibus vicinis allidantur: suberis lamina, vel lignum mollius, dentibus molaribus anterioribus interponatur, ut caveatur ne linguam mordeant miseri: sed filo alligata hæc esse debent, ut retrahi possint, dum metus est, ne in fauces dilabantur. Artus convulsi blandissimè extendantur, nullâ vi adhibitâ, tunc enim noceret. Dolui sæpius, dum viderem robustissimos homines totis viribus pollicem in teneris etiam puellis erigere velle, unde postea à distractis ligamentis & musculis molestissimi manebant dolores. Prudenter ideo *Aretæus* monuit, (*b*) *Manibus perunctis tractando demulcére convenit* partes convulsas, mollitérque continenda membra ne distorqueantur paroxysmi tempore. Multis etiam in more est, epilepticorum naribus supponere acria, quæ irritant nervosam nares internas vestientem membranam, & sæpe molestam inducunt & periculosam sternutationem, dum paroxysmi tempore tota facies turgida livescit, oculi tument sanguine suffusi, manifesto signo, quòd encephali vasa venosa & arteriosa aggesto sanguine nimis distendantur; adeóque rupturæ vasorum periculum inducere possit validus ille concussus, qui sternutationis tempore fit. Unde meritò damnavit *Aurelianus* sternutamenta, & fumigationes acriores ex graveolentibus remediis, quia ipsa sanorum capita inde gravantur ac vertiginosa redduntur, (*c*) *Et non aliter tumentes oculos fumigatio afficit, quàm etiam tumentes cerebri membranas.* Damnat eadem remedia *Celsus* (*d*) tamquam supervacua admodum.

Quando autem à paroxysmo resurgunt epileptici, tunc debiles admodum,

(*a*) Medical Essays Tom. IV. n°. XXVII. pag. 416.

(*b*) De Curation. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. V. pag. 34.

(*c*) Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. IV. n°. CXXIII. pag. 316.

(*d*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXIII. pag. 172.

hebetes, ac stupidi sunt; túncque convenit dare illa quæ torpentes excitant spiritus; qualia sunt, omnes aquæ stillatitiæ fragrantes officinarum, *rosmarini*, *rutæ*, *lavendulæ*, & similes, addendo his succini tincturam, spiritum salis ammoniaci, aliáve his affinia remedia stimulantia; in quorum usu per unum alterúmve diem pergitur, donec pristina alacritas & sensuum vigor redierint: tunc enim, his omissis, ad alia pergendum est remedia, secundùm diversas curandi Methodos antea enarratas.

Optimè etiam monet *Aurelianus*, curatos hoc morbo diu cavere debere ab omni vitio sex rerum non naturalium, circumgyratione corporis, præcipitii adspectu, &c: (a) *Ut enim ulcerum recentes cicatrices facili occasione solvuntur, non aliter hæc passio, vel alia quæque similis nequitia, parvo impulsu repetit corpus, quod proximè dimisisse videbatur.*

§. 1085. EX his vanitas apparet omnium Specificorum, & Methodorum, quæ inanis jactantia contra hoc malum laudat.

Recensitæ fuerunt causæ epilepsiæ, & ordinis gratiâ in diversas classes redactæ; deinde descripta fuit curandi Methodus singulæ causarum classi propria. Patet autem sponte ex antè dictis, diversissima remedia, diversissimam curandi Methodum, hîc requiri sæpius pro varietate causarum & locorum, in quibus illæ causæ hærent. Unde simul apparet, vix posse sperari specificum universale remedium, quod omnes & singulas has causas delere aptum esset.

Interim tamen plurima hîc jactantur specifica; & quidem tantus illorum numerus est, ut singula ex numerosis Auctoribus colligere laboriosum foret, tædiíque plenum opus, nec magnæ utilitatis, cùm effectus in hoc morbo sanando minimè respondeant tantis promissis. Interim tamen illi, qui specificorum remediorum vires in hoc morbo curando adeo extollunt, specioso utuntur argumento. Constat enim ex tota Historia hujus morbi, quòd epileptici non semper laborent suo paroxysmo, sed sæpe per longum temporis intervallum liberi sint, donec à variis causis occasionalibus, antea recensitis, denuo recrudescat morbus. Simul autem constat, illas causas occasionales tantùm excitare paroxysmum in illis, qui prædisponentem causam ad hunc morbum fovent in corpore; nam aliis hominibus ab iisdem causis non nascitur morbus. Facilè autem largiuntur, quòd diversæ illæ causæ occasionales non possint uno & eodem remedio tolli, sed credunt, causam prædisponentem, fortè longè simpliciorem, quàm eamdem aut similem volunt esse in omnibus epilepticis, specifico quodam medicamento posse deleri, vel saltem sic sopiri, ut non deducatur in actum à causis occasionalibus. Ut possibilitas demonstretur, adducunt corticis peruviani, & opii, specificam virtutem, quâ prius febres intermittentes curat, posterius doloris sensum tollit, manente doloris causâ. Chemici hîc jactant arcana sua remedia, quibus eradicari characterem illum epilepticum dicunt, & furentis archæi turbas ca-

(a) Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. IV. n°. CXIV. pag. 313.

veri, vel natas illico compesci. Quid de his sperandum sit, aliâ occasione dictum fuit ad §. 1080. Verùm an bonâ fide quis crederet, spinas osseas, meninges cerebri & cerebrum ipsum irritantes, excrescentias osseas cranii, cartilaginem sinuum venosorum duritiem, quæ omnia prædisponentem caussam epilepsiæ fecisse probatum fuit §. 1075, posse tolli vel decantatissimis arcanis? An encephali & totius generis nervosi fluxilis mollities, & facillima irritabilitas, quæ recèns natos prædisponunt ad epilepsiam, adeo, ut à levibus etiam caussis occasionalibus convellantur illico, tolli poterunt remediis? Ab aucto hîc corporis robore per ætatem & corporis salubrem motum meritò speratur curatio; & interea prudentes Medici cavent, vel tollunt, omnes caussas occasionales, quæ intestina & ventriculum vellicando, aut dentitionis tempore gingivas irritando, paroxysmum epilepticum producere possent. Si quis hæc omnia consideret, facilè videbit, universale antepilepticum remedium qui promittunt, vel falli, vel fallere.

Cùm autem epilepsia tam horrendis & tam variis symptomatibus stipetur sæpe (vide §. 1072.), ut caussis naturâ majoribus adscribatur à multis; hinc mira etiam remedia, & quædam satis abominanda, superstitiosa plurima, ad morbum hunc curandum jactata fuerunt, quorum ingens farrago apud varios Auctores habetur: (*a*) *Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine poto, tali morbo se liberârunt; apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit.* Idem remedium adhibitum se vidisse testatur *Aretæus* (*b*); sed simul addit, neminem ipsi affirmare potuisse, quòd inde sanitatem recuperaverint epileptici. Adolescentem florentis ætatis, & adultam virginem, hoc morbo laborantes, eodem die jugulati juvenis sanguinem bibisse narrat *Tulpius*; sed aucto potiùs inde morbo, quàm minuto, nullum levamen ab abominabili hoc remedio perceperunt. Fortè quis crederet, quòd horror ipse crudelis remedii posset insignem & subitam mutationem facere in epileptico, sícque mutare præsentem corporis statum, adeóque aliquam spem sanationis esse posse; sed adolescens ille apud *Tulpium*, (*c*) *Tremulâ manu, aversis oculis, pallidâ facie, ac horrente universo corpore, in obluctantes fauces violenter* infuderat sanguinem, adeóque non parùm perturbatus fuerat; & tamen terribilis morbus potiùs inde plurimùm incrementi sumpsit. Jecur (*d*) humanum epulis apponendum jusserunt quidam; medullam crurum, cerebra infantium, cranii, violentâ morte perempti hominis, rasuram laudaverunt alii. Non sine indignatione certè videmus, publicorum Dispensatoriorum formulis antepilepticis hæc fœda misceri. Liceat cum *Plinio* dicere: (*e*) *Quis ista invenit, ostenta; tecum enim res erit, eversor juris humani, monstrorúmque artifex . . . ? Quis invenit singula membra humana mandere? Quâ conjecturâ inductus? Quam potest Medicina illam originem habuisse? Quis veneficia inno-*

(*a*) Cels. de Medicin. Lib. III. Cap. XXIII. pag. 174.
(*b*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IV. pag. 122.
(*c*) Observat. Medicar. Lib. IV. Cap. IV.
(*d*) De Curation. Morbor. Diuturnor. Lib. I Cap. IV. pag. 122.
(*e*) Plin. Histor. Natur. Lib. XXVIII. Cap. I. pag. 683.

centiora fecit quàm remedia, &c? Procul à nostris litteris absint ista. Nos auxilia dicemus, non piacula.

Plura alia jactantur, utì notum est, minùs quidem fœda, sed fortè æquè parùm utilia. *Ungula Alcis* v. gr; omnium pulverum antepilepticorum ingrediens celebratissimum, ideo creditur prodesse, quia illud animal frequenter caduco morbo prosternitur. Sed si vera sint, quæ Veteres de *Alce* dixerunt, rarissimè hominibus occurrebat hoc animal; cum acutissimo valens olfactu longè etiam remotorum hominum odorem perciperet, & celeri fugâ mox se abriperet in densissimas sylvas: nec tutum fuit propiùs accedere ad ferocem hanc bestiam, cùm tanto robore polleret, ut posterioribus pedibus calcitrando ipsas etiam arbores frangeret, anterioribus pedibus venatores obvios perfoderet (*a*). An ergo credibile videtur, illud animal sæpius visum fuisse ab hominibus, dum epilepsiæ insultum pateretur. Fortè viderunt hoc animal, vulneratum telis, convelli; sed hoc cervis, apris, aliísque feris, contingere frequentissimè, noverunt venatores; & mactati boves ante mortem solent validissimas pati convulsiones, dum inanita sunt vasa à larga & subita sanguinis effusione. Hinc minimè constat, illud animal caduco morbo obnoxium esse, & licèt hoc verum foret, si octo integræ ungulæ (binas enim in singulis pedibus habet) non possint alcem ipsum ab hoc morbo immunem reddere, an talis effectus sperari poterit in homine à rasura ungulæ, ad aliquot grana exhibita?

Præterea apud *Olaum Magnum* (*b*) legitur, illud animal, dum epilepticum cadit, pedis dextri ungulam externam auriculæ immittere, túncque illico à paroxysmo resurgere. Sed notaverunt Auctores, & confirmaverunt Anatomici Parisini, alcem habere, articulos crurum admodum rigidos, & hinc vix possibile esse, adeo intorqueri articulos, ut externa ungula dextri pedis aurem tangere possit. Si jam his addantur conditiones difficillimæ, à quibusdam Auctoribus recensitæ, & tamen requisitæ, ut ungula alcis in corpore humano mirabilem talem effectum præstaret, adhuc plures difficultates occurrent. Voluerunt enim ungulam illam efficaciam habere tantùm, si securis ictu rescinderetur, animali adhuc vivo, certo tantùm & unico totius anni die: præterea debebat hoc animal masculum esse, veneris œstro turgere, nec tamen unquam coivisse. An verosimile videtur, alcis ungulas in Officinis Pharmaceuticis venales, habere omnes illas conditiones? Imò vix credi potest, ingentem harum ungularum numerum, qui per totam Europam in Officinis distribuitur, desumptum fuisse ex hoc animali, quod non ita frequenter occurrit.

Sufficiet, credo, aliquot talium specificorum originem & Historiam dedisse, ut illorum, & his similium, vanitas appareat: posset enim levi negotio idem de aliis demonstrari. Sed vafri homines, hæc arcana jactantes, semper tot requisitas addiderunt conditiones, tam in victu, quàm in cæteris, ut

(*a*) Ouvrages adoptés par l'Académie des Sciences, Tom. I. pag. 171, & suiv.

(*b*) Vide locum citatum.

nullo modo possent cavere ægri, etiam attentissimi, quin subinde peccarent contra datas regulas. Nec novum hoc est; nam *Hippocrates* jam de his fraudibus conquestus fuit. Ipsius enim tempore interdicebant ægris balnea, & plurima edulia; præterea, (*a*) *Vestimentum etiam nigrum haud induere præceperunt; niger enim color lethalis: neque in pelle caprina decumbere, neque eam gestare; neque pedem pedi, neque manum manui, superimponere: hæc enim omnia curationis impedimenta esse.* Si morbus sponte sileret per notabile tempus, ut sæpe fit, vel per ætatem emendaretur, specificis illis tribuebatur curatio: si morbus maneret, vel & invalesceret, in promptu habebant semper aliquid, quod culpare possent, ut curæ defectus adscriberetur ægri negligentiæ, non verò inertiæ specifici remedii.

Cùm autem pleraque ex his specificis epilepticis non multùm turbent corpus, neque facilè deleri possit ex hominum animis concepta de similibus remediis opinio, periti etiam Medici satìs facilè assentiuntur horum usui, inprimis ubi attento animo observant morbi decursum, & causas paroxysmum renovantes (vide §. 1080.): nihílque tentare volunt, antequam certi sint, quid, & per quæ remedia, agere debeant. Tunc hæc specifica antepileptica locum habent, quæ innoxia sunt, ut ægrum ejúsque amicos interea occupent, dum prudentes ipsi Historiam morbi colligunt. Crederent enim ferè omnes, negligi ægrum à Medico, si nulla daret remedia in tam gravi morbo.

§. 1086. ET patet quidem, causam proximam omnis epilepsiæ exquisitæ semper esse nimiam cerebri in nervos motorios, nullam in sentientes actionem.

Intra encephalon hærere omnium sensuum & motuum originem primam, in Physiologicis (*b*) demonstratur. In quibus verò encephali locis singulorum sensuum & motuum principium ponatur, hoc nondum demonstratum est. Verùm Observationes Practicæ satìs evincunt, primam originem sensuum distinctam esse in nobis à prima origine motuum. Sic in paralysis Historia constitit, quòd quandoque aboleatur in parte quadam corporis motus, superstite sensu; & contrà quandoque omnis sensus pereat in parte, manente motu integerrimo. Alterutrum ergo ex his affici potest, altero manente incolumi; adeóque diversam sedem debent habere in sensorio communi: non enim concipi potest, si in eodem absolutè loco sedem haberet motuum & sensuum prima origo, quomodo causa morbosa in alterutrum tantùm agere posset. In exquisita autem epilepsia, utì ad §. 1071, dictum fuit, omnes sensus interni & externi abolentur, adeóque paroxysmi tempore cerebrum in nervos sentientes nullam actionem exercet; motus autem fiunt summi, & quidem longè violentiores, quàm in sanitate ab eodem homine exerceri po-

(*a*) Lib. de Morb. Sacr. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 476.

(*b*) Boerhaav. Instit. Medic. §. 284.

tuissent; adeoque actio cerebri in nervos motorios nimia est. In fine autem paroxysmi etiam afficitur origo motuum; nam cessare tunc solent convulsiones, & sequitur profundus somnus cum stertore, ut in apoplecticis adesse solet; & dum in paroxysmo epileptico pereunt, ferè semper moriuntur apoplectici, utì anteà dictum est.

Observatur quandoque in hominibus, cæterùm sanis, sensus omnes sopiri, manente tamen motu musculari corporis: quod iterum docet, sensuum & motuum origines in sensorio communi sic dispositas esse, ut una possit cessare ab omni actione, dum altera pergit agere. In somno naturali sopiuntur sensus & motus; verùm in somnambulis sensus dormiunt, non autem silent motus. Fatetur *Galenus* (*a*), se credere non potuisse, quòd inter deambulandum homines dormire possent: verùm propriâ experientiâ edoctus, veritatem hujus rei agnovit. Totâ enim nocte iter peragens, per integrum ferè stadium dormiens, & somnia videns, perrexit, donec in lapidem impingens somno excitaretur. Numerosa sunt in Historia Medica somnambulorum Exempla, quæ docent, homines dormientes adscendisse gradus, descendisse, plura opera peregisse, quæ de die facere solebant, utì nimis notum est. Verùm & quandoque in vigilantibus videmus sic sensus sopiri, ut vix videant vel audiant, dum tamen simul corpus movent. Pluribus eruditis Viris hoc contigisse novi, quòd inter ambulandum profundis speculationibus immersi, nec obvios amicos salutaverint, nec curruum & equorum strepitum audiverint, obstaculis impegerint cœcorum instar, prætergressi fuerint locum ad quem tendere in animo habebant, dum domo egrediebantur, vel & penitus aberraverint à via: sícque post unam alterámve ambulationis horam, quasi è somno expergefacti, nesciverint, ubi locorum essent: summa in his animi attentio sensus sopit. Fortè tamen quis credere posset, quòd sensuum actio, quámvis inertior, supersit tamen in talibus hominibus. Certè somnambuli, quos mihi videre contigit, habebant oculos apertos, pupillam admodum dilatatam, ut in gutta serena fieri solet, nec admotâ propiùs candelâ contrahebatur pupilla, nec nictitabant palpebræ: at ubi prehensâ rudiùs manu excitabantur, mox claudebant oculos, & molestiam à lumine nimis propinquo percipiebant.

Verùm alius mirabilis casus docet, perfectissimè sopiri posse omnes sensus, motu tamen corporis & loquelâ manentibus. Viginti annorum virgo catalepsi verâ & exquisitâ per aliquot menses laboraverat, deinde in aliam faciem mutabatur morbus, ferè quotidie recrudescens. Sic autem incipiebat paroxysmus: corripiebatur primò catalepsi; post quinque vel sex minuta oscitabat, erigebat corpus, dein loquebatur magna cum vivacitate, & feliciori ingenio, quàm solebat extra paroxysmum: videbatur alloqui plures, qui lectulum circumdabant, mores adstantium fictis sub nominibus perstringebat acriter, gestibus & motu oculorum comitabatur hos sermones, & tamen omni omnino sensu carebat. Deinde incipiebat cantare, ridere; exsilie-

(*a*) De Motu Musculor. Lib. II. Cap. IV. Charter. Tom. V. pag. 387.

bat

bat de lecto, ambulabat per conclave nosocomii, omnia obstacula evitabat, ad proprium redibat lectum, stragulis corpus tegebat, & paulò pòst denuo catalepsi corripiebatur: elapso quadrante horæ evigilabat quasi de profundo somno, penitus immemor omnium quæ paroxysmi tempore contigerant. Egregius Medicus apud Monspelienses *Sauvagius* omnia sensuum organa paroxysmi tempore exploravit; sed invenit nullum vestigium sensuum superesse: nam nec sonitus validus, subitò excitatus, nec candelæ flammula oculo tam prope admota, ut cilia comburerentur, potuerunt efficere, ut vel nictitaret, sed pergebat in eodem sermone, quem inceperat. Nec spiritus vini oculis instillatus, in os immissus, nec spiritus salis ammoniaci, nec tabaci pulvis naribus inflatus, nec acicularum puncturæ, vel minimum sensûs percepti vestigium extorquere potuerunt (*a*).

Patet ergo ex omnibus dictis hactenus, quàm varii & mirabiles morbi possint nasci in corpore, dum impeditur, vel turbatur origo sensuum aut motuum. In apoplexia silent omnes sensus & motus voluntarii cum somno profundo, & stertore, in catalepsi supprimuntur motus & sensus, sed absque illo somno & stertore; corpúsque illum statum retinet, quem momento accedentis morbi habebat. In somnambulis sensus sopiti sunt, sed motus fiunt simillimi illis, qui in vigilantibus observantur. In epilepticis sensus pariter tam interni quàm externi cessant, sed motus fiunt summi, convulsivi, involuntarii, longè alii ac validiores illis, qui extra paroxysmum fiunt.

§. 1087. ATQUE causas, quæ reciprocos paroxysmos creant, numero & varietate plurimas esse.

Patet hoc ex recensione causarum, tam prædisponentium, sive proegumenarum, quàm excitantium, sive procatarcticarum, quæ omnes ad §. 1075, fuerunt enumeratæ.

§. 1088. TANDEM verò spasmi singularis, opisthotoni, emprosthotoni, tetani universalis, origo, natura, effectus, sanatio, sponte patent; quum sint modò species epileptici insultûs singularis.

Epilepsiæ exquisitæ definitio data fuit §. 1071, quòd nempe sit ablatio omnium sensuum cum concussu violento involuntario musculorum omnium, vel aliquorum. Hinc spasmi singulares quorumdam musculorum quandoque paroxysmum epilepticum comitantur, ut quotidiana Observata docent, ac tamen morbus vocatur epilepsia, & non spasmus. Miserrimo spectaculo videmus epilepticos in suis paroxysmis tetano totius corporis obrigescere; paulò pòst remittere tetanum, & spasmo valido musculos, caput, collum, thoracem, lumbos, versùs anteriora flectentes, corripi, sícque emprosthotonum facere: quandoque musculi, qui caput, cervicem, dorsum, retro-

(*a*) Mémoir. de l'Académ. des Scienc. l'an. 1742. pag. 557.

flectunt, simili modo affecti, producunt opisthotonum, quo nil visu magìs horrendum est, dum totus truncus corporis retrorsum incurvatur, ita ut occiput nates ferè tangat, totâ facie turgidâ lividâque, oculis prominentibus & sanguine suffusis.

Verùm quandoque spasmus, tetanus, &c, adsunt, licèt sensus externi & interni maneant illibati; túncque sub definitionem epilepsiæ exquisitæ non cadunt hæc mala. Videte *Aretæum*, qui tam bene horrenda hæc mala descripsit, dicit quòd sunt (*a*) *Dolores omnium atroces, vox omnium flebilis*: unde meritò concluditur, sensibus non semper carere ægros, ubi cum tantis malis luctantur. Puella, tetano correpta, cujus morbi Historiam ad §. 712, descripsi, semper habuit sensus omnes illibatos. Adeóque in his morbis nimia quidem est encephali actio in nervos motorios, sed tamen manet actio sensuum, quæ in perfecta epilepsia silet, utì ad §. 1086, pluribus dictum fuit. Sic & sæpius observatur, hystericas validis convulsionibus affici, licèt omnium sensuum maneant illibatæ actiones.

Si autem considerentur illa, quæ de origine & natura epilepsiæ dicta fuerunt §. 1074; utì etiam quæ ad §. 1077, de effectibus hujus morbi habentur, patebit satìs omnia hæc etiam spasmo singulari, opisthotono, emprosthotono, tetano universali, posse applicari; simúlque apparebit, eamdem curationis normam his morbis convenire cùm tantùm ab epilepsia differant in eo quòd sensuum actiones illibatæ maneant, vel saltem non omnino aboleantur.

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. VI. pag. 4.





MELANCHOLIA.

§. 1089. MELANCHOLIA vocatur Medicis ille morbus, in quo æger delirat diu, & pertinaciter, sine febre, eidem ferè & uni cogitationi semper affixus.

Nominis ratio sponte patet: ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, ab atra-bile, sic vocatur ille morbus, quia ortum ducit ab illa sanguinis & humorum intemperie, quam veteres atram-bilem dixerunt, utì dicetur sequenti paragrapho: vel etiam, quia hoc morbo laborantes quandoque atram-bilem sursum vel deorsum evacuant, ut *Aurelianus*, (*a*) monuit.

Describuntur autem hâc paragrapho signa, ex quibus cognosci potest præsens melancholia, & ab aliis morbis distingui. Adest delirium, dum idearum ortus non respondent causis externis, sed ab interna cerebri dispositione mutata pendent, natâ præter voluntatis imperium; de qua re videantur illa, quæ ad §. 700, habentur, ubi *De Delirio febrili* agebatur; in quo loco fusiùs de hac re dictum fuit. Verùm Melancholicorum insania à phrenitide & delirio febrili differt, quòd sine febre fiat; præterea diu & pertinaciter manet per plures menses, imò & annos; delirium autem cum febre citiùs terminatur vel in sanitatem, vel mortem. A mania autem distinguitur, quòd nondum adsit sævus ille furor, qui in Maniacis observatur: interim tamen melancholia increscens in maniam degenerat, utì postea ad §. 1118, dicetur. Præterea & illud signum diagnosticum melancholiæ est, quòd uni & eidem cogitationi pertinacissimè inhæreant tales ægri, & ferè circa hanc illámve opinionem delirent tantùm; in reliquis omnibus sanam ostendant mentem, & sæpe acutissimum ingenium. In deliriis autem, quæ febrim comitem habent, varia magìs & frequenter mutabilis insaniæ species est plerumque, raro autem pertinaciter circa eamdem rem delirant; & ubi hoc fit, pessimi ominis est in his morbis; cùm notet, causam, sensorium commune turbantem, manere fixam in eodem loco. Tales ægros videtur *Hippocrates*, vocasse (*b*) μελαγχολικῶς ἐξιςαμένες, quia licèt phrenitici forent, tamen circa idem objectum delirabant perpetuò; & malam prognosin inde deduxit: non autem videtur *Hippocrates* hîc egisse de delirio atrabilario, cùm & in præcedentibus, & in sequentibus textibus, loquatur de phreniticis & delirantibus cum febre.

(*a*) Lib. I. Cap. VI. pag. 339.

(*b*) Coac. Prænot. nº. XCV. XCVI. Charter. Tom. VIII. pag. 857.

Unde meritò sequentem definitionem melancholiæ *Aretæus* dedit, (*a*) *Est autem animi angor* (ἀθυμίη) *in una cogitatione defixus atque inhærens absque febre.* Simul paulò pòst addidit, quòd tristitia & animi mœror melancholiam comitentur. Quinimo videntur veteres Medici statuisse quòd omnibus melancholicis symptoma unum (*b*) *Commune est metus & mœstitia.* Quod licèt ut plurimùm observetur, & mœstitia inter signa incipientis melancholiæ numeretur §. 1094, tamen videtur non semper & absolutè verum esse: nam ille, de quo *Horatius* narrat, lætabatur, dum in vacuo lætus sedens theatro miros se audire tragœdos credebat, & in hoc solo delirabat, nam reliqua vitæ munia recto more servabat: melancholicum autem illum fuisse, morbi remedium & exitus docuerunt, etenim (*c*),

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilémque meraco,
Et redit ad sese. Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait; cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error!

Quàmvis autem, uni ferè semper cogitationi affixi melancholici, circa hanc solam delirent; tamen in singulis ægris mira delirii varietas deprehenditur. Mulierem vidit *Trallianus* (*d*), quæ medium manûs digitum erectum tenebat semper, credens totum se sustinere orbem hoc digito, & metuens ne omnia corruerent, si digitus inflecteretur. Plures alias deliriorum melancholicorum varietates ibi recenset: longè numerosiores ex *Historia Medica* colligi possent, & quidem satìs mirabiles; quod monuisse hìc loci sufficiet.

§. 1090. HIC morbus oritur ex illa sanguinis & humorum malignitate, quam bilem atram dixêre Veteres; & rursum idem morbus à mente initium ducens brevì in corpore bene sano ipsam bilem atram facit.

Homo, utì in Physiologicis docetur, constat binis distinctis inter se unitis, mente nimirum & corpore; quæ licèt naturâ differant, tamen liquet per certa Observata, mentem & corpus ita se habere inter se, (*e*) *Ut cogitationes mentis singulares determinatis corporis conditionibus semper jungantur*; & contrà eædem cogitationes in mente natæ, absque prægressa mutatione corporis, si diu maneant inprimis, producant in corpore similem conditionem, ac fuerat illa, quæ præexistens in corpore excitaverat in mente easdem cogitationes. Et licèt ex illis, quæ de mente & corpore intelligimus, nulla pateat evidens ratio, unde hæc bina, adeo diversa, in se mutuò agere, vel à se in-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. v. pag. 29.
(*b*) Sicam. Aetii Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Posidon. & Marcell. Cap. I. Charter. Tom. X. pag. 497.
(*c*) Epist. Lib. II. Epist. II. vers. 136.
(*d*) Lib. I. Cap. xvi. pag. 109.
(*e*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 27.

vicem pati queant; tamen effectuum observatione constat, illud fieri. Docuit *Sanctorius* in Aphorismis Staticis, (*a*) hilaritatem in mente nasci, dum liberrima fit per superficiem corporis perspiratio: sed & simul notavit, (*b*) lætitiâ in mente natâ, augeri perspirationem. Contrà à perspiratione impedita in corpore percipi gravitatis sensum, in mente nasci tristitiam: ubi autem tristi nuncio subitò percellitur homo, perspiratio supprimitur, corpus grave sentitur. Dum paroxysmo hysterico corripitur mulier, inflatur sæpe ventriculus, & intolerabilem facit anxietatem, tantúmque animi mœrorem, ut vitæ quandoque tædeat: soluto spasmo, emittuntur ructus, cessat anxietas, & redit pacatæ mentis serenitas. Verùm talis mulier, si insigni afficiatur contumeliâ, mox eadem mala patitur in corpore, dum sola mens in cogitatione mutatur. Meningum cerebri inflammatio ex homine modesto facit furibundum phreniticum, in obvios quosvis insilientem magnâ ferociâ (vide §. 775.). Verùm ira summa toties produxit lethalem phrenitidem (vide §. 772.). Pluribus certè hoc assertum probari posset Exemplis, sed recensita, ut puto, sufficient. Idem jam obtinet manifestè in melancholia; dum enim uni & eidem cogitationi inhæret perpetuò mens, nascitur in corpore illa humorum cacochymia, quam atram-bilem dixerunt veteres Medici, cujus indoles in sequentibus explicabitur: & contrà, ubi talis humorum degeneratio ab aliis causis nata fuit, uni & eidem cogitationi inhæret homo etiam & repugnans. Omnia autem hæc ulteriùs confirmabuntur sequentibus.

§. 1091. IDEO opus hîc erit paucis ideam pingere mirifici hujus mali, & de quo tam obscura doctrina habetur, ut injusti criminis rea agatur Antiquitas.

Frequentissima atræ-bilis mentio fit apud veteres Medicos; verùm multi ex recentioribus insurrexerunt postea contra hoc nomen; imò voluissent illud penitus aboleri, dum credebant, nunquam existere atram-bilem in corpore, nec in sanitate, nec in morbis. Operæ-pretium hinc erit paucis videre, quid per atram-bilem intellexerint Veteres, & quousque vera dixerint.

Sequentia apud *Hippocratem* leguntur, (*c*) *Corpus autem hominis in se sanguinem, & pituitam, & bilem duplicem, flavam ac nigram continet: & hæc sua ipsi est natura corporis, & per hæc dolet, & sanum est. Sanum quidem est maximè, quum hæc moderatum inter se, tum facultate, tum copiâ, temperamentum habuerint, idque si permista fuerint. Dolet autem, ubi horum quidam vel parcius vel copiosius fuerit, aut in corpore separatum, nec reliquis contemperatum*, &c. Eadem hæc postea *Galenus* (*d*) latiùs deduxit.

(*a*) De Static. Medicin. Sect. VII. n°. V. XXIII.

(*b*) Ibid. n°. I. IV. V. VI. XXIV. XXV. XXVII.

(*c*) Lib. de Natur. Homin. Comment. I. text. XVIII. XIX. XX. Charter. Tom. III. pag. 110. 111.

(*d*) Lib. de Atra Bile Cap. V. Charter. Tom. III. pag. 170.

Ex his apparet, veteres Medicos bilem atram non ſemper habuiſſe pro morboſo humore, ſed tunc tantùm, quando vel copiâ ſuperabat reliquas ſanguinis partes, vel ſecedens ab iiſdem colligebatur in quibuſdam corporis locis. Viderant enim ſanguinem, licèt homogeneus appareret humor, dum venis exit, diverſas in partes ſecedere: inſula enim rubra in ſuperficie aeri contigua apparet; in parte averſa nigricat: ſerum, cui inſula innatat, flaveſcit, & tenacitatem quamdam habet; imò quandoque (*a*) *Aliquid, albicans* (concretum) *ſe in illius ſuperficie apertè offert.* His rationibus inducti crediderunt, flavedinem ſeri ſanguinis à bile flava pendere; ejuſdem plaſticam tenacitatem à phlegmate ſive pituita; rubedinem à ſanguine ſtrictè dicto; nigricans autem illud ab atra-bile oriri ſtatuerunt. In uſu partium explicando volebant, hepar eſſe illud viſcus, quod ſanguinem pararet, cùm omnes venas ferè corporis, ſaltem maximas, in hoc viſcere concurrere obſervarent, & venis ferè ſolis ſanguinem contineri crederent; arterias autem ſpiritum ſive aerem, cum pauco ſanguine habere. Sed dum ex chylo, per venas meſeraicas in hepar rapto, ſanguis conficiebatur, qui debebat juſtâ temperie & miſcelâ horum quatuor humorum conſtare, ſuperflua bilis flava trahebatur in veſiculam fellis; abundans nimis atra-bilis trahebatur per venam ſplenicam in lienem, quem atrabilarii humoris cloacam eſſe volebant, cùm ſæpe etiam in ſanis hominibus lividum colorem habere obſervaretur. Hanc fuiſſe de his Veterum ſententiam omnibus in illorum lectione verſatis notum eſt.

Præterea obſervaverant in quibuſdam morbis, vel ſponte, vel poſt evacuantia remedia data, ſurſum vel deorſum exire nigram tenacem materiam, liquatæ pici ferè ſimilem, ſæpe cum inſigni ægrorum levamine: atque inde eò magìs confirmabantur in hac opinione, quòd humor atrabilarius exiſteret in corpore humano, & depoſitus ad viſcera accumulatúſque morbos faceret.

Poſtquam autem chyli iter per vaſa lactea in ciſternam lumbarem, ductum thoracicum, & venam ſubclaviam, innotuiſſet omnibus, hepar exauctoratum fuit ſanguificationis munere, & bilis ſecretio ipſi deſignata: ſimul lien non ampliùs habitus fuit pro cloaca colligente atrabilariam ſaburram; ſed pro variis Medicorum hypotheſibus, diverſi fuerunt huic viſceri adſcripti uſus. Quantæ lites & turbæ inde ortæ fuerint in Scholis Medicorum elapſo ſæculo, ſatìs notum eſt, & apud *Bartholinum* videri poteſt, qui peſſimè apud multos audivit ideo, quòd hepati exauctorato epitaphium ſcribere auſus fuerit.

Inde dubitare cœperunt Medici, an quidem unquam exiſteret, etiam in morbis atra-bilis. Negari non poterat, quòd nigra talis fæx quandoque de corpore exiret in morbis; ſed credebant ferè ſemper eſſe concretum ſanguinem, morâ in ventriculo vel inteſtinis corruptum & nigricantem. Ita putat celeberrimus *Simſonus* omnino concedendum eſſe, (*b*) *Aduſtam illam atram*

(*a*) Galen. de Element. Lib. II. Cap. 11. Charter. Tom. III. pag. 27.

(*b*) Diſſertat. IV. de Re Medica, pag. 153.

Antiquorum bilem, quam illi sæpe vomitu redditam esse prodiderunt, aliud fuisse nihil quàm concretum sanguinem. Inprimis illud credi potuit, cùm turgente atrâ-bile (vide §. 1104.) sæpe erodantur vasa, & copioso sanguine sursum vel deorsum excreto pereant ægri. Candidus autem ille Vir, ex cujus Scriptis me plura & utilissima didicisse lætus recordor, fatetur, quòd in cadavere hominis, diu viscerum abdominalium obstructionibus fatigati, invenerit, (*a*) *Lienem figurâ teretem, colore admodum atrum, superficie undique lævem & splendentem, adactóque intrò scalpello, continuò obviam prodierit sibilus, deinde materia simillima pici liquidæ: mox collapsa latera in pertenuem abierint pelliculam, ullo uspiam comparente puris vestigio.* Præterea monet (*b*) quòd in alio cadavere invenerit in vesica fellea multùm bilis nigricantis, & adeo spissæ, ut vix posset exprimi per patulum satìs ductum cysticum. Numquid ex his Observatis Practicis patet accumulari quandoque in visceribus abdominalibus nigram talem saburram, quæ penitus distincta est à sanguine extravasato? An non talis materia meritò vocatur atra-bilis, quia plerumque colligitur circa bilis officinam, hepar nempe; vel & in illis visceribus, quorum sanguis venosus per venam portarum in hepar redit, atque bili secernendæ præbet materiam? Unde à loco, quem occupare solet hæc materia, bilis vocatur, atra autem à colore: accedit quòd ipsa bilis flava in spissam talem & tenacem nigram materiam degenerare possit, utì statim vidimus; quæ saltem absque ullo dubio merebitur nomen bilis atræ. Neque adeo difficile est intellectu, ac quidem voluerunt clari Viri, quomodo bilis atra per vomitum, vel alvum exire possit, posteaquam v. gr. diu in liene stagnavit: certè bilis atra, mobilis reddita (vide §. 1104.), ex liene per venam splenicam in hepar ruet, & poterit viam invenire per porum hepaticum in duodenum intestinum, atque inde vel in ventriculum regurgitare & evomi, vel per alvum exire. Quinimo si vel tenacior adhuc materies per angustias ultimas venæ-portarum transire nequeat, vel hepar, antè simili materiâ infarctum, jam transitum neget, turgebit vena splenica, & nauseâ ac vomitu accedentibus, premetur validè; adeóque dilatabuntur ejus rami, & via facilè fiet materiæ contentæ in cavum ventriculi per vasa brevia dicta. Numquid bilis flava in vesicula fellis contenta, si calculus obstruens ductum cysticum viam ad duodenùm impediat, retroprimitur per hepar in venam cavam, & totum corpus icterico colore inficit? Videantur & illa, quæ circa hanc rem ad §. 950, dicta fuerunt, ubi de hepatitide & ictero multiplici agebatur.

Non ergo culpandi sunt veteres Medici, ac si imaginariam morborum causam finxissent, ubi de atra-bile in visceribus congesta locuti sunt: intellexerunt enim tantùm per hanc vocem tenax & amurcosum quasi sanguinis in visceribus stagnantis vel tardiùs moti, spissamentum: (*c*) *Atra namque bilis* (secundùm *Hippocratem*), *omnium, qui corpori insunt, humorum glutinosissima est*,

(*a*) Differtat. IV. de Re Medic. pag. 154.
(*b*) Ibid. pag. 156.
(*c*) Lib. de Natur. Homin. Comment. II. text. XXII. Charter. Tom. III. pag. 147.

ac diuturnissimas stationes facit. Noverant etiam Veteres, bilem flavam converti posse in atram, & sanguinem extravasatum, nigrescentémque, bili atræ simillimum, quandoque excerni. Apud *Galenum* enim leguntur sequentia: (a) *Atræ verò bilis quatuor sunt differentiæ. Una enim est ex sanguinis fæce; altera ex bilis flavæ assatione; tertia bituminosa, quòd bituminis instar splendeat; quarta autem sanguinea* (αἱμαλώδης).

His præmissis videndum, quomodo nascatur in sanguine atra-bilis, & à quibus causis præcipuè oriatur.

§. 1092. SI in toto sanguine mobiliora dissipata reliquerint immobiliora unita, tum ille erit crassus, ater, pinguis, terrestris. Ei verò nomen dabitur *humoris atrabilarii*, vel *succi melancholici*.

Docuerunt Experimenta Chemica, leni calore ex sanguine separari posse copiam talem liquidi aquosi tenuis, quæ septem octavas partes totius sanguinis constituat: levem tantùm odorem spirat hoc liquidum, cæterùm nihil salini, nihil oleosi, hîc apparet, sed ferè totum constare videtur aquâ. Residuum sanguinis, post expulsum illud liquidum, invenitur concretum, & totum igne comburi potest aperto, paucos tantùm cineres terrestres relinquens; adeóque multùm in se habet olei, unde hæc combustibilitas pendet. Verùm si idem illud sanguinis spissamentum vasis Chemicis clausis urgeatur igne sensim aucto, prodeunt in excipulum sales & olea, summóque igne exprimitur oleum piceum tenax: in fundo manet carbo niger; hic igne aperto combustus in cineres fatiscit, qui plerumque aliquid salis marini continent.

Patet ergo ex his, mobilissimam partem sanguinis pro maxima parte aquam, sales verò, olea, & terrestrem partem sanguinis longè fixioris indolis esse, & hæc in sanguine sano dilui per partem illam mobiliorem. Ubi igitur à quacumque causa dissipatur mobilissima hæc sanguinis pars, vel augetur proportio partium fixiorum ad diluentem illam & mobiliorem partem, sanguis fiet crassior, coloris magis intensi, profundi, simúlque major erit quantitas salis, olei, & terræ, in eadem sanguinis copia. Degenerabit ergo sanguis à naturali sua sana indole, & nascetur cacochymia talis, quæ atrabilaria dicitur.

Sanguis autem hominis sanissimi ad concretionem pronus est; nam pelvi exceptus brevì concrescit in scissilem massam; sed jugis per vasa motus impedit hanc concretionem, utì antea sæpius monitum fuit. Præterea constitit ex illis, quæ ad §. 100, dicta fuerunt, auctum sanguinis per vasa motum facere majorem calorem, fortémque compressionem sanguinis in vasis; hinc liquidissima exprimi, crassiora compingi, & tunc produci inflammatoriam sanguinis viscositatem, quæ penitus differt à tenacitate atrabilaria. Nam aucto motu, illa viscositas inflammatoria satìs citò producitur, & lentior sanguis, vitali humorum impetu aucto, in vasorum arteriosorum angu-

(a) Libell. de Humorib. Charter. Tom. III. pag. 151.

stias

stias impulsus hæret; unde inflammatio & omnes ejus sequelæ nascuntur; inprimis si simul à quacumque causa stringantur vasa, utì in Historia inflammationis pluribus dictum fuit. Unde viscositatis inflammatoriæ effectus subitò increscunt, & morbos admodum acutos producunt. Verùm atrabilaria illa tenacitas lento gradu nascitur & augetur, neque motum humorum auctum comitem habet, sed potiùs imminutum: pulsus enim lentior & frigus majus adsunt, utì §. 1094, dicetur; & ideo meritò inter chronicos morbos numeratur.

Si ergo à quacumque causa mobilior sanguinis pars recesserit à reliquis, & immobiliora ac crassiora fuerint magìs unita inter se, absque motu humorum vel calore auctis; neque tamen adhucdum in visceribus hærere & colligi cœperit illud sanguinis spissamentum, sed tota sanguinis massa æquabiliter hâc saburrâ gravetur; tunc illa sanguinis cacochymia vocabitur *humor atrabilarius*, vel *succus melancholicus*.

Talem autem sanguinis degenerationem observaverunt Veteres in melancholicis. *Aretæus* enim notavit, quòd in his sanguis de vena missus, est (*a*) *Crassus, & biliosus, & concretus, & ater qualis amurca*, quæ est atra fæx in oleo subsidens. Et disertè humorem melancholicum ab atra-bile *Galenus* distinxit, dicens, (*b*) *Ad hunc verò modum inaudire oportet humorem melancholicum, tamquam nondum effectus sit atra-bilis, sed in confinio quodam collocatus*. Et alibi pariter monet, quandoque (*c*) *In universi corporis venis melancholicum sanguinem contineri*. Sed & recentiorum Medicorum Observata eamdem sanguinis cacochymiam in hoc morbo adesse confirmant (*d*). Satìs ergo intelligitur, quid sit humor atrabilarius. Sequitur jam ut agatur de causis quæ hanc cacochymiam producunt.

§. 1093. CUJUS (1093) causa, omne id quod mobiliora expellit, reliqua figit: vehemens mentis exercitatio, noctes atque dies in unum ferè objectum occupata; pervigilium; animi motus magni, sive hilaritatis, sive mœstitiæ; magni & operosi motus corporis multùm repetiti, inprimis in aere valde sicco & calido admodum; eò & immodica venus; cibi austeri, duri, sicci, terrestres, cum quiete & torpore corporis diu assumpti; potus similes; huc fumo, aere, sale induratæ animalium partes, maximè durorum & annosorum, fructus immaturi, farinacea, non fermentata, medicamenta adstringentia, coagulantia, figentia, refrigerantia, venena lenta, similia; febres calidæ diu hærentes, sæpe repetentes sine bona crisi, & sine diluentibus, abeuntes.

(*a*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. v. pag. 124.
(*b*) De Febrib. Lib. II. Cap. xi. Charter. Tom. VII. pag. 142.
(*c*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. x. Charter. Tom. VII. pag. 441.
(*d*) Frid. Hoffmann. Medicin. Ration. Systemat. Tom. IV. Part. iv. Cap. viii. ad Thes. Pathologic. §. vi. pag. 201.

Omnia ergo, quæ possunt sanguini talem diathesin inducere, qualis descripta fuit præcedenti paragrapho, meritò inter causas hujus morbi numerantur. Talia inprimis sunt sequentia.

VEHEMENS MENTIS EXERCITATIO, &c. Optimè notavit *Celsus*, Literarum Disciplinam animo quidem necessariam esse, corpori autem inimicam, inprimis si Literati homines ultra modum his studiis incumbant, & (a) *Corporum suorum robora inquietâ cogitatione, nocturnâque vigiliâ* minuant. Atque ob hanc causam voluit, Philosophos omnium primò Medendi Scientiam possedisse, quia magìs illâ indigebant, quàm reliqui homines. Certum est, Philosophum profundis meditationibus per plures horas immersum plùs debilitari, quàm si per idem temporis spatium corpus valido motu exercuisset. Omnes enim encephali functiones à subtilissimo totius corporis fluido pendent, & per harum functionum exercitationem illud subtilissimum consumitur. Hoc quidem etiam per corporis motum muscularem fit; sed simul tunc, auctâ circulatione per hunc motum, intra idem temporis spatium major sanguinis copia applicatur ad organa secretoria, quæ illud tenuissimum fluidum à sanguine separant, & ipse sanguis per motum muscularem, & actionem pulmonis validiorem, dum corpus movetur, ita perficitur, ut secretioni spirituum aptior evadat: hinc, licèt motus muscularis consumat spiritus, tamen & illos pro parte reficit. Verùm in illis, qui attentâ mente studiis incumbunt, corpus quiescit, & omnes humores tardiùs moventur, dum simul dissipatur per mentis labores fluidissima pars, sícque residua crassiora faciliùs adunari incipiunt, quia minùs rapidè moventur per vasa. Omnium maximè hæc damna sentiunt illi, qui severis Matheseos studiis incumbentes, attentissimam mentem circa idem objectum habent diu. Sic enim talis nascitur dispositio, ut eidem & uni cogitationi ferè affixus maneat homo; quod idem in delirio melancholico obtinere ad §. 1089, dictum fuit. Longè beatiores illi sunt, quos vitæ vel muneris gerendi ratio evellit quotidie, licèt invitos, à libris; quámvis enim non ideo à mentis laboribus vacent, tamen ipsa laborum mutatio incredibile solamen adfert.

Idem contingere observatur, dum amor, solicitudo, vel ira memor, noctes & dies eamdem ideam menti præsentem sistit.

PERVIGILIUM. Vigiliarum enim tempore actiones animales exercentur, sensus nempe & motus voluntarii, saltem aliqui: licèt enim quietus sedeat homo, multos movet musculos, ut corpus in erecto situ teneatur; hinc à morbo tolerato debiles corpus erectum tenere nequeunt. Dum ergo diu vigilat homo, pergunt consumi subtilissima fluida, quorum jactura resarciri nequit ullâ arte, nisi per somnum. Sanus enim cæteroquin homo, si per integrum nycthemerum ab omni somno abstinuerit, licèt optimo cibo & potu corpus reficiat, sentiet se debilem, lassum, & ineptum ad mentis labores. Ingesta enim, quámvis optima fuerint, non possunt elaborari in ultimam illam perfectionem, quæ ad restitutionem subtilissimi liquidi deperditi requiritur,

(a) De Medicin. Lib. I. Præfation. pag. 2.

nisi somno lassum corpus reficiatur. Videantur & illa, quæ aliâ occasione ad §. 605. n°. 12, de nimiarum vigiliarum noxa dicta sunt.

ANIMI MOTUS MAGNI, &c. In summa mœstitia videmus faciem contrahi & pallescere: anxietas summa circa præcordia percipitur, ac si torculari omnia premerentur: magna sæpe copia urinæ limpidæ exit. Simul tunc pulsus, utì *Galenus* jam notavit, (*a*) *Parvus, languidus, tardus, & rarus est.* Liquidissimâ ergo parte spoliatus sanguis, per vasa contracta movetur debili vi, adeóque nascitur facilis occasio, ut crassiores sanguinis partes adunentur. Simul illa anxietas, magnæ mœstitiæ comes, & ægritudinis molestissimum sensum circa stomachum faciens, notat impeditum facilem transitum per venam-portarum; adeóque in vasis abdominalium viscerum hærere incipiet brevì illud sanguinis crassamentum; sícque non tantùm humorem atrabilarium, sed etiam morbum hypochondriacum §. 1098, producet. Accedit præterea, quòd ingens tristitia faciat, ut uni & eidem cogitationi mens inhæreat diu, simúlque somnum arceat; adeóque & hoc modo tristitia humorem melancholicum in corpore producere poterit. Unde meritò monuit *Hippocrates* sequentia, (*b*) *Si metus aut tristitia longo tempore perseverent, ejusmodi symptoma melancholicum est.* At *Celsus* similia monens, addidit vigiliam, dicens, (*c*) *Si longa tristitia cum longo timore & vigilia est, atræ-bilis morbus subest.*

Omnino autem paradoxum videbitur, quòd tristitiæ oppositus animi affectus, hilaritas nempe summa, similiter melancholiam producere valeat, cùm ad curandum hunc morbum omnes Medici suadeant, ut illa omni modo offerantur ægris, quæ lætitiam menti conciliare poterunt. Verùm hîc non agitur de tranquillo pacatæ mentis gaudio, sed de subita & summa lætitia, quæ celeriter & miris modis corpus turbare potest, imò & repentinam mortem inducere, utì pluribus Exemplis constitit (*d*).

Ratio autem videtur hæc esse. *Sanctorius* observavit, perspirationem insensibilem (*e*) lætitiâ augeri quàm maximè: notavit *Galenus* (*f*), in lætitia pulsum magnum & rarum esse. Verùm talis pulsus notat, vasa liberrimè transmittere humores facilè mobiles. Secedit ergo brevi tempore de universali humorum massa fluidi tenuis magna copia, adeóque si diu maneat intensum tale gaudium, orbabitur sanguis liquidissimâ parte, & tales acquiret dotes, ut præcedenti paragrapho dictum fuit. Ipsa autem vasa exhalantia dilatari à lætitia, ut majori copiâ solitos humores transmittant non tantùm, sed & tales, qui naturaliter per has vias exire non solent, docet sequens celeberrimi *Vateri* (*g*) Observatio. Firmæ valetudinis miles, nullo antea unquam morbo correptus, optatis diu virginis amplexibus fruiturus, totus

(*a*) Libell. de Pulsib. ad Tyron. Cap. XII. Charter. Tom. VIII. pag. 8.

(*b*) Aphorism. Sect. VI. n°. XXIII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 261.

(*c*) De Medicin. Lib. II. Cap. VII. pag. 62.

(*d*) Vide Plin. Hist. Nat. Lib. VII. Cap. LIII. A. Gell. Noct. Attic. Lib. III. Cap. XV.

(*e*) De Static. Medicin. Sect. VII. Aphorism. XXIII. XXIV, & seq.

(*f*) Libell. de Pulsib. ad Tyron. Cap. XII. Charter. Tom. VIII. pag. 8.

(*g*) Miscell. Cur. Dec. III. ann. 9. & 10. pag. 293.

perfusus gaudio corruit subitò & moritur. Cùm venenum datum fuisse suspicarentur, apertum fuit cadaver, in quo nihil præter naturam inventum fuit, nisi quòd pericardium admodum extensum & cruore turgidum inveniretur, absque ulla ruptura cordis manifesta. Unde concludebatur meritò, sanguinem per dilatata vasorum exhalantium oscula effluxisse in pericardium, sícque motum cordis suffocasse. Si ergo subito tali gaudio potuerunt vasa exhalantia eò usque dilatari, ut crassissimam humorum nostrorum partem, rubram nempe, transmittant, patet satìs, maximam quantitatem liquidorum tenuissimorum exire de corpore per omnem superficiem, dum validum talem animi affectum patitur homo; adeóque, difflatâ parte tenuiori, crassa adunabuntur. Verùm & Observationes fidelissimæ confirmant modò dicta. Anno vigesimo hujus sæculi epidemicum ferè malum Europæ notabilem partem invasit, dum plurimi credebant, certam, & hactenus incognitam ditescendi viam, detectam esse; non facilè credet sera posteritas mira illa, quæ tunc contigerunt, ludibria hominum auri sacrâ fame insanientium. Observavit tunc temporis experientissimus *Haleus*, qui curam gerebat mente captorum in nosocomio Londinensi, longè plures ipsi obtigisse curandos, (*a*) *Quos ad immensas opes evexerat fortunæ favor, quàm quos iniqua sors ad miseriam & pauperiem redegerat.*

MAGNI ET OPEROSI CORPORIS MOTUS, &c. Difflantur enim & hoc modo liquidissima de corpore, per auctam perspirationem insensibilem & sudores; inprimis si aer siccus & calidus omne humidum ex superficie contigua corporis tollat. Hæc est ratio quare calida in regione viventibus frequentior contingat hic morbus, cæteris paribus. Unde lepidus *Poeta* vocavit (*b*),

> ——— *Fuscum Hispanum & nigrâ ferrugine tinctum*
> *Sanguinis, ingentes humili sub mole minantem*
> *Conatus, tumidóque frementem in sidera fastu.*

Ob eamdem causam, post æstivos calores toleratos tempore autumnali frequenter melancholici morbi observantur. Et ideo *Hippocrates* notavit quòd, (*c*) *Atra-bilis autumno tum plurima, tum vehementissima est.* Et alibi rationem hujus sententiæ adfert, dicens, (*d*) *Siquidem quod humidissimum & aquosissimum in bile est, consumitur, densissimum verò, crassissimum, & acerrimum relinquitur; quòd in sanguine eâdem quoque ratione accidit; unde repentini hi morbi his accidunt*, scilicet (*e*) *Lippitudines aridæ, & febres acutæ, & diuturnæ; nonnullis etiam melancholiæ.* Notum est omnibus in Praxi versatis, post æstates fervidissimas autumnali tempore sequi febres difficillimas curatu, quæ in principio continuæ videntur, sed postea in intermittentium classem veniunt: in illis magna anxietas circa præcordia observatur, & nisi inspissata bilis excutiatur de

(*a*) Mead. Monit. & Præcept. Med. Cap. III. pag. 80.
(*b*) Quillet. Callipæd. pag. 3.
(*c*) Lib. de Natur. Homin. Comment. II, text. XXXIV. Charter. Tom. III. pag. 120.
(*d*) Lib. de Aer. Loc. & Aqu. Cap. VI. Charter. Tom. VI. pag. 204.
(*e*) Ibidem.

corpore, sæpe totâ hyeme languent tales ægri; dein solventibus remediis vernóque tepore funditur illud atrabilarium, & instar picis liquatæ per alvum exit.

IMMODICA VENUS. De nimiæ veneris noxis antea ad §. 585. *lit.* ε. dictum fuit. Videmus manifestè exsiccari corpora animalium frequentissimâ venere utentium. Quantùm differt mole corporis unicus in grege maritus taurus à bove! Sed stricta & macilenta corpora in melancholicos morbos magìs prona sunt, quia valido vasorum robore tenuissima expelluntur, crassiora manent. Notavit *Galenus*, quòd nimiâ venere utentes, (*a*) *Toto corpore non solùm dissolvuntur, imbecillique fiunt, sed etiam sicci, graciles, pallidi, cavisque oculis cernuntur. Hippocrates* similia observasse videtur, ab immodica venere, nata mala. Ubi enim *Typhum* describit, dicit, (*b*) *Gignitur quidem hic morbus, quum corporis humores putruerint, & plùs æquò resiccati fuerint.* Deinde addit, quòd talis æger (*c*) *Non tumet, verùm tenuis est, aridus ac debilis, maximè verò corporis claviculis extenuatur, & vultu vehementer gracilis est, oculique admodum cavi.* Meminit pariter, quòd corporis color niger sit; & ultimò notat, tales ægros frequenter in somnis venerea ludibria pati, imò sæpe inter eundum illis semen effundi. Si jam simul considerentur mordaces animi curæ, quæ lascivam vitam viventes comitari solent, & æternus ille luis venereæ metus, quo miseri excruciantur, patebit ratio, quare toties immoderata venus melancholiam producat. Vidi plures, qui nullis rationibus sibi persuaderi patiebantur, quòd nihil à lue metuendum haberent: hinc agyrtarum consilio repetitis etiam salivationibus, exhauriebantur miseri, & tandem peribant.

CIBI AUSTERI, DURI, TERRESTRES, &c. Hactenus dictum fuit de illis causis atræ-bilis, quæ mobilioribus partibus sanguinis expulsis, reliqua crassiora figunt & uniunt inter se. Sed poterunt & ingesta subministrare liquoribus nostris tales partes, quæ facilè uniuntur inter se, & spissitudinem atrabilariam producunt. Verum quidem est, crassiora non facilè posse ingredi vasculorum lacteorum aut venarum meseraicarum oscula: sed antea §. 70, ubi de morbis oriundis ex glutinoso spontaneo agebatur, monitum fuit, tales particulas glutinosas, separatas, & liquidis tenuioribus dilutas, se furtim quasi per hæc oscula subducere, & sic sanguini admisceri. Idem & hìc quoque verum est: novimus enim, chylum, ex ingestis cibis & potu natum, dum cum sanguine jam fluit per vasa, nondum deposuisse omnino indolem ingestorum, ex quibus factus fuit, sed sensim actione viscerum & vasorum mutari in nostros humores: ideo lac nutricis toties redolet ac sapit ingesta & purgantis assumpti vim satìs diù retinet. Si ergo tales cibi & potus ingerantur, in quibus terrestris, solida, tenax materia abundat, poterunt sanguini subministrare materiæ atrabilariæ copiam. Verùm eadem hæc sanguini permista cum chylo, vel venis meseraicis recepta & ad hepar delata, si actuosa vita sit, non facilè unientur iterum inter se; adeòque non producent illas concretiones. Ubi autem sedentariæ vitæ dediti homines similibus

(*a*) De Sanitat. Tuend. Lib. VI. Cap. XIV. Charter. Tom. VI. pag. 184.

(*b*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XLV. Charter. Tom. VII. pag. 670.

(*c*) Ibidem.

eduliis delectantur, quæ dura messorum ilia impunè tolerare & subigere valent, pessimè inde afficiuntur. Ideo etiam in textu monetur, tunc inprimis hæc nocere, quando cum quiete & torpore corporis diu assumuntur. Optimè hoc notasse primos Medicinæ Inventores, *Hippocrates* monet: (*a*) *Non enim siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque horum quidquam hominem lædere existimârunt, neque horum aliquo indigere. Sed quod in unoquoque robustum est, & naturâ, eâque humanâ, potentius, quódque superari ipsâ nequit, id lædere censuerunt, & tollere conati sunt.* Enumerans autem *Galenus* edulia, melancholico humori procreando apta, damnat (*b*) omnes carnes duriores, inprimis sale conditas, atque majores pisces; dein glutinosos limaces, olera & legumina magno lentore prædita; vina crassa nigra, veterem caseum, &c. Similia etiam ab *Hippocrate* (*c*) damnantur.

MEDICAMENTA ADSTRINGENTIA, &c. Omnia enim hæc faciunt coire & adunari inter se crassiores partes humorum, liquidiori parte separatâ, quæ tunc facilè exit de corpore, & hoc crassamentum relinquit. Videantur illa quæ §. 1060, de his dicta fuerunt.

FEBRES CALIDÆ DIU HÆRENTES, &c. Ubi ad §. 587, de effectibus febris dicebatur, notatum fuit, liquidissimi expressionem & reliqui incrassationem sequi; ac quidem tantò magìs hoc fieri, quò major calor febrim comitatur (vide §. 689.). Verùm simul in generali febrium Historia notatum fuit, per ipsam febrim mutari sic materiam morbi, tam præexistentem ante morbum, quàm natam morbi tempore, ut variis evacuationibus criticis exire possit de corpore; túncque sanitas redit. Verùm ubi hæc coctio materiæ morbosæ & ejus critica expulsio vel omnino non fit, vel saltem non perfectè, recidiva fit, & sæpius quandoque; adeóque pergunt subtiliora difflari de corpore, crassiora adunari; & quidem omnium maximè, si non adhibeatur in similibus morbis diluentium copia, per quam suppleatur illud liquidum, quod febris impetu difflatum fuit de corpore. Notum est, elapso sæculo apud multos Medicos invaluisse hanc Methodum, ut calidis remediis sudoriferis datis exprimerent sudores, simúlque vel nullum vel parcum admodum potum largirentur æstuantibus ægris; unde si à febribus talibus emergerent ægri, laborabant cacochymiâ sanguinis melancholicâ. Ideo meritò notavit *Galenus* (*d*), in morbis ardentibus, in quibus simul humiditas deficit, atrum exire de naribus sanguinem: & alibi observavit, quòd, (*e*) *Nonnulli per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt.* Non enim tantùm post acutas continuas malè curatas illud contingere observatur, verùm etiam in intermittentibus, quorum singuli paroxysmi sæpe profuso sudore terminantur, per quem liquidissima sanguinis pars dissipatur, & morbi chronici pertinacissimi producuntur; utì antea ad §. 753, demonstratum fuit.

(*a*) Lib. de Prisc. Medicin. Cap. VII. Charter. Tom. II. pag. 159.

(*b*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. X. Charter. Tom. VII. pag. 440.

(*c*) Lib. de Morbor. Acutor. Vict. Comment. IV. text. LXXXVII, LXXXVIII, LXXXIX. Charter. Tom. XI. pag. 170. 171.

(*d*) Lib. de Atra-bile. Cap. VI. Charter. Tom. III. pag. 172.

(*e*) De Loc. Affect. Lib. III. Cap. X. Charter. Tom. VII. pag. 440.

§. 1094. UBI jam in cruore id malum (1092) per ſuas cauſas (1093) natum adhuc omnem circumeuntem humorem æquabiliter inficit, producet aliquos morbos ſtatim conſpicuos, qui ferè ſequentes : color externus, internúſque, primò pallidior, flavior, magìs fuſcus, liveſcens, niger, cum maculis ſimilibus ; pulſus lentior ; frigus majus ; reſpiratio lenta ; circulatio per ſanguinea vaſa bona ; per lateralia parcior, minùs bona ; hinc humorum ſecretoriorum & excretoriorum omnium minor, tardior, craſſior, exitus ; minor conſumptio ; parcior appetitus ; macies ; mœſtitia ; ſolitudinis amor ; affectus animi quicumque pertinaces, magni ; in reliquis ἀδιαφορία ; torpor ad motus ; ſumma tamen ſimul ſtudii cujuſque & laborum conſtantia.

Triplex melancholiæ gradus eſt ; primus, de quo hîc agitur, ubi univerſalis humor per vaſa circumductus hâc cacochymiâ depravatur. Secundus, ubi illud craſſamentum atrabilarium ſanguinis ad viſcera abdominalia jam depoſitum hæret. Tertius gradus eſt, ubi materies atrabilaria, quæ diu viſceribus impacta hæſerat, à quacumque demum cauſa ſolvi incipit, & circulantibus humoribus denuo permiſceri. De ſingulis autem his melancholiæ gradibus ſeorſim agètur. Verùm cùm faciliùs cura ſuccedat, ubi humor atrabilarius adhuc tantùm æquabiliter inficit circumeumtem humorem, quàm ubi viſceribus impactus hæret ; hinc omni cum cura cognoſci debent ſigna, quæ docent, primum illum gradum melancholiæ adeſſe, ut illico efficaci medelâ ſuccurratur huic morbo, qui ſemper morâ pejor, & curatu difficilior, redditur.

Si cognoſcatur cauſas, præcedenti paragrapho enumeratas, prægreſſas fuiſſe, juſta ſuſpicio habetur morbi futuri : illum verò jam adeſſe docent ſequentia.

COLOR EXTERNUS INTERNUSQUE, &c. Certiſſimam humorum cognitionem ex colore haberi *Galenus* monuerat, (*a*) *Siquidem color à ſuccis provenit, non ex ſolidis animalis partibus :* verùm prudenter monet, (*b*) de colore non judicandum eſſe, niſi dum pacatus corporis & mentis ſtatus adeſt ; nam in iratis hominibus, vel velociter corpus moventibus, omnia rubent & turgent, licèt naturaliter pallidi fuerint ; & contrà, dum frigent homines, metuúntve, omnia pallent, conſtrictis vaſis, licèt antea ſatìs rubicundum colorem habuerint. Quinimo *Galenus* affirmat, quòd (*c*) abſque cognitione ſymptomatum morbi, abſque eo quòd tactu indagaſſet viſcerum ſtatum (abdo-

(*a*) De Sanitat. Tuend. Lib. IV. Cap. IV. Charter. Tom. VI. pag. 121. 122. Confer. Idem Lib. Hippocrat. de Humorib. Comment. I. text. 1. Charter. Tom. VIII. pag. 509.

(*b*) Ibid. pag. 121.

(*c*) De Loc. Affect. Lib. V. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 498.

minalium nempe) potuerit detegere, modò jecur, modò ſplenem, eſſe affectum; & quidem ex ſolo colore mutato. Ob hanc rem periti Medici tanta cum cura colorem tam externarum, quàm internarum partium corporis conſiderant. Per intimas autem partes non intelliguntur hîc viſcera, quæ nunquam Medici oculis patent, niſi per vulnera; verùm totum os internum & fauces deſignantur, quia cutis craſſa ibi non adeſt, adeóque vaſa pellucida ferè colorem liquidorum contentorum demonſtrant. Hinc primum chloroſis initium ex pallore gingivarum & labiorum facilè cognoſcimus. Verùm inprimis palpebrarum interna ſuperficies, canthus oculi major, & tunica adnata oculi, ſolent à Medicis cautè examinari, ubi vaſa numeroſiſſima, & quidem diverſi generis, ſanguinea, ſeroſa, lymphatica, ſe conſpectui offerunt. In ſanis enim hominibus palpebrarum interna ſuperficies ſemper rubet, utì & canthus major oculi; adnata autem tunica, licèt innumeris vaſis conſtet, tota alba & nitidiſſima apparet, inprimis in junioribus; in adultis verò circa angulum majorem oculi, levis quandoque flavedo cernitur, vaſis jam adeo auctis in amplitudine ſuâ, ut non tantùm lympham tenuem, ſed & ſerum ſanguinis capiant: illa autem pars adnatæ, quæ corneam tegit, tenerrima & pellucida vaſa habet, continentia lympham tenuiſſimam. Patet ergo, diverſas ſeries vaſorum, variósque humores per vaſa oculorum fluentes, poſſe conſpici à Medico, ſícque judicium ferri de qualitate humorum, qui per vaſa noſtra moventur.

Prima autem mutatio coloris, dum atrabilaria cacochymia naſcitur in ſanguine, fit in pallorem. Vaſa enim cutanea in pluribus locis corporis, & præcipuè in facie, facillimè dilatantur, ita ut, licèt plurima in naturali amplitudine tenuiores ſanguine rubro humores admittant tantùm, tamen aucto ſanguinis motu, vel majori derivatione factâ versùs ſuperiora corporis, etiam pars rubra ingredi poſſit. Sic videmus candidas puellas, dum procacius aliquod dictum audiunt, totâ facie rubeſcere, manifeſto ſigno, quòd plura vaſa jam rubro ſanguine impleantur, quæ antea tenuiores tantùm capiebant humores: unde erubeſcere pro ſigno ingenui pudoris meritò habetur. Verùm dum in toto ſanguine mobiliora fuerint diſſipata (vide §. 1092.), vaſa cutanea, quæ tenuiori tantùm ſanguini pervia erant, eum vix ampliùs admittunt; hinc incipiunt magìs contrahi, adeóque plùs reſiſtere ſanguini adpulſo; ob hanc cauſam pallor inſolitus naſcitur. Præterea cùm mobilioribus diſſipatis craſſiora uniantur, ipſa rubra pars ſanguinis, magìs ſpiſſa & cohærens, difficiliùs ingredietur minora vaſa, licèt etiam parùm dilatentur; unde iterum alia cauſa intelligitur, quæ cum priori juncta illum pallorem producere poteſt. Hinc *impalleſcere libris* dicuntur illi, qui ſeverioribus ſtudiis inhærentes, hunc morbum ſibi contrahunt; & omnes Amantes pallere juſſit Magiſter Amorum, dum & illi noctes diéſque uno & eodem objecto mentem occupatam habent. Ubi autem aucto morbo magìs diſſipantur fluidiſſima, tunc cum ſanguinis illo craſſamento fluit per vaſa ſolum ferè ſerum flaveſcens paucâ lymphâ dilutum, quod, per ſuperficiem corporis diffuſum, facit, ut pallori ſuccedat flavedo; quæ fortè augetur etiam ideo, quòd à talibus humoribus diffi-

cilis

cilis secretio bilis fiat in hepate, adeóque illud biliosum reliquis permistum maneat. Tunc in oculis color ex flavo viridiscens apparet, quod *Hippocrates* in *morbi nigri* descriptione pulchre notavit dicens, (*a*) καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπόχλωρος γίνεται. Procedente autem morbo, crassior & nigrior sanguis fit, unde serum cæteríque humores eumdem pariter colorem contrahunt; quàpropter tota cutis hunc colorem acquirit; cúmque sanguis blandiori parte orbatus sit, humor ille atrabilarius majorem acrimoniam acquirit, sícque extremitates vasorum cutaneorum solvuntur, & ab effuso sanguine nigrescente maculæ similis coloris fiunt: habet enim melancholia illud commune cum scorbuto, quòd vasa erodat, sícque ecchymoses faciat, imò & sæpe, utì postea patebit, validas hæmorrhagias.

PULSUS LENTUS, &c. Tenacior enim sanguis, parte mobilissimâ orbatus, minori cum celeritate per vasa movetur; unde & plerumque solet comitari majus frigus ad tactum, licèt melancholici de hoc non conquerantur. Ideo *Aretæus* hunc morbum describens, dixit, (*b*) *Arteriarum motus ferè parvi sunt, pigri, invalidi, crebri, frigori similes.* Et *Galenus* (*c*), *Nigra namque bilis frigidus naturâ humor est.* Cùm autem inter pulsum & respirationem concentus quidam sit (*d*), respiratio pariter tardior fiet.

CIRCULATIO PER SANGUINEA VASA BONA, &c. Constat ex illis, quæ ad §. 1092, dicta sunt, mobiliora & tenuiora ex toto sanguine dissipata esse, crassiora & minùs mobilia simul unita. Verùm crassissima sanguinis pars in vasis sanguineis manet, ex arteriis sanguineis in venas sanguineas transit, sícque denuo ad cor redit: per illa ergo vasa diu manebit adhuc bona circulatio. Verùm lateralia vasa, quæ tenuiores sanguine rubro humores continent, parciùs implebuntur, quia tenuiorum humorum copia deficit; adeóque omnes secretiones & excretiones humorum minuentur: nam quidquid secernitur de sanguine vel excernitur, semper sanguine tenuius est. Verum quidem est, quosdam humores secretos apparere spissiores sanguine, à quo secreti sunt, qui morâ & stagnatione redditi fuerunt tales, utì in muco oris, narium, cerumine aurium, bile cysticâ, &c, quandoque apparet: iidem tamen illi humores illo tempore, dum à sanguine secernebantur, erant ipso sanguine tenuiores. Hæc est ratio, quare, in majori gradu melancholiæ, cutis, & totum os internum, arida fiant, & parcissima urinæ secretio; de qua re capitulo *de Apoplexia*, §. 1010. n°. 2. *lit.* γ, quædam notavi, quæ videri poterunt; unde fortè potest intelligi ratio, quare melancholia quandoque alios morbos præexistentes tollat, vel saltem insigniter minuat. Celeberrimus *Meadus* curabat puellam hydrope abdominis laborantem: supervenit (*e*) *Insania cum maximis anxietatibus & vanissimis animi terroribus .... interea corpus vires acquirere, & ventris tumor subsidere, cernebatur,* & idoneis re-

(*a*) De Morbis Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 581.

(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. V. pag. 30.

(*c*) De Symptomat. Caus. Lib. II. Cap. V. Charter. Tom. VII. pag. 78.

(*d*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 625.

(*e*) Monit. & Præcept. Medic. Cap. III. pag. 72.

mediis adhibitis ab utroque morbo convaluit. Secretionibus enim imminutis, minùs aquoſi laticis colligebatur in abdomine; dum ſimul minoribus vaſis minùs plenis facilior fiebat reſorptio extravaſatæ lymphæ per venas bibulas.

MINOR CONSUMPTIO, PARCIOR APPETITUS, MACIES. Cùm enim omnes excretiones minuantur, non multùm perit de corpore; & tamen ſenſim emaciantur ægri, quia per ſola vaſa majora fit adhuc bona circulatio, minora vaſa collabuntur vacua. Accedit, quòd mordaces animi curæ, quæ melancholicis ſemper adſunt, toroſitatem corporis multùm minuant. *Aretæus* pulcherrimè deſcripſit illa ſymptomata, quæ melancholiam comitari ſolent, & inter alia dicit: (*a*) *His igitur corporis macies adeſt, decolor facies, & in juventa ſeneſcunt, ... atque ob ſtomachum erga cibos malè affectum citò ſatiantur cibo uſitato.* Interim tamen quandoque melancholici inveniuntur ſatìs voraces, præcipuè illi, in quibus ſimul acida acrimonia obſervatur (vide §. 1105.), & morbus jam in pejorem ſtatum vergit. Ubi enim (*b*) *Omnium ignâri, ſuique met immemores, in morem beſtiarum vitam degunt; corporis quoque habitus in pejus labitur: colore fœdo ex atro viridique commixto tinguntur, niſi inferiùs bilis deſcendat atque exeat, ſed quoquoverſum per corpus cum ſanguine diffundatur. Multi cibi capaces, nihilominus tamen extenuati ſunt, quoniam ſomnus in eis neque potu neque cibo membra confirmat, ſed vigilia ad exterius movet & diſſipat.* Utrumque in Praxi vidi, magnam nempe voracitatem, & pertinax ciborum faſtidium: in utroque caſu aderat macies.

MŒSTITIA, SOLITUDINIS AMOR. Signum hoc ferè pathognomonicon haberi poteſt: nam in morbo hoc incipiente abſque cauſa triſtes fieri incipiunt, moroſi, reliquíſque hominibus ſe prudentiores credunt; tunc conſortia fugere incipiunt, ſolitudinem anxiè quærunt, ne uni & eidem cogitationi affixa mens turbetur. Optimè hunc melancholicorum ſtatum notavit *Hippocrates* dicens, (*c*) αἱ μετὰ σιγῆς ἀθυμίαι καὶ ἀπανθρωπίαι; *Triſtitiæ cum ſilentio & hominum averſationes.* Ubi ſimul notari meretur, quòd textus ille *Hippocratis* videatur confirmare Obſervatum illud Practicum celeberrimi *Meadi* modò memoratum, quòd nempe melancholia ſuperveniens hydropi illam curet quandoque. Dicit enim *Hippocrates* in illo textu, leucophlegmaticos curari diarrhæâ; dein addit, quòd triſtitiæ cum ſilentio, & hominum illæ averſationes, leniter, ſive ſenſim, hoc malum ſuperent. In verſionibus quidem hujus textûs illud verbum κατεργαστικαὶ ſumitur, pro *occidere*, quia κατεργάσασθαι ſignificat *conficere:* verùm idem illud vocabulum deſignat *ſuperare*, *vincere*; atque ille ſenſus magìs videtur quadrare huic loco: nam flaccida corporum leucophlegmaticorum mollities & ſeroſa colluvies directè oppoſita ſunt atrabilariæ & ſtrictæ corporis temperiei; adeóque patet ratio quare hydropica diſpoſitio, ſuccedente melancholiâ, poſſit tolli.

AFFECTUS ANIMI, &c. Antea in *Commentariis* §. 700, ubi de *Delirio*

(*a*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. VI. pag. 57.
(*b*) Ibid. Lib. I. Cap. V. pag. 30.
(*c*) Coac. Prænot. nº. CCCCLXXXII. Charter. Tom. VIII. pag. 880.

febrili agebatur, notatum fuit, quasdam ideas in mente excitatas esse adiaphoras, id est, nec placere multùm, nec displicere; plurimas verò ideas comitari illud gratum vel ingratum, quod inevitabili necessitate cogit hominem, ut conetur illud ingratum, removere vel destruere, & contrà illud gratum conservare. Illi autem singulares animi motus, ab hoc grato vel ingrato, ideas comitante, nati, vocantur *animi affectus*. Cùm autem melancholici uni & eidem ideæ pertinacissimè affixi maneant, affectus animi hanc ideam comitantes erunt pertinacissimi & validi. In reliquis, quæ non spectant illud unicum, circa quod delirant, sapienter sæpe ratiocinantur. Cùm verò uni & eidem cogitationi inhæreant, & consortia fugiant, tandem tota mentis attentio fixatur in hoc unum, & à reliquis vel omnino non, vel saltem admodum parùm, afficiuntur. Memini me sapientem in reliquis omnibus vidisse virum, qui dum audivisset plures à cane rabido demorsos, fuisse factos hydrophobos, licèt & venæ-sectiones & alia optima remedia tentata fuissent, incidit in hanc opinionem, dirum illud venenum, dum fortè iisdem lanceolis usi fuissent Chirurgi in venæ-sectionibus instituendis, sparsum apud plurimos homines latere posse, atque denuo aliis communicari. Hinc à nullo mortalium tangi se patiebatur, ut tantam calamitatem vitaret. Nec conjugis aut liberorum amor à severo hoc proposito abducere poterant prudentem in reliquis virum. Faber lignarius, cujus Historiam scripsit *Aretæus* (*a*), domi artem suam prudentissimè colebat, cum operum exactoribus paciscebatur, pro laboribus justam mercedem poscebat: sed simulac domo suâ egrediebatur, incipiebat suspirare, angi; & si longiùs procederet, insaniebat pessimè: si verò citò recurreret ad officinam suam, iterum resipiscebat.

TORPOR AD MOTUS. Dum attentissimâ mente aliquid considerare volumus, sopimus omnes sensus, sistimus omnes motus voluntarios. Meditabundus in museo Philosophus quàm quietus sedet! Dum inter ambulandum confabulantes amici de graviori quodam negotio tractare incipiunt, mox sistunt gradum. Cùm autem melancholici soleant attentissimè uni & eidem cogitationi inhærere, hinc quietem amant ac solitudinem, & desuescunt movere corpus. Diuturnam autem corporis quietem semper sequitur torpor ad motus, cùm & procedente morbo magìs magísque deficiant tenuissimi humores, qui ad motum muscularem peragendum requiruntur. Simul attentissimæ mentis applicatione perpetuâ ad unum objectum multùm de iisdem humoribus consumitur, utì ad præcedentem paragraphum dictum fuit.

SUMMA TAMEN SIMUL STUDII, &c. Nulli citiùs proficiunt in studiis, quàm illi qui possunt constanti mentis attentione idem objectum considerare, cum aliis comparare, túncque judicium formare ex pluribus ideis cum se mutuò collatis, per attentionem præsentibus redditis menti. Verùm melancholicis, utì antea dictum fuit, proprium est, ut eidem cogitationi

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VI. pag. 32.

pertinaciter inhæreant; & vehemens mentis exercitatio, noctes atque dies in unum ferè objectum occupata (§. 1093.) inter melancholiæ cauſas recenſita fuit: ideo *Celſus*, dixit de Literarum Diſciplina, quòd majori ſtudio agitata, (*a*) *Ut animo præcipuè omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt.* Hinc illis, qui in hunc morbum inclinant, felix ſæpe diſpoſitio eſt, ut in ſtudiis magnos profectus faciant, & niſi curis ſuis quandoque gaudia interponant, animúmque exhilarent, peſſimè afficiantur. Contrarium obtinet in junioribus, qui ab hoc morbo immunes ſunt, & à quibus ſeveri etiam pædagogi impetrare nequeunt, ut attentam mentem ſtudiis adhibeant, ludicra ſemper ferè cogitantes & facientes, ſi impunè liceat, dum fingunt ſe eſſe attentiſſimos. Eruditos autem illos labores amant melancholici, & ferunt quàm conſtantiſſimè; quod *Aretæus* notavit, ubi de ſtomachi affectibus agens, melancholiam optimè deſcripſit, dicens, illi (*b*) *Ut erudiantur, laborant, & ejus causâ multa perferunt, quibus ineſt Divinæ Scientiæ cupiditas: qui cibi parcimoniâ & vigiliis macerantur, qui doctos ſermones & res graves meditantur*, &c.

§. 1095. HABET ergo pro materie terram & oleum ſpiſſum ſanguinis, unita, compactáque ſimul: quæ prout liquidiore, blandiore, diluente parte magìs privata quóque ipſa magìs condenſata, tenaciùs miſta, & diutius nata, eò effectis pejor, eò curatu difficilior eſt.

Fixiſſimam ſanguinis noſtri partem eſſe terram & oleum ſpiſſius ſanguinis, Chemici demonſtraverunt; & de hac re ad §. 1092, dictum fuit: túncque conſtitit, mobilioribus diſſipatis, uniri hæc ſpiſſiora, quæ ſic cauſam materialem hujus morbi conſtituunt.

Verùm ſimul ex dictis ſponte patet, varium poſſe eſſe hujus morbi gradum, prout liquidior pars magìs vel minùs è ſanguine diſſipata fuerit, adeóque reſiduum craſſamentum magìs minúſve cohæſerit. Inprimis autem & hoc notandum eſt, liquidiſſimam & diluentem partem noſtri ſanguinis eſſe ſimul blandiorem reliquis. Docet enim Chemia, leni calore maximam partem tenuis aquæ de ſanguine exhalare, quæ vaſis Chemicis excepta & collecta vix ullum ſaporem, & levem tantùm odorem, exhibet: verùm ex reſiduo craſſamento, poſt hanc partem aquoſam expulſam manente, aucto igne prodeunt ſales & olea ſatìs acria. Adeóque jactura partis mobiliſſimæ & fluidiſſimæ ſanguinis non tantùm inducet tenacitatem, verùm ſimul & augebit reſidui acrimoniam; quod inprimis notari meretur ad intelligenda illa, quæ §. 1105, dicentur. Illa autem acrimonia, oleoſæ & terreſtri parti ſanguinis involuta, manere poteſt diu, ut minùs lædat; ubi autem poſtea in-

(*a*) De Medicin. Lib. I. Præfat. pag. 2.

(*b*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. VI. pag. 57.

cipit solvi illa atrabilaria saburra, tunc illud acre se manifestat pessimis effectis.
Cùm autem sanatio hujus morbi ab eo inprimis pendeat, ut restituatur illud perditum mobilissimum massæ sanguineæ, & solvantur immobiliora inter se unita; sponte patet, tantò pejorem morbum esse, quantò diutius duraverit, cùm semper magìs pereant liquidissima, & tenaciùs hæreant crassiora unita.

§. 1096. INDE diagnosis, & prognosis (quæ clarior ex sequentibus) patent, quin & sanationis ratio hinc constat.

Ex causis prægressis, §. 1093, enarratis, novimus metuendam esse melancholiam, ex signis autem mutatæ sanitatis, quæ §. 1094, recensentur, scimus hunc morbum jam adesse, saltem in primo suo stadio, dum atrabilarius humor æquabiliter adhuc circulantibus humoribus mistus est, & nondum ad quædam viscera depositus. Prognosis ergo est, metuendum esse nisi promptâ succurratur medelâ, ne in vasa hypochondriaca depellatur, & in illis fixa hæreat, túncque adhuc pejora mala faciat, & magìs difficilem curam: reliqua autem, quæ ad prognosin universalem melancholiæ spectant, debent ex sequentibus deduci. Sequitur nunc, ut de sanatione melancholiæ in primo gradu adhuc constitutæ dicatur.

§. 1097. STATIM enim ac initiis primis (1093. 1094.), causâ, effectúve, se prodit, animo assidua objectorum variatio concilianda, & quidem ipso ignaro; eligenda autem, quæ affectui prædominanti oppositum in ægro creare solent; diluentibus, demulcentibus, paregoricis, narcoticis, quiete, conciliandus somnus est; aere utendum humido, tepescente; cibi dandi leves, liquidi, sanis humoribus similes, recentes, blandi, vi leni saponaceâ laxantes, atque in horum usu diu persistendum; medicamenta danda diluentia, acre demulcentia, oleosum terrestre resolventia, vasa laxantia, leni stimulo expellentia, ut succi bene maturorum fructuum horæorum, mellita, olera, juscula, ex his confecta; aquæ minerales; potus optimus, ptisana mellita leviter, abstinentia sedula à causis mali (1093).

Cùm morbus hîc morâ diuturniore, & perennantibus causis, quæ illum produxerant, semper pejor fiat, patet satìs, in morbi initio statim efficacem medelam adhibendam esse. Notatum autem fuit §. 1090, hunc morbum initium ducere & ab humorum illa degeneratione, quam atram-bilem dixerunt Veteres, & à mente, dum uni ac eidem cogitationi pertinacissimè inhæret: túncque pariter in corpore nascitur atra-bilis, licèt non præexstiterit antea. Adeóque duplex curatio indicatur, una quæ sic disponit men-

tem, ut non semper eamdem rem, sed successivè alia, cogitet; altera, quæ degenerationem sanguinis in atrabilariam cacochymiam emendet. Primo curationis scopo conducunt sequentia.

ANIMO ASSIDUA OBJECTORUM VARIETAS, &c. Præcipua curatio in hoc consistit, ut anxia illa & perpetua cogitatio, cui mens inhæret, mutetur: verùm hîc multâ cautelâ opus est. Omnes enim melancholici solent indignari, si pro talibus habeantur: morosi sunt, plùs se sapere credunt, quàm reliquos homines, & ægerrimè solent ferre, si oblectamenta ipsis offerantur, túncque sæpe pertinacissimè omnia illa repudiant; & tantò magìs fugiunt consortia hominum, à quibus se contemni credunt. Præ reliquis omnibus prosunt itinera; tunc enim nova occurrunt ubique & insolita objecta, quæ satìs efficaciter in mentem agunt, & cogitationem mutant. Ob hanc causam toties Medici suadent aquas minerales in ipso fonte potandas, & sæpe eligunt quàm maximè dissitas, modò concursu multorum ægrorum celebres sint. Toto enim itineris tempore à curis domesticis liberi sunt, continuâ objectorum varietate delectantur; ubi ad salubres fontes pervenerunt, amœno consortio fruuntur; ambulationibus, lusu, choreis, tempus fallunt síc- que sensim deletur illa idea, quæ perpetuò menti obversabatur, vel saltem sic minuitur ejus efficacia, ut sensorium commune inde non afficiatur fortiùs, quàm à novis ideis in tanta rerum varietate natis. Minimè dubito de medicatarum aquarum virtute, atque illam majorem esse, dum ex ipso fonte hauriuntur, facilè credo. Tamen & continuam illam objectorum varietatem melancholicis insigniter prodesse, certus sum. Plures vidi, qui ad dissitos longè fontes ablegati, multò meliùs se habebant, antequam inciperent aquarum usum. Aliquos novi viros eruditos, qui pessimè indignabantur, dum credebant se pro melancholicis haberi, & ideo aquarum medicatarum usum pertinacissimè detestabantur: illis persuasum fuit, bibliothecas instructissimas videre, cum eruditis viris conversari in dissitis regionibus, & dum hoc fecerant, redierunt sani.

Simul conducit, omni modo oppositum conciliare animi affectum illi, qui jam prædominatur; de quo videantur, illa quæ ad §. 104, dicta fuerunt. Sic meticulosis conamur fiduciam conciliare; morosis & tristibus hilaritatem; indignantibus & iracundis aliquem metum; de quibus adhuc postea §. 1113, dicendum erit.

DILUENTIBUS, DEMULCENTIBUS, &c. Nihil magìs nocet melancholicis quàm vigiliæ; nam ab illis hunc morbum nasci posse §. 1093, probatum fuit, adeóque & ab iisdem morbus jam natus augebitur; attamen, ob perpetuam & irrequietam circa idem objectum cogitationem, melancholici sæpe somno privantur. Conducit ergo omni modo somnum his conciliare. Dictum fuit ad §. 708, ubi de pervigilio febrili agebatur, sanguinem, inflammatoriâ spissitudine hærere incipientem, pervigilium producere: idem fieri poterit ab atrabilario lentore; ideóque diluentia & blanda demulcentia hîc tantopere prosunt; qualia sunt emulsa ex seminibus frigidis dictis parata, vel ex aliis seminibus fructibúsve farinosis & oleosis: adduntur his diacodiata,

& nisi hæc juvent, cum prudentia ad narcotica pergitur; de quorum omnium usu videantur illa, quæ ad §. 709, habentur.

AERE UTENDUM HUMIDO TEPESCENTE. Liquidissimis enim partibus & mobilissimis sanguinis dissipatis, lentescit residuum, vasa minora exhausta collabuntur; totum corpus siccius redditur; solidæ partes rigidiores fiunt, & liquidis impulsis cedunt difficiliùs, sícque stricta & sicca temperies toti corpori inducitur. Aer ergo humidus & tepescens nimium solidorum robur minuet (vide §. 35.); simúlque aquosum & tenue vehiculum crassioribus fluidis subministrabitur, dum venæ bibulæ, in tota superficie corporis positæ, laxatæ pariter per teporem humidum, partem illius aquosi ex aere contiguo absorbebunt. Hæc est ratio, quare tempore verno, quod tali aeris temperie gaudet, feliciùs curetur hic morbus, utì & omnes ferè morbi chronici.

CIBI DANDI LEVES, &c. Inter causas morbi §. 1093, fuerunt enumerati cibi duri, aere vel sale indurati, farinosa lenta; adeóque, ut evitentur morbi causæ, opposita diæta debet adhiberi, qualis hîc describitur. Verùm talis diæta simul multùm ad curationem facit, quatenus sic restituitur morbilissimum, quod ex sanguine perierat, & solvitur illud crassum concretum. Bonus enim, satìs fluidus, solvente vi saponaceâ præditus chylus, ex talibus ingestis præparatur, qui unà cum sanguine per vasa fluens, diluit & solvit, simúlque facilè elaboratur in ultimam perfectionem nostrorum humorum. Ideo *Trallianus* (*a*) monet, quòd plerosque melancholicos potiùs victu quàm medicamentis sanaverit; laudátque similes cibos, ac hîc proponuntur, pisces saxatiles, gallinarum carnes, astacos, gammaros, lactucam, intybum, malvam, &c. Videantur illa, que de efficaci simul & blanda vi solvente lactucæ, cichorei, &c., ad §. 614, dicta fuerunt, ad quem numerum etiam in *Materia Medica* recensentur præcipuæ herbæ, quæ huic scopo serviunt. Cùm autem chronicus hic morbus sit, debet diu adhiberi talis victus, quod plerumque faciliùs impetramus à morosis melancholicis, quàm si longum remediorum solventium usum suaderemus: minùs enim fastidient intyba, cichorea, taraxaci turiones, &c, si ciborum titulo offeruntur, quàm si succos expressos, vel infusa, aut decocta earumdem herbarum, præscribant Medici.

MEDICAMENTA DANDA DILUENTIA, &c. Omnia enim hæc satisfaciunt ad amussim indicationi curatoriæ, antè descriptæ in hoc morbo: crassior enim sanguis est, & huic spisso se quandoque valida acrimonia miscet, utì postea videbimus: vasa sunt stricta simul; adeóque patet, omnia hîc laudata convenire. Fructus autem horæi, sed bene maturi (aliter austero acido pessimè nocent) palmam ferè omnibus aliis præripiunt. Novi quidem à multis Medicis culpari fructus horæos, ac si plurimorum morborum potiùs causæ forent quàm medela; sed videtur & ratio, & experientia, contrarium docere. Illo enim tempore anni abundant hi fructus, dum molesto calore æstuant sub æstivo sole homines, & disponitur sanguis ad atrabilariam caco-

(*a*) Lib. I. Cap. XVI. pag. 106.

chymiam, utì §. 1093, probatum fuit: durant in autumnum uſque, ut illorum uſu ſolvi poſſit, & blandâ vi, alvum laxante, expelli melancholica ſaburra, æſtatis tempore collecta. In fervidiſſimis regionibus ſuaviſſimi ac copioſiſſimi tales fructus creſcunt, & multiplici varietate oblectant. Integræ nationes in calidis regionibus his ſolis ferè vivunt: omnibus gratiſſimo ſapore, odore, colore placent. Inſidias certè ſtruxiſſe humano generi videretur omnium bonorum largitor Deus, ſi adeo placentes omnibus fructus forent certiſſima morborum cauſa. Hortum amœnis fructibus divitem primo homini, immortali futuro, niſi peccaſſet, colendum dedit Creator; poſt lapſum, nullo alio nutrimento uſus fuit, quàm quod improbo labore culta tellus dedit. Nec aliis cibis uſi fuerunt longævi adeo homines antediluviani. An ergo ullâ ratione dici poteſt, fructus horæos noxios eſſe? Novi quidem, dum in ultima menſa, pleno jam ventriculo à numeroſis ferculis, ingurgitantur fructus, choleram, diarrhœam, dyſenteriam produxiſſe: verùm hæc mala perditæ ingluviei adſcribenda potiùs ſunt. Nihil enim adeo ſalubre eſt, quin perverſo uſu nocere poſſit. Ubi enim fructibus ſolis cum pane & aqua vivitur, vel ſaltem illis primis menſis apponuntur, aut jentaculi vel frugalis cœnæ vices ſupplent; nullam unquam noxam inde obſervavi. Et contrà vim ſolventem egregiam exſpectare licèt à ſucco fructuum horæorum, tam in morbis acutis, utì antea dictum fuit, quàm in chronicis. Furentiſſimos ex melancholia maniacos ſanatos vidi, dum ſolis fructibus horæis veſcebantur; & quidem ceraſis, aut fragis ad viginti & ultrà libras quotidie per aliquot ſeptimanas aſſumptis, dum reliquos omnes cibos & cuncta remedia, ob veneni ſuſpicionem, quàm pertinaciſſimè averſabantur. Incidebant quidem à tam largo fructuum uſu in diarrhœam; ſed per alvum exibat ſoluta fæx atrabilaria, & brevì totus ille furor pacabatur: debilitas autem à valida diarrhœa exhauſto corpore ſuperſtes facilè ſuperabatur bono victu, quem lubenter admittebant jam non ampliùs delirantes. Cucumerum, qui tamen apud plurimos tam malè audiunt, largo uſu delirantem melancholiam ſanatam fuiſſe teſtatur *Fridericus Hoffmannus* (*a*), & eumdem in pluribus aliis, ſimili morbo laborantibus, effectum ſe vidiſſe affirmat. Juſcula, quibus maturi cucumeres in taleolas diſſecti incocti ſunt, utì & olera mollia, qualia ſunt *ſpinachia*, *endivia*, *borrago*, *bugloſſa*, &c, cibum dant medicatum pulcherrimi in hoc morbo uſûs. Mel autem, cujus vires ſolventiſſimæ in cura obſtructionis ad §. 135, laudatæ fuerunt, pariter hîc magnæ efficaciæ eſt, inprimis ubi ſero lactis graminei dilutum potatur, & quidem ſatìs magnâ copiâ ac diu, donec ſolvi inde alvus incipiat: quod remedium etiam laudatur à *Poſidonio* (*b*). Ob eamdem cauſam & ptiſana, ex hordeo vel oryza parata, leviter mellita, commendatur pro potû communi: diluit enim & demulcet, ſimúlque ſolvit concreta. Quanto autem cum fructu

(*a*) Medic. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Part. IV. Cap. VIII. ubi de Enarration. Morbor. Obſervat. VII. pag. 238.

(*b*) Sicam. Aetii Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Poſidon. & Marcell. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 500.

aquæ

aquæ minerales & in melancholia & in aliis chronicis morbis, exhibeantur, antea ad §. 1056, dictum fuit.

Causas autem morbi solicitè caveri debere illo tempore, dum morbi curæ adhibentur omnia Artis molimina, sponte patet.

§. 1098. SI autem illa ipsa materies (1092) per easdem causas (1093) magis densa, tenax, immobilis reddita est, necessariò in vasa hypochondriaca depelletur: id enim natura hujus humoris, situs & conditio horum vasorum, & leges hydraulicæ docent. Inde sensim hîc hærebit, accumulabitur, stagnabit: tum vocatur *Morbus Hypochondriacus*, lienem, ventriculum, pancreas, omentum, mesenterium, obsidens.

Hactenus dictum fuit de humore atrabilario æquabiliter totum sanguinem inficiente: verùm si augeatur copia illius humoris atrabilarii vel tenacitas, dum pergunt agere causæ hunc morbum producentes, tunc incipiet hæc materia hærere in quibusdam locis corporis, & pessimas producet obstructiones. Verum est, quòd illud fieri possit in diversis locis corporis, sed potissimùm continget ibi, ubi tardior & difficilior humorum per vasa motus est. Docuit Anatome, intricatissimam minimorum vasorum conglomerationem esse in glandulis, adeóque minùs meabiles humores facilè circa loca glandulosa hærere incipient. Verùm antea §. 485, ubi de scirrho agebatur, notatum fuit, materiam atrabilariam frequenter originem scirrho dare, inprimis dum cessante fluxu menstruo vel hæmorrhoidali, nihil de materia illa atrabilaria evacuatur ampliùs de corpore. Pariter ad §. 495, monitum fuit, scirrhum per affectus animi tristes & biliosos, qui & copiam & tenacitatem humoris atrabilarii augent, in cancrosam degenerare malignitatem. Ad uterum quandoque deponi atrabilarium humorem notavit *Hippocrates* dicens, (*a*) *Quum mulier caput, sinciput, & cervicem dolet, & vertigo ob oculos versatur, terretur, & mœsta est, & urinæ nigræ, similiáque ex utero feruntur, & anxietas & animi mœror detinet, bilis atra in uteris inest.* Verùm tunc exit humor atrabilarius de corpore, & liberatur sanguis hâc saburrâ; ubi autem in vasis uterinis stagnat & colligitur atra-bilis, tunc dispositio scirrhosa uteri nascitur, quæ melancholicis mulieribus satìs frequens contingit. Sed & ad alia multa corporis loca deponi posse humorem atrabilarium, docebunt illa quæ ad §. 1110, habentur. Videtur hoc ulteriùs confirmari sequenti *Hippocratis* Aphorismo, qui sic se habet, (*b*) *Morbis Melancholicis per has tempestates* (ver nempe & autumnum) *periculosi decubitus, aut apoplexiam corporis, aut convulsionem, aut maniam, aut cæcitatem denunciant*; dum nempe encephali vasis impingitur illud spissum melancholicum, & in illis hærere incipit.

(*a*) De Mulier. Morb. Lib. II. Cap. LVIII. Charter. Tom. VII. pag. 831.

(*b*) Aphorism. Sect. VI. n°. LVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 287.

Quámvis autem humor atrabilarius diversa loca corporis sic occupare possit, omnium tamen frequentissimè in viscera abdominalia deponi solet, & figi. Demonstratur alibi (*a*), mobilissimas sanguinis partes, à corde in aortam pulsas, rectissimâ viâ, & majori velocitate, à corde recedere, minùs mobilia & viscida tardiùs moveri; adeóque juxta leges *Hydraulicas* (*b*) in truncum descendentem aortæ ferri, ex quo cœliaca arteria & binæ mesentericæ, quæ visceribus abdominalibus prospiciunt, ortum ducunt. Cùm ergo in hoc morbo, mobilioribus partibus dissipatis, immobiliora unita fuerint, horum crassiorum pars magna per has arterias feretur. Si jam simul consideretur, omnem sanguinem viscerum abdominalium bis arteriosum fieri, antequam ad cor redeat, adeóque (*c*) *Hìc tardissimum esse trajectum humorum* patebit ratio, quare ad viscera abdominalia omnium frequentissimè deponatur humor atrabilarius, qui antea cum circulantibus humoribus æquabiliter fluxerat. Notum est, quantùm respiratio valida conducat ad expeditum humorum per viscera abdominalia circuitum, quia, diaphragmate & musculis abdominalibus agentibus, premuntur omnia contenta abdominis, sícque sanguinis venosi motus promovetur. Dum jam melancholici, uni & eidem cogitationi affixi, omnia reliqua negligunt, plerumque sedentariam vitam ducunt, vel & quandoque studiis pertinacissimè incumbentes (vide §. 1194.) incurvo antrorsum corpore sedent, adhuc magìs impediunt liberum humorum trajectum per abdominis viscera; atque omnium maximè, quando pleno post pastum ventriculo in tali corporis positura diu manent. Ob hanc causam non satìs inculcari potest eruditis Viris, qui frequenter in hunc morbum proni sunt, ut adsuescant erectum corporis truncum habere, nec abdomen apprimere mensæ, cui assident. Patet jam satìs ex omnibus dictis, sensim debere accumulari humorem atrabilarium in visceribus abdominalibus; quod & confirmatur veterum Medicorum auctoritate; (*d*) *Generatur autem à calore copioso, vel flavam bilem, vel crassiorem & magìs atrum sanguinem adassante. Plerumque verò partes hypochondriorum primariò affectæ caput ad consensum perducunt, & delirium efficiunt*, &c. Ubi jam congesta materies atrabilaria hîc hæret, tunc alio nomine solet vocari malum; dicitur enim tunc *Morbus Hypochondriacus*, quia atra-bilis præcordia vel hypochondria dicta occupat; illam nempe inprimis abdominis regionem (vide §. 701, & 735.) ubi hepar, lien, ventriculus, pancreas, &c, locantur: utì etiam quia ponderis gravantis sensum & anxietatem ægri circa hæc loca sentiunt, utì dicetur sequenti paragrapho. Cùm autem & spasmodica anxietas in illis, qui totum genus nervosum facillimè irritabile habent, observetur frequenter circa hypochondria, & inde etiam tales ægri vocentur hypochondriaci, hinc ad distinctionem majorem posset vocari *Morbus Hypochondriacus cum materie;* nam in postremo casu sæpe nullum in visceribus vitium latet, & soluto spasmo,

(*a*) Boerhaav. Institut. Medicar. §. 224.
(*b*) Ibid. §. 308.
(*c*) Ibid. §. 350. n°. 8.

(*d*) Sicam. Aetii Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Posidon. & Marcell. Cap. 1. Charter. Tom. X. pag. 496, 497.

ructu aut flatu expulso, omnis expulsa anxietas sedatur.

Hic est ergo secundus melancholiæ gradus, ubi humor atrabilarius abdominalia viscera obsidet, distinctus à priori, & aliis symptomatibus stipatus. Hanc autem distinctionem *Ægineta* (*a*) pulcherrimè notavit.

Sequitur jam, ut considerentur illæ mutationes corporis, quæ observantur adesse, dum secundus ille melancholiæ gradus ægros affligit.

§. 1099. HINC ibi producit sensum assidui ponderis, anxietatis, repletionis, maximè ab assumptis, cibo, potûque; respirationem ob gravata viscera abdominalia difficilem; bilis utriusque, pancreatici, stomachi, intestinorum, mesenterii succi in confectione, secretione, permistione, efficaciâ in cibis, impedimenta: inde digestionem primùm omni modo læsam; esculentorum corruptionem in crudum acidum, si ex vegetabilibus, in putridum alcali, rancidúmve oleosum, si ex animalibus; hinc ructus, flatus, spasmos adstrictam alvum, fæces induratas; icterum pejorem gradu, quàm prior (1094); omnia mala (1094) jam pejora.

Dum viscera abdominalia occupantur humore atrabilario, tunc turbantur multæ functiones, quarum integritas à libero transitu humorum per vasa horum viscerum pendebat; & nova contingunt symptomata, quæ simul signa sunt statûs præsentis morbi.

Primum, quod solet observari, est perceptio gravantis ponderis circa præcordia, nunc magìs nunc minùs molesta, nunquam tamen omnino cessans, utì contingit in hypochondriaco affectu spasmodico. Observatur enim, insolitum pondus vel in toto corpore, vel in parte, si libera circumductio humorum per vasa impediatur. Quanta totius corporis gravitas percipitur, dum per vasa, in extremam corporis superficiem hiantia, impeditur libera perspiratio! Nemo sanus sentit brachii pondus, verùm si phlegmone hanc partem occupaverit, plumbi instar grave sentitur, & sustineri debet. Hinc adeo funestum signum est in morbis acutis, quando decumbentes ægri talem corporis posituram habent, qualem à sola gravitate inertis molis habet cadaver utì antea ad §. 734, dictum fuit. Simul adest molesta anxietas, quæ ipso dolore intolerabilior quandoque adigit miseros, ut ærumnosæ vitæ pertæsi, violentas sibi manus inferant. Verùm antea ad §. 631, demonstratum fuit, ex impedito libero trajectu sanguinis per venam-portarum, anxietatem nasci; dúmque lien, ventriculus, pancreas, omentum, mesenterium, in suis vasis infarciuntur tenaci atrabilario humore, & omnis sanguis ab his visceribus redux ad hepar venire debet, ac per angustos fines venæ-portarum transire, patet satìs, difficiliorem debere reddi trajectum humorum per hoc viscus. Ob eamdem rationem & repletionis sensus adest, omnium maximè,

(*a*) Lib. III. Cap. XIV. pag. 30.

quando cibo vel potu diſtentus ventriculus, vicina viſcera comprimendo, hanc difficultatem auget. Quando autem acidæ acrimoniæ particeps eſt illud tenax atrabilarium, ſæpe famelici ſunt tales ægri, & ab aſſumptis cibis quàm maximè gravantur. Unde optimè notavit *Hippocrates* de hoc morbo agens, (*a*) *Neque ſine cibo eſſe, neque copioſiorem cibum devoratum ferre poteſt. Verùm quum jejunus fuerit, viſcera muſſitant, & ſalivæ aceſcunt; quum verò quidquam ederit, pondus in viſceribus percipitur*, &c. Auget autem hanc anxietatem difficilior ſimul reſpiratio: notum enim eſt, diaphragma moveri non poſſe, niſi ſimul ſequantur viſcera ipſi appenſa; cúmque hæc gravata fuerint, neceſſariò minùs liber fiet diaphragmatis motus; ideo etiam in ſanis hominibus, dum ventriculus repletus eſt, reſpiratio minùs facilis obſervatur. Hinc frequentia illa melancholicorum ſuſpiria, quibus conantur ſenſum ponderis præcordia gravantis tollere. Similia & notavit *Hippocrates* dicens, (*b*) *Viſcera veluti ſpinarum aculeos habere, & his pungi, videntur: anxietas ipſum invadit, lucem & homines fugit, tenebras amat, metus corripit; ſeptum tranſverſum foràs tumet, ad contactum dolet*, &c. Septum quidem tranſverſum foràs non protuberat, ſed potiùs viſcera abdominalia ipſi annexa, & tunc obtuſum dolorem percipiunt ægri, qui ad tactum augetur.

Cùm autem ſecretio bilis debita, utì & reliquorum humorum, qui à viſceribus abdominalibus præparantur, pendeat à libera circumductione humorum ſanorum per vaſa, & hæc impedita fuerit, atque humores in cacochymiam atrabilariam degeneraverint; patet ſponte, omnes ſecretiones hìc turbari, omnes liquores ſecretos deficere à naturali ſua conditione. Verùm ex tota chylopoieſis Hiſtoria, in *Inſtitutionibus Medicis* tradita, patuit, ad ſubactionem crudi ingeſti requiri bonam bilem, ſuccum gaſtricum, pancreaticum, entericum, &c: adeóque prima digeſtio lædetur quàm maximè, neque ingeſta mutabuntur in naturam noſtrorum humorum, ſed ſpontaneam ſequentur indolem, in loco calido, ad quem aer liberè accedere poteſt, retenta. Hinc pro diverſitate aſſumpti alimenti in variam degenerabunt acrimoniam; ſícque novæ naſcentur moleſtiæ: à tali enim ſpontanea corruptione ingeſtorum ructus, flatus, ſpaſmos produci in ventriculo & inteſtinis, antea ad §. 647, & 651, demonſtratum eſt. Præterea dum bilis ſecretio deficit, minor eſt ſtimulus deponendæ alvi; cúmque ob eaſdem cauſas mucoſi inteſtinorum folliculi nec qualitate nec quantitate debitis ſecernant mucum inungentem & lubricantem inteſtinorum latera, fæces diutius hærent in inteſtinis craſſis, morâ ſiccantur, & cum magna difficultate excernuntur. Omnia autem hæc hujus morbi ſymptomata apud Veteres notata leguntur: (*c*) *Principium itaque ejuſmodi melancholiæ plerumque ex cruditatibus* (ἐξ ἀπεψιῶν) *conſurgit: flatus enim ipſis ſuccedunt multi, qui à quocumque aſſumpto cibo, facilè elevantur, & circa hypochondria diutius morantur; & ructus ipſis acidi, & fœtidi ac piſcem olentes conſequuntur; etiam*

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 580.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Sicam. Aetii Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Poſidon. & Marcell. Cap. I. Charter. Tom. X. pag. 497.

nullo ejusmodi cibo assumpto (acido nempe vel corrupto) *; ventres plerumque ipsis sicci sunt.*

Antea ad §. 1094, notatum fuit, colorem corporis mutari, dum atrabilaria cacochymia æquabiliter totum sanguinem inficiens adest, & successivè in pallidum, flavum, imò & fuscum transire. Cùm jam, in secundo hoc gradu melancholiæ, causæ morbi augeantur, vel saltem perennando magìs mutent omnes humores; patet ratio, quare pejor icterus vel ob hanc rationem nascatur. Verùm si simul consideretur, turbari in hoc morbi stadio functiones viscerum, quæ bili parandæ serviunt; in angustiis venæ portarum incipere hærere humores immeabiles; adeóque secretionem bilis à sanguine impediri; patebit & alia ratio, quare pejor icterus succedat: de qua re videantur illa, quæ ad §. 918, de ictero dicta fuerunt, dum bilis jam secreta, vel bili jam secernendæ proxima materies, in sanguinem denuo regurgitat. Optimè autem mutatum in pejus corporis colorem in progressu morbi notavit *Aretæus*, qui sic habet, (*a*) *Corporis quoque habitus in pejus labitur: colore fœdo & ex atro viridique commixto tinguntur, nisi inferiùs bilis descendat atque exeat, sed quoquoversùm per corpus cum sanguine diffundatur.* Omnia autem symptomata, §. 1094, recensita, aucto morbo, pejora reddi debere, sponte patet.

§. 1100. UBI jàm eò usque adolevit (1098), & per effecta sua (1099) se manifestavit, summâ ope nitendum in curationem, quia aliter tetra mox oritur mali indoles; difficultas autem maximè vitanda hæc est: si malum perseverat, fit incurabile, & sæpe lethale, ut in sequentibus liquebit: si evacuantibus pugnatur, sani, & facilè mobiles humores expelluntur, tenaces malíque hærent, unde pejor morbus: si per stimulantia & solventia valida tentatur, sæpe subitò soluta materies acris fit, & impetu magno ruens in tenera vasa hepatica, eà destruit, unde multa, & immedicabilia mala.

Indicatio curatoria in hoc casu quidem jubet, educendam esse materiam atrabilariam ex illis visceribus, quæ occupat, ne diutius ibi hærens, magìs ac magìs inspissata & tenacior reddita, cum ipsis vasis, quibus inhæret, concrescat, & immedicabiles obstructiones pariat. Cúmque tetrum hoc malum morâ pejus reddatur, absque ulla mora interposita videtur requiri efficax medela: (*b*) *Inveteratus enim, & veluti in naturam conversus, morbus incurabilis propemodum evadit.* Interim tamen hìc magnâ prudentiâ opus est, eò quòd tenax hæc materia non facilè nec citò obediat lenioribus remediis, à validioribus sæpe pessimè irritetur, & horrenda mala producat.

Cùm viscera abdominalia satìs brevi viâ in cavum intestinorum se evacuare posse videantur, assidui ponderis sensum circa præcordia sentiant, alvúm-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. v. pag. 30.

(*b*) Trallian. Lib. I. Cap. xvi. pag. 103, & 111.

que ſtrictam habeant ægri, anxiè petunt à Medicis purgantia remedia; cúmque & veteres Medici aliquando ſimili evacuatione hunc morbum tentaverint, videntur omnia ſuadere purgantium remediorum uſum. Interim certò novimus, purgantia data non ſolùm noxia de corpore educere, verùm etiam ſanos & probos humores: purgans enim validum datum ſaniſſimo homini copioſam evacuationem facit, & nemo credet facilè, illa, quæ tunc evacuantur, omnia morboſa fuiſſe. Cùm autem piceâ ferè tenacitate viſceribus hæreat atrabilarius humor, non facilè purgantibus obedit, ſed tunc tantùm expelluntur de corpore facilè mobiles humores, & augetur morbi cauſa. *Trallianus* (*a*) quidem purgantia laudavit, ſed interpoſitis aliquot diebus balneo & victu humectante conabatur mobilem & fluxilem reddere materiem, antequam repeteret purgantis remedii uſum. A validioribus, inprimis (*b*) *Helleboro,* abſtinere maluit, & à calidioribus purgantibus metuebat, (*c*) *Ne ſanguinem ad ſiccius & acrius converterent.* Imò, utì antea jam monitum fuit, magnam ſpem curæ in victu humectante & ſolvente ponebat. Verùm quidem eſt, *Hippocratem* helleborum laudaſſe (*d*) in cura hujus morbi, & alibi, melancholicos (*e*) *Liberaliùs per inferiora* purgandos ſuaſiſſe, ſed videtur in eodem aphoriſmo monere, quod & contra-indicantia conſideranda forent: & præterea prudentiſſimam illam generalem regulam Practicam paulò antè præmittit: (*f*) *In iis quæ medicamento fiunt purgationibus, talia è corpore educenda ſunt, qualia quæ etiam ſponte prodeuntia juvant. Quæ verò contrario modo prodeunt, ſiſtenda.* Certè atrabilaria ſaburra, per victum idoneum & ſolventia remedia quaſi liqueſcens, ſi ſponte prodeat, ſummum in hoc morbo levamen dat, adeóque illa purganda eſt; ſi verò alii mobiliores humores educantur de corpore in melancholicis, nocet ſemper. Unde etiam legitur, plures veteres Medicos, interpoſitis ſolventibus remediis, (*g*) lenioribus tantùm uſos fuiſſe purgantibus, ut educeretur illud quod ſolutum erat de materia morboſa; non autem ſubducerentur de corpore utiles humores. Lenioribus enim purgantibus non obedit pertinax hæc materia, niſi priùs ſoluta fuerit; validiſſimis purgantibus tentare expulſionem, non videtur carere periculo, dùm agitata ſubitò bilis atra, tam horrenda mala producit, utì §. 1104, patebit; & ſi draſticis talibus remediis excutiatur illa materia morboſa, non exit ſola, ſed ſimul expellitur quandoque tanta copia bonorum humorum, ut à ſubita corporis inanitione, collapſis vaſis, ſequantur animi deliquia, convulſiones, & mors. Hæc infortunia ab helleboro dato vidit *Hippocrates*, ideo monet quòd, (*h*) *Convulſio ex veratro lethalis* eſt; & aliis in locis (*i*) plurimas cautelas recenſet, quæ obſervari debent, dum Herculeum hoc remedium adhibetur.

(*a*) Lib. I. Cap. XVI. pag. 105.
(*b*) Ibid. pag. 112.
(*c*) Ibid. pag. 106.
(*d*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 580.
(*e*) Aphoriſm. Sect. IV. n°. IX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 137.
(*f*) Ibid. n°. II. pag. 132.
(*g*) Sicam. Aetii Libell. de Melanch. ex Galeno, Ruf. Poſidon. & Marcell. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 500.
(*h*) Aphoriſm. Sect. V. n°. I. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 193.
(*i*) Ibid. Sect. IV. n°. XIII. XIV. XV. XVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 140. & ſeq.

Cùm ergo ſine periculo vix poſſit tentari totalis expulſio materiæ atrabilariæ, niſi priùs ſoluta atque adeo mobilis reddita fuerit, & lenioribus remediis educi poſſit; huic indicationi priùs incumbendum erit. Verùm & hîc iterum prudentiâ opus eſt: omnia enim viſcera abdominalia, utì notum eſt, ſanguinem ſuum venoſum tradunt hepati; & dum infarcta materia ſolvitur in his viſceribus, tranſit ex arteriarum finibus, quibus hæſerat, in venas; adeóque perveniet ad hepar; cùm autem huic materiæ atrabilariæ, utì poſtea adhuc pluribus dicendum erit, acrimonia magna quandoque jungatur, quæ tenaci & piceæ huic maſſæ involuta non multùm nocet, ſed ſolutis his vinculis, quibus irretiebatur, illud acre actuoſum redditur, & uno impetu magnâ copiâ per venam-portarum in hepar ruit; hinc tenerum hoc viſcus integre deſtruere, vel ſaltem inſigniter lædere poſſet. Ob hanc rationem non nimis ſubitò urgenda eſt hæc ſolutio materiæ morboſæ, & tantùm per talia remedia, quæ efficacem ſolvendi vim habent ſine magna acrimonia, de quibus ſequenti paragrapho agetur.

§. 1101. HINC 1°. Lentè mobilis reddenda materies eſt, indagando naturam prædominantis acrimoniæ; tum dando medicamenta ſaponacea, in quibus prædominetur acrimonia oppoſita illi, quæ in illo humore adeſt; in his pergendum, donec pulſus inæqualis, debiliſque, nauſea, teneſmúſve, anxietas, febricula, ſigna dent motæ materiei: tum 2°. Statim leni laxante purgatione, clyſmate ſimili, ſero lactis, aquâ minerali, ſimilibúſque expellenda eſt.

Magnum faſtidium plerumque Medicis hujus morbi curatio parere ſolet; ægri enim, diuturnæ anxietatis & moleſtiæ pertæſi, quævis tentare vellent ſimul & ſemel ut ab his anguſtiis liberarentur; prudentes Medici tamen ſatìs noverunt, lentè feſtinandum eſſe, ut ſenſim pertinaci remediorum ſolventium uſu mobilis reddatur tenax hæc materia, & ad exitum paretur. Verùm hîc tempore opus eſt, & moroſi tales ægri rarò inevitabiles has curæ moras æquo ferunt animo; unde vel proprio conſilio tentant plura, vel agyrtarum, citam & certam curationem prædicentium, promiſſis lactati, magno ſæpe ſe exponunt periculo. Dum autem conatur Medicus hanc materiam morboſam mobilem reddere, ſimul attendere debet ad acrimoniæ ſpeciem, quæ huic tenaci materiæ adhæret, & quæ diverſæ admodum indolis obſervata fuit, utì §. 1105, dicetur, ubi & de ſignis peculiaris acrimoniæ agetur. De egregio ſaponaceorum uſu ad ſolvenda concreta, antea §. 135, dictum, ſimúlque tunc monitum fuit, ſalis cum oleo arctam unionem, ita ut compoſitum ex his binis æquabiliter aquâ dilui poſſit, ſaponem dici. Verùm diverſi ſales, & quidem oppoſitæ indolis, ſaponibus conficiendis adhiberi poſſunt, atque ideo hîc monetur, ut tales eligantur ſapones qui oppoſitam vim habent acrimoniæ cognitæ, quæ atrabilariam tenacitatem comitatur. Si v. gr; ſigna docuerint, acidum auſterum prædo-

minari, sapo Venetus, ex oleo puro presso vegetabili & sale alcalino confectus, conducet: & contrà si putridum cadaverosum, aut oleosum rancidum, deprehendatur suis signis, tunc acescentes sapones, utì mel, oxymel simplex, succi fructuum horæorum subacidorum, syrupi Officinales ex similibus confecti, proderunt, qui in priori casu augerent potiùs acrimoniam acidam, cùm hæc omnia sponte suâ acescant.

In horum autem usu pergendum est diu, neque facilè cogitandum de evacuatione materiæ atrabilariæ, antequam signa docuerint, quòd jam solvi incipiat, & mobilis fiat; cognoscitur hoc symptomatibus in textu enumeratis. Antea in febrium Historia ad §. 594, notatum fuit, hanc proprietatem in corpore nostro obtinere, ut novæ molestiæ & perturbationes excitentur, simulac cum humoribus per vasa circulantibus movetur aliquid, quod à sanorum humorum conditionibus recedit; neque hoc tantùm observari, dum materia quædam morbosa sanguini permista est, verùm etiam dum chylus copiâ nimius, vel ex durioris digestionis alimentis paratus, fluit per vasa, cùm tamen idem ille chylus repetitâ actione vasorum & viscerum mutari possit in naturam nostram. Multò magìs ergo fæx illa atrabilaria, dum solvi incipit, & quædam pars ejus humoribus circulantibus permiscetur, turbabit circulationis æquabilitatem, & nova producet symptomata, quæ signum motæ materiei exhibent.

2°. Mobilis tunc est materies atrabilaria, adeóque expulsio indicatur. Verùm & hîc prudentia jubet, ne fortioribus purgantibus datis magnæ excitentur turbæ in corpore, cùm adeo periculosum sit hanc materiam agitare; utì ex antè dictis constat, & adhuc postea ad §. 1104, monebitur. Manna, pulpa cassiæ fistulæ, tamarindi, ac similia, hîc sufficiunt, & sola ferè tuta sunt, inprimis si sero lactis copioso potato, aquísve mineralibus alvum leviter subducentibus, juvetur horum remediorum actio, simúlque major adhuc dilutio & attenuatio materiæ morbosæ concilietur. Proderit pariter clysmate simili leviter stimulare intestina, & fæces contentas educere, ut facilis via paretur exituræ per hæc loca materiei. Fæcum nigricantium excretio, levamen symptomatum, virium constantia vel & augmentum, felicis eventûs spem suppeditant.

§. 1102. VERUM si eadem illa materies (1098) jam fixata, compactáque, ibi diu hæsit, ipsa acris fieri incipit, & rodens, per stagnationem, motum viscerum, calorem ambientium; nova assiduò aggeritur, quia jam obstructio facta est, & causæ eædem perdurant; hinc mole aggestâ, acrimoniâ natâ, motu assiduo, vasa extendit, rodit, corrumpit; inde lienis, stomachi, pancreatis, omenti, mesenterii, intestinorum, hepatis, similis destructio; adeóque omnia mala (1099) priora multùm auget, maximè verò, assiduo putrefacti vapore venis recepto, omnes functiones, inprimis cerebri, perturbat. Túmque vocatur vero nomine *Atra-Bilis*.

Hactenus

Hactenus consideravimus materiam atrabilariam totum sanguinem æquabiliter inficientem; vel eamdem ad viscera abdominalia jam depositam, sed nondum multùm acrem: aderat quidem acrimonia, sed tenaci materie involuta, ita ut ab hac nondum adeo multùm metuendum foret, nisi in eo casu, ubi subitâ solutione vel motu illius materiæ extricaretur illud acre. Verùm dum diu hæret in visceribus abdominalibus infarcta hæc materies, difficillimè solubilis, & ferè concreta cum vasis quibus inhæret, ipsâ morâ & stagnatione, utì & calore corporis interni, sensim magìs ad corruptelam incipit disponi, simúlque illud acre mobilius redditur, & à tenacibus vinculis, quibus hactenus irretitum fuerat, incipit liberari; vasa & viscera, quibus continetur, rodit, & tandem destruit; simul validâ tali obstructione natâ, continuò augetur accumulatio similis materiæ; unde omnis actio viscerum chylopoieticorum non tantùm turbatur, sed & integre ferè aboletur, adeóque omnia illa mala, quæ §. 1099, enumerata fuerunt, increscunt. Mirabiles tales in Historia Medica leguntur casus, qui docent, abdominalium viscerum functiones integre aboleri in hoc morbo. Sic in *Actis Petropolitanis*, (*a*) legitur de Judæa virgine, cui alvus pertinacissimè clausa fuerat, unà cum urinæ suppressione, summóque fastidio omnis cibi ac potûs, & quidem per plures menses. Fateor uteri malæ dispositioni hunc morbum adscriptum fuisse, cùm & suppressio menstruorum adesset; verùm tristes animi affectus prægressi, mœror diuturnus, atri ferè humoris vomitus, vigiliæ, mentis emotio, videntur docere, ad melancholiam hunc morbum referri posse. Sed & alter casus habetur apud *Forestum* (*b*) de sene melancholico, qui per tres menses alvum strictam habuit.

Cùm autem ex illis quæ ad §. 1090, dicta fuerunt, constiterit, atrâ-bile in corpore natâ mutari cogitationes; mœstitiam, solitudinis amorem, affectus animi magnos & pertinaces nasci (vide §. 1094.), omniáque hæc mala augeri, dum atrabilaria materies, visceribus abdominalibus impacta hæret (vide §. 1099.); minimè mirum videbitur, si novâ simili materiâ aggestâ & in pejorem indolem degenerante, perturbentur adhuc magìs omnes cerebri functiones. Incipit tunc materies atrabilaria corrumpi, & acrior reddi; poterítque tenuior illius acrimoniæ pars, per venas resorpta, sanguini misceri, sícque ad encephalon ruere, & plurimùm damni adferre. Interim tamen ex illis quæ ad §. 701, ubi de delirio febrili agebatur, habentur, satìs constitit, posse turbari omnes cerebri actiones, licèt causa horum malorum non in ipso cerebro, sed in aliis partibus corporis hæreat: simul tunc patuit, morbosam materiem circa præcordia hærentem omnium frequentissimè caput turbare. Unde intelligitur pariter, quòd atra-bilis in his locis hærens, possit cerebrum afficere, deliria pessima, imaginationes mirificas, furores summos producere, licèt etiam nullus vapor ex materia atrabilaria natus, caput peteret. Ubi jam imminent in hoc morbo diu du-

(*a*) Tom. I. pag. 368.

(*b*) Observat. Medicinal. Lib. II. Observ. XXXIV. n°. 6. Tom. I. pag. 68.

rante, feroces illæ perturbationes cerebri, tunc vocatur *Atra-bilis:* unde apud *Plautum* optimè hoc designatur sequentibus, (*a*)

Ardent oculi; fune opu'st, Hegio.
Viden'tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra-bilis agitat hominem.

§. 1103. QUÆ deprehensa per hæc ejus signa data (1093. 1094. 1099. 1102.), non nisi prudentissimâ arte eliquari, moveri, educi potest, ob difficultates (1000) hîc adhuc majores, & facilè excitandam, dein verò vix moderandam, morbi acerrimam materiem. Hinc sit omnis victus oppositus acrimoniæ in humore prædominanti cognitæ, (1051); sit ille idem semper leniter solvens, stimulans, laxans alvum, paucas fæces à digestione relinquens; potus, vel ex ptisana mulsa, vel ex succis horæis, vel ex sero lactis sit: motus corporis sit levis continuúsque: calor admodum temperatus; somnus multus: balnea, fomenta, clysmata, potus, in crebro usu sint ex his, quæ sine acrimonia, diluendo, solvendo, abstergendo, macerando, materiem eliquent, & dein quàm lentissimè & prudentissimè excernant, viâ à natura præmonstratâ, habitâ semper ratione acrimoniæ singularis, quæ simul adest.

Facilè patet ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, longè majorem curationis difficultatem adesse in hoc melancholiæ gradu, & summam prudentiam hîc requiri. Tenax enim materies est, & acris simul; hæret in vasis satìs teneris & distentis; hinc rupturæ vasorum metus est: præterea, dum solvitur illud tenax, simul extricatur illud acre, túncque plùs nocet. Cùm autem omnia abdominalia viscera sanguinem suum venosum hepati tradant, magnum periculum est, ne soluta materies hepar obruat, utì sequenti paragrapho dicetur.

Verùm jam monitum fuit, diversam acrimoniam atræ-bilis observatam fuisse, & §. 1105, adhuc de hac re dicendum erit. Ad §. 1051, actum fuit de vitiis sensim natis in nostris humoribus, atque ibi causæ & signa enumerata fuerunt, quæ in diversis acrimoniæ speciebus obtinent. In victu ergo cavendum erit à talibus, quæ sponte suâ degenerant in similem acrimoniam, ac quæ jam obtinet in atra-bile; & quidem eò magìs, quia actio viscerum chylopoieticorum multùm labefactata est in hoc morbo, adeóque omnia ingesta minùs permutantur horum viscerum actione magìs debili, sícque in spontaneam corruptelam tendunt. Si ergo signa docuerint (vide §. 85. 86.), acrimoniam putridam adesse, fructus horæi, lacticinia, farinacea bene fermentata, oryza, hordeum, secale, &c, in victu proderunt. Eadem autem, cùm

(*a*) Captiv. Act. III. Scen. IV. vers. 62.

sint vel acida, vel citò acescentia, nocerent, ubi constat ex signis (vide §. 63. 64.), acidam acrimoniam inhærere atræ-bili: in hoc enim casu ova sorbilia, juscula ex carnibus juniorum animalium parata, vel ex gammaris & cancris, carnes teneræ assatæ, pisces fluviatiles assi, proderunt. Semper tamen, ex quacumque materia sumantur cibi, eliguntur tales, quæ vel sponte suâ, vel per artes culinares prægressas, facilè digeruntur, & paucas fæces relinquunt. Ob hanc causam potiùs laudatur lactis serum, quàm lac ipsum; quia videmus infantes, solo lacte materno utentes, copiosas & satis crassas fæces per alvum evacuare. Ob eamdem rationem juscula præferuntur carnibus. Simul hîc magnum usum habent olera illa mollia, ut endivia, spinachia, malvæ, &c; inprimis si jusculis incoquantur, deinde per colaturam ab herbis incoctis separata juscula potentur; sic enim vix quid fæculenti relinquitur in intestinis, & simul blandâ alvum subducente vi, quam habent hæc olera, expelluntur fæces relictæ. In cura hujus morbi similem victum suadet *Hippocrates*, jubens vitari pinguia oleosa, acria salsa: commendat autem, ut utantur tales ægri cibis (*a*) *Quàm mollissimis ac frigidis, piscibúsque litoralibus & cartilagineis, betis, cucurbitis, & carnibus contritis.*

Quantì autem fecerint veteres Medici ptisanam mellitam in acutis æquè ac chronicis morbis curandis, passim ex illorum operibus liquet. Serum lactis, verno tempore solventi graminis virtute dives, pulcherrimè potui quotidiano servire potest, & gratissimi etiam potus ex cerasis, fragis, &c, cum aqua contritis parari possunt, quæ omnia jam laudata fuerunt ad §. 1097. Ubi autem acida acrimonia prædominatur, omnia hæc utpote acescentia, minùs conducerent; túncque aqua pura præfertur, vel decoctum rasuræ cornu cervi, eborísve, additâ parcâ quantitate corticum citri, ut fatuus nimis sapor emendetur. Motus corporis quidem conducit, cùm sedentaria vita semper melancholicis noceat; sed debet esse moderatus, ne calefcat multùm corpus, & liquidissima difflentur, sícque augeatur copia materiæ atrabilariæ; nec tantùm ob hanc causam, verùm etiam quia valido motu posset subitò sæpe moveri atra-bilis, & turgens reddi, summo cum periculo: ob eamdem rationem intensi calores vitari debent.

Cùm autem pervigilia §. 1093, meritò inter causas melancholiæ recenseantur, & noctes diésque melancholici uni eidémque cogitationi inhærere soleant, patet, quantùm boni à somno longiori exspectandum sit. Somni enim tempore optima perditorum restitutio fit, omnes humores corporis ad facilem transitum per vasa disponuntur, anxiæ illæ cogitationes, quæ adeo torquent miseros hos ægros, tamdiu silent, sícque faciliùs delentur ideæ illæ, quæ totam mentem occupant. Emulsa ex seminibus farinaceis hîc pulchre prosunt; additis etiam, si sola hæc non sufficiant, diacodiatis. *Hippocrates* jussit, dari (*b*) *Mærore confectis, & ægrotantibus, strangularique volentibus, mandragoræ radicem*, quæ inter narcoticas plantas recenseri solet.

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 581.

(*b*) Lib. de Loc. in Homin. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. pag. 372.

Verùm quidem eſt, quòd diacodiata ſoleant alvum ſtrictiorem quandoque reddere, quod priori indicationi contrarium eſt; ſed lene clyſma facilè emendabit hoc vitium, ſi ſomniferorum medicamentorum uſum ſequatur.

Simul autem maximè proderit per clyſmata injicere talia remedia, quæ abſque multâ acrimoniâ ſolvendi vim efficacem habent, illáque diu retinere, ut abſorpta venis inteſtinorum directè ad hepar veniant, vix mutatis viribus. Serum lactis mellitum, ſapo Venetus in aqua ſolutus, tartarus ſolubilis, vel tartarus regeneratus *Sennerti*, potenter ſolvunt, & blanda tamen ſunt. Ad §. 1101, clyſmata pariter laudata fuerunt, ſed ad expellendam materiem atrabilariam, jam ſolutam & mobilem; hîc autem potiùs adhibentur, ut prudenter eliquetur tenax illud atrabilarium. Simul & balnea & fomenta, abdomini applicata, meritò laudantur à veteribus Medicis, dum ſtrictæ nimis partes ſolidæ ſic laxantur, & ad ſolutionem diſponuntur illa, quæ vaſis impacta hærent. Unde dulcium balneorum uſum præ reliquis in hoc morbo commendat *Trallianus* (*a*). Thermarum balnea laudavit *Aretæus* quia contrarium corporis habitum ſenſim inducunt. Sic enim habet: (*b*) *Bona utique eſt humectatio, morbi ſqualorem tollens, & curationis vexationem mitigans: raræ autem ac molles carnes ad ægritudinis remiſſionem maximè faciunt; verùm ſiccæ ac denſæ melancholiâ laborantibus carnes inſunt.* Similia adhibita fuiſſe, & plura alia fomenti inſtar abdomini impoſita alibi (*c*) legitur.

Remedia autem dantur talia, quæ diluunt, & blandâ vi ſolvente prædita ſunt; nec acria tamen, qualia ad §. 1097, & 1101, laudata fuerunt.

Solicitè tunc attendendum eſt, quò versùs Natura ducat ſolutam atram-bilem; & hoc cognito, prudenter inſiſtendum eſt huic evacuationi, ita ut leniſſimis tantùm remediis moveatur, utì jam ad §. 1101, monitum fuit. Omnium frequentiſſimè per alvum exire ſolet, quandoque per vomitum, ſed tunc majoribus cum turbis: quandoque ad alia loca deponitur, utì §. 1110, patebit: tunc autem videtur ſenſim ſoluta atra-bilis, circulantibus humoribus permiſta, per metaſtaſin ad alias partes depoſita fuiſſe. Hiſtoria Medica tamen & habet alias atræ-bilis evacuationes, licèt minùs frequentes. Sudorem cæruleum in dextro hypochondrio hominis melancholici obſervavit *Dolæus* (*d*). Per plures dies urinam nigerrimam, inſtar atramenti, emiſſam cum levamine vidit *Schmidius* (*e*) in conſulari Viro, qui ſatìs graviter cum malo hypochondriaco conflictabatur: poſt plures menſes redibat illa urinæ nigræ excretio ſimili cum effectu.

Omnium autem tutiſſimæ ſunt illæ evacuationes materiæ atrabilariæ in hoc morbi ſtadio, quæ lentè & ſucceſſivis vicibus fiunt; ſic ſenſim minuitur morbus, liberantur viſcera, & ſanitas redit, quámvis tardiùs. Quinimo

(*a*) Lib. I. Cap. XVI. pag. 107.
(*b*) De Curat. Morbor Diuturnor. Lib I. Cap. VII. pag. 126..
(*c*) Sicam. Aetii. Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Poſidon. & Marcell. Cap. II. Charter. Tom. X. pag. 500. 501.
(*d*) Miſcellan. Curioſ. Decad. I. Ann. 6, & 7. pag. 93.
(*e*) Ibidem, Ann. 8. pag. 144.

parte gravantis ſarcinæ illius levatum corpus, ſi bono & idoneo nutrimento ex modò laudatis vires conſervantur & augentur, omnéſque morbi cauſæ ſolicitè caventur, reliquum ſponte ſuperat, licèt ægri longæ medicationis pertæſi, omnia pharmaca reſpuant. Hoc pulchre notaverunt veteres Medici: (*a*) *Quibuſdam enim quamdiu medicatio adhibetur, tamdiu morbus permanet, quámvis labefactatus ac debilis: at ſi homo carnes reſarciat, ac vires inſtauret, ſimul omnia morbi veſtigia obliterantur: nam potentia Naturæ ſanitatem, imbecillitas morbum parit.* Similia apud *Aetium* leguntur ex *Rufo* deſumpta, quæ ſic ſonant, (*b*) *Quapropter Naturæ remiſſionem dare oportet: videtur enim unà cum curationibus vexari; in quiete verò invaleſcere, & ſuperare morbos jam antea attenuatos.* Confirmant hæc Veterum monita & Practicæ Obſervationes: contingit enim frequenter, melancholicos, Aquis Medicatis utentes, levari quidem, ſed tamen non integre ſanatos abire. Dum autem in itinere bono utuntur victu, & objectorum ſimul continuâ varietate oblectantur, reduces experiuntur morbum ſenſim evaneſcere.

§. 1104. ID autem malum (1102) ad magnam jam acrimoniam provectum, cum viſceribus jam valde corruptis, ſi durantibus iiſdem cauſis (1102), dein motu muſculari; calore ſolis, igníſve; victu acri, copiosóque; medicamentis acribus validè moventibus, cum acrimonia mali efferveſcentibus; venenis ſimili actione lædentibus; vel tandem morbis nonnullis validis movetur, tum acrior, mobilis, & jam agens reddita, vaſa ſua rumpit, corrumpit, putrefaciendo reſolvit, cum atra-bile ipſa in vomicas putrefactas mutat; jam eſt *bilis atra turgens* hâc jam hucuſque provectâ, ſi liquefacta in ſuis vaſis, mota versùs hepar, in exeſos venæ cavæ ramulos ſerpens, cordi infertur, damnoſa illa mala producit: ſi enim de acido coagulante participat polypos cordis, pulmonis, aortæ, carotidum, horum mala, mortem creat. Si in cerebrum perrexerit, apoplexiam, paralyſin, catalepſin, epilepſiam, deliria, maniam, peſſimi generis, & ferè immedicabiles, producit. In genere arterioſo omnia mutat, febres immanes, brevì omnia putrefacientes profert. Si de alkali putrefaciente participat, gangrænas ſubitò lethales, ubicumque impegerit, ibi naſci facit. Unde infiniti morbi in toto corpore, & qualibet ejus parte, non curabiles niſi hoc fomite exſtincto. Si autem ruptis viſcerum vaſculis elapſa materies cava peritonæi occupat, debilitas mox exoritur ingens & inſuperabilis, putrefac-

(*a*) Aretæ. de Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. pag. 126.

(*b*) Lib. VI. Cap. x. pag. 104, verſâ. Confer. Libell. de Melanchol. ex Galen. Ruf. Poſidon. & Marcell. Cap. II. ad calcem. Charter. Tom. X. pag. 502.

tio acris elapsi, ejúsque accumulatio; tum erosio gangrænosa omnium abdominalium viscerum, unde mirabilia phœnomena; tympanitis; mors cum fœtore immani. Si autem mota ruerit in jecur, indéque per exesa & dilatata vascula biliosa in vesicam fellis, ductum hepaticum, communem, in intestina, facit nauseas, vomitus, dysenterias atrabilarias, cum anxietate, impetu, dolore, rosione, intolerabilibus; unde inflammationes, exulcerationes, putrefactiones intestinorum, stomachi, œsophagi, faucium, oris; inde convulsiones terribiles, tandémque placida ferè mors, gangrænam, adeóque indolentiam sequens omnium.

Sequitur jam teterrima hujus mali facies: hactenus enim materies atrabilaria, gravabat viscera, illorúmque functiones turbabat, & sic magnas satìs parabat molestias, sed chronicas, nec in subitam perniciem tendentes. Verùm dum juncta tenaci huic materiæ acrimonia augeri, & tenax illud fundi, incipit, eroduntur viscera, & materia atrabilaria vomicas pessimas facit. Cùm enim vascula arteriosa minima, inflammatoriâ materie immeabili distenta, rumpantur, liquores effundant, solidas partes tenerrimas atterant, solvant, fluidis misceant, sícque pus producant (vide §. 387.), quod, licèt blandum adeo sit ex sua natura, tamen pessima mala in visceribus producere potest; quantò pejora fient, dum acris materies, in vasis obstructis hærens, illa erodit, & in corruptum liquamen convertit; quod cavi, in quo hæret, omnem superficiem erodendo auget vomicam subitò, & tandem omnem viscerum substantiam in amurcosam saburram convertit. Numerosa satìs apud Practicos occurrunt Observata, quæ docent, lienem, hepar, &c, in vomicas tales atrabilarias conversa, in cadaveribus reperta fuisse. Nec juvabit ægros, licèt his vomicis contenta saburra evacuetur de corpore; corrupta enim & exesa jam sunt viscera: sola curatio sperari potest, utì antè dictum fuit, dum integris adhuc vasis & visceribus atra-bilis soluta exit de corpore. Aliter vocatur *atra-bilis turgens*, variis viis exiens de loco, quo continetur, utì statim dicetur, sed pernicioso eventu. Hanc *Galenus* vocavit, (*a*) *Exactæ bilis atræ humorem*, quem semper ad perniciem excerni monuit; & contrà illorum, quæ *nigra* simpliciter appellantur, evacuationem non raro salubrem observavit. Ubi videmus evidenter, *Galenum* distinxisse atram-bilem turgentem ab atra-bile simpliciter dicta. Addidit autem minùs in Arte exercitatos mirari (*b*) *Pravo videlicet humore evacuato, corpus lædi; quum contrà rationi consentaneum esse videatur, ut, molestantibus humoribus evacuatis, corpus ipsum saluberrimum relinquatur.* Ratio hujus rei ex modò dictis facilè patet.

Cùm autem omnia, quæ motum augent in corpore aut calorem, aptissima sint, ut in motum subitò ducant atram-bilem; patet, quare *Hippocra-*

(*a*) Lib de Atra-bile Cap. III. Charter. Tom. III. pag. 168.

(*b*) Ibidem.

tes (*a*) à vino meraco, cibis acribus, validioribus exercitiis, calidis lotionibus, solis æstu, abstinendum in cura hujus morbi jusserit. Idem jam & de medicamentis verum est, quámvis enim hellebororum vires adeo laudentur ad hunc morbum, certè in hoc gradu melancholiæ non sine ingenti discrimine valida adeo remedia adhiberi posse, manifestum est. Cùm autem acrimonia bilis atræ varia sit, cautè adhibenda sunt illa remedia, quæ huic acrimoniæ oppositam indolem habent. Si enim v. gr; acre acidum adsit, & bilis atra, solvi ac moveri incipiens, ad intestina vel ventriculum venerit, tunc potu jusculi tenuis vel aquæ puræ diluendo tutiùs enervatur illud acre, quàm si tentetur salibus alkalinis, aut terrestribus absorbentibus remediis. Ventriculus enim & intestina ab hoc acri irritata, spasmos patientur, simúlque ab alkalinis vel terrestribus, cum acido effervescentibus, generabitur elastica materies, quæ spasmo contractis intestinis, aut ventriculo coercita, miros tumores & anxietatem vix tolerabilem faciet (vide §. 646.).

Verùm & venena, quæ tam subitò & tam validè totum corpus turbant, atram-bilem subitò movere possent, eadémque mala producere. Casus talis habetur apud *Wepferum* (*b*), qui huc referri posse videtur. Sumpserat mulier cachectica ex vetulæ cujusdam consilio aliquot grana vitri antimonii, vino per noctem infusa, atque inde enormes vomitus, syncopen, convulsiones passa fuit: epotis jusculis, remiserunt quidem hæc symptomata, sed magna manebat debilitas; & dum aliquantùm vires recuperavit, sensit intolerabilem pedis dextri dolorem: postridie Chirurgus advocatus invenit pedem ad mediam ferè tibiam nigrum, ac si atramento sutorio immersus fuisset; interim pars affecta, nec dura, nec tumida, nec exulcerata erat: successit tamen sphacelus, & crus ad distantiam palmi à genu exstirpari debuit. Si jam consideretur, cachecticos quandoque flavum, fuscum, imò nigrum colorem habere (vide §. 1170.), & atram-bilem turgentem subitò lethales gangrænas producere, ubicumque impegerit, utì statim dicetur, videtur satìs verisimile, subitam illam nigredinem, cum immani dolore & sequente sphacelo, inde factam fuisse, quòd à violento tali remedio mota atra-bilis partim evacuata fuerit per enormes illos vomitus, partim mista circulantibus humoribus, in pedem & crus decubuerit. Confirmare videtur hanc sententiam, quòd hepar inventum fuit pallidum & variegatum, lien naturali majòr. Hepate enim obstructo, lienis molem sæpe augeri notum est, & post tantas evacuationes, materiámque atrabilariam, partim per vomitum expulsam, partim per metastasin ad alia loca delatam, pallidum hepar fuisse minimè mirum videtur.

Verùm causæ hactenus recensitæ, quæ atram-bilem turgentem reddunt, vitari possunt ab ægro, si prudentis Medici consilio obediat: morbi autem epidemici v. gr; non semper evitari poterunt. Simplex tertiana febris verna poterit movere atram-bilem, utì frequenter observatum fuit; & tantò magìs adhuc omnes febres continuæ morbíque inflammatorii, si in melancholico corpore

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 580, 581.

(*b*) De Cicut. Aquat. Histor. & Nox. Cap. XX. Hist. III. pag. 254.

nascantur. Tunc illi morbi, licèt ex sua natura non adeo periculosi forent, subitò sæpe fient lethales, dum per motum circulationis auctum funditur atra-bilis, mobilis redditur, & turbat omnia. Illud pluribus in locis *Hippocrates* monuit. In *Coacis* enim *Prænotionibus* dicit, (*a*) *Febrienti si atra-bilis in principio sursum aut deorsum prodierit, lethale est.* Et alibi adhuc tamquam generale axioma ponit sequentia: (*b*) *Quibuscumque morbis incipientibus, si bilis atra sursum aut deorsum prodeat, lethale.* Designat enim per morbi impetum atram-bilem turgentem redditam esse, & quaquaversum viam quærere. Nec meliorem speravit exitum, si alio morbi tempore, debilitatis jam & extenuatis ægris, similia prodierint. Ita enim habet sequenti aphorismo, (*c*) *Quibus per morbos acutos aut diuturnos, aut vulnera, aut alium quemcumque modum extenuatis, bilis atra, aut velut sanguis niger, subierit, ii postridie moriuntur.*

Ubi autem soluta materies atrabilaria, in visceribus abdominalibus hærens, venit in venas necessariò per venam-portarum in hepar tendet, & tenera ac pulposa hepatis vasa erodet; sícque poterit in venam cavam, quæ hepatis substantiæ innascitur & sanguinem à secretione bilis superstitem ab hoc viscere recipit, transire; unde mox in cor dextrum veniet. Si jam, utì sequenti paragrapho dicetur, atra-bilis habeat acrimoniam acerrimam acidam, coagulabitur sanguis in corde dextro; si illud coagulum forte fuerit, hærebit in arteria pulmonali, & cita mors sequetur: si verò adhuc transprimi potuerit per fines arteriæ pulmonalis, quámvis cum molestia, in cor sinistrum derivabitur, ibíque denuo coire incipiet; sic polyposis concretionibus dabit originem, vel per aortæ ramos distributus talis grumosus sanguis in angustiis convergentium arteriarum brevì hærebit; inprimis si per carotides & vertebrales arterias ad encephalon pervenerit, cujus fabrica minimis vasis constat. Facilè ergo intelligitur, turbari omnes functiones cerebri, prout diversæ ejus partes afficiuntur; imò sæpe deleri omnes subitò, lethali apoplexiâ. Unde *Hippocrates* (utì & aliâ occasione ad §. 1010. n°. 4, monitum fuit) dixit, (*d*) *Morbis melancholicis per has tempestates* (ver nempe & autumnum) *periculosi decubitus aut apoplexiam corporis, aut convulsionem, aut maniam, aut cæcitatem denunciant.* Et sequenti aphorismo subjungit, apoplecticos maximè fieri, intra quadragesimum & sexagesimum annum ætatis, quo vitæ tempore melancholia inprimis occurrit, utì postea ad §. 1108. n°. 3, dicetur. Si autem bonus sanguis nimis distendens vasa majora, vel, illis ruptis, effusus in cavum calvariæ, lethalem toties apoplexiam fecerit, facilè patet, adhuc magìs metuendum esse à sanguine spisso & acri simul, si ad encephalon pervenerit.

Ubi verò atra-bilis soluta & turgens pervenit in arterias, & cum reliquo sanguine fluit, licèt non deponatur ad quædam loca corporis, turbabuntur tamen omnia in corpore, quia acer adeo humor sanguini permistus est; unde pessimæ nascentur febres (vide §. 586. *lit.* ε.), & calidissimæ quidem in fri-

(*a*) N°. LXXI. Charter. Tom. VIII. pag. 856.

(*b*) Aphorism. Sect. IV. n°. XXII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 146.

(*c*) Ibid. pag. 147.

(*d*) Ibid. Sect. VI. n°. LVI. pag. 287.

gidissimis

gidissimis antea corporibus, cum horrendis ut plurimùm symptomatibus. Tunc hæc atra-bilis non movetur & solvitur, à febre prægressa, sed aliâ quacumque de causa soluta, & sanguini mista febrim excitat, motáque per febrim brevì totum corpus putrefaciendo destruit. Tunc enim bilis atra putridam acrimoniam potiùs habet: ubi autem acidum acre in atra-bile adest, coagulo inducto, dum sanguini miscetur, citò necat, infarcto pulmone vel encephali vasis, grumoso sanguine, antequam febris sequi possit. Hanc rem dum observaverat *Duretus*, quòd nempe ardentissimæ febres ex frigido & chronico morbo nascerentur, dixit, (*a*) *Inter bilem atram & melancholicum humorem tantùm interest, quantùm inter ferrum candens & igne intactum.* Et ob putredinem natam ab atra-bile tales febres accendi *Galenus* optimè monuit, dicens, (*b*) *Nigra namque bilis, frigidus naturâ humor est, sed quum putredinem quamdam sibi adjunxit, cujus causâ febrim accendit, tantùm possidet caloris, quantùm etiam putredinis.*

Ubi autem atra-bilis per febrim mota, hinc adhuc acrior reddita, in partem quamdam corporis impacta fuit, simúlque alcalinam putrefacientem indolem habet, mox gangræna sequitur; utì patet ex illis, quæ ad §. 423, de gangrænæ causis dicta fuerunt. Ita *Galenus* (*c*) notavit pustulas nigras, & anthraces, gigni à melancholico humore per febrim moto.

Facilè jam patet ex dictis, innumeros morbos posse nasci à bile atra turgente, prout vel cum sanguine diffusa fuerit per totum corpus, vel in hanc illámve partem decubuerit: sed & simul apparet, vix curabilia esse hæc mala, cum illico partes destruantur ab acri tali & putrefaciente humore; etiam dum transeundo per illas exitum de corpore molitur: simúlque notandum est, pessimè etiam affecta esse hæc viscera, in quibus hæsit atra-bilis, antequam moveretur.

Omnes autem metastases illæ, per quas bilis atra ex locis, quæ occupavit, defertur in sanguinem & ad varia corporis loca transfertur, tunc locum habent, ubi vasa & viscera adhuc satìs integra sunt. Quandoque autem contingit, ut bilis atra, vasis peresis & visceribus corruptis, excitet vomicas putrilagine plenas, quarum membranis continentibus ruptis à materiæ copia vel exesis ab acrimonia, omne illud liquamen corruptum decidit in cavum peritonæi, ibi accumulatur, morâ magìs putridum redditur, omnia viscera abdominalia, quæ alluit, gangrænosâ putredine corrumpit; adeóque mors inevitabilis sequitur, & satìs citò. Illo autem tempore, dum tales vomicæ rumpuntur, summa debilitas oritur, quia omnes humores in rupta hæc & patula vasa ruunt; simúlque ipsa putredo vires prosternere valet, utì antea ad §. 661, ubi de debilitate febrili agebatur, probatum fuit. Præterea cùm putrescentes humores copiam aeris elastici generent, abdomen immaniter distenditur, & percussum, tympani instar, resonat, quia non

(*a*) Interpretat. & Enarration. in Coac. Prænot. Lib. I. n°. LXXIV. pag. 40.
(*b*) De Symptom. Caus. Lib. II. Cap. V. Charter. Tom. VII. pag. 78.
(*c*) Lib. de Atra-Bil. Cap. IV. Charter. Tom. III. pag. 169.

turget distentum abdomen humoribus extravasatis adeo, quàm elasticâ materie per putredinem genitâ. Sic videmus cadavera submersorum animalium, dum putrescere incipiunt, habere abdomen turgidissimum, túncque enatare in aquæ superficiem; & notum est, quàm horrendus fœtor per omnem viciniam dispergatur, dum talis cadaveris abdomen crepat. Si ruptis vasis aliquot dies supervixerint miseri tales ægri, inflatur abdomen; si subitò moriantur, post mortem hoc contingit; & dum talis cadaveris turgidissimum abdomen aperitur, adeo putrida exspirat mephitis, ut & constantissimi Anatomici, dudum his molestiis adsueti, in animi deliquium ceciderint.

Antea in eadem hac paragrapho dictum fuit, solutam materiam atrabilariam, nisi ruptis vasis in cavum abdominis dilapsa fuerit, ire in hepar: consideravimus illa mala, quæ fiunt, quando atra-bilis soluta & mota in venam cavam venerit, sícque sanguini fuerit permista. Verùm poterit & venire in vasa biliosa, sícque per ductum hepaticum & communem in duodenum, atque hinc in ventriculum regurgitare, vel per totum tractum intestinorum pergere, tandémque per anum expelli. Facilè autem patet, quanti dolores, quàm horrenda mala, fieri debeant, dum acerrima talis materia per hæc loca transit, illáque erodit; unde plerumque cita mors sequitur. Practici frequenter tales casus observaverunt. Juvenis, post quartanam malè curatam, cachecticus mansit, cum livido & plumbeo faciei colore. Ubi autem (*a*) *Cùm pedibus iter aliquot milliarium conficiens, corpus validè exagitasset, & rixas etiam cum sodalibus habuisset, incidit inopinatò in vomitum nigrum largiùs & aliquoties erumpentem; simul secesserunt per alvum fæces instar picis nigræ, ac fœtidissimæ. Sub his æger sæpius animi deliquium, si erigeret corpus, incurrit, & intra viginti quatuor horas plane exspiravit.* Verùm quidem est, quòd celeberrimus Auctor ad vomitum cruentum retulerit hunc casum, sed ipsa morbi Historia atrâ-bile laborasse hunc ægrum docet; quæ per motum corporis & animi affectum validum agitata & turgens reddita, sursum & deorsum erupit. Illa autem, quæ in cadavere dissecto apparuerunt, ulteriùs hoc confirmant. Licèt enim altero post mortem die secaretur cadaver, vix ferre poterant fœtorem adstantes: (*b*) *In ventriculo vasa brevia nigro colore conspicua, & disrupta apparuerunt, & tam in ejus cavo, quàm etiam ileo intestino liquamen nigrum fœtidum comparuit, vasis ilei simul nigricantibus*, &c. Huc quoque referri posse videtur vomitus & secessus materiæ nigræ, unà cum ictero; qui morbus in regno Castellano frequens est, & lethalis (*c*). Notum enim est, Hispanam nationem in morbos melancholicos admodum proclivem esse. Sic & apud *Bonetum* (*d*) legitur de homine melancholico, qui, superveniente vomitu nigricantis sanguinis & crebris lipothymiis, obiit. Aperto cadavere, intestina in dextro latere livida, nigricantia, sphacelata, visa sunt: vasa meseraica sanguine nigricante turgida: intestini coli pars superior sanguine concreto, fæculento,

(*a*) Fred. Hoffman. Medicin. Rational. System. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III. Observat. II. pag. 78.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Europ. Medic. pag. 470.
(*d*) Sepulcret. Anatom. Pract. Lib. I. Sect. IX. Observ. XLIII. pag. 241.

nigerrimo inſtar picis, qualem vomitu rejecerat, plena. Plura ſimilia certè ex probatis Auctoribus colligi poſſent; verùm hæc ſufficient, ut demonſtretur, quanta mala ſequi debeant, dum atra-bilis turgens & mota ad ventriculum vel inteſtina pervenit. Hinc etiam patet ratio, quare *Hippocrates* dixerit, (*a*) *Dyſenteria, ſi ab atra-bile ortum duxerit, lethale*. Poſt enormes enim dolores, quandoque & convulſiones, lethalis viſcerum gangræna ſequitur.

§. 1105. MATERIES verò ſic reddita (1104) unà cum tenacitate ſumma & ferè picea, ſimul habet acrimoniam acerrimam acidam, quæ metalla rodat, terram fermentet; aut alcalinam ſalinam, corroſivam quàm maximè, aut oleoſam putrefactam, omnium teterrimam. Quæ ſingulæ ſpecies, unde oriantur, quomodo cognoſcantur, quî curentur, ſuprà ſatìs demonſtratum habetur (58, ad 107. 1051. 1052.).

Ubi bilis atra turgens ſubitò excernitur de corpore per quaſcumque vias, tunc ejus indoles examinari poteſt, & inde cognoſci etiam illa pars, quæ nondum expulſa eſt. Communis proprietas eſt, quòd ſit admodum tenax, acris, & nigri vel profundè fuſci coloris: verùm diverſa acrimoniæ ſpecies eſt. Obſervatur enim quandoque acidiſſima acrimonia, ut pelves metallicæ, quibus excipitur, rodantur; efferveſcat cum terreſtribus quibus occurrit; fauces præfocet dum evomitur; & dentes ſtupefaciat, utì omnia acida acria facere ſolent. Videtur autem *Galenus* (*b*) ferè crediſſe, omnem bilem atram acidam eſſe. Interim tamen conſtat certis Obſervatis, quandoque atram-bilem ſcatere alcalinâ & putridâ acrimoniâ. *Hippocrates* (*c*) in eodem loco, ubi acidiſſimæ bilis atræ meminit, ſimul tamen monet, quandoque & talia vomitu rejici à melancholicis, quæ cadaver olent: hæc autem ſpecies atræ-bilis, utì præcedenti paragrapho dictum fuit, ſubitiſſimas gangrænas producit. Omnium autem teterrima corruptio eſt pinguis putrefacti, quæ videtur obtinere, dum bilis flava in atram-bilem degenerat. Notum enim eſt ex Phyſiologis, ad bilis bonæ confectionem in hepate concurrere ſanguinem venoſum omenti, oleo divitem (*d*); & Experimenta Chemica docent, bilem exſiccatam incendi poſſe flammámque alere: ex quibus conſtat, multùm pinguis olei in ipſa bile eſſe. Dantur autem tales homines, bilioſæ temperiei, qui calidiores, mobiliores ab animi affectibus, in iram propenſiores, emittunt urinam magìs flavam, oculorum album quâdam flavedine ſuffuſum habent: in illis generatur bilis acris & copioſa, quæ facilè in cyſtide ſua retenta lenteſcit, fuſca fit, imò in nigram tenacem amurcam quaſi degenerat: ideo in pertinaci ictero totus habitus corporis

(*a*) Aphoriſm. Sect. IV. n°. XXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 147.
(*b*) Method. Med. Lib. XIV. Cap. IX. Charter. Tom. X. pag. 328
(*c*) De Morb. Lib. II. Cap. XXIX. Charter. Tom. VII. pag. 580.
(*d*) Boerhaav. Inſtitut. Medic. §. 332.

incipit nigrefcere, cùm in initio morbi flavedo adeffet: túncque vocatur ictерus niger, utì in capitulo *de Hepatitide* dictum fuit. Verùm hæc bilis infpiffata jam & amurcofa habet hanc proprietatem, quòd fatìs facilè putrefcat, & tunc denuo folvatur, fimúlque fe diffundat in vicina loca per vias Anatomicis nondum bene cognitas. Sæpius enim obfervatur in cadaveribus, bilem ex cyftide fua quafi tranfpirare, nec tantùm vicinam hepatis partem, fed & colon inteftinum, & omentum, flavedine inficere. Si jam putridiffima talis bilis fubitò moveatur à fimilibus caufis, quæ atram-bilem turgidam reddunt & motam, facilè patet, fubitam corruptionem fequi debere omnium partium, quæ putrido hoc liquamine alluuntur. Sic novi, obfervatum fuiffe in cadavere principis fœminæ, fummos mœrores & fubitos paffæ, dein citò mortuæ, abdomen admodum turgens, quo aperto, teterrima exhalabat mephitis: veficula fellis continebat materiem nigram fpiffam fplendentem, inftar picis liquidæ; pancreas fimili colore tinctum erat, utì & lien, qui leviter tactus diffluebat totus putris: fimili modo fe habebant renes, licèt naturaliter longè firmiorem monftrent fubftantiam, quàm lien. Quibus autem caufis diverfæ illæ fpecies acrimoniæ in corpore humano producantur, & quibus fignis poffit cognofci fingularum præfentia, ad numeros in textu citatos, dictum fuit.

§. 1106. ATQUE facilè patet confideranti dicta (1000. 1003. 1004.), & fitum, ftructuram, circulationem vifcerum, in quibus hæret hic malignus humor, morbum turgentem curatione majorem: diluentia cum oppofito acri ad acre prædominans, & opio, primaria funt.

Evidenter hoc patet ex illis, quæ hactenus dicta funt: morbus enim ille turgere dicetur, dum atra-bilis, quæ diu vifceribus abdominalibus impacta hæferat, morâ pejor & acrior reddita, fponte fuâ, vel imprudenti medelâ, folvi incipit & moveri, & vafa, quibus impacta fuit, deftruit; adeóque infignem labem adfert vifceribus in quibus hæfit. Verùm conftitit, acrem jam & motam atram-bilem in hepar deferri debere; itaque illud vifcus adeo tenerum deftruet, vel faltem infigniter lædet. Ex hepate autem venire poterit in venam cavam, fícque fanguinem coagulabit, fi acidam acrimoniam; vel putredine peffimâ inquinabit, fi alcalinam putrefacientem, vel oleofam putrefactam indolem, habuerit. Ubi verò per vafa biliofa hepatis in duodenum venerit, enormes vomitus, dyfenteriæ atrabilariæ, peffimis fymptomatibus ftipatæ, gangrænofæ ventriculi & inteftinorum corruptiones, neceffariò fequentur. Eadem hæc, imò & pejora, contingent, fi ruptis vafis, atrabilaria hæc faburra in cavum peritonæi diffluat. Præterea, dum ruptis vafis atra-bilis exit de corpore, fimul fanguis grumofus copiofus fequi folet atræ-bilis illas evacuationes, vel & quandoque comitari; unde fubita debilitas, fyncope, & mors.

Hinc facilè apparet, ſpem ſanationis integræ vix ullam ſupereſſe: enormes enim illas evacuationes compeſcere non poteſt Medicus: nec prodeſſet multùm, ſi poſſet; cùm retenta hæc materia in viſceribus, & morâ pejor redderetur, & tantò plùs eroderet viſcera, quantò diutius ibi hæreret. Diluentia, additis acidis, ſi putrida ſit atra-bilis; admiſtis alcalinis lenioribus vel acidum abſorbentibus, ſi acida acrimonia prædominetur, ſola ſunt, quæ emendando acrimoniam aliquid utilitatis adferre poſſunt. Ad enormes illas turbas, ab atra-bile mota in corpore excitatas, utcumque ſedandas, opium ſimul additur. Sic quandoque obtinetur, ut poſt enormes evacuationes ſemi-mortui tales ægri reviviſcant; ſed nimis labefactata ſunt viſcera, quàm ut integra ſanatio ſperari poſſit. Languidam vitam trahunt adhuc per aliquod tempus, & pereunt tabefactis viſceribus, vel immedicabili hydrope ſubſequente, exſtinguuntur. Unde *Hippocrates*, motam atram-bilem per epotum medicamentum in *Timocrate* deſcribens, dicit, poſt validas evacuationes & multos dolores illum dormiviſſe: (*a*) *In ſomno verò præſentibus nihil reſpirare, ſed mortuus eſſe conſpiciebatur, & nihil neque quid diceretur, neque quid ageretur ſentiebat. At diſtento ac rigido erat corpore: vixit tamen & excitatus eſt*; nullo autem modo dixit, quòd ſanatus fuerit. Videtur enim tantùm hujus ægri Hiſtoriam ſcripſiſſe, ut caverent Medici, ne imprudenter datis remediis purgantibus ægros ſubito diſcrimini exponerent, nec pro mortuis derelinquerent facilè, poſt ſummas evacuationes, debiliſſimos.

Satìs etiam intelligitur, omnia hæc tantùm locum habere in bile atra turgente, non verò ubi in leviori morbi gradu, prudenter, & ſenſim, ſoluta materies atrabilaria prodit, licèt magnâ copiâ: tunc enim non adeo magna acrimonia adeſt, & viſcerum integritas ſuperſtes ſperari poteſt.

§. 1107. Ex quibus (1090, ad 1107.) jam facilis intellectus melancholiæ deſcriptæ (1089), malíque hypochondriaci; nam liquet, à diuturna mœſtitia prægreſſa, vaſa viſcerum abdominalium ſtricta creare ſtagnationem, mutationem, accumulationem bilis atræ (1092. 1093. 1095. 1098. 1102. 1104.), ſenſim increſcentem, licèt corpus fuerit paulò antè quàm ſaluberrimum, iterúmque natam ex corporeis cauſis eamdem bilem atram producere illud delirium (1089).

Ad §. 1090, jam monebatur, melancholiam ortum ducere ab illa ſanguinis & humorum cacochymia, quam bilem atram vocaverunt veteres Medici, atque ab illa cacochymia præſente naſci pertinax illud delirium in his ægris. Sed ſimul notabatur, quòd idem illud delirium, à mutata cogitatione in mente initium ducens, aptum eſſe ut ſimilem cacochymiam ſanguini & humoribus induceret.

(*a*) Epidem. Lib. V. Text. II. Charter. Tom. IX. pag. 333.

Hâc autem paragrapho eadem repetuntur, tamquam confirmata per totam Historiam morbi hactenus traditam.

Si enim corpus saluberrimum fuerit, & tamen ita rerum humanarum vicissitudines se obtulerint homini, ut gravi & perpetuâ prematur mœstitiâ, melancholicus evadet brevì. Utì enim antea ad §. 1093, dictum fuit, sentiunt tales homines, acsi torculari comprimerentur præcordia, & grave veluti pondus incumberet, quod frequentibus suspiriis, imo de pectore ductis, removere conantur. Verùm illud designat, utì tunc dictum fuit, sic stringi vasa abdominalia, ut liber transitus humorum per illa impediatur: sequetur ergo stagnatio, vel saltem difficilior transitus per extremas vasorum angustias, liquidiora transibunt, crassiora hærere incipient, & pergentibus iisdem caussis magìs magísque accumulabuntur; unde nascetur morbus hypochondriacus (vide §. 1098.) cum materie, quæ diu ibi hærens, & ipsa morâ acrior reddita, degenerabit in bilem atram (vide §. 1102.).

Causa ergo præcipua hujus morbi pendet ab infarctu tenacis & immeabilis sanguinis in vasis viscerum abdominalium. Verùm ad §. 107, demonstratum fuit, obstructionem sive obturationem canalis fieri ob excessum molis transituræ supra capacitatem vasis transmissuri: sive ergo per tristes & validos animi affectus sic constricta fuerint vasa, ut multùm minuatur eorumdem capacitas, sive aucta fuerit spissitudo humoris per vasa transmittendi, ut difficiliùs transire possit, & in ultimis vasorum extremis hærere incipiat, effectus idem sequetur. Adeóque si quavis de causa fluidissima sanguinis pars ablata fuerit, & reliqua crassiora ac immobiliora uniri ceperint, producetur humor melancholicus; qui sensim incipiet hærere in vasis hypochondriacis (vide §. 1098.), ibíque accumulari, & eumdem morbum producere.

Ubi verò animi mœror diuturnus concurrit cum atrabilaria sanguinis spissitudine, tunc pessima nascitur melancholia, & augetur subitò morbus, quia & stricta vasa sunt, & sanguis spissior.

§. 1108. EVIDENTES ergo causæ melancholiæ (1089) observatæ sunt: 1°. Omnia, quæ liquida cerebri nervosa figunt, exhauriunt, perturbant; ut summi terrores, iíque subitanei, studia acerrima cujuscumque objecti, amor ingens, vigiliæ, solitudo, metus, affectio hysterica. 2°. Quæ sanguinis confectionem, refectionem, circulationem, secretionem, excretionem variam, impediunt, perturbant, maximè in liene, stomacho, omento, pancreate, meseræo, intestinis, hepate, utero, hæmorrhoidalibus vasis; adeóque morbus hypochondriacus, acuti malè sanati, præprimis phrenitis, causúsque, omnes secretiones & excretiones nimiæ, cibi potúsque frigidi, terrestres, tenaces, acerbi, adstringentes, æstus ingens diu protractus & exassans cruorem, aer stagnans, palustris, umbrosus. 3°. Nativa corporis indoles, nigra, hirsuta, sicca, gracilis, mascula, ætas media, ingenium acre, penetrans, altum.

Antea ad §. 1093, dictum fuit de causis illis, per quas mobiliora sanguinis dissipantur, & residuum spissius redditum degenerat in humorem atrabilarium dictum, sive succum melancholicum. Cùm autem ad §. 1090, notatum fuerit, talem sanguinis cacochymiam producere quidem hunc morbum, verùm etiam à mente morbum hunc initium ducere quandoque, & tunc humores antea sanos in similem cacochymiam degenerare; ideo recapitulando hîc illæ causæ denuo recensentur, quæ hunc morbum producere aptæ sunt; cùm autem de plerisque jam dictum fuerit, sufficiet paucis agere de reliquis.

1. Ex definitione melancholiæ §. 1089, patuit, tales ægros uni & eidem cogitationi pertinaciter inhærere; adeóque omnia, quæ liquida cerebri nervosa figunt, sícque eamdem sensorii communis conditionem diu perennare faciunt, apta sunt huic morbo producendo. Illa pariter, quæ exhauriunt copiam liquidi nervosi, dissipatâ tenuissimâ liquidorum nostrorum parte, idem efficere poterunt. Verùm ingens & subita turbatio mentis per terrorem summum imprimit sensorio communi tam fortiter novam ideam, ut sæpe nullo modo postea deleri possit; tunc miseri tales nil cogitant nisi hoc unicum, etiam inviti & obluctantes, atque in pessimam melancholiam incidunt. Vidi hoc in muliere, quæ subitò de nocte perterrita, dum fures fenestram cubiculi effringere moliebantur, semper ac ubique metuebat insidias, & in primo somni limine cum summo terrore evigilabat, licèt novisset domesticos excubias agere singulis noctibus: nunquam potuit deleri ille terror, inprimis circa vesperam; tunc enim incipiebat tremere, pallescere, undique circumspicere, insidias metuens, sícque brevì in pertinacissimam melancholiam incidit. Idem efficiunt, utì antea dictum fuit, acerrima studia, quæ mentem uni & eidem cogitationi diu affixam retinent; & præ reliquis ingens amor, qui noctes diésque præsens menti sistit idem objectum, unde amare & sapere nequidem *Jovi* concessum esse dicitur. Verùm ab hac causa dum nascitur melancholia, etiam ad magnum gradum evecta, sanatur sæpe citò & feliciter, si amato liceat potiri objecto. *Aretæus* refert, (*a*) *Quempiam insanabiliter se habentem, quum puellam deperiret, Medicis nihil proficientibus*, potitum amatâ puellâ, ab amore Medico sanatum fuisse.

De vigiliis & metu, tamquam hujus morbi causis, pariter antea dictum fuit. Solitudo autem facit, ut nullâ varietate objectorum, nullis amicorum colloquiis, distrahantur melancholici ab illa cogitatione, cui fixa mens inhæret; unde morbus augetur, imò solitudinis amor signum dat nati jam in corpore humoris atrabilarii, utì ad §. 1094, dictum fuit. Cùm autem hystericæ validissimis animi affectionibus obnoxiæ sint, & quidem ob causas levissimas, magníque animi motus huic morbo producendo faveant (vide §. 1093.); patet, meritò affectionem hystericam causis melancholiæ adnumerari. Accedit, quòd hystericæ mulieres tempore paroxysmi incredibilem quandoque copiam urinæ tenuis aquosæ excernant, qualis urinæ profluvium *Syden-*

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. v. pag. 30. 31.

hamus pro signo (*a*) pathognomonico hujus affectionis habuit. In aliis observavit copiosæ (*b*) salivæ tenuis excretionem; vel & (*c*) sudores nocturnos. Verùm evacuationibus talibus tenuissimæ partis sanguinis producitur humor atrabilarius, utì ad §. 1092, dictum fuit.

2. In hoc morbo sanguis à naturali sua conditione degenerat, spissus, tenax, minùs meabilis per angusta vasa, redditur; adeóque omnia illa, quæ debitam sanguinis confectionem, vel refectionem partis subtilioris, per secretiones & excretiones perditæ, impediunt, possunt huic morbo originem dare. Omnia enim, quæ secernuntur vel excernuntur de sanguine, tenuiora sunt ipso sanguine, à quo separantur, illo saltem tempore, dum secretio fit, licèt postea morâ, resorptione liquidi tenuioris per venas, calore ipso corporis, inspissentur, ut in muco narium ac faucium, semine, &c, observatur. Ob hanc rationem vita sedentaria inter causas melancholiæ antea numerata fuit, quia tunc minùs actuosa fit humorum circulatio, & inprimis per viscera abdominalia, utì antea probatum fuit. Nam, licèt corporis quies & torpor noceat generaliter, tamen primæ ejus noxæ solent in visceribus primæ coctionis sive chylopoieticis observari; dum languet appetitus, ructus & flatus oriuntur, digestio minùs feliciter succedit, alvus fit tardior. Ubì jam degener à sana indole sanguis, in atrabilariam spissitudinem vergens, viscera in textu recensita occupare incipit, tunc adest secundus melancholiæ gradus, de quo §. 1098, dictum fuit.

Talem autem sanguinis degenerationem facit *Morbus Hypochondriacus*; quo nomine intelligitur idem illud malum in viris, quod in fœminis vocatur affectio hysterica, de qua statim dictum fuit. Non enim intelligitur hoc loco ille morbus hypochondriacus, de quo §. 1098, mentio facta fuit, qui accumulatam jam in visceribus abdominalibus saburram atrabilariam supponit; sed idem perfectè affectus, ac est hysterica passio. Unde & distinctionis causâ, posset dici morbus hypochondriacus sine materie, qui melancholiæ producendæ favet ob subitas excretiones liquidissimæ partis sanguinis, & ob spasmos frequentes flatuosásque distentiones ventriculi & intestinorum, quæ liberam humorum circumductionem per hæc viscera multùm turbant.

Cùm autem in morbis acutis, præcipuè in causo, sive in febre ardenti, ingens calor adsit, & per illum liquidissima de sanguine dissipentur, reliqua massa densetur (vide §. 698.), nisi solventibus remediis, & inprimis justo moderamine impetûs febrilis (vide §. 609.) attenuetur ille lentor spissioris jam cruoris, defervescente morbo acuto, languet æger diu, & in chronicos morbos difficiles incidit. Phrenitis autem, præter illas noxas, quas cum aliis omnibus morbis acutis communes habet simul depravationem inducit idearum sensilium, sensuum internorum, rationis & affectuum (vide §. 773.); adeóque, ubi malè sanata fuit, delirium sæpe manet sine febre, imò quandoque, utì & melancholia, in maniam abit (vide §. 774.): ideóque dum in chronicum morbum desinit, melancholiæ producendæ magis favere videtur, quàm reliqui morbi acuti.

(*a*) Dissertat. Epistol. ubi de Hyster. pag. 491. 492.

(*b*) Ibid. pag. 500. 501.

(*c*) Ibid. pag. 501.

De

De secretionibus & excretionibus nimiis, quatenus dissipatâ sanguinis parte mobilissimâ hunc morbum producere possunt, jam dictum est: similiter de noxis ciborum ac potuum, & æstu diuturno exassante cruorem ad §. 1093, actum fuit.

AER STAGNANS, PALUSTRIS, UMBROSUS. Quantam alacritatem corpori & menti conciliet aer purus, campestris siccus, omnibus notum est; ídque inprimis experiuntur illi, qui totâ hyeme, fumosa in urbe latuerunt, & vernâ tempestate rus petentes purum, serenum, ventis perflatum, aerem hauriunt. Videmus sic petulcos saltare per virentia prata boves, dum hybernaculis relictis, verno tempore ad solita redeunt pascua. Illi, qui montana inhabitant loca, agiles, bene colorati, longævi observantur; dum è contrà depressis & uliginosis locis viventes plurimis vexantur morbis, satísque difficillibus, & lurido ac tristi vultu testantur insalubritatem loci, quem incolunt. Unde etiam scorbutus familiaris morbus est illis, qui in depressis & humidis locis vivunt, utì postea ad §. 1150, dicetur; ubi simul notatur, illos, qui melancholiæ obnoxii vivunt, in scorbutum vergere: ex quo patet hanc causam ad utriusque morbi productionem concurrere. Videtur idem observasse *Sanctorius*, dum dicit, (*a*) *Morbi à melancholia, & ab aere cœnoso, in hoc conveniunt, quòd immediatè oriantur à crassitudine perspirabilium retentorum: mœstitia enim intrinsecus impedit ne exeat crassum; aer cœnosus extrinsecus.* Præterea plurima signa §. 1094, recensita, quæ atrabilariam sanguinis cacochymiam denotant, observantur in illis hominibus, qui paludosa & depressa loca incolunt. Color enim pallidus, flavescens, maculæ in cute, torpor ad motus, mœstitia, &c, satìs communia sunt talibus, utì in integris militum cohortibus observatur, qui antea sanissimi coguntur in similibus locis stationem figere.

3. Dictum fuit §. 1092, dum mobiliora dissipantur de sanguine, quòd tunc fiat crassus, ater, pinguis, terrestris, & induat cacochymiam atrabilariam. Verùm antea ad §. 52, ubi *De morbis viscerum fortium & rigidorum* agebatur, probatum fuit, à nimia vasorum rigiditate arctari illorum cava, liquidissima exprimi, majorem simul fieri resistentiam fluidis per vasa motis. Ubi ergo nativa talis corporis indoles est, ut vasa densa sint & contracta, necessariò sequitur dispositio ad hunc morbum, túncque dicitur adesse temperies melancholica. In talibus hominibus adest, (*b*) *Macilentia ingens siccitas magna, color ubique maximè niger qui in tali ratione cernitur.* Quia autem liquida densa, tenacia, fluunt per vasa magìs constricta, adeóque plùs resistentia, hinc facilis obstructio, inprimis in visceribus abdominalibus, ubi difficilior est sanguinis per vasa transitus, utì antea dictum fuit. At cùm, cæteris paribus, corpus virile firmiores habeat partes solidas, quàm corpus fœmininum, hinc etiam melancholia frequentiùs viros afficit: inprimis verò ætate mediâ, ubi rerum agendarum curæ, familiæ sustentandæ solicitudo, ambitoi,

(*a*) De Static. Medicin. Sect. VII. Aphorism. XIV.

(*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 896. Confer. Trallian. Lib. I. Cap. XVI. pag. 100.

æmulorum invidia, &c, irrequietam mentem agitant perpetuò. In juniori ætate inter lusus & jocos amœnæ fluunt horæ, nec anxia de futuris solicitudo vexat nec adultioribus ante virilem ætatem melancholia contingere solet, nisi ingenti amore, aut libris impallescendo, sibi hunc morbum contraxerint. Senes verò, rerum humanarum vicissitudinibus & curis dudum assueti, minùs ab his afficiuntur, simúlque prudentiores se sensim arduis negotiis subtrahunt, & ultimam vitæ periodum tranquillo otio transigunt, omnibus ferè curis liberi.

Acri autem & penetranti ingenio præditi ideo frequenter in hunc morbum incidunt, quia vehementibus mentis exercitationibus apti, illis indulgent; sícque mobilissimam sanguinis partem consumunt. Videantur illa, quæ de hac re dicta fuerunt ad §. 1093, & 1094.

§. 1109. SI morbus hic (1089) diu perseverat, producit dementiam; epilepsiam; apoplexiam; maniam; convulsionem; cœcitatem; imaginationes mirificas; risus; ploratus; cantus; suspiria; ructus; flatus; anxietates; urinam copiosam, limpidam instar aquæ, alio tempore valde crassam; sanguineæ fæcis in vasis viscerum abdominalium retentionem, accumulationem; subitaneam sæpe excretionem; alvum pertinaciter stypticam; sputationem tenuem, frequentem; vigiliarum, inediæ, frigoris tolerantiam incredibilem.

Dum morbus hic diutius durat, necessariò in vasa hypochondriaca depellitur, atque omnia abdominis viscera occupat, utì ad §. 1098, dictum fuit. Verùm ibidem, & §. 701, ubi de delirio febrili agebatur, demonstratum fuit, à materia hærente circa præcordia miro modo turbari posse omnes encephali functiones, licèt causa materialis morbi non in capite hæreat; & hac materiâ excussâ, in integrum restitui cerebri functiones. Cùm autem in febribus biliosa, vel alia corrupta materia, circa præcordia hærens, satìs mobilis esse soleat, non adeo difficulter expellitur; in melancholicis verò piceâ tenacitate hæret, utì antea dictum fuit; unde & effectus inde producti pertinaciores esse solent.

Quandoque post diuturnos mœrores, & adhuc frequentiùs post summos furores incipiunt sedati esse, sed hebetes, obliviosi, puerorum instar ludicris nugis delectati, vivunt, nec sibi, nec aliis, ampliùs nocituri: tunc ille status vocatur *dementia*, quæ rarò curari solet, sed ad mortem usque tales ægri in eodem statu permanent.

Præterea variis modis encephali functiones turbari ab atra-bile posse, imò integre deleri lethali apoplexiâ, satìs constat ex illis, quæ in *Apoplexiæ* & *Epilepsiæ* Historia, utì etiam ad §. 1104, dicta fuerunt. Unde & *Hippocrates* notavit sequentia, (a) *Atrâ-bile vexati, morbo quoque comitiali corripi magna ex parte consuevêre; & morbo comitiali laborantes, atrâ-bile divexari.* Om-

(a) Epidem. Lib. VI. Sect. VIII. n°. LIV. Foes. Sect. VII. pag. 1201.

nium autem maximè hæc mala metuenda sunt, dum atra-bilis soluta & acrior reddita sanguini permista ad cerebrum venit: hinc & alibi notavit *Hippocrates* quòd melancholici, (*a*) *Siderantur manibus & pedibus, vocis impotentiâ tenentur, & leviter resolvuntur ab atra-bile.* Ideo etiam, dum tremores in hoc morbo incipiebant observari, (*b*) mali moris signum meritò credidit *Hippocrates*, quia notat, ad cerebrum deferri atram-bilem motam. Antea §. 1098, ex *Hippocrate* aphorismus citatus fuit, (*c*) qui hæc omnia confirmat. *Aretæus* pariter omnia hæc mala in diuturna melancholia metuenda esse monuit. Sic autem habet: (*d*) *Quòd si penitus totum corpus occupaverit, sensus, mentem, sanguinem, bilem, nervos etiam corripuerit, & ipsa insanabilis efficitur, & aliorum morborum corpori sobolem inserit, furoris, nervorum distentionis, resolutionisque, quæ, si à melancholia proveniunt, sanationem utique accipere nequeunt.*

De varietate delirii melancholici antea jam dictum fuit, & possent numerosa Exempla ex Historia Medica adduci: quidam enim crura straminea se habere credebant, alii caput abesse, nasum in proboscidem elongatum, &c; verùm hæc breviter tantùm monuisse sufficiet (*e*).

RUCTUS, FLATUS, ANXIETATES, &c. De ratione horum symptomatum dictum fuit §. 1099.

URINAM COPIOSAM, &c. Antea dictum fuit perturbato ob validum animi affectum systemate nervoso, in hystericis ac hypochondriacis urinam copiosam, instar aquæ puræ limpidam & tenuem excerni. Verùm ex modò dictis patuit, omnium nervorum originem miris modis in hoc morbo perturbari; adeóque minimè mirum erit, si sæpius talis urinæ profluvium contingat. Ubi autem illi spasmi remittunt, tunc crassior & contentis saturata urina emittitur, quia hactenus in sanguine retenta nunc per renes secernuntur.

SANGUINEÆ FÆCIS, &c. Ad §. 1098, dictum fuit, quare hæc atrabilaria sanguinis fæx in vasis viscerum abdominalium retineatur & accumuletur. Ad §. 1104, patuit, quomodo atra-bilis soluta & mota quandoque subitaneas tales, semper periculosas, evacuationes faciat. Pariter de pertinaci alvi obstructione ad §. 1099, dictum fuit.

SPUTATIONEM TENUEM ET FREQUENTEM. Hoc inprimis obtinet, dum per abdominalia viscera, humore tenaci atrabilario infarcta, impeditur libera circulatio, adeóque & secretio lymphæ intestinalis, succi pancreatici, & gastrici: cùm autem glandulæ salivales similem humorem à sanguine separent, ideo salivæ secretio augetur, continuò os madet, & frequens sputi tenuis excretio fit. Ob hanc causam melancholici vocantur *Sputatores*. Nocet autem frequens talis sputatio ut signum, & ut causa. Significat enim vasa abdominalium viscerum infarcta esse; simúlque copiosa talis tenuis sputi ex-

(*a*) De Morb. Lib. I. Cap. II. Charter. Tom. VII. pag. 533.

(*b*) Prædiction. Lib. I. Comment. I. n°. XIV. Charter. Tom. VIII. pag. 710. Confer. Coac. Prænot. n°. XCV. Ibid. pag. 857.

(*c*) Aphorism. Sect. VI. n°. LVI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 287.

(*d*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. V. pag. 125.

(*e*) Trallian. Lib. I. Cap. XVI. pag. 109.

cretio orbat ſanguinem liquidiore & mobiliore parte, adeóque morbum auget, utì ad §. 1093, dictum fuit.

VIGILIARUM, INEDIÆ, &c. Niſi certiſſima Obſervata hoc docerent, omnem fidem ſuperare videretur tolerantia frigoris, vigiliarum, inediarum in melancholicis; & omnium maximè, ubi jam maniaci evaſerunt. Vidi per plures ſeptimanas vigilaſſe perpetuò; rudiſſimâ hyeme anni quadrageſimi elapſi, nudos decubuiſſe in pavimento lapideo, cui pauculùm ſtraminis inſtratum erat, dum omnia veſtimenta, ſtragula, lectum, dilacerarent illico. Mulierem peſſimè melancholicam per ſex ſeptimanas omnem cibum conſtantiſſimè reſpuiſſe novi, pauculùm tantùm aquæ ſubinde hauriebat, unde tota exſucca & arida periit tandem. Numeroſæ tales Obſervationes paſſim apud Auctores leguntur.

§. 1110. ATTULIT ſæpe curationem ſuperveniens ſcabies fœda, aliquando elephantiaſin æmulans; aut varix numeroſa, ingens, enata; tumentium valde hæmorrhoidum fluxus, atræ-bilis per ſuperiora & inferiora rejectio.

Summi ſemper momenti eſt in morborum curationibus, utì antea jam ſæpius monitum fuit, attendere ad illa, quæ ſponte in morbis contingunt cum levamine: Ars enim ſic edocta conatur hæc imitari; vel ſaltem prudens Medicus inde diſcit, ne perverſâ medelâ impediat ſalubria hæc Naturæ, morbos ſanantis vel emendantis, conamina.

Obſervatum jam fuit, fœdam talem ſcabiem totam ferè ſuperficiem corporis deturpantem, profuiſſe melancholicis; & probè memini, me talem caſum vidiſſe in homine per plures annos jam hoc morbo laborante, in quo ulceroſa cutis cœpit plorare liquidum ichoroſum, quod in fœdas & denſas cruſtas concreſcens totam corporis ſuperficiem deturpabat. Ratio hujus rei videtur hæc eſſe: hactenus dicta docuerunt, atrabilariam materiem non tantùm peccare ſpiſſitudine, & piceâ tenacitate, ſed & ſimul huic tenacitati adhærere magnam acrimoniam, quæ minùs nocet, quamdiu ſic inviſcata manet. Verùm ubi, quacumque de cauſa ſolvitur atra-bilis, tunc illud acre, his nexibus liberum, humoribus circulantibus facilè miſceri poterit, & ſi magnâ copiâ ac impetu in quaſdam corporis partes adigatur, peſſima & immedicabilia mala producet, utì ad §. 1104, dictum fuit. Si autem ſenſim ſolvatur atra-bilis, ſenſim extricabitur illud acre, & lymphâ corporis dilutum ad emunctoria cutis pervenire poterit; cúmque minima illa vaſa acri ſtimulo irritet, non exhalabit per tranſpirationem inſenſibilem, ſed hærebit in vaſis minimis cutaneis, illa erodet, ſícque omnia hæc mala producet. Ita & videmus in aliis morbis materiem morboſam ad cutanea vaſa delatam illa obſtruere, inflammare, varias puſtulas & exanthemata in cute facere, quia, craſſior cùm ſit, vel hæret in vaſorum anguſtiis ultimis, vel acrior quandoque illa irritat & conſtringi facit. Hinc fortè quandoque febres varioloſæ ſine variolis contingunt, quando miaſma varioloſum ad cutis ſpiracula dela-

tum exit libere; ubi nempe mitior indoles contagii variolosi, humores diluti, & vasa cutanea laxa & facilè pervia sunt. Sic noverunt Medici, antequam miliaria exanthemata erumpant, inprimis alba, percipi odorem fracidum subacidulum, instar vappidi aceti: exhalat tunc pars materiæ morbosæ, quæ postea per moram ac febrim acrior reddita, majori copiâ ad cutis vasa delata retinetur, inprimis circa cutaneos folliculos, quos distentos morbosa lympha elevat in parvos & pellucidos tumores. Fortè etiam epidermis in pluribus locis à cute solvitur, & à collecto liquido in minimas tales bullulas elevatur. Quandoque enim minimæ tales sphærulæ ultra cutis superficiem eminent; frequentiùs dimidiâ quasi suî parte cuti immersæ manent.

Apud *Tulpium* habetur Observatio, quæ huc facere videtur. Imprudens Chirurgi tyro in puella dolorem dentium oleo vitrioli tollere conabatur; & malâ fortunâ copiam olei vitrioli ori infundebat, cujus pars per gulam descendit, & horrenda mala fecit. A summo hoc periculo plurimis remediis adhibitis erepta quidem fuit misera hæc virgo; sed acerrimi illius remedii pars, humoribus mista, in habitum corporis delata est, & in plurimis cutis locis cinereas crustas fœdáque excitavit ulcera, ita ut in tota cute (*a*) *Vix quidquam manserit ipsi vel glabrum, vel veteris pulchritudinis particeps.* Verùm §. 1105, monitum fuit, materiam atrabilariam expulsam de corpore quandoque habuisse talem acrimoniam acidam, ut metalla roderet, & cum terrestribus ebulliret: non ergo mirum videri poterit, si ad cutim delatum illud acre similia præstiterit.

Utì jam acre illud, solutâ materiâ atrabilariâ, ad cutim delatum levamen morbi facere solet, sic pariter spissior pars quandoque colligitur in venis, illas distendit immaniter, & varicosos tumores facit. In illo homine, quem vidi à melancholia pessimo tali morbo cutaneo corruptum, simul observavi numerosas & magnas varices in cruribus. Licèt enim tenax illa materia atrabilaria sic soluta fuerit, ut cum humoribus circulantibus per arteriarum sanguinearum ultimos fines transeat in venas, tamen adhuc pristinam indolem retinet, & moleculæ divisæ, dum transeunt per ultimas arteriarum angustias, in venas latiores confluunt, ubi denuo uniri possunt, inprimis si tardior fuerit sanguinis motus: túncque præcipuè atrabilarius talis sanguis colligitur in venis adscendentibus ab extremis inferioribus corporis, quia ibi contra gravitatis nixum sanguis versùs cor movetur: venæ enim, tenuiores tunicas cùm habeant, longè minùs contractiles sunt arteriis, & faciliùs distenduntur: unde etiam vel contiguæ sunt venæ arteriis, vel musculis agilissimis accumbunt, ut per diastolen arteriarum, & muscularem actionem, promoveatur sanguinis motus per eas; cui rei & valvulæ, impedientes retrogressum sanguinis à latiore parte venæ versùs angustiorem, inserviunt. Si jam & motus sanguinis per arterias tardior fuerit, & quiescant ægri, venæ, inprimis artuum inferiorum, dilatantur ac varicosæ fiunt, sícque magnam copiam atrabilarii sanguinis capere possunt. Meliùs se habent quidem inde melancholici, quia viscera abdominalia levantur hâc saburrâ, sed interim tamen ab

(*a*) Observat. Medic. Lib. III. Cap. XLIII. pag. 258.

his varicibus sæpe pertinacissima crurum ulcera oriuntur: unde longè magìs optabilis est materiæ atrabilariæ expulsio è corpore, modò tutò fieri possit, inprimis per hæmorrhoides. Hinc *Hippocrates* dixit, (*a*) *Insanientibus* (Maniacis) *si varices aut hæmorrhoides accesserint, insaniæ* (maniæ) *solutio.* Et *Galenus* (*b*), dum hunc aphorismum commentatur, monet, *Hippocratem* hîc agere de insania melancholica, non autem de aliis maniæ speciebus.

Per hæmorrhoidalia autem vasa aperta directè materies atrabilaria evacuari potest ex locis quæ occupat, unde summum & subitum levamen in hoc morbo sequi solet. Hinc dixit *Hippocrates* quòd (*c*) *Atræ-bilis adsimile hæmorroides effundunt.* Et *Galenus* in Commentariis ad hunc locum notat, multos, quòd (*d*) *Hæmorrhois suppressa sit, in melancholiam incidisse.* Verùm additur in textu, quòd inprimis prosit fluxus tumentium admodum hæmorrhoidum, quia tunc constat, materiam atrabilariam, in his vasis priùs accumulatam, illa distendisse; & deinde, ruptis vasis, exivisse de corpore. Observatur enim & salubris hæmorrhoidum fluxus, dum tantùm minuitur copia sanguinis boni, non autem evacuatur noxia saburra, quod & *Galenus* (*e*) optimè notavit: sed tunc plerumque minùs turgent hæmorrhoides antequam rumpantur, quia faciliùs exit purus sanguis, quàm ille, qui atrabilariam spissitudinem habet.

ATRA-BILIS PER SUPERIORA, &c. Quando nempe soluta & mobilis redditur materies atrabilaria per has vias exit de corpore, antequam magnam acrimoniam adepta fuerit: aliter enim, utì ad §. 1104, dictum fuit, subitam mortem, corruptis jam visceribus, producit, non medelam. Hanc jam evacuationem materiæ atrabilariæ, sponte ortam, cùm viderent Medici profuisse, tentaverunt per Artem hoc imitari. Veteres dederunt helleborum, nigrum inprimis (*f*), aliáque, quæ satìs fortiter movent & evacuant. Tunc autem hæc prodesse poterunt, quando per Methodum §. 1101, laudatam correcta fuit acrimonia materiæ atrabilariæ, ejúsque tenacitas jam imminuta est; secus enim acria purgantia periculo non carent, utì sequenti paragrapho dicetur.

§. 1111. INGENS damnum capere solet ab omni medela labefactante vires; acriter evacuante; rursúmque ab usu eorum, quæ liquida vehementer exagitant, sive cardiaca fuerint, sive alio quocumque titulo exhibita.

Cùm in melancholia sanguis crassus, ater, pinguis, terrestris sit (vide §. 1092.) multi Medici fuerunt in hac opinione, per repetitas sanguinis missiones debere educi vitiosum sanguinem; simúlque sperârunt, ex ingestis ali-

(*a*) Aphorism. Sect. VI. n°. XXI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 260.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Epidem. Lib. VI. Comment. V. text. XXV. Charter. Tom. IX. pag. 531.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Aretæ. de Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. V. pag. 124. Confer. Trallian. Lib. I. Cap. XVI. pag. 112. 113.

mentis restitui posse facilè sanguinem bonum, unde hâc Methodo hunc morbum aggrediebantur. Quamdiu autem cacochymia atrabilaria omnem circumeuntem humorem æqualiter inficit, nondúmque visceribus impacta immobilis hæret, videtur aliquâ ratione niti hæc Methodus. Verùm si consideretur, eductâ etiam magnâ copiâ sanguinis atrabilarii, non minui causas, quæ hanc cacochymiam produxerunt, patet satìs justum metum esse, ne novus ex ingestis alimentis natus sanguis simili labe afficiatur. Præterea patuit ex illis, quæ ad §. 1094, dicta fuerunt, secretiones & excretiones vitiari in corpore, pulsum & respirationem lentiora esse, corpus emaciari; adeóque constat, non sufficere vires corporis ad restituenda illa, quæ inevitabili lege etiam in sanissimis corporibus quotidie pereunt: multò minùs ergo aptum erit corpus atrabilarium tantam sanguinis jacturam resarcire. Accedit, quòd & ipsa jactura sanguinis impediat assimilationem bonam ingestorum, utì aliâ occasione §. 25, n°. 1, probatum fuit. Hinc prudenter monuit *Aretæus*, in cura hujus morbi maturo consilio deliberandum esse, an sanguinis missione opus sit, nec-ne: deinde addit sequentia: (*a*) *Paulùm sanguinis mittendum quatenus videlicet venæ-sectionem vires sentiant, sed nullam noxam earum tenor accipiat: nam etsi crassus & biliosus & concretus & ater qualis amurca sanguis est, nihilominus ipse Naturæ prædium est atque alimentum: quocirca si plùs quàm decet sanguinis effuderis, Natura cibi penuriâ de propria sede delabitur.* Ubi verò materies atrabilaria vasis & visceribus abdominalibus jam hæret impacta, tunc adhuc minùs prodesse potest sanguinis missio, quia nihil illius crassi educitur, sed tantùm minuitur copia sanguinis, qui in macilentis & exsuccis illis corporibus adhuc libere per vasa circumduci poterat.

Quantùm mali metuendum sit à reliquis evacuationibus per purgantia, vomitoria, &c, utì etiam à stimulantibus & solventibus validis, antea ad §. 1100, dictum fuit.

§. 1112. UNDE optima sanandi hunc morbum Methodus, est si causa prima bene observata, & temperiei varietate, his opposita medela, variis varia, adhibetur.

Ad §. 1093, variæ causæ enumeratæ sunt, quæ huic morbo producendo favent: hæ ad §. 1108, denuo recensitæ & ad tres classes redactæ fuerunt, ut nempe in harum indagatione memoria Medici juvetur. Nunc in curatione primò illud agendum est, ut causæ cognitæ, quæ morbum fecerunt, morbúmque præsentem sustinent & augent, removeantur, vel saltem minuantur. Si v. gr; à malo victu ortum duxerit morbus, ille erit emendandus, si à pertinaci animi affectu, vitanda sunt omnia, quæ illum renovare poterunt; & sic de reliquis. Præterea antè monitum fuit ad §. 1105, diversam acrimoniæ speciem quandoque jungi tenaci atrabilario sanguini, adeóque requiri medelam, quæ cognitam acrimoniam emendare possit. Patet ergo

(*a*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. v. pag. 124.

facilè generalem curandi Methodum dari non posse, sed illam debere esse variam pro diversitate causarum, vario morbi gradu, & ipsius ægri diversâ constitutione. Præcipuæ autem indicationes curatoriæ quatuor sequentibus paragraphis recensentur.

§. 1113. 1. ITAQUE erit indicatio liquida cerebri & nervorum excitare, augere, in ordinem redigere; quod fit: α. Avertendo mentem ab objecto consueto ad alia priori contraria. β. Inducendo cautè alium animi affectum, melancholico oppositum. γ. Inserviendo falsæ imaginationi. δ. Aut sæpe magnâ vi ei pugnando.

Dictum fuit §. 1092, morbum hunc ortum ducere ab atra-bile, ita tamen ut & pertinax illud delirium à sola cogitatione mutata initium ducens, producat in corpore atram-bilem, quæ non præexstiterat; adeóque semper proderit in cura hujus morbi mutare cogitationem ægrorum, ne semper uni & eidem ideæ affixi hæreant. Quámvis enim ab atra-bile accumulata in corpore morbus ortum duxerit, augebitur illa saburra atrabilaria, si mens pertinaciter & diu eidem cogitationi inhæserit; cùm vehemens mentis exercitatio, circa unum & idem objectum perpetuò occupata, sufficiat ad generandam atram-bilem in corpore, utì ad §. 1093, monitum fuit: hoc autem fit inprimis sequentibus.

α. Dum eadem idea menti perpetuò observatur, tandem totam mentem adeo occupat, ut sit indelebilis postea, inprimis si sæpius renovatur eadem hæc idea. Hinc dum magnanimi cæteroquin Viri atrocem contumeliam passi fuerunt, manet ira memor, & dum vel nomen audiunt illius qui injuriam fecit, mox turbantur toti. Ubi jam rei familiaris damnum, vel muneris jactura, continuò menti præsentem sistunt tot malorum causam, mens nihil cogitat, nisi hoc unicum, & à reliquis omnibus non afficitur, unde toties pertinacissima melancholia nascitur. Et contrà novimus, plurima dilabi ex memoria nostra, si per plures annos non renovantur ideæ, licèt antea vividissimæ fuerint; vel saltem, si longo temporis intervallo non redierint, minùs nos afficere. Qui chara amiserunt pignora, primis diebus affliguntur validissimè, simulac aliquid in conspectum venerit, quod defunctorum memoriam renovet: post aliquot menses eadem conspecta minùs afficient. Ob hanc causam perpetua mutatio objectorum adeo prodest melancholicis, quæ omnium pulcherrimè per itinera suscepta obtineri potest, ubi omni momento nova sensibus occurrunt etiam nolenti homini. Prudenter autem hoc tentandum est: morosi enim solent esse melancholici, nolúntque sæpe hæc oblectamenta pati, si tamquam morbi remedium proponantur, unde alia sub specie offerri debent. Multùm hanc Methodum commendat (a) *Aurelianus*, & varios modos recenset, per quos tentavit melancholicorum mentem divertere ab illa cogitatione, quæ semper præsens manebat.

(a) Morbor. Chronic. Lib. I. Cap. v. pag. 332. 333.

Observata

Observata plurima docent, quandoque melancholicos circa unam tantùm ideam insanire, dum crura straminea, caput vitreum, & alia similia sibi imaginantur; in reliquis omnibus prudentissimè ratiocinantur: si ergo vitari possit in his, ut nulla mentio fiat crurum capitísve, sapient, & sensim delebitur efficacia illius falsæ imaginationis.

β. Quantùm conducat, opposito animi affectu compescere turbas in corpore excitatas, aliâ occasione ad §. 104, dictum fuit. Summâ irâ excandescentem hominem subitus metus compescit; & contrà meticulosissimum hominem ira reddit audacem. Unde patet, prudentem excitationem animi affectûs, qui est oppositus illi in quem vergunt melancholici, magni usûs esse posse. Legitur apud *Plutarchum* (*a*), quòd quodam tempore *Milesiæ* virgines insanire cœperint, & violentas sibi intulerint manus: nullis movebantur parentum lacrymis, & custodum industriam eludebant; nec inveniebatur tantæ calamitati remedium. Postquam verò lex promulgata fuerat, qui jubebat, ut cadavera illarum, quæ sibi suspendio mortem conscivissent, nuda per forum deferrentur, metus dedecoris, licèt post mortem futuri, impedivit reliquas, ne simile scelus patrarent. Dum *Patrocli* mortem doleret *Achilles*, insomnésque noctes duceret, & nil nisi vindictam spirans, *Hectoris* cadaver indignis tractaret modis, ut tantum furorem compesceret, mater *Thetys*, (*b*) blandos immiti filio suasit amores, sícque obtinuit facilè, ut *Hectoris* cadaver traderet dona ferentibus. Addebat quidem, iratos Deos indignum hoc facinus detestari; sed probè noverat, ferocem hunc animum solo metu non fuisse compescendum; hinc maluit primò delinire amorum illecebris.

γ. Quandoque expedit ad curationem, ut simulet Medicus se assentiri omnino falsis melancholicorum imaginationibus; inprimis quando ægri, firmissimè persuasi, nullo patiuntur ratiocinio sibi evelli, quam conceperunt, opinionem. *Celsus* in loco, quem antea ad §. 702, allegavi, postquam monuerat, tentandum esse in delirantibus, ut oppositi excitentur animi affectus, deinde addit, (*c*) *Sæpius tamen assentiendum, quàm repugnandum est: paulatímque & non evidenter, ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora mens adducenda.* Similem Methodum, sed cum cautela quadam laudavit *Aurelianus* dicens, (*d*) *Mandandum quoque ministris, ut eorum errores quodam consensu accipientes corrigant, ne aut omnibus consentiendo augeant furorem, eorum visa confirmantes, aut rursum repugnando asperent passionis augmentum; sed inductivè nunc indulgeant consentientes, nunc insinuando corrigant vana, recta demonstrantes.* Omnium autem felicissimè hoc succedit, si Medicus assentiens falsæ imaginationi simul persuadere possit ægris, se novisse talia remedia, quæ certò tollere possunt malum, quo se affligi credunt. Sic feliciter egregium Pictorem *Tulpius* sanavit, qui (*e*) *Imaginabatur sibi falsò cuncta corporis ossa adeo mollia ac flexibilia sibi esse, ut instar sequacis ceræ, facillimè in se com-*

(*a*) De Virtut. Mulier. Tom. II. pag. 249.
(*b*) Homer. Iliad. Lib. XXIV. vers. 130.
(*c*) De Medic. Lib. III, Cap. XVIII, pag. 151.
(*d*) Morbor. Chronicor. Lib. I. Cap. V. n°. CLVI. pag. 330.
(*e*) Observat. Medic. Lib. I. Cap. XVIII.

plicarentur, si vel minimùm illis inniteretur. Non adversabatur ægri imaginationi *Tulpius*, sed demonstrabat tantùm ingenioso huic viro, morbum hunc Medicis cognitum & descriptum fuisse, certámque promisit curam intra sex dies, modò vellet præceptis Medicis obtemperare; hâc tamen lege, ut triduo absoluto insisteret pedibus tantùm, nec vel latum unguem procederet; sexto autem die plenariam deambulandi potentiam haberet. Admittebat omnia æger, dum credebat Medicum persuasum esse de hac mollitie ossium, quia primo triduo tam solicitè prohibebat omnem gressum, ac si ossa nondum satìs firmata hunc motum non admitterent absque damno. In capitulo sequenti alium casum narrat, ubi similiter melancholicæ mulieri persuasit, per medicamenta exhibita expulsam fuisse molam viventem, quam se utero gerere credebat. Plures similes casus apud Observatores Medicos inveniuntur, qui docent, quanto cum fructu Medici sæpe indulserint falsæ ægrorum imaginationi.

δ. Dum in hoc morbo mens delirans uni & eidem ferè semper cogitationi affixa manet (vide §. 1089.) tam valida fit impressio talis ideæ in sensorio communi, ut non facilè deleri se patiatur, & superat multùm efficaciam idearum, quæ per sensus excitantur. Dum enim sibi persuasum habet melancholicus, crura esse straminea, licèt tangat dura ossa, licèt videat carnem, non tamen recedit à falsa hac opinione. Tentaverunt tunc Medici aliquando felici cum eventu excitare per causas subitas & validas novam ideam, quæ falsæ huic imaginationi directè opposita est, & tamen adeo efficax, ut illam superare possit. Sic apud *Trallianum* (*a*) legitur, quòd *Philodotus* Medicus curaverit hominem, qui se capite truncatum credebat quàm firmissimè, dum repentè plumbeum pileum ejus capiti imponeret, cujus grave pondus percipiens æger vanâ hâc imaginatione liberatus fuit. Dum eruditus Vir ex immodicis studiis in hunc morbum inciderat, credebat se habere crura vitrea, hinc nullo modo illis audebat insistere, sed de lecto ad focum deferebatur, cui totâ die assidebat. Ancilla, dum ligna adferebat foco alendo, ruditer illa projecit, unde territus herus, & cruribus suis vitreis metuens, illam acriter objurgavit: morosa ancilla, & herilis insaniæ pertæsa, ligno percussit rudiùs heri tibiam, unde acrem quidem dolorem sensit, sed simul iratissimus exsiliit, ut illatam hanc contumeliam ulcisceretur; paulò pòst, defervescente irâ, gavisus fuit se cruribus insistere posse, & deleta fuit de mente ejus vana hæc imaginatio. Docemur ergo cum prudentia tentari posse in hoc morbo curando talem Methodum, quæ directissimè repugnat delirio melancholico. Fuit homo satìs celebris apud Batavos insanientium curâ, qui hâc Methodo utebatur, & multos sanabat. Simulac delirarent, tractabat miseros ferarum instar, verberibus, catenis, perfusione aquæ frigidissimæ, fame, siti, &c. Dum mitescebant, omni modo blandiebatur illis, nihílque omnino negabat illarum rerum, quas desiderabant. Hoc modo effecit, ut metus verberum coerceret incipiens delirium, & tandem deleret vanas illas imaginationes: & contrà dum pacatum statum

(*a*) Lib. I. Cap. XVI. pag. 110.

mox sequebantur omnia, quæ placere ipsis poterant, felix sæpe successit curatio.

§. 1114. 2. OBSTRUCTIONES, vel causam, vel effectum, falsæ imaginationis, reserando, emolliendo, incidendo, stimulando, per aquas minerales, serum lactis, mulsam, decocta splachnica, hepatica, anthypochondriaca, aquas salibus lixiviosis vel compositis acutas, mercurialia laxanxia, vomitoria, motus, exercitia, equitationes, navigationes, uterina, aristolochica, hæmorrhoidalia evacuantia, balnea, litus, emplastra.

Omnia illa, quæ præcedenti paragrapho dicta fuerunt, tantùm serviunt delendæ illi ideæ, quæ delirium illud melancholicum comitatur, sed non tollunt materialem causam, bilem atram nempe, quæ, si manet in corpore, apta est, ut sublatæ cuidam falsæ imaginationi per præcedentes Methodos substituat novam æquè difficilem eradicatu. Unde dum priora tractantur, simul exhibenda sunt talia, quæ atram-bilem solvere & expellere possunt, sícque infarcta viscera liberare. Utì enim ad §. 1090, monitum fuit, atrabilaria illa saburra, priùs accumulata in corpore, producit illud delirium melancholicum; vel idem morbus, à mente incipiens, in corpore, antea sano, brevì producet atram-bilem, quæ deinde ad viscera abdominalia deposita (vide §. 1098.) pertinaces obstructiones faciet.

Quomodo autem atrabilaria illa tenacitas sanguinem inficiens solvi ac expelli de corpore possit, & per quæ remedia, ad §. 1097, dictum est. Simul etiam monitum fuit de cautelis necessariis in curatione, ubi atra-bilis jam in visceribus abdominalibus fixa hæserit. Hæc habentur ad §. 1101, & 1103, quæ hîc denuo summatim recensentur.

Totus enim curationis cardo in hoc vertitur, ut materies atrabilaria sensim soluta & mobilis reddatur, vasa sic laxentur, ut facilè demittere queant obstruens impactum: talia autem adhibeantur remedia ad hunc scopum, quæ cognitæ per sua signa acrimoniæ humoris atrabilarii adversentur. Aquæ minerales & diluendo & solvendo hîc magnum usum habent; omnium maximè si æstivis adhibeantur mensibus, postquam priùs verno tempore ægri usi fuerint sero lactis mellito, decocto cum *taraxaco*, *fumariâ*, *cichorio*, similibúsque splachnicis, hepaticis, anthypochondriacis dictis herbis: tunc enim emollita, & deliquescere incipiens, materies atrabilaria, feliciter sæpe eluitur de corpore per largum aquarum medicatarum potum. Omnium autem horum efficacia juvatur, dum corporis motu & equitatione inprimis concutiuntur pendula viscera abdominalia; sic enim feliciùs fundi solet atra-bilis. Ubi jam signa §. 1101, recensita docent materiam morbosam fluxilem redditam incipere moveri, tunc cautè expellenda est de corpore, ne festinando imprudenter sequantur illa mala, quæ ad §. 1104, descripta fuerunt. Navigatio

autem inprimis tunc commendatur non aſſuetis, quia miro modo à navis agitatione turbatur totum corpus etiam in ſanis hominibus; nauſea ſequitur & vomitus moleſtus, ac ſæpe diuturnus, per quem quandoque excuſſa fuit atrabilis, antea jam per ſolventia remedia ad exitum parata.

Ubi autem per plures menſes ſolventiſſimis remediis uſi fuerint tales ægri, nec tamen ſigna docuerint, ſolvi adhuc atram-bilem, tunc & alia tentant Medici cum prudentia: morâ enim diuturnâ pejor redditur morbi materia. Veteres Medici tunc adhibuerunt helleborum, quo ſummam fuſionem omnium humorum validámque evacuationem fecerunt, & ſæpe felici cum ſucceſſu, modò viſcera adhuc forent integra, nec ad magnam acrimoniam perducta eſſet atra-bilis. Recentiores, magnam efficaciam argenti vivi experti, illud adhibuerunt: omnium cautiſſimè fit, ſi leniora tententur unâ alterâve vice, dein per aliquot ſeptimanas ſolventia remedia dentur, & poſtea repetantur evacuantia.

Cùm autem & conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ hunc morbum augere poſſint, patet, quare uterina & ariſtolochica in hoc morbo curando pariter locum habeant; præcipuè cùm ex *Hippocratis* Obſervatione (vide §. 1098.) conſtiterit, atram-bilem quandoque (*a*) uterum obſidere. Quantùm autem proſit evacuatio per vaſa hæmorrhoidalia in hoc morbo, antè jam ſæpius dictum fuit. Unde ſimul patet ratio, quare balnea, litus, &c, emolliendo & laxando hæc vaſa uſum præſtare poſſint.

§. 1115. 3. SYMPTOMATA leniendo per venæ-ſectionem, immerſionem in aquam frigidam, carminantia, opiata.

Morbi ſymptomata quidem, debellato morbo, ſilent, adeóque primaria cura ad eradicandum morbum adhiberi debet; neque tamen illa ſemper poſſunt negligi, tam ob moleſtiam, quàm ob diuturnitatem. Si enim in morbis febrilibus, etiam acutis, adeóque citiùs finiendis, quandoque ſymptomata moleſta adeo occurrant, ut vix ferri ab ægro poſſint; vel & metuatur ne aliud gravius malum producant, atque ideo peculiari curâ indigeant, utì ad §. 620, dictum fuit; quantò magìs in melancholia, adeo diuturno & difficulter debellando morbo, idem verum erit. Præcipua autem talia ſymptomata in melancholicis ſunt, furores ſævi, flatus moleſti, anxietates intolerabiles, & pervigilia.

Furores illi levantur ſæpe, debilitatis viribus per ſanguinis miſſiones etiam largas; verùm cæteroquin ad morbi ipſius curam parùm faciunt, cùm de morbi materia, viſceribus abdominalibus impactâ, per hanc evacuationem nihil dematur; & ſedato furibundo hoc impetu, per copioſam ſanguinis evacuationem collapſæ langueant vires.

De immerſione in aquam frigidam, & præcipitatione in mare, dicetur paulò pòſt ad §. 1123, ubi de mania agetur.

Moleſti flatus, omnium frequentiſſimum ſymptoma, levantur omnium op-

(*a*) De Mulier. Morb. Lib. II. Cap. LVIII. Charter. Tom. VII. pag. 831.

timè per calida, aquofa, leniter aromatica remedia, carminantia dicta; de quibus videantur illa, quæ ad §. 650, habentur, ubi de cura ructuum & flatuum agebatur.

Anxietates & pervigilia opio dato tolli quidem folent pro tempore; verùm in hujus remedii exhibitione tamen prudentiâ opus eft. Semel enim experti melancholici levamen hoc, illo carere nolunt poftea, & fummas illas anxietates, ipsâ morte minùs tolerabiles, repetitis auctífque opii dofibus pellere conantur. Verùm opium hoc habet, ut folita quantitas affuetos non afficiat ampliùs, fed debeat augeri, ut defideratum præftet effectum: vidi fic melancholicos ad quindecim grana opium fumpfiffe unicâ vice; quod nifi exhiberetur, fibi ipfis violentas intuliffent manus præ intolerabili mœrore & anxietate. Cùm autem alvus in hoc morbo pertinaciffimè adftricta fit (vide §. 1099. 1109.), & opii ufus alvum fiftere foleat, ob hanc caufam opium minùs tutum videtur. Blanda emulfa cum fyrupo papaveris albi tutiùs dantur, & fæpe anxietates illas, ac pervigilia, minuunt; hinc illa priùs tentari debent. Quandoque tamen tanta eft horum fypmtomatum moleftia, ut cogantur Medici vefpertino tempore opium exhibere, dum interim illa, quæ ad referandas obftructiones præcedenti paragrapho laudata fuerunt, diurnis horis animosè adhibentur.

§. 1116. 4. PRÆMISSIS evacuationibus (1114. 1115.), exhibendo ea, quæ exhilarare docet Obfervatio, & roborare omnes corporis partes.

Poftquam atra-bilis abdominalia vifcera obfidens foluta & evacuata fuit; fæpe languent omnes vires; imò, utì in præcedentibus monitum fuit, quandoque in tantam debilitatem ægri incidunt, ut mortuis fimiles per aliquot horas jaceant; tunc gratis cardiacis opus eft, quæ collapfas vires erigunt. Præterea per tam longum tempus triftibus & anxiis cogitationibus affueta mens, licèt caufa materialis morbi fubducta fuerit de corpore, pergit adhuc fimiliter cogitare, & corporis infignem debilitatem animi dejectio comitari folet. Tunc omnia, quæ exhilarant, ufum habent: grata amicorum colloquia, lufus, objectorum continua varietas. Simul exhaufto corpori per bonum victum fubminiftrentur talia, quæ reftituere poffunt perdita. Inprimis autem tunc prodeft moderatus vini generofi ufus, quo nullum præftantius cardiacum habetur, nec majus exhilarans, cùm omnes curas filere faciat, omnem mœrorem leniat. Si jam vino frigido infundantur fragrantes herbæ, *meliffa*, *obrotanum*, *thymus*, *falvia*, *cortices citri*, *arantiorum*, *croci ftamina*, &c, habetur remedium, quod fubtiliffima effluvia odoratorum vegetabilium continet, & cujus paucæ unciæ bis vel ter de die fumptæ miro modo reficiunt & exhilarant.

Simul etiam notandum eft, vafa, tamdiu infarcta & diftenta materiâ immeabili, jam liberata collabi flaccida & inertia: his firmandis conducunt roborantia grata, vinum aufterum, cydonia mala, granatorum fuccus, cortex

Peruvianus, cinnamomum, & omnia illa, quæ §. 28, ad fibras debiles roborandas laudata fuerunt.

§. 1117. Ex quibus (1110, ad 1117.) liquet, sanationem hujus mali (1089) absolutam esse in curatione bilis atræ (1097. 1100. 1101. 1103. 1106.), atque inde peti debere non hanc modò, sed infinitorum, falsò pro incurabilibus habitorum, morborum.

Quàm difficile malum sit *melancholia*, §. 1089 definita, tota ejus Historia docuit; simúlque patuit, pertinax hoc malum tamen debellari posse, si per idoneam Methodum & bona remedia solvatur atra-bilis, & soluta educatur de corpore: quâ Methodo, quibus cum cautelis, hoc fieri debeat, numeris hîc citatis dictum fuit. Maximam curæ difficultatem sæpe facit ægrorum morositas, qui vix diu obedire volunt præceptis Medicis, cùm tamen rebellis morbus diuturnam curam postulet. Unde meritò *Hippocrates* monuit, in morbis curandis, non sufficere, ut Medicus faciat illa, quæ oportet; (a) *Sed & ægrotum, & externa præstò esse oportet.*

Simul patet, eâdem hâc Methodo plures alios morbos difficiles curari posse, dum obstruens nempe materia solvitur, soluta de corpore educitur, integris manentibus visceribus; & dein roborantibus ac cardiacis restituuntur vires. Videantur illa, quæ §. 1056, de causis & cura morborum chronicorum dicta fuerunt; ubi probatum fuit, illos nec ex origine adeo composita pendere, neque adeo multiplicem Medendi Methodum requirere.

(a) Aphorism. Sect. I. n°. 1. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 1.



MANIA.

§. 1118. SI melancholia (1082) eóusque increscit, ut tanta accedat agitatio liquidi cerebrosi, quâ in furorem agantur sævum, mania vocantur.

Mania ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι *furere, insanire*, nomen habet, & melancholiam diuturnam sequi solet, licèt & ab aliis causis quandoque oriatur, utì postea videbimus. Furor autem ille sævus, quo sibi & aliis nocere conantur tales ægri, distinguit maniam à melancholia, in qua tristes, morosi, anxii ægri quidem sunt, sed nondum in furorem aguntur. Distinguitur autem mania à feroci & perpetuo delirio phreniticorum, quòd phrenitidem febris acuta ac continua comitetur semper; maniaci verò febre careant. Quòd & pulchre notavit *Aretæus* maniæ definitionem ponens sequentem: (*a*) *Est enim ex toto mentis alienatio diuturna, vacans febri: etenim si febris quandoque conjungitur, id non ratione furoris propriè, sed alio quovis casu incidit.* Similia quoad maniæ diagnosin apud *Aurelianum* (*b*) leguntur. Notandum, quòd & in definitione maniæ notaverint morbi diuturnitatem, ut distingueretur ab ebriorum furoribus; atque etiam à ferocibus illis deliriis, quæ *Hyoscyamo, Solano furioso*, aliísque pluribus venenatis plantis assumptis (*c*) sequi solent: illa enim vel citâ morte finiuntur; vel, si Natura superare aut excutere potuerit venenum, sedantur pauco tempore. Aliam adhuc notam diagnosticam, maniam à phrenitide distinguentem, adducit *Aræteus*, quòd nempe (*d*) *Præcipua furoris & melancholiæ sedes viscera sunt; quemadmodum caput & sensus in phrenicicis plerumque laborant, in quibus vis sensoria oblæsa est; & quæ non adsunt, tamquam jam præsentia conspiciunt; & aliis non conspicua ipsorum sese oculis repræsentant: at furentes tantummodo vident, quæ videre oportet, sed de illis non sentiunt, ut sentiendum est.* Atra-bilis enim abdominalia viscera obsidet (§. 1102.); in vera phrenitide cerebrum primariò afficitur (§. 771.).

§. 1119. QUÆ gradu modò differt à melancholia; tristi hujus proles est, ex iisdem causis oritur, iisdem ferè remediis curari solet.

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VI. pag. 31.
(*b*) Morbor. Chronic. Lib. I. Cap. V. pag. 326.
(*c*) *Aretæ.* De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VI. pag. 31.
(*d*) Ibid. pag. 32.

Sponte ergo patet, maniam, à melancholia prægressa productam, esse eumdem morbum quoad materiam & quoad causas; tantùm differre furoris vehementiâ. Dictum enim fuit ad §. 1102, atram-bilem accumulari in visceribus abdominalibus, & dum ibi fixa hæret, augeri omnia symptomata, quæ comitabantur materiam atrabilariam adhuc æquabiliter per totum sanguinem dispersam. Ubi autem atra-bilis diu hæret visceribus impacta, morâ acrior & malignior redditur, túncque tenuiori & acriori parte per venas resorptâ, & cum sanguine ad cerebrum delatâ, poterit immanes illos furores producere; quin etiam idem contingere poterit, licèt nihil de atra-bile ad cerebrum venerit, sed fixa hærens in visceribus majorem malignitatis gradum acquisivit; utì probatum fuit ad §. 1102. Unde optimè *Trallianus* de diuturna melancholia agens, dixit, (*a*) *Inveteratus enim & veluti in Naturam conversus, incurabilis propemodum evadit: & tali morbo affecti non tantùm melancholiâ laborant, sed etiam per circuitus insaniunt. Nihil enim aliud est mania, quàm melancholiæ ad majorem feritatem intensio.* Tota ergo curatio maniæ, à melancholia prægressa ortæ, eadem est; adeóque jam tradita. Illa verò, quæ spectant ad curam maniæ ab aliis causis ortæ, postea singulatim dicentur.

§. 1120. IN quo morbo est ut plurimùm immensum robur musculorum, pervigilium incredibile, tolerantia inediæ & algoris mirabilis, imaginationes horrendæ, lycanthropiæ, cynanthropiæ, &c.

Sequitur jam, ut considerentur mirabilia illa symptomata, quæ in maniacis observari solent: ad quæ intelligenda conducent sequentia.

Antea ad §. 700, ubi *De delirio febrili* agebatur, notatum fuit, delirium adesse tunc, quando idearum ortus non respondent causis externis, sed ab interna cerebri dispositione mutata pendent, natâ præter voluntatis imperium. Simul ibidem dictum fuit, ideas sæpe comitari illud gratum, vel ingratum, quod inevitabili necessitate rapit totam mentem, ut illud gratum faciat perennare, ingratum verò removeat vel destruat. Sic oriuntur validissimi animi affectus, quos & enormes sæpe sequuntur corporis motus, per quos conatur homo illud displicens removere vel destruere, illud placens retinere. Videte hominem irâ subitâ & summâ correptum, quantum robur habeat, quanta cum audacia quævis pericula spernat. Si jam in maniaco delirante talis nascatur idea, quæ iram suscitat summam, incredibili musculorum robore quævis ferè obstacula superat, à pluribus robustis viris vix coerceri potest, & tantò magìs furit, quò majora sentit furoris sui impedimenta. Tunc tota mens non cogitat nisi solam hanc ideam, quæ tandem ferè inde-

(*a*) Lib. I, Cap. XVI, pag. 103.

lebilis

lebilis redditur. *Helmontius* pulchra habet circa maniam Obſervata, quæ hoc confirmant. Examinavit enim maniacos, qui reſipuerant poſtea, ſatis memores illorum, quæ ipſis contigerant illo tempore, dum incipiebant furere: fatebantur autem, (*a*) *Quòd nimirum ſpoliarentur primùm omni diſcurſûs conſecutione, ſéque manſiſſe in punctuali immerſione unius conceptûs, extra quem nil aliud cogitarent, cum mœrore, moleſtiâ & importunitate: cogitabant enim non ſecus ac ſi in ſpeculo illum ſemper conceptum fuiſſent intuiti. Imò nec ſciebant, ſe tum iſtud cogitare, vel ſuo conceptu ſic adſpicere, quamquam ſic immobiliter cogitarent, ut tandem ſub ingreſſum & dominium maniæ, ſi contigeret illos ſtare, ſtetiſſent per dies aliquot abſque laſſitudine, nec ſcirent ſe ſtare.* Longè autem validiùs afficitur tunc ſenſorium commune à tali idea, quàm ab ulla alia, quæ ſenſuum miniſterio menti offertur; atque ideo famem, ſitim, acerrimum frigus hyemale tolerant, ultrà quàm fieri poſſe quis crederet. Vidi maniacum omnia corporis integumenta laceraſſe, & nudum ſtramini incubuiſſe in loco lapidibus ſtrato, dum aſperrima ſæviebat hyems, per plures ſeptimanas; quandoque per octo dies omni cibo abſtinuiſſe, dein oblata quævis ingurgitaſſe avidiſſimè; imò & fœdiſſimo ſpectaculo proprias fæces alvinas devoraſſe, licèt optimi cibi ſuppeterent. Per plures ſeptimanas, noctes & dies pervigil horrendis clamoribus totam replebat viciniam; & tamen per plures annos ſupervixit, ſedato quidem furore, ſed fatuus, & omnium rerum immemor. Ubique locorum triſtia talia humanæ calamitatis ſpecimina in morodochiis occurrunt; & plura ſimilia apud *Foreſtum* (*b*) alióſque Auctores legi poterunt, ubi & miræ imaginationes enarrantur, quæ in hoc morbo laborantibus obſervatæ fuerunt, in ſingulis maniacis ferè diverſæ. Videntur autem veteres Medici quandoque pro varietate læſæ imaginationis maniæ aliud nomen indidiſſe; *Lycanthropiam, Cynanthropiam,* dum furibundi imitarentur canes vel lupos, & quandoque crederent ſe in hæc animalia mutatos eſſe. Hujus morbi deſcriptio legitur apud *Aetium* (*c*) ex *Marcello* deſumpta: dicit autem, Februario menſe illos noctu exire, in omnibus canes aut lupos imitari, & donec illuceſcat, mortuorum ſepulcra aperire. Optimè tamen notavit eruditiſſimus *Freindus*. (*d*), poſt *Gorræum*, legendum eſſe διάγουσι loco διανοίγουσι; cùm alii Auctores, qui hujus morbi mentionem fecerunt, nil dicant de ſepulcrorum apertura, ſed tantùm quòd tales maniaci inter mortuorum monumenta verſentur. Idem autem ulteriùs confirmat dæmoniacus ille, de quo legitur (*e*) in ſacris Literis, quòd in monumentis verſaretur die ac nocte, clamans, vincula rumpens, nudus, &c; nullâ pariter mentione factâ de ſepulcrorum apertura. Pallidos, ſiccis oculis & cavis, linguâ aridâ, ſiticuloſos deſcribunt veteres Medici fuiſſe tales ægros, & tibias exulceratas habuiſſe propter aſſiduos lapſus, & canum morſus; ſimúlque monuerunt, lycanthropiam eſſe melancholiæ ſpeciem. Ruſticum hâc maniæ ſpecie correptum vidit *Foreſtus* (*e*), qui verno tempore circa cæmeterium ver-

(*a*) Ort. Medicin. Tractat. *Demens Idea.* §. xxxix. pag. 226.

(*b*) Obſervat. & Curat. Medicinal. Lib. X. Obſerv. XX. Tom. I. pag. 431.

(*c*) Lib. VI. Cap. xi. pag. 104, verſâ. Confer. Charter. Tom. X. pag. 502. 503.

(*d*) Hiſtor. of Phyſik Tom. I. pag. 20.

(*e*) Marc. Cap. v. verſ. 3, & ſequ. Confer. Lucæ, Cap. viii. vers. 27.

ſabatur, & omnia illa ſigna habebat, quæ ex veteribus Medicis modò enumerata fuerunt.

§. 1121. NOTANDUM verò, Anatomicâ ſectione conſtitiſſe, horum cerebrum ſiccum, durum, friabile, in ſuo cortice flavum; vaſa autem turgentia, varicoſa, atro tenaci cruore diſtenta fuiſſe.

Conſtitit ex illis, quæ de melancholia dicta fuerunt, quòd poſſint deliria mira produci, licèt cauſa materialis circa præcordia hæreat, non autem in cerebro: attamen ad §. 1102, monitum fuit, materiæ atrabilariæ putrefactæ attenuatæ partem venis reſorberi, & inprimis cerebri functiones turbare. Præterea ad §. 1104, dictum fuit, atram-bilem, turgentem & motam, maniam peſſimi generis producere, ſi in cerebrum perrexerit; adeóque in mania, poſt melancholiam diuturnam nata, ſæpe obſidentur vaſa encephali ſimili materiâ, quæ, prout diverſis locis hæret, varias encephali functiones turbare vel & abolere poterit. Notavit *Hippocrates* quòd, (*a*) *In furioſis* (maniacis) *convulſio accedens diſſipationem* (amauroſin) *facit*, nervorum opticorum origine læsâ vel oppreſsâ per materiam atrabilariam. Imò videtur *Aurelianus* in curatione maniæ tentaſſe, ut impactam cerebri membranis hanc materiam ſolveret, dum dicit: (*b*) *Tunc etiam ſpongiis calidis oculi vaporandi, atque palpebrarum duritia relaxanda, quò etiam per oculos uſque ad cerebri membranas beneficium perveniat curationis.* Cadavera autem maniacorum aperta docuerunt, cerebrum ſæpe ſic mutatum fuiſſe, prout hîc in textu deſcribitur. Vidit hoc in maniaci cadavere celebris Cremonenſis Medicus *Ghiſus* (*c*). In cive Leodienſi melancholico, dein maniaco mortuo, invenit *Bonetus* (*d*) cerebrum ſicciſſimum, durum, in ſumma parte friabile, ad altitudinem digiti flavedine tinctum. Similes Obſervationes, quæ hoc confirmant, & alibi habet (*e*). Plures aliæ præternaturales mutationes in cadaveribus maniacorum deprehenſæ fuerunt: oſſa cranii denſiſſima & craſſa, ſuturas ferè deletas, meningem utramque induratam, cerebrum durius ſolitò, glandulam pituitariam parvam & admodum duram, invenit celeberrimus *Littrius* (*f*). Piam matrem ex viridi flaveſcentem, ferè ubique duplò craſſiorem durâ meninge, nulla vaſa conſpicua habentem, duram matrem calloſam mollioris cornu inſtar, inventam fuiſſe in hoc morbo alibi (*g*) legitur. Plura alia in Hiſtoria Medica habentur; ſed cùm hîc præcipuè agatur de illis, quæ in cadavere obſervata fuerunt, ubi mania poſt melancholiam ſecuta fuit, modò dicta ſufficient.

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCCLXXXV. Charter. Tom. VIII. pag. 880.
(*b*) Morbor. Chronic. Lib. I. Cap. V. n°. CLXI. pag. 332.
(*c*) Lettere mediche dell dottore Martino Ghiſi pag. 26.
(*d*) Sepulcret. ſeu Anat. Pract. Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. pag. 205.
(*e*) Ibid. pag. 221.
(*f*) Académ. des Scienc. Ann. 1705. Mémoir. pag. 47.
(*g*) Medical Eſſays Tom. IV. n°. XXVI. pag. 415.

§. 1122. TUM etiam in hoc morbo omnes excretiones ferè cessasse pariter.

Cùm hæc maniæ species melancholiam prægressam supponat, & demonstratum fuerit ad §. 1094, omnes secretiones & excretiones minui eò magìs, quò magìs accumulatur in sanguine illud spissum atrabilarium, patet ratio, quare in maniacis cessent ferè omnes excretiones, vel saltem fiant parcissimæ. Tales enim maniaci exsuccum aridúmque corpus habent, & sæpe pertinaciter cibum ac potum diu respuunt, unde nullâ salivâ os madescit, urina fit parcissima; cibi, si ingerantur, difficulter motu peristaltico promoventur per sicca intestina, bibulæ venæ omne resorbent liquidum, unde paucæ fæces alvinæ in crassis intestinis accumulantur, nec egeruntur, & ideo solet strictissima alvus in hoc casu esse.

§. 1123. PRÆCIPITATIO in mare, submersio in eo continuata, quamdiu ferri potest, princeps remedium est.

In cura melancholiæ, §. 1113, & sequentibus, commendabantur talia remedia, quæ solvendo, incidendo, stimulando, materiam atrabilariam, visceribus abdominalibus impactam, attenuare, & de corpore postea expellere valebant. Verùm præter illa etiam laudabantur alia, quæ illam ideam, circa quam delirium melancholicum versabatur, sensim mutare & tandem penitus delere poterant, vel saltem sic debilitare, ut sensorium commune non afficeretur inde validiùs quàm ab aliis ideis per sensus subministratis. Cùm enim melancholia, utì §. 1090, dictum fuit, à mente initium ducere possit, & brevì in corpore sano atram-bilem producere, patet satìs, eductâ hâc saburrâ de corpore, tamen superstitem manere posse illam mentis in sua cogitatione mutatæ conditionem, quæ atram-bilem nasci fecerat. Præterea si ab atra-bile, priùs natâ in sanguine, & in visceribus abdominalibus accumulatâ, delirium melancholicum productum fuit, poterit diuturnitate morbi tam vivida & efficax esse in sensorio communi hæc idea, ut maneat, licèt causa materialis morbi, atra-bilis nempe, expulsa fuerit de corpore. Præcipuè autem hoc continget in mania, quæ melancholiæ major gradus est, & in qua ob furorem validior perturbatio est sensorii communis. Hinc videmus, prudentes Medicos multa tentasse, ut præsentem illam conditionem mutarent, turbando totum corpus validis remediis. Hellebori, vomitoria antimoniata, mercurialia, &c, ad hunc scopum adhibita fuerunt; non adeo ut evacuando agerent, sed potiùs, ut turbato toto corpore, concussis omnibus visceribus & vasis, solutis omnibus humoribus, mutaretur præsens status, quo nullus miserior esse potest, dum, ferarum instar, vinculis, carcere, &c, coerceri maniaci debent, & ab hominum commercio secludi. His factis, si nondum succederet curatio, vel saltem mitigatio sævi furoris tentaverunt talia, quæ subtili fragrantiâ per omnia corporis loca penetrarent,

& sæpe cum felici successu. Moschi satìs audax dosis ad grana sedecim, vel viginti, profuit quandoque, utì etiam epilepticis, velut antea dictum fuit; & dum hæc scribo, in nobili juvene maniaco lætus vidi pulchrum moschi effectum. Post vomitorium antimoniatum manè & vesperì drachmam dimidiam camphoræ dedit pluribus maniacis Medicus Anglus, & curavit feliciter (*a*). Sponte autem patet, similia remedia tentari non posse in plethoricis & calidis corporibus, in quibus alia maniæ species quandoque observatur, utì § 1127, dicetur; quæ certè augetur à tali Methodo curandi. Verùm in plurimis maniacis collapsa vasa videmus, & corpus quandoque frigescere, inprimis artus inferiores: tales facilè hæc ferunt remedia, imò à validis etiam emeticis vix afficiuntur. Antimoniale emeticum in nobili muliere novemdecim annorum nullum vomitum fecit (*b*), sed duodecim horarum somnum, & quidem satìs profundum. Novi, data fuisse grana duodecim *mercurii vitæ* absque ullo effectu mulieri maniacæ, quæ sanitatis tempore à viginti granis *ypecacuanhæ* in vomitum enormem & hypercatharsin mota fuerat. Ex quibus omnibus patet, talem Methodum à prudenti Medico tentari posse.

Ubi autem incassum omnia hæc adhibita fuerunt, vel debet miser talis æger suo fato relinqui, vel extremum submersionis remedium adhiberi, ut deleantur, mortuo ferè sub aquis homine, omnes ideæ. Fructus, quem viderant Medici ab hac Methodo in cura hydrophobiæ, utì postea dicetur, videtur causa fuisse, quòd in desperatis maniacis idem tentaverint, & fortuiti casus docuerunt felicem eventum. Faber lignarius Antuerpiensis à terrore summo, dum horrenda spectra se vidisse noctu credebat, amens factus fuit; dúmque in curru vinctus ad alium locum veheretur, solutis sibi vinculis, curru exsiliit, in stagnum profundum est submersus, ac pro mortuo habitus in currum repositus. Revixit tamen, jam mentis compos, & per octodecim annos superstes fuit (*c*). Hoc Exemplo in spem erectus *Helmontius* tentavit submersionem in aliis maniacis; & testatur, nunquam defuisse successum, nisi quoties præcociter submersos ex aqua educeret, metuens ne suffocati interirent. Satìs enim diuturna submersionis mora requiritur, utì in sene hydrophobo præsens vidit *Helmontius* (*d*), quem vinctum funibus, & pondere pedibus adligato, submerserunt tamdiu, donec Psalmus *Miserere* integer recitari potuisset: dein aquis eductum hunc senem adhuc binis merserunt vicibus, sed minori temporis spatio sub aquis retinuerunt. Fatetur *Helmontius*, quòd mortuum jam crediderit: cùm tamen solutis vinculis haustam aquam marinam evomuit, ad se rediit, & postea sanus vixit. Plura alia Observata in eodem loco habentur, quæ docent, non tam citò mori submersos, ac vulgò creditur; de qua re etiam legi merentur illa,

(*a*) Act. Societ. Londin. n°. cccc. pag. 347. Abridg. Tom. VII. pag. 632, 633.
(*b*) Ibidem.

(*c*) Helmont. Ort. Medicin. Tractat. *Demens idea*, n°. XLIX. pag. 228. 229.
(*d*) Ibid. pag. 229.

quæ apud alios Auctores habentur (*a*); & probant, per plures horas submersos sub aquis homines tamen revixisse.

Videtur ergo adhiberi posse tale remedium in desperata mania, cùm absolutum vitæ periculum non adsit; ut nempe, deletis pro tempore omnibus ideis, dum nulla vitæ signa supersunt, tollatur & illa latens diathesis sensorii communis, quæ maniam fecit. Aliquando enim, (*b*) *Quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.* Simul etiam videtur patere, submersionem in mari non plùs prodesse quàm in alia aqua, cùm faber ille Antuerpiensis in stagno submersus convaluerit.

§. 1124. FRUSTRA tentatæ per omnia remedia, varix, hæmorrhois, dysenteria, hydrops, hæmorrhagia magna spontanea, febres tertianæ, quartanæve accedentes, salutaria fuerunt.

Utì jam sæpius in aliis morbis antea pertractatis dictum fuit, semper attendendum est ad illa, quæ sponte in morbis contingunt, & levamen vel integram curationem adferunt, ut Medicus hæc conetur imitari per Artem; vel saltem caveat, ne turbet aut impediat Naturæ, morbos curantis, salubria hæc molimina. Observatio autem docuit, maniacis profuisse sequentia, dum nullis etiam remediis cedebat morbus.

VARIX, HÆMORRHOIS. Quantùm boni inde in melancholicis sperare liceat, antea ad §. 1110, dictum fuit. Cùm autem mania à melancholia tristi gradu tantùm differat, patet, eadem & maniacis profutura. Dum enim atrabilaria fæx per metastasin in venis artuum inferiorum accumulatur, vel per hæmorrhoides fluentes subducitur de corpore, liberantur viscera abdominalia gravante hâc saburrâ, & morbus levatur. Simul etiam, sanguine distendente vasa inferiora, vel per eadem aperta evacuato, impetus & copia humorum à capite derivantur, quod magni momenti est ad mitigandum ferox delirium, utì aliâ occasione ad §. 779, in phrenitidis Historia patuit. Balnea ergo pedum, frictiones, aquæ calidæ vapor anum alluens, multùm prodesse poterunt maniacis: sed sæpe magna difficultas in cura hujus morbi est, quòd furibundi tales ægri præceptis Medicorum raro obedire velint. Memorabilem casum habet *Schenckius* (*c*) de fabro ærario, qui vigesimo septimo ætatis anno maniacus factus, per aliquot menses catenis vinciri debuit, ne sibi vel aliis noceret: ortis verò varicibus nigro sanguine multùm distentis in cruribus, ad sanam mentem rediit. Verùm manebant illæ varices per plures annos, & per intervalla satìs acriter dolebant, simúlque tunc recidivam minantis maniæ aliqua signa aderant; quæ cavebatur tamen, dum tumentes varices inciderentur.

DYSENTERIA. Ad §. 1104, ubi de atra-bile turgente & mota diceba-

(*a*) Peschlin de vita sub aquis. Winslow sur l'incertitude de signes de la mort.
(*b*) Celſ. de Medicin, Lib. III, Cap. IX, pag. 138.
(*c*) Observat. Medicinal. Lib. I. pag. 142.

tur, monitum fuit, atrâ-bile subitò solutâ, simúlque ad magnam acrimoniam evectâ, pessimam sequi dysenteriam; cum dolore intolerabili, subitâ putredine, & gangrænâ subitò lethali. Verùm funestus ille eventus tunc metuendus est, ubi confertim & subitò eliquata materies atrabilaria in intestina venit: ubi verò sensim soluta, nec admodum acris per intestina secedit, tunc talis dysenteria, licèt molesta satìs, levamen morbi facit, partim evacuando morbi materiem, partim etiam à capite derivando humores; dum irritatis intestinis ab hoc stimulo, major liquidorum copia versùs vasa meseraica tendit. In genere monuerat *Hippocrates*, utì antea ad §. 963, notavi, quòd hujusmodi (*a*) *Egestiones etiam eos, qui priùs sunt in corporibus, morbos sanant, antiquiores quidem diutiore tempore; recentiores autem in paucis diebus submovere possunt.* Unde simul videtur, maniæ curationem à diuturniori dysenteria tantùm sperandam esse, adeóque cavendum, ne intempestivâ medelâ cohibeatur. Alibi autem bonum esse dicit, si maniæ (*b*) succedat dysenteria. Et contrà metuebat maniam secuturam, ubi, dysenteriâ cessante, flammeus, rubicundus in facie color succederet, humoribus sursum raptis: talis enim sensus videtur *Coacæ prænotionis*, quæ sic legitur, (*c*) *Dysenteriæ, subrubræ, limosæ, largæ dejectiones alvi, in flammeis, valde rubicundis coloribus, solutæ, insaniæ* (maniæ) *timorem inducunt.*

HYDROPS. In eodem aphorismo laudat *Hippocrates* hydropem (*d*) maniæ succedentem. Ut autem intelligatur, quomodo hydrops maniæ prodesse possit, notandum est, quòd quandoque ille morbus à solutis nimis humoribus nascatur, qui tunc vasis majoribus elabuntur, & in cavis corporis vel in panniculo adiposo colliguntur. Verùm talis humorum solutio dum adest, & tenax illud atrabilarium pariter attenuabitur, & exibit de corpore; vel per metastasin ad alia loca corporis deponetur cum levamine. Notum est, per argenti vivi usum totum sanguinem solvi in tenuem & putridam lympham, quæ vel per alvum exit, vel per salivales glandulas excernitur; unde validam mercurialem salivationem passi ægri pallescunt toti; & si excretio per ductus salivales à quacumque causa impediatur subitò, facies, collum, labia immaniter tument ab aggesta lympha non excreta. Observata Medica jam docuerunt, maniacos aliquando salivatione mercuriali sanatos fuisse: ita *Wepferus* curavit rusticum maniacum, dando (*e*) *Turbith minerale* donec ptyalismus sequeretur. Si ergo talis solutio humorum ab alia quacumque causa facta fuerit, poterit & quandoque mania sanari.

Præterea quandoque in maniacorum cadaveribus inventa fuit aquosa colluvies in ventriculis cerebri (*f*); quæ resorpta, & ad alia loca corporis deposita, posset maniæ levamen adferre, nato tumore hydropico in alia corporis parte: sic observamus sæpe, difficillimam respirationem, à pectoris

(*a*) Prædict. Lib. II. Cap. XIII. Charter. Tom. VIII. pag. 821.

(*b*) Aphorism. Sect. VII. n°. V. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 294.

(*c*) N°. CCCCLXV. Charter. Tom. VIII. pag. 879.

(*d*) Aphorism. Sect. VII. n°. V. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 294.

(*e*) Observat. Med. Pract. de Affect. Capit. Observ. LXXXIII. pag. 323. 324.

(*f*) Medic. Essays. Tom. IV. n°. XXVI. pag. 416.

hydrope natam, levari, dum pedes incipiunt tumere; & contrà pedum tumorem hydropicum, subitò evanidum, pectus gravare. Ex quibus patet & alia ratio, quare hydrops maniæ prodesse possit.

HÆMORRHAGIA MAGNA SPONTANEA. Antea ad §. 741, monitum fuit, *Hippocratem* per hæmorrhagiam intellexisse, (a) *Eam quæ per nares fit*, si non nominaret aliam partem corporis, unde sanguinis evacuatio prodiret: simili sensu & hîc hæmorrhagiæ vocabulum videtur intelligi. Constitit pariter ex illis, quæ ibidem dicta fuerunt, utì & ad §. 779, in cura phrenitidis, quantùm boni in capitis morbis ab hæmorrhagia narium, sed spontanea, exspectare liceat; cùm rami quidam carotidis internæ per nares distribuantur, adeóque sic simul depleantur vasa sanguinea per encephali fabricam distributa. Simul autem facilè patet, talem hæmorrhagiam præcipuè profuturam in illa maniæ specie, quæ §. 1127, describetur.

FEBRES TERTIANÆ, QUARTANÆ. Antea in Historia febrium intermittium demonstratum fuit, per validos illos concussus tempore frigoris febrilis, auctámque dein caloris tempore velocitatem & impetum circulationis, multa agitari posse & solvi, quæ visceribus impacta hæserant: adeóque spes est atrabilariam materiam sic attenuari & expelli posse. Præterea ad §. 757, probatum fuit, causam latentem febrium intermittentium subtilissimum fluidum nerveum, nervos per quos fluit, vel encephalon mutare, unde hæc omnia oriuntur: poterit ergo per hanc mutationem deleri & illa causa, quæ maniam fecit. Postea enim patebit, non ab atra-bile sola maniam produci, sed levem sæpe sensorii communis mutationem ad hoc sufficere, licèt nihil morbosi in reliquo corpore deprehendatur. Unde meritò monuerat *Hippocrates*, febres intermittentes (b) ab aliis magnis morbis vindicare corpus, utì ad §. 754, latiùs dictum fuit; ubi & plura Observata Practica habentur, quæ hanc rem confirmant.

§. 1125. HUJUS maniæ species oritur, postquam autumnali, validâ, diuturnâ, intermittente febre, corpus exhaustum, debilitatúmque, tam per morbum, quàm per iteratas missiones sanguinis, & evacuationes alvi sæpissime repetitas; tum etiam per eadem hæc renovari hoc malum solet.

Hactenus inprimis actum fuit de mania, quæ melancholiam diuturnam sequitur, & tantùm ferè gradu differt ab hoc morbo: verùm & aliæ maniæ species sunt, sæpe difficulter curabiles, in quibus nulla signa docent, aliquid hærere in visceribus mali; sed solum sensorium commune turbatum est, & quidem à causis latentibus. Auctus humorum motus per vasa encephali in paroxysmo febris intermittentis validum in quibusdam delirium facit; sed cessans, simulac defervescit febris. Inflammatio caput internum occupans, phrenitidem facit cum sævo furore; & quandoque per hunc morbum sic mutatur sensorium

(a) Epidem. Lib. III. Comment. III. text. LXXX. Ægrot. IX. Charter. Tom. IX. pag. 303.

(b) Ibid. Lib. I. Comment. III. text. IV. pag. 88.

commune, ut ſedatâ febre, ſanatâ hâc inflammatione, ferox illud delirium maneat, túncque phrenitis dicitur in maniam abire; de quo videantur illa, quæ ad §. 774, dicta fuerunt. Dum peregrinum quid cum ſanguine movetur, turbantur ſæpe omnia in cerebro, utì videmus in ebriis, qui quandoque peſſimè furunt, donec ſtimulus ille, fermentatis liquidis inhærens, vel expulſus fuerit de corpore, vel ſubactus & iners redditus. Dum elapſo ſæculo tentabant transfuſionem ſanguinis, & mira promittebant quidam Medici in morbis curandis, ſi ſani animalis ſanguis tranſmitteretur in venas hominis, educto proprio ſanguine; doluerunt triſtem eventum audacis Experimenti, cùm ſequeretur ingens furor in miſeris illis, & deinde mors; hinc publicâ auctoritate vetitum fuit, ne in poſterum in corpore humano ſimilia tentarentur (*b*). Bonus ſanguis animalis ſani, ſed diverſus à ſanguine humano, per vaſa encephali fluens, turbavit illico totum ſenſorium commune, & furorem induxit. Unde diſcimus, non ſemper requiri inſignes noxas encephali ad tanta mala producenda, ſed leviores ſæpe cauſas ſufficere. Animi affectus ſubiti & validi toties maniam fecerant; inprimis ira, meritò brevis furor dicta, qui, dum frequenter recurrit in hominibus iracundis, tandem ſtabilem furoris characterem in ſenſorio communi relinquit, ſícque maniam producit, difficillimè ſæpe curabilem. Optimè hoc notavit *Helmontius* dicens, (*b*) *Tantóque miſeriores* (dementiæ), *quæ ſuſcitantur abſque excrementorum infamia, quia vel continuò perſeverant, vel ſtatis recurrunt recidivarum periodis: alioquin abſumptis ſpurcitiis, ſponte ceſſant labes prognatæ.* Si enim ab atra-bile oriatur mania, ſpem habemus, ſolutâ & evacuatâ hâc materiâ morbum curari poſſe. Verùm ubi à valido animi affectu ſic mutatur ſenſorium commune, ut mania ſequatur, ſatìs patet non intelligere liquidò Medicum, qualis ſit hæc mutatio ſenſorii communis, & per quæ tolli debeat remedia. Tales manias aliquoties natas vidi in puerperis, ſi validâ excandeſcerent irâ primis diebus puerperii; omnium maximè ſi illatas injurias imò ſub pectore conderent, & memores foverent iras: ſequebantur enim vigiliæ moleſtiſſimæ, & poſt paucos dies mania, quæ in quibuſdam totâ vitâ manſit, licèt plura & ſatìs efficacia fuiſſent tentata remedia; in aliis ſenſim ſedatum fuit malum, & poſtea mente ac corpore ſanæ vixerunt. Quibuſdam manſit priſtini morbi veſtigium, recidivam faciens circa æquinoctium vernum & autumnale, quando magnæ illæ mutationes corpori humano contingere ſolent. Plures vidi, qui verno tempore per tres quatuórve ſeptimanas erant maniaci, dum reliquo anni tempore rectè valerent; imò in quibuſdam familiis hæreditarium tale malum certo ætatis tempore ſe prodit.

Commune nervorum principium à Medicis ſolet vocari ſenſorium commune; nempe illa corporis pars, unde omnes nervi, ſenſibus & motibus voluntariis ſervientes, ſuam ducunt originem. Illud ſenſorium commune in encephalo hærere omnes concedunt, & hoc pluribus demonſtratum fuit, ubi de apoplexia agebatur. Verùm conſtat ex Phyſiologicis, totum en-

(*a*) Dionis Cours d'Opérations de Chirurgie, Démonſtrat. VIII. pag. 498.

(*b*) Ort. Medicin. Tract. *Demens idea.* nº. XXXVI. pag. 226.

cephalon

cephalon vasculosum esse, adeóque functiones hujus pendent à libero motu fluidorum sanorum per vasa determinatæ magnitudinis, debito cum impetu. Fluidorum ergo mutata indoles, vasorum capacitas mutata, celeritas motûs humorum aucta vel minuta, hîc miris & variis modis turbare possunt omnia, inprimis in illis corporibus, in quibus humores satìs soluti sunt, vasa tenera & impulsis liquidis minùs resistentia. Hæc autem obtinent in hystericis dictis mulieribus, in quibus à levissima causa tantæ excitantur turbæ: sed simul tunc solet in his mutari respiratio, suspiria ducunt, sanguis minùs libere à capite redit (utì pluribus explicatum fuit ad §. 1010. n°. 3. *lit. γ.*), rubore suffunduntur genæ, & pari modo vasa capitis interni magìs distenduntur, soluti humores vasa aliena ingrediuntur per errorem loci (vide §. 118.), majora vasa dilatantur, quæ minora vicina comprimunt & impediunt; unde facilè patet, miras mutationes in sensorio communi fieri posse à levioribus etiam causis; & sæpe observatur, hystericas mulieres delirare, dum illos vapores, uterinos dictos, patiuntur. Si etiam in aliis partibus corporis nascatur impedimentum sanguini per vasa moto, poterit versùs caput majori impetu & copiâ derivari, ac similia mala producere: spasmodicas tales constrictiones, in visceribus abdominalibus hystericæ toties experiuntur, utì notum est. Videtur & *Hippocrates* hoc observasse, dum (*a*) à pulsu quodam & palpitatione circa lienem prævidebat majorem sanguinis impetum versùs caput; utì etiam, si circa hypochondria (*b*) aliqua tensio sentiretur, absque dolore aut inflammatione viscerum hîc sitorum, de quibus videantur illa, quæ ad §. 741, habentur de signis hæmorrhagiæ narium futuræ in febre ardenti. Salubri autem tali evacuatione liberabantur tunc vasa encephali nimio sanguine distenta: quod si non fieret, vel non satìs largâ copiâ, turbabantur omnes cerebri actiones, utì tunc dictum fuit. Ob hanc causam videtur alio in loco *Hippocrates* monuisse sequentia: (*c*) *Quòd si in præcordiis pulsus quoque insit in hypochondrio, perturbationis, vel delirii indicium est. Verùm oculos eorum intueri oportet. Si namque crebrò moveantur, exspectanda insania est* In quo loco μανῆναι vocabulo utitur. Cùm autem ad musculos oculorum tot insignes nervi veniant, patet satìs, talem crebrum & insolitum motum oculorum designare quòd omnia incipiant turbari in encephalo. Omnia hactenus dicta confirmant, à levioribus etiam causis posse maniam oriri, atque ubi semel hunc morbum quis passus fuit, satìs facilè recidivam fieri; quod & *Aretæus* monuit dicens, (*d*) *Nonnullos namque, qui penitus soluti morbo videbantur, aut veris tempus, aut error in victu, aut ira casu aliquo proritata, denuo ad furorem revocavit.*

Simul etiam intelligitur ratio, cur ille morbus innumerâ deliriorum varietate ludat, prout hæc illáve sensorii communis pars magìs afficitur. Notavit *Aretæus* quòd, (*e*) *Qui ingeniosi sunt ac dociles, Astronomiam discunt sine Doc-*

(*a*) Epidem. Lib. IV. text. IV. Charter. Tom. IX. pag. 313. 314.

(*b*) Ibid. Lib. I. Comment. II. text. LV. pag. 60. Confer. Prognostic. Comment. III. text. XXXIII. Charter. Tom. VIII. pag. 682.

(*c*) Prognostic. Comment. I. text. XXVIII. Charter. Tom. VIII. pag. 611.

(*d*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VI. pag. 31.

(*e*) Ibidem.

tore; *Philosophiámque possident à nemine traditam; Poeticam quoque veluti à Musis infusam nôrunt*. Infinitæ enim & novæ ideæ excitari possunt in sensorio communi per causas internas in illud agentes, utì pluribus ad §. 700, explicatum fuit, ubi de *Delirio febrili* agebatur. Vidi fœminam, quæ aliquot vicibus maniam passa fuit, dum insaniret, omnia ligato sermone pronunciasse, & mirâ facilitate rythmos invenisse, cùm nihil tale unquam aliter perficere potuerat dum esset sana, imò nunquam tentaverat, à prima juventute manuum laboribus victum sibi comparare coacta, & satìs hebetis ingenii. In tali autem mania, quæ non oritur ab atra-bile prægressa, alia curandi Methodus requiritur. Si vires validæ sint, nec à prægressis morbis exhaustum corpus, evacuationes per sanguinis missiones, purgantia leniora, ut tamarindi, folia senæ, serum lactis, & similia prosunt, ut humorum, vasa distendentium, copia minuatur, & impetus à capite avertatur. Cavendum tamen, ne subitis & validis evacuationibus omnes prosternantur vires; tunc enim sævus ille furor quidem tollitur, sed succedit maniæ impotentia quasi sensorii communis, & totâ vitâ manet immedicabilis stultitia, sícque hebetes, omnium rerum immemores, innocuorum infantum instar nugantur perpetuò, & in misero hoc statu quandoque senescunt, quales casus in Morodochiis sæpius occurrunt.

Ubi autem per hanc Methodum non succedit curatio, tunc nil superest, quàm tentare, ut validis remediis datis, turbentur omnia in corpore, hâc spe, ut sic mutetur præsens conditio, de quare re dictum fuit §. 1123.

Huc refertur & illa maniæ species, quam non raro accidisse observavit *Sydenhamus* (*a*) miratus, nullam apud Auctores mentionem fieri hujus maniæ, quæ post febres intermittentes, diuturnas nempe, & maximè quartanas, quandoque sequitur. Antea ad §. 753, ubi de febribus intermittentibus agebatur, patuit, per has febres, inprimis si & validæ fuerint & diuturnæ, omnia corporis fluida mutari admodum, ita ut sæpe in pessimam cacochymiam degenerent, sícque multos morbos chronicos producant. Si ergo crassior & acrior sanguis in vasis encephali hærere cœperit, vel secreta inde liquida acriora illud irritaverint, patet satìs turbari & sic posse sensorium commune, atque maniam produci. Frequentiùs hoc contigisse monet *Sydenhamus* (*b*) si per sanguinis missiones frequentes, repetitas sæpe alvi purgationes, cura febrium tentata foret, adeóque vires talium ægrorum admodum debilitatæ languerent. Ad hanc maniam aliâ Methodo curationis usus fuit, de qua sequenti numero dicetur.

§. 1126. HÆC species solis reficientibus, replentibus, cardiacis, roborantibus, diu continuatis, sanatur. At, si evacuando tentatur, atrophiam, debilitatem, insuperabilem fatuitatem, infert.

Cùm in reliquis maniæ speciebus ab evacuantibus curationem auspicari solerent Medici, cautè monuit *Sydenhamus* (*c*) nihil hîc magìs nocere, cùm

(*a*) Sect. I. Cap. v. ubi de Mania. pag. 123.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Ibidem.

ab his furor quidem domari soleat, sed simul sequatur immedicabilis stultitia. Imò notat, quòd æger in sanitatis limine jam constitutus, dum enema tantùm injiceretur ex lacte saccharato, illico se pejus habuerit, recrudescente denuo maniâ, quæ ferè sopita fuerat. Cùm autem effœtus & vappidus in talibus ægris sanguis esset, in victu analeptico, & cardiacis roborantibus remediis, curæ spem ponebat; imò & potu generosiore reficiebat tales ægros, & in lecto diu multúmque jubebat contineri. Sic post aliquot septimanas sensim in melius proficiebant, tunc cardiaca per aliquot dies omittebat, pergens in solo victu analeptico; postea iterum dabat cardiaca, donec integra rediret sanitas. Hâc Methodo ingerebat corpori talia nutrimenta, quæ facilè à languentibus visceribus subigi poterant; simúlque cardiacis & roborantibus viscera chylopoietica excitabat, ut meliùs agere in ingesta possent: augebat simul per grata hæc stimulantia motum humorum, & vasorum actionem in liquida contenta: his omnibus conspirantibus emendabatur cacochymia post febres illas diuturnas relicta. Notandum autem, quòd & Theriacam *Andromachi* dederit, ac quidem paulò liberaliori dosi; quæ non tantùm agit ut cardiacum calidum & stimulans, verùm etiam ratione opii, somnum conciliando in hac maniæ specie videtur juvare. Plures tales formulæ in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur.

§. 1127. MANIA verò enata in robustis, vegetis, floridæ ætatis, plethoricis, calidis, sanatur iisdem mediis, ac species epilepsiæ (1081); missione sanguinis iteratâ; purgatione forti inter singulas interpositâ; dein, impetratâ sedatione, opiatis, & cardiacis.

Ubi sanguis nimiâ copiâ distendit vasa in plethoricis hominibus, vel à calore aeris rarescit, aut à spirituosis potibus magnâ copiâ assumptis inprimis in flore ætatis; tunc & observatum fuit, sic turbari sensorium commune, ut mania sequatur, imò sæpe quàm maximè furibunda. Facilè distinguitur hæc maniæ species à reliquis, per signa plethoræ præsentis, calorem magnum, inprimis in capite, ruborem faciei & oculorum, pulsationem validam arteriarum carotidum ac temporalium; utì & per causas prægressas, quæ subitam rarefactionem sanguini inducere possunt. Huc etiam spectant consuetæ sanguinis evacuationes per hæmorrhoides & menstrua suppressæ, omniáque illa quæ sanguinis impetum & copiam versùs caput augere valent. Observatur hoc, quando lochia subitò supprimuntur in puerperis, unde plurimi difficilésque morbi oriuntur, prout in hoc illúdve viscus rapiuntur, utì postea ad §. 1329, dicendum erit. Notavit hoc optimè *Hippocrates* dum dixit, (*a*) *Si verò mulieri puerperii purgatio ad caput irruat, thoracémque ac pulmonem (id enim contingit) plerumque statim moriuntur.* Postquam autem recensuit illa mala, quæ fiunt, lochiis in pulmonem raptis, addit sequentia: (*b*) *Quòd si purgatio*

(*a*) De Mulier. Morb. Lib I. Cap. XLV. Charter. Tom. VII. pag. 755.

(*b*) Ibidem.

(uterina) *impetu sursum delata per os non exeat, neque ad pulmonem vertatur, ei ad faciem puerperia* (lochia) *divertent, quæ admodum rubicunda erit, & caput grave, neque id citra dolores movere poterit; oculi etiam valde rubicundi erunt, & ex ipsis tenuis sanguis effluet. Est ubi etiam nonnullis sanguis ex naribus profluit, qui si effundatur, hoc modo diuturnior morbus evadit. Neque hoc in morbo acutè aures audiunt. Cardiogmo vexabitur, eructabit, mente alienabitur, & delirationes furiosæ* (παραγνόιαι μανιώδεες) *existunt.* Paulò pòst notat, quòd si emergant ex hoc morbo, quandoque surditas aut cæcitas maneat, compressâ nempe à vasis sanguineis encephali distentis origine nervorum opticorum vel auditoriorum, ita ut postea liber motus spirituum nervosorum per has partes restitui nequeat. Huc etiam spectare videtur sequens *Hippocratis* textus, (*a*) *Quibus mulieribus sanguis in mammis colligitur, maniam significat.* Notum est, circa tertium puerperii diem, uteri vasis jam constringi incipientibus, serosum lacteum humorem in mammis colligi, quæ tunc tument. Verùm ubi loco hujus serosi pabuli sanguis ipse mammas distendit, signum est, lochia sursum rapi, & superiora corporis vasa omnia quàm maximè urgere; unde tunc metuenda sunt omnia illa mala, de quibus statim dictum fuit.

Præcipuus curationis scopus in tali mania est, ut vasa nimis repleta vacuentur per sanguinis missiones, & avertatur impetus ac copia humorum à capite; quò spectant purgationes satìs validæ, pediluvia, epispastica, &c; simul rarefactio sanguinis tollatur, & caveantur causæ, à quibus hæc nasci posset; vasa superiora roborentur, stringantur, dum simul inferiores artus balneis, fomentis, vaporibus, &c, laxantur quàm maximè: his factis, si pergat adhuc furor, opiatis tutò poterit compesci ille impetus.

Ad §. 1124, notatum fuit, spontaneas validas hæmorrhagias maximè profuisse in mania, quæ aliis remediis frustra tentata fuerat, adeóque cum fructu sanguinis largæ missiones institui poterunt, inprimis in robustis, vegetis, plethoricis, calidis hominibus, de quibus hîc agitur. *Hildanus* (*b*) plures casus habet, ubi per arteriæ temporalis sectionem curata fuit mania, & quidem subitò. Inprimis extemporaneum inde effectum vidit in robusta virgine, quæ graves capitis dolores diu passa, evaserat maniaca, conquerens se molestos tinnitus & sibilos in auribus percipere, dolorem pulsatorium circa tempora, & molestum fervorem in intimo capite; quæ omnia signa docebant, distendi interna capitis vasa à copioso sanguine. Juvenis Helvetus, calidissimâ tempestate mari iter fecerat, simúlque meracissimorum vinorum usui immoderato indulserat, unde maniacus evasit. Curatus fuit repetitis venæ-sectionibus, hirudinibus applicatis ad tempora, victu tenuissimo. Cùm autem & vini abusu & calidissimâ tempestate magnus calor ac rarefactio sanguinis adessent in hoc ægro, hinc profuit balneum aquæ frigidæ, simul affusâ aquâ glaciali copiosâ & cum impetu ad caput priùs rasum. Plures alii casus Medicos docuerunt, frigidissima capiti applicata quandoque mul-

(*a*) Aphorism. Sect. V. n°. XL. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 219.

(*b*) Efficac. Medic. Part. II. pag. 45, 46.

tùm profuisse (*a*). Sic homini jam dudum maniaco somnum placidissimum conciliavit pileus nive plenus, capiti impositus: evigilans longè pacatior, & intra paucum tempus hâc Methodo curatus fuit (*b*). Mansit tamen spasmodica contractio in uno latere faciei, fortè à frigidissima nive imprudentiùs applicata: notatur postea & alios maniacos eâdem Methodo curatos fuisse. Felix talis cura etiam successit, dum ex viginti pedum altitudine frigidissima aqua irruebat in caput maniaci, unde secutus fuit somnus profundus viginti novem horarum, & postea evigilans æger sanâ fruebatur mente (*c*). Plures Observationes, quæ egregium usum aquæ frigidæ in hac maniæ specie confirmant, & alibi (*d*) habentur. Omnium autem maximè videtur hæc Methodus profuisse in illis, qui fervidissimâ æstate, & post usum nimium vini generosi, in hunc morbum inciderunt. Apud *Celsum* etiam mentio hujus Methodi fit, dum jubet totum corpus in aquam & oleum demergendum esse, (*e*) *Super caput aquâ frigidâ infusâ:* tunc enim reliquæ partes corporis laxantur tepido calore, dum subitum frigus capitis vasa constringit & roborat.

Laudantur autem & opiata in cura maniacorum, quando nempe priùs evacuationes tam per venæ-sectionem repetitam, quàm purgantia, præcesserunt; omnium maximè si pertinaces adsint vigiliæ. Fortuitus casus probavit opii effectum in virgine maniaca, dum unguentum, continens scrupulum opii Thebaici in aceto soluti, quod temporibus inungendis destinatum erat, devorat; inde enim subitò convaluit (*f*). Magnam autem opii quantitatem ferre posse maniacos pluribus Observatis constat. Hujus morbi curatione celebris Medicus (*g*) dabat manè & vesperì grana duo opii in aquæ fontanæ cochleari soluti, & si nullus sequeretur somnus, addebat singulis dosibus adhuc granum opii, donec sequeretur effectus: refert autem quòd aliquando pro una dosi quindecim grana opii debuerit dare; sed nunquam hoc tentavit primâ vice, at sensim augendo opii quantitatem, donec pacato somno, fruerentur ægri. In juvenibus & plethoricis utebatur sanguinis missionibus; sed affirmat se multos curasse absque venæ-sectione. Omni octiduo dabat purgans hydragogum vel vomitorium antimoniatum, & vesperì ejusdem diei solitam opii dosin; nam per plures dies in opii usu pergebat, donec compesceretur furor. Audacter ex papavere parata pharmaca danda esse, post evacuationes factas, commendavit *Aetius* (*h*), atque inde resipiscere maniacos. Similem Methodum laudavit *Sydenhamus* in maniacis juvenibus ac sanguineis, nam (*i*) post aliquot venæ-sectiones dabat omni octiduo acre purgans, & diebus intermediis cardiacum remedium, quod sa-

(*a*) Académie des Sciences, Ann. 1734. Hist. pag. 56.
(*b*) Psychrolousia or te History of cold Bathing, &c. pag. 452.
(*c*) Ibid. pag. 455.
(*d*) Lettere Mediche del dottore Mart. Ghisi, &c. pag. 27.
(*e*) De Medicin. Lib. III. Cap. XVIII. pag. 155.
(*f*) Acta Erudit. Mens. Jul. 1701. pag. 314.
(*g*) Joh. Jac. Wepferi Historiæ Apoplect. in Append. pag. 687.
(*h*) Lib. VI. Cap. VIII. pag. 101.
(*i*) Sect. I. Cap. V. ubi de Mania. pag. 125. 126.

tis bonam copiam theriacæ *Andromachi* continebat. Interim verum eſt, quòd *Sydenhamus* bis de die tantùm medium granum opii circiter exhibuerit; ſed patet ex antè dictis, quòd tutò augeri poſſit hæc quantitas, ſi opus fuerit.

Ex omnibus hactenus dictis patet, ſolicitè diſtinguendas eſſe varias maniæ ſpecies, ut ſingulis idonea medela adhiberi poſſit, cùm illa quæ huic ſpeciei ſanandæ conducunt, in alia ſpecie maniæ nocerent.



RABIES CANINA.

§. 1128. EST & alia ægritudo, quæ ob furorem sæpe comitem, huc commodè referri potest, quum ob summam perniciem tractari debeat.

Videtur commodissimè hoc loco tractari posse ille morbus, qui *Rabies Canina* dicitur, cùm quandoque tales ægri maniacorum instar furant, & vinculis coerceri debeant. Fortè dubitari posset, an non potiùs pertineret ad morbos acutos, quàm ad chronicos, simulac enim in actum deducitur rabiosi animalis venenum, corpori humano applicatum, tunc paucorum dierum spatio occidit, & plerumque febrem habet comitem. Interim tamen latet sæpe diu hoc venenum in corpore, antequam actuosum fiat, utì postea patebit. *Aurelianus* acutorum numero adscribit rabiem caninam; (*a*) *Cùm non oporteat illud tempus ægrotanti imputari, quo nondum rabie vexatur, quippe cùm passio necdum corpus afficiat; & cùm emicuerit, non habeat superpositiones, seu dilationes, sicut qui specialiter tardis afficiuntur passionibus, & ob hoc celerrimè ægrotantes interficiat, non solùm ut acuta, sed etiam ut continua passio.*

Cùm autem post morsum rabiosi animalis inflictum causa morbi jam hæreat in corpore, & in quibusdam observata fuerit insolita mœstitia, ac emaciatio corporis, diu antequam fierent hydrophobi, non videtur absonum, quòd hic morbus inter chronicos numeretur, licèt ultima ejus periodus acutorum more ægrum tollat: præcipuè cùm efficax medela ferè tantùm sperari potest illo tempore, dum nondum ad ultimam illam periodum morbus pervenit. Sic epilepsia meritò morbis chronicis adnumeratur, licèt quandoque tempore paroxysmi moriatur æger. Ita & atra-bilis, tardus admodum morbus, dum turget & movetur, immanes febres & citò lethales accendit (vide §. 1104.).

§. 1129. VOCATUR rabies, & quia à canum morsu ut plurimùm, rabies canina; tum à symptomate terribili, aquæ metus, hydrophobia, &c.

Nominis ratio sponte patet, cùm sæpe, licèt non semper, furor adsit, rabies dicitur; & quàmvis ab aliis animalibus etiam hic morbus hominibus communicetur, cùm tamen à canibus frequentiùs hoc contingat, dicitur rabies canina. Cúmque signum pathognomonicon veneni illius, jam actuosi redditi, sit metus ingens omnium potulentorum; ideo dicitur ὑδροφοβία vel

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XI. pag. 222.

& aliis ὑγροφοβία, utì *Aurelianus* (*a*) monuit; ita tamen ut fateatur hydrophobiæ nomen magis consuetum esse, & communiter huic morbo tribui, utì & hodie solet.

Alio in loco (*b*) disputat, an rabies canina novus morbus sit, an non. Apud *Hippocratem* nullibi mentio fit illius morbi; sed tamen inde non sequitur, non exstitisse illius tempore. Fortè minùs frequens fuit illo loco, ubi *Hippocrates* vixit: nam ubique locorum hunc morbum non æquè communem esse innuit *Aurelianus* (*c*), dum dicit: *Cariam* atque *Cretam*, licèt ab aliis venenatis animalibus ferè immunes sint, canum rabie vexari frequentissimè; & contrà legitur, (*d*) in tota Meridionali Americæ parte, canes nunquam rabie corripi. Certè canes omni ævo fuerunt, & hoc morbo frequenter corripiuntur; unde videtur admodum probabile esse, rabiem caninam antiquorum Medicorum tempore etiam exstitisse. Plura circa hanc rem solitâ suâ eruditione collegit *Clericus* (*e*), ubi hæc videri poterunt.

§. 1130. ORITUR ferè semper ab aliis animalibus, priùs rabiosis, suscepto contagio, tamen & sponte in acutis quibusdam orta legitur, & observatur.

Omnium communissimè ab aliis animalibus, priùs rabiosis, teter hic morbus hominibus communicatur: interim tamen quædam Observationes docuerunt, eumdem morbum absque hac causa productum fuisse. Sic legitur (*f*) de juvene viginti novem annorum, temperamenti calidi & sicci, qui summâ excandescens irâ proprium digitum indicem momordit, unde intra viginti quatuor horas hydrophobus factus est; & quidem adeo, ut ad solam aquæ mentionem strangulari videretur; dein maniacus ac planè furibundus factus, subitò periit, dum post æruginosam materiem vomebat bilem sinceram. In hoc casu videtur illud venenum per summum iræ furorem natum fuisse in corpore, non verò aliunde accessisse. *Aretæus* (*g*) hujus opinionis fuit, posse similia in corpore nasci illis, quæ extrinsecus adveniunt, & æquale damnum facere; sic autem habet: *Quando quidem & alia infinita eorum, quæ in homine sunt, eamdem speciem cum exterioribus causis obtinent: succi perdentes intra corpus sunt, & exteriùs: morbi quoque medicamentis perniciosis assimiles; & à medicamentis talia vomunt, qualia ob febres vomere solent.* Similiter *Aurelianus* credidit esse, (*h*) *Possibile, sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci, cùm talis fuerit strictio sponte generata, qualis à veneno.*

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. IX. n°. XCVIII. pag. 218.
(*b*) Ibid. Cap. XV. pag. 226. 227.
(*c*) Ibid. n°. CXXIV. pag. 229.
(*d*) Biblioth. raisonn. 1750. Avril, Mai, Juin. pag. 422.
(*e*) Histoir. de la Médec. Part. II. Liv. IV. Sect. I. Cap. VI. pag. 463.
(*f*) Epist. Joh. Bapt. Scaramucci ad Ant. Magliabech. in Miscell. Curiosi. Decad. II. Ann. 9. 10. Append. pag. 249.
(*g*) De Caus. & Sign. Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. VII. pag. 5.
(*h*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. IX. n°. C. pag. 219.

Notum

Notum est, quòd *Aurelianus*, Methodicorum sectæ addictus, omnes morborum causas ad strictum & laxum reduxerit.

Cùm autem in cadaveribus sæpe inventa fuerint organa deglutitionis utcumque inflammata; biliosa circa stomachum; cerebrum, cerebellum, medulla spinalis ficciora solitò, &c; (vide §. 1140.) satìs verosimile videtur, si ab aliis causis similis mutatio corpori inducatur, posse & similem morbum sequi.

Vidimus in Historia melancholiæ (§. 1090.) hunc morbum à mente initium ducere posse, & in corpore bene sano à sola mutatione cogitationis atram-bilem produci; quæ atra-bilis, ab aliis causis nata in corpore, vicissim faciebat pertinax delirium. Certum est numerosissimis Observationibus, canes absque ulla infectione alterius rabiosi animalis rabiosos fieri, adeóque in illorum corpore illud venenum produci, non autem aliunde venire; quod hanc opinionem probat. Observationes autem fide dignissimæ videntur confirmare in aliis morbis, absque ullo veneno rabiosi animalis, hydrophobiam natam fuisse. Celeberrimus *Boerhaavius* solebat hâc occasione Auditoribus suis affirmare, vidisse se lictorem, qui carnificem aliunde accersere debuerat, ut publica de scelesto homine sumeretur pœna, incidisse in febrim ardentissimam, omnémque potum oblatum cum summo horrore repudiavisse, & tertio die periisse: miser ille calidissimâ tempestate multùm corpus moverat, deinde per quatuor horas nudato capite, solis radiis exposito, in scapha sederat, totóque hoc die solo ferè spiritu vini usus fuerat. *Salius Diversus* in muliere triginta sex annorum, febre pestilenti detentâ primò, dein, hoc morbo expugnato, dysentericâ redditâ, atque denuo curatâ, manente tamen quâdam febriculâ, vidit hydrophobiam nasci, & quidem tali gradu, ut alios coram se bibentes sustinere non posset: mens tamen semper constabat, & octavâ die, postquam omne liquidum horrere cœpit, mortua est; cùm à morsu rabiosi animalis hydrophobi facti rarò quartum diem superare soleant. Ægra autem, & mater ejus, sanctè asseverabant, quòd nunquam nec à cane rabido, nec à sano, tacta fuisset, (*a*) *Cùm nec domi unquam canem educasset, nec externis unquam communicasset.* Alibi legitur (*b*), inflammationi ventriculi accessisse hydrophobiam cum convulsionibus, à quibus malis tamen æger ille audacter repetitis sanguinis missionibus evasit. Certè *Aurelianus* (*c*) monuerat, in hydrophobicis stomachum pati. Apparet tamen ex his Observatis, hydrophobiam, in morbis absque venenato contagio natam, leniorem esse, & magìs curabilem. Qui plura desiderat Exempla hydrophobiæ in morbis natæ, inveniet apud *Schenckium* (*d*), qui ex *Marcello Donato* & aliis hæc collegit. Credo, modò dicta sufficere, ut constet, hydrophobiam in acutis morbis quandoque sponte nasci.

(*a*) De febre pestilenti & seq. Cap. XIX. pag. 362.
(*b*) Medical Essays Tom. I. §. 29. pag. 283.
(*c*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XII. n°. CVII. pag. 222.
(*d*) Observat. Medicin. Lib. VII. pag. 852.

§. 1131. ANIMALIA autem ferè quæcumque hoc malo affici, suóque contagio alia, & ipsum hominem, lædere possunt.

Frequentissimæ hoc docuerunt Observationes, quòd nempe ab uno cane rabido plurimi alii, atque etiam homines, infecti fuerint, qui deinde alia animalia similiter affecerunt. Adeóque nisi citò morerentur animalia rabiosa ex morbo, vel occiderentur, rabies certè immaniter propagari posset; nulla enim Observatio docuit, venenum illud mitescere, dum ex uno animali in aliud propagatur. Cùm autem mordendo præcipuè communicetur hoc venenum, hinc in animalibus majoribus observatur potissimùm rabiei propagatio, quia non tam facilè morsu necari possunt, utì minores aviculæ v. gr; adeóque post vulnus morsu inflictum satìs diu supervivunt, ut veneni suscepti effectus se manifestare possint.

§. 1132. NEMPE canes, feles, lupi, vulpes, equi, asini, muli, boves, sues, simiæ, galli gallinacei, homines, priùs rabiosi, id vitium in alios propagaverunt.

Recensentur hîc animalia, quibus rabiem contigisse Historiæ docent. *Aurelianus* addit his (*a*) ursos & leopardos, de quibus tamen minora numero Observata habentur, quia hæ feræ ab hominum commercio remotæ latebras densis in sylvis quærunt, & ferè semper, dum hominem vel aliud animal mordent, occidunt & fœdissimè dilaniant. Lupi verò & vulpes in habitatis locis sæpe prædam quærunt, & majora animalia quandoque vulnerant, non verò semper occidunt. Videtur autem equis, bobus, asinis, mulis, suibus, rabies per morsum animalis rabiosi communicari; nam non memini certis Observationibus constare, quòd hæc animalia sponte hoc morbo correpta fuerint. Verùm de gallo gallinaceo dubitandum videtur, utpote pugnaci & satìs iracundo animali. Verùm quidem est, vulpes gallinaceo generi insidiari, adeóque potuisset & gallus à rabida vulpe vulneratus rabiosus fieri. *Baccius* (*b*) vidit olitorem, à veteri gallo gallinaceo in manu rostro vulneratum, ut sanguis de vulnere exiret, jam primâ die rabiosum factum, tertiâ die periisse; nec igne nec ferro, vel ullis aliis præsidiis juvantibus. Dum duo galli acerrimè inter se dimicarent, mulier hanc pugnam dirimere volens, vulneratur in brachio, ita ut sanguis exiret, dum rostro unus ex his gallis validum ictum inflixerat, unde hydrophoba facta, paulò pòst mortua fuit (*c*). Nulla tamen mentio fit in utroque hoc casu, gallos illos antea rabioso ab animali morsos fuisse. An summa iracundia tale quid facere potuit in hac ave, utì de iratissimo homine ad §. 1130, dictum fuit. Sed tunc quæri posset, cur non frequentiùs rabiosi fierent galli gallinacei, dum in Anglia

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. IX. n°. XCIX. pag. 218.
(*b*) De Venen. & Antidot. pag. 16. 17.
(*c*) Epist. Joh. Bap. Scaram. ad Ant. Magliabech. in Miscell. Cur. Dec. III. Ann. IX. X. Append. pag. 250. 251.

aluntur ad pugnas, & quidem ferocissimi redduntur. Videntur hæc Observata docere, quòd & in gallis quandoque absque contagio prægresso nasci possit rabies.

§. 1133. NULLI tamen animali frequentiùs, quàm cani, lupo & vulpi; hísque inprimis ex causis internis, absque contagio prævio, nascitur.

Conferendo Historias demorsorum sparsim descriptas, hoc patebit: canes videntur omnium frequentissimè in hunc morbum incidere à causis internis, & de his animalibus domesticis certiora Observata haberi possunt. Lupi autem & vulpes, canibus satìs similia animalia, etiam satìs frequenter rabiosa fiunt, sed de illis minùs certi sumus, an sponte suâ, an verò per contagium hunc morbum contraxerint.

§. 1134. REGIO fervida; regio magno æstu squalens, & vicissim summo frigore horrens, tempestas æstuosa, siccáque, diu durans; victus ex carne putrida, fœtida, verminosa; potûs absentia; vermes renibus, intestinis, cerebro, cavis narium olfactoriis, innati, sunt causæ præcedentes, in his animalibus, nasciturae rabiei.

Cùm horrendus adeo hic morbus sit, operæ-pretium est, indagare illas causas, quæ rabiem in canibus præcedere solent, ut illæ vitari possint: vel si tales fuerint, ut in canibus jam præexistant, animalia hæc statim necentur, antequam hoc morbo corripiantur, sícque caveatur contagium.

REGIO FERVIDA, &c. In summis æstivis fervoribus, & in calidioribus regionibus, frequentiùs canes rabiosos fieri, omnes testantur Observatores; jámque hoc monuerant antiqui Medici (*a*); verùm addiderunt, interdum & intensissimo sub frigore rabiem nasci. Novi hominem, sub finem mensis Decembris à fele in digito demorsum, hydrophobum factum fuisse. *Aetius* (*b*) autem scripsit, præcipuè frequentem hunc morbum observari in illis regionibus, ubi hyems & æstas pariter modum excedere solent. Interim videntur Observationes testari, quòd magnis sub aeris caloribus, & siccâ simul tempestate, rabies frequentiùs oriatur. Unde in quibusdam locis mos obtinet, ut trucidentur canes, qui diebus canicularibus per urbes vagantur.

VICTUS EX CARNE, &c. Majores molossi, qui catenâ ligati aluntur, ut fures latratu terreant, satìs frequenter rabie solent corripi: his autem canibus, ut fiant ferociores, solent carnes dari majorum animalium, quæ mor-

(*a*) Ægineta Lib. V. Cap. III. pag. 74, versâ. Aetius Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107. Dioscorid. Theriac. Cap. 1. pag. 423.

(*b*) Ibidem.

bo perierunt, vel humanis usibus adhiberi non solent. Sic equorum carne in aere siccatas calido, semiputridas sæpe, lardum balænarum, &c, ob pretii vilitatem his canibus dare solent; unde à putrido hoc victu videntur disponi ad hunc morbum; & quidem omnium maximè, si potu careant. Quandoque enim contingit ut illi, qui horum animalium curam gerunt, obliviscantur aquam apponere, dum miseri canes catenâ ligati potum quærere sibi nequeunt. Dum autem hoc æstivis mensibus contingit, ferè semper rabies sequi solet.

VERMES RENIBUS, &c. Vermibus frequenter laborare canes quàm certissimum est: rarò enim dissecui canem (& plurimos dissecui) quin invenerim vermes in ventriculo, intestiníque, teretes, tænias, ascarides, imò & in aliis pluribus corporis partibus. Probè memini in primo cane, quem dissecui, me non potuisse invenire renem sinistrum; dúmque credebam novellus Medicinæ tyro hoc meæ ignorantiæ adscribendum esse, apice scalpelli locum, ubi renem adesse debere suspicabar, leviter rasi, & subitò prosiliit vermis satìs magnus, rictu patulo, penitus diversus ab illis, qui in ventriculo & intestinis inveniri solent: inveni postea totum renem consumptum fuisse, externámque membranam solam superstitem cavum quasi saccum fecisse, in quo vermis ille nidulabatur. Cùm jam canes, putridâ & verminosâ carne utentes, sæpe rabiosi fiant; post mortem inveniantur vermes copiosi in his animalibus; cerebrum paucis horis post mortem putridum inventum fuerit & verminosum (a) in cane, qui rabiosus fuisse credebatur, & ideo occisus fuerat; quidam fuerunt in hac opinione, verminosum esse contagium rabiei: & quidem magìs adhuc probabilis videbatur hæc sententia, quòd argenti vivi, inter anthelminthica remedia magni nominis, usus quibusdam profuisset; de qua re postea dicendum erit. Certè canis ille, quem dissecui, rabiosus non erat, sed cultro Anatomico damnatus fuerat, quia totam viciniam turbabat molesto ejulatu, & terrebat plures, qui funeris brevì secuturi funestum præsagium inde deducebant superstitiosi. Hinc videtur adhuc satìs dubium esse, an vermes, in canum visceribus latentes, ad rabiem disponant.

§. 1135. INCIPIENTIS rabiei Signa sunt hæc inprimis, quibus tetræ luis cautela nititur: fiunt tristes, solitarii, se abscondentes, muti quoad latratum, murmurantes tamen, cibum potúmque omnem adversantes, in ignotos quoslibet irati, & irruentes, heri tamen adhuc & memores & reverentes, aures, caudámque dimittentes, somnolentorum instar incedentes: hactenus primus gradus mali iis adest: morsúsque tum exceptus periculosus quidem, non verò pessimus est: dein anhelare, linguam exserere, spumam plurimam emittere, hiare, nunc segniter ut semisopiti,

(a) Bonet. Sepulc. Anatom. Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. pag. 212.

nunc subitò celeriter incedere, nec rectâ semper viâ, mox ne herum quidem ampliùs agnoscere, oculos habere demissos, lacrymosos, pulverulentos, linguam plumbeo habere colore, subitò gracilescere, insanire, furere: hic secundus est gradus mali, quem vix triginta horis ferunt, quin moriantur. Morsus hoc tempore ferè insanabilis: quò verò animal vehementiùs furit, diutius malo laboravit, morti propius est, eò morsus, lethalior, acutior, & symptomata citissimè creans violentissima, & contrà.

Magni momenti est, cognoscere signa, quibus observatis, certi esse possumus, canem rabiosum esse, ut nempe statim occidi possit, ne noceat hominibus, vel venenum aliis animalibus tradat; præterea ut tristi metu liberentur homines demorsi à cane, qui non fuerat rabidus. Quando in ultimo stadio morbi canes anheli, linguâ exsertâ, ore spumante, emaciati omnino, obvia quæque mordent, facilè ab omnibus cognoscuntur rabidi. Verùm maximè proderit cognoscere prima morbi incipientis signa, quæ omnia in textu accuratissimè describuntur, numerosis Observationibus confirmata, & à veteribus Medicis (*a*) accuratissimè jam notata. Dicitur autem hìc tantùm de signis rabiei caninæ, quia in aliis animalibus, quæ hominum consortia fugiunt, hæc tam facilè determinari nequeunt; & reliqua ferè semper, à canibus priùs rabiosis morsa in hunc morbum incidunt. Si ergo prægressis illis, quæ præcedenti paragrapho habentur, tristior solitò appareat canis, nec latret ampliùs, cibúmque & potum aversetur, occidendus illico est; tristissimi enim casus docuerunt, quantum sit in mora periculum. Omnia autem animalia, demorsa à tali cane, pariter statim è medio tollenda sunt; vulnera verò hominibus inflicta summa cum cura tractanda, utì postea dicetur: imò si vel minimum dubium de hac re fuerit, negligendum nihil est; satius enim est, ut demorsus à cane homo has molestias etiam frustra patiatur, quàm ut, omissis cautelis necessariis, in dirum hunc morbum incidat.

Aliud signum rabiei in canibus memoratur à recentiore Auctore (*b*), qui se sæpius hoc observasse affirmat: nempe quòd omnes alii canes fugiant instinctu naturali, & cum signis magni terroris, canem rabiosum.

Contingit quandoque, ut canis, de cujus rabie dubitatur, occidatur illico, antequam certò constet, an rabiosus fuerit, inprimis si ignotus ex aliis locis venerit; unde demorsi à tali cane pessima metuunt. Memoratur autem (*c*) sequens Experimentum ad elucidationem hujus dubii. Si nempe frusto carnis elixæ fricentur fauces, dentes & gingivæ canis mortui, & deinde illa caro offeratur cani; si mortuus rabiosus fuerit, oblatam carnem repudiabit cum clamore & ejulatu; sin minus, avidè comedet.

(*a*) Aetius Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107. Æginet. Lib. V. Cap. III. pag. 73, versâ.
(*b*) R. James a new method, &c. pag. 36.
(*c*) Academ. des Scienc. 1723. Histoire, pag. 39.

Cùm autem illud venenum, dum actuosum redditur, vires acquirat eundo, periculosissimus morsus tunc est, quando illud animal morti proximum, utì etiam dum iratissimum simul, in qua re omnes Observatores conveniunt. Antea ad §. 1130, patuit, in iratissimo homine, proprium mordente digitum, hydrophobiam natam fuisse, adeóque non mirum est, per iram hujus veneni efficaciam augeri.

§. 1136. VIX autem ullius veneni tam multiplex contagium: nam morsu vel levissimo, per vestimenta adacto, tantùm radente, nec eliciente sanguinem; spiritu ex ore hominis pulmone adducto; spumæ contactu recentis, vel etiam dudum exsiccatæ, labiis, linguâve exceptæ; osculo tantùm rabido cani dato; infectione à contactu multo instrumenti, vel vulneris, quo dudum antè animal rabiosum occisum fuit; esu lactis, carnísve, animalis rabiosi; attactu, & pertractatione multâ rerum per præcedentia infectarum.

In vulnerum Historia, ubi §. 155, de illorum infectione venenata agebatur, pluribus probatum fuit Experimentis, quædam venena impunè degluti-ri, quæ vulneri immissa certam mortem faciunt. Præterea constat, venenatis telis interfecta animalia impunè ab hominibus manducari. Coram tale Experimentum mihi exhibuit celeberrimus vir *Condaminus*, egregium Regiæ Academiæ Scientiarum ornamentum, dum ab itinere, quod mensurandæ telluris gratiâ instituerat, redux secum tulerat illud venenum, quo Indi solent tela sua imbuere. Lanceolâ leve vulnusculum inflixit gallinæ sub ala; mox tetigit levissimè hoc toxico vulnusculum; statímque bis vel ter convulsa gallina periit. Servus Indus, qui illum comitabatur, sequenti die illam gallinam, adeo citò lethali veneno occisam, comedit impunè. Affirmabat celeberrimus Vir, Indos telis hoc toxico imbutis vulgò ad venatum uti; & occisa sic animalia quotidianum illis victum præbere.

Venenum verò canis rabiosi pluribus certè modis nocet, & demorsa animalia comesta rabiem propagant, utì patebit ex sequentibus. Cruentum vulnus, licèt leve fuerit, requiritur in plerisque venenis; rabies canina autem propagari potest *morsu vel levissimo tantùm radente, eliciente sanguinem*. Verum quidem est, docuisse Observata, quòd ubi priùs dentes rabiosi animalis transire debent per crassa vestimenta, abstergi venenatam salivam, & minus rabiei periculum esse, utì in pluribus hominibus, ab eodem rabioso lupo demorsis, observavit *Sauvagius* (*a*) celeberrimus apud Monspelienses Medicinæ Professor; adeóque nudis corporis partibus cruento morsu immissum illud venenum longè magìs nocere; interim tamen plures Observationes (*b*) idem ille Auctor recenset, quæ evincunt, absque vulnere per cutim integram transivisse illud venenum. Notabilis casus apud *Pal-*

(*a*) Dissertation sur la nature & la cause de la rage, pag. 7. (*b*) Ibidem.

marium (*a*) legitur de ruſtico rabioſo, qui brevì ſe moriturum cognoſcens unicum hoc ſolatium ab aliis, qui vinculis conſtrictum tenebant, obnixè rogavit, ut ante mortem liberos oſculari liceret, quod cùm conceſſum eſſet, paulò pòſt periit: verùm liberi ejus ſeptimo pòſt die eodem morbo correpti, perierunt omnes.

SPIRITU EX ORE, &c. An adeo volatile ſit illud venenum, ut exſpirans de corpore rabioſi animalis in aere volitare poſſit, ſícque inſpiratum unà cum aere propagare contagium, non novi ullâ certâ Obſervatione conſtare. *Aurelianus* quidem habet ſequentia: (*b*) *Hominum hydrophoborum quidam in hydrophobicam paſſionem devenerunt ſolius aſpirationis odore ex radibo cane adducto, cùm deflectione quâdam naturalis ſpiratio vexata venenoſum aerem adducit, & talibus inſerit partibus. Aretæus* (*c*) ſimiliter affirmavit, à ſolo halitu canis rabioſi inſpirato hominem hoc morbo affici poſſe. Si autem conſideretur illud contingere non poſſe, niſi admodum propinquus fuerit homo rabioſo animali, & ſimul notetur, ſpumeſcentem ſalivam in ore & faucibus rabioſorum animalium hærere, cùm illam deglutire nequeant, atque reſpirationem admodum difficilem & anheloſam eſſe ultimo morbi tempore, unde ἀσθμαίνειν rabie correptos canes dixit *Ægineta* (*d*), patebit ſatìs, quòd minimæ ſalivæ guttulæ per validam illam exſpirationem abradantur, ſícque propinquum hominem inficere poſſint; inprimis cùm eò pejor ſit infectio, quò animal morti propinquius eſt, utì præcedenti paragrapho dictum fuit. Præterea ſi per ſolum aerem inſpiratum illud venenum communicaretur, frequentiùs afficerentur illi, qui miſeris hydrophobis ad mortem uſque aſſiſtunt. Obſervationes autem numeroſæ docent, non infici adſtantes, niſi vel morſu, vel ſalivæ aſperſione, contagium propagatum fuerit. Interim juſtus tam diri morbi metus monet, meritò etiam ab halitu talium ægrorum cavendum eſſe. Nimia enim cautela hìc nunquam nocebit.

SPUMÆ CONTACTU, &c. Novi quidem, celebres in Arte Viros dubitare, an ſolo contactu ſpumæ, dum integra cutis eſt, morbus ille propagari poſſet. *Stalpartus Wielus* (*e*) notat, ſe plures vidiſſe ſputo rabioſorum adſperſos abſque noxa: juſſerat tamen loca tacta ablui probè aquâ marinâ, & bis térve dederat theriacam. Unde concludit, reſpiratione & contactu ſolo rabidorum, contagium in alios tranſmitti non poſſe. Præterea notat, ſibi ipſi nihil nocuiſſe, dum pulſum tangendo madentes ſudore manus ſimilium hominum attrectaſſet, credens ſudorem pariter contagioſum eſſe debere, ſi ſaliva ſolo attactu morbum propagaret. Monet tamen, quòd cautelæ gratiâ ſtatim abluerit manus aquâ purâ. Interim Obſervatio *Palmarii* modò memorata docet, moribundi patris oſcula infeciſſe filios: licèt enim & reliqui humores inficiantur in rabidis, videtur tamen per ſalivam faciliùs propagari contagium;

(*a*) De Morbis Contagioſis, pag. 266.
(*b*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. IX. pag. 218. 219.
(*c*) Morbor. Acutor. Lib. I. Cap. VII. pag. 5.
(*d*) Lib. V. Cap. III. pag. 74, verſâ.
(*e*) Obſervation. Rarior. Centur. I. n°. C. pag. 412. 413.

imò & faciliùs saliva inficitur, ut patebit ex sequentibus.

A saliva spumescente, calidâ, corpori adspersâ, aliquid metuendum esse in hoc morbo, prudentiores omnes facilè concedent: verùm magìs mirabile videtur, quòd à saliva spumosa, dudum jam exsiccata, morbus hic propagari possit. Apud *Aurelianum* sequens Observatio legitur: (*a*) *Sartrix etiam quædam, quum chlamydem scissam rabidis morsibus sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, & linguâ pannorum suturas lamberet assuendo, quò transitum acûs faceret faciliorem, tertiâ die in rabiem venisse memoratur.* Similem casum dum viderat *Hildanus* (*b*), vix audebat illum proferre, dum ab omnibus pro fabula habebatur. Matronæ vestem dentibus arripiens canis rabidus illam laceraverat, huc & illuc trahendo, cæterùm nullum vulnus inflixerat. Illa nesciens, canem rabidum fuisse, laceram vestem resarcivit, filo dentibus abscisso, & post tres menses periit hydrophoba. In casu ab *Aureliano* memorato lambendo sartrix humectaverat suturas; in hoc casu autem simpliciter filum, per vestes, salivâ canis rabidi infectas, adactum mordendo abruperat matrona; unde fortè seriùs in hydrophobiam incidit. In utroque casu saliva venenata per humanam salivam diluta immediatè applicata fuit linguæ, labiis, gingivis, quæ crassâ cute non teguntur; & præterea ipsos salivæ fontes propiùs attigit, quod majus hydrophobiæ periculum inducere patebit ex sequentibus.

OSCULO TANTUM, &c. Oscula hydrophobi patris perniciosa fuisse liberis, antea vidimus; adeóque procul dubio simile malum metuendum erit illis, qui rabiosum canem osculati fuerunt. Exemplum hujus rei habet *Schenckius* (*c*) de patricio viro, qui rabiosum canem, antequam dimitteret suffocandum, osculatus, postea hydrophobus periit.

INFECTIONE A CONTACTU, &c. Venenum rabiosi canis vestibus diu adhærere posse, modò vidimus; sed apud *Schenckium* (*d*) legitur casus, de puero, qui abstergens rubiginosum gladium, quo ante plures annos rabiosus canis confossus fuerat, malâ fortunâ digito suo inflixit vulnusculum, atque inde periit hydrophobus.

ESU LACTIS, CARNISVE, &c. Quámvis videatur saliva in hoc morbo præ reliquis infici, tamen videtur justa suspicio esse, venenatam hanc labem & aliis partibus corporis adhærere. Celeberrimus *Sauvagius* in pulcherrima & utilissima Dissertatione, quam de hoc morbo scripsit (*e*), videtur hujus opinionis fuisse, quòd sola saliva propagaret contagium, non autem reliqui humores. Verùm dum lupi sævioris carnes in varia obsoniorum genera parabantur à venatoribus, omnes illi, qui inde comederant, non multò pòst tempore correpti fuerunt rabie (*f*). *Palmarius* vidit, (*g*) *Ex straminis, in quod rabie perciti sues decubuerant, esu, equos, boves, oves & reliqua animalia quæ*

(*a*) Morbor. Acutor. Lib. III. Cap. IX. n°. C. pag. 219.
(*b*) Observat. Chirurg. Cent. I. n°. LXXXVI. pag. 62.
(*c*) Observ. Medicin. Lib. VII. pag. 848.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Pag. 32.
(*f*) Fernel. de Morb. Contag. Lib. II. Cap. XIV. pag. 509.
(*g*) De Morb. Contagios. pag. 267.

stramentum

ſtramentum deguſtaverunt, rabiem contraxiſſe, tandémque periiſſe. Optimè quidem notat celeberrimus *Sauvagius*, quòd potuerint carnes lupi ſalivâ inquinatæ fuiſſe; fortè & caput ipſum partem horum ferculorum fecerat; imò admodum probabile videtur, ſtramen, cui rabioſi ſues incubuerant, à ſaliva infectum fuiſſe, cùm rabioſis animalibus magna ſpumeſcentis ſalivæ copia ex ore ſtillare ſoleat. Sed legitur (*a*), canem rabidum factum fuiſſe, dum ſanguinem, de vena hominis hydrophobi miſſum lamberet. Teſtatur *Hildanus* (*b*) de juvene viginti annorum, cujus pollicem rabidus felis, meſſis tempore, unguibus ſcalpendo læſerat adeo leviter, ut vix offenſa fuerit epidermis, quòd initio menſis Martii hydrophobus factus perierit: inſcius enim hoc animal rabioſum fuiſſe, neglexerat hoc vulnuſculum. Hæc Obſervata videntur docere, non ſolam ſalivam, ſed & ſanguinem, imò ſolidos ungues rabioſi animalis poſſe propagare contagium. Verum quidem eſt, jecur rabioſi canis tamquam antidotum proprii veneni commendatum fuiſſe; ſed an profuerit, non adeo certò conſtat. Præterea, utì ad §. 1147, dicetur, laudabatur hepar exuſtum, adeóque procul dubio per ignem vivum fuerat deſtructum illud venenum. Hinc videntur Obſervationes Medicæ docere, per ſalivam frequentiſſimè communicari morbum, ita tamen ut & alio modo idem malum ſequi poſſit; adeóque dictat prudentia, ab omni contactu rabidi animalis cavendum eſſe, quantùm fieri poterit.

Verum quidem eſt, Obſervationes quaſdam inveniri apud Medicos, quòd demorſus ab animali rabido cum uxore coiverit abſque communicatione contagii; tale Exemplum apud *Fredericum Dekkerſium* (*c*) habetur: ſed notandum, quòd ſex ante mortem diebus hoc contigerit, & ex ipſa Hiſtoria morbi patet, quòd dum hydrophobus fieri incepit, bidui ſpatio perierit: adeóque rem cum uxore habuit illo tempore, dum venenum illud nondum actuoſum factum fuerat, ſed quietum in corpore latebat. Interim tamen neque illo ſtadio morbi, hoc abſque periculo fieri docet Obſervatio *Frederici Hoffmanni*: homo enim à lupo rabido demorſus (*d*) neglexit plagam, coivit cum uxore, poſt aliquot dies & ipſe, & uxor in hydrophobiam inciderunt; uxor tamen evaſit, maritus periit.

Omnia ergo hæc evincunt, magnâ cautelâ opus eſſe, ut ubi vel minima contagii ſuſpicio eſt, evitetur dirus ille morbus.

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1707. Hiſtoir. pag. 31.
(*b*) Obſervat. Chirurg. Cent. I. Obſerv. LXXXVI. pag. 62.
(*c*) Exercit. Practic. Cap. VII. pag. 565.
(*d*) Medic. Ration. Syſtemat. Tom. II. Part. II. Cap. II. §. X. pag. 178.

§. 1137. RURSUM, vix ullum venenum notum, cujus tam atrox, adeóque hominem immutans, virus, quódque, ubi incipit se prodere tam violentè & celeriter furit, & tamen simul adeo diu latere possit, antequam se manifestet: namque alii statim, alii, ut narrant, post viginti integros annos à morsu elapsos, alii rursum omni intermedio tempore urgeri incipiunt malis huic furori propriis: pendet verò hæc diversitas, à calore tempestatis anni, à vario gradu morbi in animali mordente (1135), à temperie hominis morsi, quum biliosi eò faciliùs vergant, pituitosi, & hydropici contrà, à diverso victu, medicamentísque adhibitis.

Alterum, quòd maximè mirantur Medici in hoc morbo, est, quòd diu sæpe latere possit illud venenum in corpore humano, & nullo se manifestare signo. Ubi verò incipit actuosum fieri, tunc producit morbum acutissimum, plerumque ante quartum diem lethalem. *Galenus* (*a*) jam notaverat, per plures menses silere posse hoc malum; imò post integrum annum à morsu suscepto vidit hominem hydrophobum factum fuisse. Septem mensium spatium inter morsum inflictum & hydrophobiam secutam memorat *Ægineta* (*b*); quod & confirmat *Aetius* (*c*): monent tamen ultimi illi Auctores, quòd frequentissimè circa quadragesimum à veneno suscepto diem rabies sequatur; quod Recentiorum Observata confirmant (*d*). Celeberrimus *Sauvagius* (*e*) notavit, omnium celerrimè hydrophobiam sequi; si saliva immediatè infecta fuerit, per vulnus faciei inflictum, oscula rabioso animali data, aut carnes talis animalis comestas; atque hoc aliquot Observatis probat, inprimis mulieris in facie demorsæ, quæ tertio die jam erat hydrophoba. Interim tamen *Baccius* (vide §. 1132.) vidit olitorem, à veteri gallo gallinaceo in manu vulneratum, primâ die rabiosum factum, & tertiâ die mortuum. Hæc Observata docent, illud venenum satìs citò actuosum fieri quandoque, dum contrà alii casus habentur in Historia Medica, qui videntur evincere, illud per plures annos silere posse, & tamen, dum in actum deducitur, citò occidere. *Joh. Faber Lynceus* (*f*) notavit, hominem, ante sesquiannum à lupo rabido demorsum, hydrophobum tertiâ die ab insultu morbi mortuum fuisse. *Schmidius* (*g*) mulierem vidit, quæ ante viginti annos à cane rabido demorsa, toto illo tempore nihil incommodi inde senserat; deinde corripiebatur febre malignâ, & hydrophoba facta octavo morbi die periit. Cùm autem ad §. 1130, dictum fuerit, quandoque in acutis morbis sponte nasci

(*a*) Hippocrat. Prædiction. Lib. I. Comment. II. n°. LII. Charter. Tom. VIII. pag. 735.
(*b*) Lib. V. Cap. III. pag. 74, versâ.
(*c*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.
(*d*) Sauvag. Dissertat. sur la nature & la cause de la Rage, pag. 5.
(*e*) Ibid. pag. 4.
(*f*) Hernandes rerum Mexican. Medic. Thesaur. pag. 492.
(*g*) Miscell. Curios. Dec. I. Ann. IX. pag. 117.

hydrophobiam, meritò potest dubitari, an illud malum, acuti morbi tempore natum, tribui debeat contagio ante viginti annos concepto, & tamdiu in corpore latenti absque ullo malo effectu. Verùm idem ille Auctor (*a*) narrat alium casum de ancilla à rabiosi canis morsu curata, quæ singulis annis circa tempus, quo demorsa fuerat, leviter delirabat, & quamdam liquidorum aversionem habebat; tandem tamen perfectè sana supervixit diu. In illo casu videtur pristini mali vestigium satis diu superfuisse in corpore, licèt non adeo validum, ut lethalem hydrophobiam inducere potuerit. Solet etiam ad probandam diuturnitatem hujus mali adduci Observatio, quam *Hildano* scripsit *Abel Roscius*, Reipublicæ Lausannensis Medicus ordinarius (*b*), de honesta matrona, à cane rabido demorsa in sinistro brachio, cui statim à sedulis & doctis Medicis efficax medela adhibita fuit, dum simul Chirurgus ferro & igne vulnus tractaverat. Sana omnino videbatur: post septem annos elapsos percepit in brachio sinistro dolorem acerbissimum, ac si dentibus caninis discerperetur; paulò pòst furor, mentis alienatio, mœror, tristitia, vigiliæ summæ, sitis inexplebilis, febris, maxima virium prostratio, ciborum fastidium; nunquam tamen, quod notandum, à potu abhorruit. Curata ab hoc morbo post alterum septennium, adeóque decimo quarto anno post morsum à cane rabido inflictum, iterum gravissimo morbo decubuit, cum vellicatione & dolore ingenti in eodem brachio; sanata est tamen feliciter. Post sex annos elapsos similis morbus similibus symptomatibus stipatus, recurrit denuo, à quo pariter evasit. Postea brevioribus intervallis rediit idem malum.

Verùm si perpendantur omnia modò enarrata, non videtur constare, quòd morbus, à veneno rabiosi canis latente adhuc in corpore, excitatus fuerit, cùm nunquam illud signum pathognomonicum, horror nempe ab omni liquido, adfuerit. Dolor satis acer quidem percipiebatur in brachio demorso ab initio morbi, sed fortè hoc non adeo mirum videbitur, si consideretur, multos, gravia vulnera olim passos, in loco cicatricum dolorem sentire morbo quodam ingruente; utì etiam circa subitas aeris mutationes; quod & idem huic matronæ contigisse in morbi Historia narratur. Plures similes casus, qui docent, diu silere posse in corpore humano illud venenum, apud Auctores habentur (*c*). Non tamen videtur certis Observatis constare, illud venenum per viginti & ultrà annos in corpore latuisse, ac postea tamen hydrophobiam produxisse. Cavendum autem, quantùm fieri poterit, ne ægris inculcetur, tamdiu illud malum latere posse; perpetuus enim metus, & hinc orta tristitia, miseros torqueret; & fortè contagium in actum deduceret, quod adhuc dissipari posset de corpore: sequenti enim paragrapho patebit, tristitiam & solitudinis amorem observari in demorsis, dum venenum susceptum incipit actuosum fieri. Illis verò hominibus, qui vulnera talia

(*a*) Miscell. Curios. Decad. I. Ann. IX. pag. 118.

(*b*) Hildan. Observat. Chirurg. Cent. I. pag. 65.

(*c*) Sauvages, Dissert. sur la natur. & caus. de la Rag. pag. 5. Confer. Stalp. van. der Wielen. Observat. Rarior. Cent. I. n°. c. Tom. I. pag. 424. Schenck. Observat. Medicinal. Lib. VII. pag. 849.

spernunt, posset incuti metus, ut curam habeant, sibíque applicari patiantur talia remedia, quæ tantum morbum præcavere valent.

Quàmvis autem nondum penitus constet, quanto tempore illud contagium silens in corpore latere possit, saltem hoc certum est, quòd diu hærere possit, & quòd difficulter tollatur de corpore, si in initio neglectum fuerit. Maximè mirum videtur, quòd insignes mutationes humorum quandoque nec extricaverint hoc venenum, nec in actum deduxerint. Sic observavit celeberrimus *Cocchius* (*a*) quosdam, à cane rabioso demorsos, fuisse correptos variolis, & quidem numerosis: sanatis feliciter ab hoc morbo postea tamen hydrophobia successit, & perierunt. Cùm autem diverso tempore succedat in demorsis hominibus, etiam ab eodem animali, hydrophobia, considerari meretur, quid Observationes Medicæ circa hanc rem docuerint, & quibus caussis celerior vel tardior contagii hujus effectus adscribi possit.

A CALORE TEMPESTATIS ANNI. Ad §. 1134, dictum fuit, tempestatem æstuosam & siccam, diu durantem, in canibus sæpe rabiem producere; adeóque probabile videtur, similem tempestatem valere, ut in actum deducatur silens adhuc contagium. Sæpius observatum fuit, hyemali vel autumnali tempore demorsos totâ hyeme nihil mali percepisse, verno autem tempore hydrophobos factos. Sic à rabida fele morsus homo autumnali tempore, circa finem mensis Maii sequentis anni hydrophobus periit (*b*). Alium hominem novi, qui, medio mense Decembri pariter à fele morsus, mense Maio incipiente hoc morbo exstinctus fuit. Plures similes occurrunt casus, qui suadere viderentur, quòd vernus calor hunc morbum excitaverit: interim acuta febris, variolarum comes, idem efficere non potuit, utì modò dictum fuit.

A VARIO GRADU MORBI IN ANIMALI MORDENTE. De hac re jam dictum fuit §. 1135. Videtur enim hoc malum, ubi semel actuosum redditum fuerit, vires acquirere eundo. Fortè & hæc est ratio, quare lupi rabiosi morsus sit maximè venenatus, cùm hoc animal rarò sylvis egrediatur, & omnia obvia animalia aggrediatur, nisi jam penitus furibundum fuerit. Canis autem rabidi morsus periculosior videtur, quàm morsus hominis hydrophobi. (*c*). Præterea videntur Observata docere, citiùs hydrophobiam sequi, si saliva immediatè inficiatur (*d*): & hæc videtur alia esse ratio, quare lupus rabiosus plùs noceat, cùm plerumque in pedes posteriores erectum hoc animal hominem assiliat, adeóque faciem sæpius lædat.

A TEMPERIE HOMINIS MORSI, &c. Constitit ex illis, quæ ad §. 1130, habentur, in quibusdam hominibus sponte natam fuisse hydrophobiam in morbis acutis; adeóque videtur admodum verosimile esse, quòd tales homines validiùs afficerentur à veneno canis rabidi. Videntur contrà Observata docere, quosdam homines non infici ab hoc veneno. Sic celeberrimus *Cocchius* (*e*) observavit, plures homines demorsos fuisse eodem tempore, & ab

(*a*) Bagni di Pisa, pag. 319.
(*b*) Stalp. van der Wielen, Observat. Rarior. Cent. 1. n°. c. Tom. I. pag. 400.
(*c*) Sauvag. Dissertat. sur la nature & cause de la Rage, page 7.
(*d*) Ibid. pag. 4.
(*e*) Bagni di Pisa, pag. 318.

eodem cane rabido; quosdam periisse hydrophos, licèt variis Medendi Methodis usi fuerint; alios verò nullum damnum inde percepisse, licèt nullam omnino medelam adhibuissent. Observavit pariter *Wielus* (*a*), quòd ab eodem animali demorsi homines alii citiùs, alii seriùs, in hydrophobiam inciderint. Notabile Exemplum, quod huc spectat, alibi (*b*) legitur: bini juvenes, dum videbant caniculam nec latrare, nec ullum liquidum deglutire posse, digitis in os immissis fauces & linguam tetigerant undique, ut detegerent causam; paucis diebus pòst rabiosa hæc canicula periit. Unus ex his robustus admodum & laboriosus, post tres septimanas incepit sentire immanem dolorem capitis, quandoque semel, aliquando bis in die circiter per horæ spatium; simul tunc sentiebat fauces contrahi, pulsus erat tremulus, omnia, quæ oculis conspiciebat, apparebant rubicundi ignei coloris. Per integram septimanam hæc symptomata patiebatur, & inter paroxysmorum intervalla ad solitos redibat labores, à quibus sudabat, sícque absque ullis remediis evasit.

Alter, ab eadem canicula infectus, sed junior, circiter quatuordecim annorum, non adeo robustæ constitutionis, etiam dolore capitis corripiebatur, cum levi febricula; nunc verò meliùs, nunc pejùs se habebat: comedebat optimè, sed bibere non poterat: postea verâ maniâ corripiebatur, & tandem adeo furiosus per vices evadebat, ut à quatuor viris coerceri vix posset: dum defervesceret ille furor, levamen sentiebat, ridebat, loquebatur cum adstantibus, sed semper tamen morsum minitabatur. Redeunte tandem simili paroxysmo aphonos reddebatur, & paulò pòst moriebatur.

Confirmat hæc Observatio, solâ contrectatione multâ canis rabidi hoc contagium communicari absque morsu posse, & diversos effectus producere in diversæ temperiei hominibus. Simul etiam notandum, quòd in hoc casu robustior evaserit, debilior verò succubuerit morbo; licèt plerumque statuatur, calidos & biliosos in hunc morbum faciliùs vergere, pituitosos & frigidos minùs. Fortè bonâ fortunâ per labores validos & sudores difflatum fuit de corpore hoc venenum, quod cæteroquin, si non expulsum fuisset de corpore, sed agitatum tantùm, pessimos in robusto hoc homine effectus produxisset. Cùm enim, uti sequenti paragrapho dicetur, febris acuta frequenter comitetur morbum hunc, & dura atque exercitata corpora inde pejùs afficiantur, videtur probabile, pejorem rabiem futuram, si cætera paria fuerint, in robustis & calidæ temperiei hominibus. Huic sententiæ etiam adstipulatur celeberrimus *Sauvagius* (*c*), & observat, symptomata longè vehementiora fuisse in viris quàm in fœminis, licèt ab eodem animali demorsis, viri enim vinculis coerceri debuerunt, fœminæ autem placidam obierunt mortem.

Cùm autem & æstivus fervor, & calidior hominum temperies, videantur reddere hoc venenum magis actuosum, similis effectus meritò exspectatur

(*a*) Observat. Rarior. Cent. 1. n°. c. Tom. I. pag. 431.
(*b*) Abridgem. of the Philosof. Transact. Tom. V. pag. 366.
(*c*) Differt. sur la natur. & caus. de la Rag. pag. 7.

à victu & medicamentis calefacientibus, de qua re plura dicentur ad §. 1145.

§. 1138. HOMO optimè ſanus contagio hoc (1136) infectus, poſt varium tempus (1137), incipit hoc ordine ferè ægrotare: dolet locus, cui impreſſa contagii labes primò fuit; dein vagi per alia, maximè vicina, loca, dolores; laſſitudo, gravitas, tarditas, in toto muſculoſo genere; ſomni inquieti, turbati, terribiles, cum convulſionibus, & ſubſultibus; inquietudo aſſidua; ſuſpiria, triſtitia; ſolitudinis ſtudium; atque his ferè primus mali incurſus incipit, his ferme primus ejus gradus finitur: ſanguis tunc venis emiſſus omni notâ bonus. Tum poſtea priora augentur, accedítque porrò ingens circa præcordia anguſtia; reſpiratio difficilis, ſuſpirioſa; horror; ad conſpectum aquæ, liquorum quorumcumque, & rerum vel pellucidarum, vel inſtar ſpeculi reflectentium, horripulatio, tremor; proſtratus appetitus; deglutitio tamen ſolidæ cujuſque offæ poſſibilis; attactus humoris cujuſque, maximè labiis vel linguâ, incredibilem anxietatem, tremorem, convulſiones immanes, furorem ferè creans; vomitus glutinis fuſci bilioſi, aut bilis porraceæ; incaleſcentia; febris; vigiliæ aſſiduæ; priapiſmus; cogitationum alienarum & inſuetarum perturbata valde ſeries. Sic procedit malum, atque ſic ſolet ſecundi gradûs limites ponere. Poſtea autem omnia enarrata exacerbantur continenter, ſolétque ſequi linguæ aſperæ exſertio; hiatus oris; vox rauca, ſitis ingens; furor ad conatum bibendi, humorum adſpectum, contactúmve; ſpumæ in ore collectio; eam in alios exſpuendi conatus vel invitus; ardor obvia quæque mordendi invitus; nec tamen à voluntate comprimendus, ſpumante rictu frendit; pulſus & reſpiratio deficiunt; ſudor gelidus; rabies ſumma, dum interim, quod mirabile, mens prudens, conſtans, aliis à ſe metuens, adeſt; hinc intra quartum ferè ſemper à primo gradu diem, mors convulſiva cum ſumma in reſpirando anguſtia.

Patuit ex antè dictis, venenum illud ſatìs diu in corpore humano latere poſſe antequam turbet omnia, & toto hoc intervallo nullum ſignum dare. Patebit poſtea, quando de cura hujus mali dicetur, quòd, ubi vel minima ſuſpicio hujus contagii ſuſcepti adeſt, illico efficacia remedia exhibenda ſint, antequam diris ſymptomatibus ſe manifeſtet latens virus. Verùm cùm talis medela neglecta fuit, quod ſæpe fit, inſciis hominibus, vel obliviſcentibus, quòd

infecti fuerint, magnæ utilitatis est cognoscere prima indicia, quibus se hoc malum manifestare solet, ut illico tentari possint congrua remedia. Omnia autem hæc symptomata ordine recensentur.

DOLET LOCUS, &c. Quandoque nempe per morsum, vel ungulis radendo, hoc contagium communicatum fuit: ubi enim per integram cutem transiens hoc venenum inficit hominem, quales casus ad §. 1136, enumerati fuerunt, tunc hoc symptoma locum non habet.

Plurimæ Observationes confirmant, primum signum veneni, actuosi redditi, observari in ipso loco demorso, & præcipuè in cicatrice vulneris jam consolidati. Imò *Aurelianus* pro universali regula hoc statuit, dicens, (*a*) *Præpatitur enim ea pars, quæ morsu fuerit vexata, unde initium denique passionem sumere nemo negat.* In homine, post quinque menses & undecim dies à morsu canis rabidi, vulneris cicatrix aliquot diebus prurire incepit, antequam hydrophobus fieret (*b*). *Salius Diversus* (*c*) credebat, se solum animadvertisse signum infallibile instantis rabiei in demorsis, omnibus ignotum; si nempe dolor quidam in loco commorso, licèt ulcus per dies & menses integre fuerit sanatum, accederet, sensim trium quatuórve dierum spatio ad cerebrum adscendens, túncque vertiginem faciens. Alia Observatio habetur (*d*) de homine à rabida vulpe demorso in manu dextra, cui morbus se manifestare incepit doloribus rheumaticis, præcipuè in manu dextra, brachio, humero, & dorso: his doloribus minutis, sequebatur brachii dextri paralysis; pulsus singulo sexto aut quinto ictu intermittebat, sed in brachio dextro tantùm. Quinto autem die post hæc symptomata jam erat hydrophobus. Apud *Schenckium* (*e*) legitur, cicatrices vulnerum à rabido cane inflictorum incepisse livescere post sesquiannum, subsequente pariter hydrophobiâ. Apud celeberrimum *Sauvagium* (*f*) pariter plures casus leguntur, qui docent, dolorem obtusum cicatricum, & illarum elevationem cum duritie majori, præcessisse hydrophobiam: imò ibi notatur, dum morbus in melius vergebat, cicatrices denuo emollitas subsedisse.

Omnia jam hæc Observata docent, aliquam mutationem in loco demorso, inprimis in cicatricibus vulnerum, præcedere solere illum statum, ubi latens hactenus contagium incipit actuosum fieri. Unde videtur admodum probabile, illud venenum susceptum in loco demorso hæsisse tamdiu.

Cùm autem illud venenum, in demorsa parte hærens, si liquidis permistum foret, abriperetur in sanguinem, sícque illud contagium universæ humorum massæ communicaretur, ideo credidit celeberrimus *Sauvagius* (*g*), solidas partes potiùs hoc veneno imbui, quòd ob viscositatem illis firmiter adhæreat, donec morâ, aliísve causis accedentibus, in actum deducatur, attenuetur, fluidis misceatur, inficiat omnia. Observata videntur hoc doce-

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XIV. n°. CXVI. pag. 226.

(*b*) Acta Physico-Medica Natur. Curiosor. Tom. I. pag. 38.

(*c*) De Affect. particular. Cap. XIX. pag. 364.

(*d*) Abridgem. of. the Philosof. Transact. Tom. III. pag. 280.

(*e*) Observat. Medicin. Lib. VII. pag. 848.

(*f*) Differt. sur la natur. & caus. de la Rag. pag. 52.

(*g*) Ibid. pag. 45.

re, quòd in vulnere contagium hæreat impressum diu; & dum illud incipit agere, sæpe recrudescunt vulnera diu clausa, virulentámque saniem stillant. Interim tamen dubium videtur, an idem illud contagium sanguine receptum statim actuosum fiat, nec per plures dies humoribus nostris permistum manere possit, absque effectu sensibili. Illi casus, qui §. 1136, memorati fuerunt, videntur hoc docere. Dum enim hydrophobus pater morti proximus ultima figit oscula liberis, illos inficit; nec videtur verosimile illud venenum adhæsisse integre cuti, sed potiùs subtilissimam ejus partem venis bibulis receptam fuisse. Dum ex *Aureliani* & *Hildani* Observatis saliva, exsiccata in veste ab animali rabioso lacerata, infecit mulierem, quæ dentibus momorderat filum, híncque labiis & linguâ tetigerat hoc venenum, videtur potiùs illud contagium, salivâ sanâ dilutum, deglutitum fuisse, vel per venas bibulas òris interni ingressum, quàm quòd partibus solidis viscosâ tenacitate adhæserit: longè magìs hoc videtur probare ille casus, ubi levis rasura epidermidis, ab ungue rabidi felis facta, hunc morbum induxit. Certè videmus & alia venena, humoribus mista, per multos dies hærere in corpore, antequam effecta sua monstrent. Dum in variolarum inoculatione crudo vulneri pus variolosum instillatur, tenaci emplastro applicato conantur omni modo promovere resorptionem hujus contagii variolosi per venas: attamen Observata docent, pluribus diebus adhuc ægros à morbo immunes manere. Procul dubio pars illius veneni variolosi resorbetur, licèt pars vulneri inhæreat; ideo, dum in actum deducitur illud contagium, febris & reliqua variolarum symptomata emergunt; sed simul tunc vulnus incipit dolere atque inflammari, quia & ibi pars hujus contagii notabilis remanserat. Ubi autem Chinensium Methodo, exsiccatis variolarum crustis in pulverem redactis, & per nares attractis, variolæ excitantur, videtur hoc per resorptionem subtilissimi contagii, in crustis illis latentis, fieri; attamen non illico variolæ sequuntur, licèt procul dubio satìs citò sanguis hoc veneno inquinetur.

Qualis autem mutatio contingat in hoc veneno, illo tempore, dum actuosum redditur; quomodo tunc differat à se ipso, dum latens in corpore nullo se manifestabat effectu, videtur difficillimè explicari posse. Merentur tamen legi illa, quæ in Dissertatione, toties jam laudata, celeberrimus *Sauvagius* ingeniosè de hac re disputavit. In reliquis animalibus venenatis crudo & sanguinolento vulnusculo communicatur virus, statim pessimos effectus faciens, vix nocens, nisi recenti vulneri instillatum fuerit: unde & in his animalibus invenimus mirabilem fabricam dentium, quæ efficit, ut eodem tempore dum morsus infligitur, venenum necessariò vulneri facto instilletur. Servo dentes viperæ caudisonæ, qui in apicem acutissimum exeunt; verùm sub hoc apice tota longitudo dentis crenam insculptam habet satìs cavam, per quam venenum vesiculis, quæ his dentibus adjacent, contentum deducitur in vulnus inflictum, dum musculi maxillas, mordente animali, adducentes, premunt simul vesiculas succo venenato turgidas, quæ ipsis adjacent. Notum est, apum & vesparum aculeum liquidi guttulam

minimam

minimam instillare vulneri; sequi illico molesta symptomata: canis autem rabidi fauces plenæ sunt salivâ venenatâ; dentes ejus hâc madent. Hinc morsu vulneri facto hæc saliva immittitur, & tamen hoc venenum per menses sæpe manet nullo se manifestans effectu, postea subitò actuosum fit, & cum horrendis symptomatibus hominem paucorum dierum spatio perimit, ejúsque humoribus, salivæ inprimis, similem labem imprimit, per quam illud contagium propagatur in alios, etiam absque vulnere inflicto, utì Observationes recensitæ docuerunt. Mira certè veneni rabidi proprietas, & explicatu difficillima. Videamus jam reliqua symptomata, prout ordine se mutuò sequuntur.

LASSITUDO, GRAVITAS, &c. Lassitudines illas spontaneas (*a*) morborum futurorum prænuncias esse notavit in *Aphorismis Hippocrates*, utì antea ad §. 734, dictum fuit; & hæ sequuntur dolores illos in parte affecta prægressos, utì omnes Historiæ hujus morbi, accuratè descriptæ, testantur. Simul incipit tunc genus nervosum turbari, somnia oriuntur horrenda, mœstitia insolita, metus absque causa. Non mirum est illos metuere, qui conscii sunt, se à cane rabido demorsos fuisse; verùm & tristitia & metus observantur in illis, qui ignorant se hoc veneno infectos fuisse; vel ob diuturnitatem temporis post morsum inflictum omnino obliti sunt, sibi tale quid contigisse: quinimo hoc morbi stadio facies pallida & contracta apparet, ut in meticulosis hominibus fieri solet.

Quámvis autem nervosum genus in suis functionibus turbari incipiat, dum illud venenum actuosum fit, tamen nondum magna mutatio in reliquis humoribus observatur, & sanguis hoc morbi tempore de vena missus, sanorum sanguini similis est (*b*).

Primus ille gradus hujus morbi in quibusdam durat diutius; in aliis citò succedit hydrophobia. Sic legitur (*c*) de homine, qui per quindecim dies in crure demorso dolores, & per integram septimanam singulis noctibus rigores, calores, sudores senserat; túncque subitò mirabatur, quòd scyphos aquâ abluere, utì muneris ratio postulabat, nullo modo posset, & intra biduum hydrophobus periit.

TUM POSTEA PRIORA AUGENTUR, &c. Hoc morbi stadio subitò apparet horrendum illud symptoma, & signum pathognomonicon, à quo morbus hydrophobiæ nomen accepit, nempe aquæ & omnium liquidorum metus. Miser homo, qui ante quinque circiter menses à rabida fele morsus fuerat, avidè sumpserat, primo die morbi, vinum Rhenanum multâ aquâ dilutum; secundo die attonitus ipse mirabatur, quòd horreret totus & convelleretur, dum videbat scyphum plenum eodem potu, qui adeo placuerat. Quandoque adhuc aliquam liquidorum partem deglutire possunt, sed magna cum difficultate & contorsionibus miris totius corporis (*c*). In quibusdam observatum fuit, quòd à propria saliva deglutita statim adeo augerentur, ut mox se morituros crederent.

(*a*) Aphorismor. Sect. II. n°. v. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 46.

(*b*) Philosoph. Transact. Abridgem. Tom. III. pag. 277. 280.

(*c*) Sauvages Dissert. sur la natur. & la caus. de la Rage, pag. 12. in notis.

(*d*) Ibidem.

Interim tamen nullum impedimentum videtur esse in via, per quam potus transire debet: nam idem ille homo, qui à propria saliva deglutita pessimè afficiebatur, deglutiebat omni horâ bolum solidum, qui drachmam ponderabat, & quidem longè faciliùs ac celeriùs, quàm alius homo hoc facere potuisset (*a*). Dum autem aqua offerebatur, horrebat, & ventriculi regio mox miro modo intumescebat. Cùm autem solidas offas famelici canis instar celeriter deglutiret, tentatum fuit, an prono situ bibere posset, ut canes solent. Transversim ponebatur in lecto, prono capite ultra lectum parùm eminente, & supponebatur vas largum tenui cerevisiâ plenum, quòd non tantùm facilè tulit, sed etiam testabatur, se quàm maximè refici cerevisiæ odore, certúmque esse, quòd brevì totum illud vas evacuaret. Dum autem os propiùs admovere tentabat, non poterat, & mox regio ventriculi intumescebat. Tandem tamen linguam exseruit tentaturus, an labendo posset cerevisiam sumere; sed dum apex linguæ tangebat superficiem cerevisiæ, mox retrocedebat subitò totus perterritus. Interim miser ille, *Tantali* pœnas patiens, delectabatur bibendi imaginatione, semper sperans, quòd tandem bibere posset, nec patiebatur vas cerevisiâ plenum removeri, & millenis vicibus denuo experiebatur, sensim os admovens cerevisiæ, mox subitissimè caput removens. Tentatum fuit, an per arundinem cavam sugere posset cerevisiam, sed nec hoc potuit perficere; sícque periit miserrimè.

Dum observabant Medici in talibus ægris sitim ingentem, adeóque summum potûs desiderium, & tamen illos convelli, dum tentarent potum deglutire, imò dum labiis vel linguæ admoverent, in quibusdam etiam liquidi cujuscumque adspectum summum metum facere, imò & furorem; varias excogitaverunt causas mirabilis hujus symptomatis. *Aetius* (*b*) notat, quosdam dixisse, quòd canis imaginem viderent hydrophobi in omnibus liquidis, hinc horrerent. *Baccius* extra omne dubium hanc rem ponit, dicens, (*c*) *Vidi ergo tales abhorrere in poculo canes, ac abigendos ex cubiculo exclamare.* In ultimo morbi stadio quandoque delirantes hydrophobos talem fortè phantasiam habuisse, non videtur impossibile; sed inde aquæ metum deduci posse in omnibus, repugnat Observationibus fidelibus & frequentissimis. *Salius Diversus* (*d*) plures interrogavit hoc morbo correptos; negaverunt constanter, se aliquid videre in aqua: præterea non tantùm aquam, sed & juscula, aliáve fercula dilutiora, turbidósque potus, in quibus nihil tale potest repræsentari, pariter fugiunt, nec per siphonem trahere liquida possunt, quæ non vident. Neque etiam apud recentiores Medicos, qui omni cum cura hunc morbum indagaverunt, aliquid simile legitur. Solet incusari difficultas deglutitionis; sed certè solidos cibos deglutiunt, & quandoque avidè comedunt (*e*). In illo ægro, cujus mentio præcedenti para-

(*a*) Philos. Transact. Abrigd. Tom. III. pag. 277. Confer. Bonet. Sepulcret. Anatom. Tom. I. pag. 215.

(*b*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.

(*c*) De Venenis, pag. 76.

(*d*) De Febri pestilent. &c. pag. 346.

(*e*) Ibid. pag. 364.

grapho facta fuit (*a*) notatur, quòd avidè comederit, nihil verò bibere potuerit. Cùm autem à salivæ deglutitione pessimè se habere tales ægros observatum fuerit, hinc voluerunt quidam Auctores, inde aquæ metum fieri, quia omnis potus salivam diluit, & in ventriculum deducit, dum deglutitur. Sed certè solidi cibi, dum masticantur & deglutiuntur, salivâ undique obducuntur. *Salius Diversus* (*b*) putat, ideo abhorrere omnia liquida, quia perceperunt se à liquidis assumptis pessimè habuisse: sed Historiæ talium ægrorum docuerunt, quòd primo initio, dum venenum illud actuosum fit, potum assumant facillimè, mox ipsi mirentur, quare potum, qui antea placuerat, nunc horreant: unde patet, illum metum aquæ & omnium liquidorum non sequi molestiam perceptam à deglutito potu, sed potiùs præcedere. Hydrophobus ille, cujus meminit celeberrimus *Sauvagius* (*c*), sensit se non posse ferre conspectum aut attactum aquæ, dum scyphos eluere vellet; jusculum tamen oblatum adhuc deglutire potuit, sed cum molestia. Ubi autem semel aquæ metum illum insuperabilem habent ægri, tunc non adeo mirum videtur, quare ad solum conspectum aquæ, imò & solum nomen, horreant: videmus enim etiam in sanis hominibus solum nomen rei nauseosæ & abominabilis, ventriculum subvertere. Ob similem rationem videntur res pellucidas, vel speculi instar reflectentes, horrere hydrophobi, utì notavit *Aetius* (*d*), quia aquæ ideam renovant. Imò quandoque observatum fuit, quòd ipsum aeris motum horreant, hinc adstantes rogent, ut cubiculum clausum maneat, & halitum ab ipsis avertant (*e*).

VOMITUS GLUTINIS FUSCI, &c. Talis vomitus non semper, sed quandoque tamen, observatur: æger ille, cujus statim mentio facta fuit (*f*), fœtidam vomebat materiam, instar sanguinis nigri, olei fœtorem redolentem, & quidem aliquot vicibus, cum levamine: in cadaveribus hoc morbo defunctorum bilis viridis viscidæ magna copia reperta fuit (*g*).

INCALESCENTIA, FEBRIS, sæpius solent comitari hydrophobiam (*h*): tamen & alii casus observati fuerunt, ubi hæc non aderant. Puerum septem circiter annorum hydrophobum, postquam à fele rabida morsus erat, externas partes corporis frigidas habuisse, legitur (*i*); sed simul habebat pulsum omni modo malum, & in syncopen dilabebatur. In illo puero videntur vires vitales à veneno penitus oppressæ fuisse.

Febris autem quandoque adest, & quidem satìs valida (*k*); non semper tamen (*l*). Plures enim casus ab Auctoribus recensentur, ubi hydrophobi perierunt homines absque ulla febre (*m*): quinimo *Salius Diversus* testatur,

(*a*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 366.
(*b*) De Febr. pestilent. pag. 349.
(*c*) Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rage, pag. 12. in notis.
(*d*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.
(*e*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 366. Confer. Sauvag. Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rage, pag. 12, in notis.
(*f*) Sauvages in loco modò citato. Phil. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 366.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Ibid. pag. 368.
(*i*) Ibid. pag. 12, in notis.
(*k*) Ibid. pag. 51.
(*l*) Ibid. pag. 37.
(*m*) Miscellan. Curios. Dec. III. Ann. IX. X. Supplem. pag. 254.

se tantùm binos vidisse, qui hunc morbum unà cum febre patiebantur; quorum unus, à rabido cane demorsus, ulcere jam sano, ex vehementissimo ictu contusionem ingentem in imo ventre acceperat; unde validâ febre prehensus, & paulò pòst rabie correptus, tertiâ die vitâ functus est: posset certè febris hæc validæ contusioni prægressæ adscribi. Alter casus, ubi febrim hydrophobiæ comitem observavit *Salius*, erat in muliere, quæ, absque contagio accepto, in morbo acuto hydrophoba facta fuerat; cujus mentio facta fuit §. 1130. His autem binis casibus exceptis, dicit, (*a*) *Reliquorum rabientium, quos ego vidi, neminem sensi ullâ conflictari febre, nec hujus adesse suspicionem, ne dixerim signum, observavi. Hinc colligo, rabientes ratione proprii virus non febricitare; si autem aliquando febricitent, hoc ex corporis præviâ alterâ indispositione fieri.* Cùm autem aliæ fide dignissimæ Observationes doceant, hydrophobos febricitasse, tantùm inde concludi potest, quòd febris non semper adsit.

VIGILIÆ ASSIDUÆ. Cùm enim anxietas magna semper adsit, sitísque & siccitas faucium, hinc somnus admodum difficilis, vel nullus; de quo symptomate hujus morbi satìs convenit inter Auctores.

PRIAPISMUS. A *Galeno* quidem definiebatur, quòd esset (*b*) *Incrementum pudendi stabile, in longitudinem ac orbem tumefacti, citra rei venereæ appetentiam.* Interim tamen & à Medicis vocatur hoc nomine perpetua & constans membri virilis erectio, licèt simul acer in venerem stimulus adsit. A *Priapo*, hortorum custode Deo, qui erecto membro in Statuis antiquis visitur, nomen derivatum est. Hoc symptoma in pluribus hydrophobis observatum fuit. Ita legitur (*c*) de bajulo, qui ultimis tribus diebus morbi, involuntariis & perpetuis pollutionibus, semen & animam simul efflavit. Septuagenarius homo, priapismo incitatus, ipso morbi decursu uxori concubuit (*d*). Idem illud symptoma legitur observatum fuisse à *Listero* (*e*), qui tamen credebat, illud à largis emplastris vesicatoriis, quæ applicata fuerant, productum fuisse. Observavit idem celeberrimus *Meadus* (*f*): sed & notatur in illa morbi Historia, quòd fuerint applicata vesicatoria. Interim tamen ab *Aureliano* inter symptomata hujus morbi recensetur (*g*) *Veretri frequens tensio cum seminis involuntario jactu;* licèt in curatione hujus morbi apud hunc Auctorem nulla fiat vesicatoriorum mentio. In fœmina simile malum vidit *Amatus* (*h*).

COGITATIONUM ALIENARUM, &c. In locis statim citatis plurima Exempla habentur, quòd magna in cogitatione mutatio simul his ægris contigerit. Quandoque summum odium habebant erga illos, quos ante morbum

(*a*) De Febr. Pestilent. pag. 558.

(*b*) De Compos. Medicam. secund. Loc. Lib. IX. Cap. ix. Charter. Tom. XIII. pag. 624. 625.

(*c*) Hernandes Rerum Mexican. Medicar. Thesaur. pag. 493.

(*d*) Bonet. Sepulchret. Anatom. Tom. I. pag. 216.

(*e*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. III. pag. 278.

(*f*) Ibidem Tom. V. pag. 369.

(*g*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. xi. pag. 220. 221.

(*h*) Amat. Lusit. Curat. Medic. Cent. 7. Curat. 41. pag. 739.

amabant & reverebantur; aliquando tantam inquietudinem, ut celerrimè aufugiſſent, ni ab adſtantibus impediti, & plura alia ſimilia.

Omnia hactenus recenſita ſymptomata ſolent ſecundum morbi gradum comitari. Verùm citò augentur hæc mala, & tunc miſerrima conditio talium hominum eſt: ſitiunt immaniter, ſed nequidem potum nominari ferunt, quin furant & convellantur. Unde *Aurelianus* monuit, dum vena his ſecari debet, (*a*) *Ita influenti ſanguine avertenda ſunt ægrotantium ora; atque manu excipiendus fluor, ne ſonitu perculſi commoveantur.* Lingua ſicca fit atque aſpera, & hiante ore prominet, horrendo certè ſpectaculo; cúmque interna oris exſiccentur, vox admodum rauca fit; & cùm ſimul reſpiratio admodum difficilis ſit, interruptâ voce loquuntur; unde latratum canis imitari hos ægros, ſcripſerunt Auctores. Cùm autem propriam ſalivam horreant (*b*), quia illâ deglutitâ peſſimè afficiuntur, hinc illa colligitur circa os, ſpumoſa fit, & ob anhelam admodum reſpirationem unâ cum halitu exſpirato quaquaverſum diſpergitur. Imò fatentur tales ægri ſæpe, quòd habeant ineluctabile deſiderium adſtantes conſpuendi, vel etiam mordendi; hinc monent ne propiùs accedant. Non enim ſemper delirant tales ægri; unde meritò *Salius Diverſus* (*c*) dixit, inter propria & pathognomonica hujus morbi ſigna delirium non eſſe numerandum. Fatetur quidem, ſe nonnullos vidiſſe rabientes, qui non tantùm delirarent, ſed & furerent: tamen teſtatur, ſe & vidiſſe alios, in quibus nulla unquam fuit vel minima delirii ſuſpicio, qui æquo animo ferebant omnia tentamina quæ adhibebantur, ut potum ſumere poſſent; cúmque canum more cogerentur inviti & reluctantes alios morſu petere, rogabant cuſtodes, ut ipſos coercerent validè, ne in adſtantes inſilire poſſent, imò vincula apponi libenter tulerunt quidam, ut ſic ſecuri eſſent, ſe aliis nocere non poſſe. Delirantis & peſſimè furentis hydrophobi caſus legitur (*d*). Sed & alia Obſervatio habetur de tali ægro, qui non ſolùm mente conſtabat per totum morbi decurſum, verùm quibuſdam adſtantium viſus fuit, meliùs ratiocinari, quàm ſanitatis tempore (*e*). In genere videntur Obſervata docere, rarò penitus delirare hydrophobos, ſed licèt torvo & minaci vultu, clamoribus, feroci mordendi conatu, terreant adſtantes, tamen mentis compotes, manere pleroſque ad mortem uſque. *Palmarius* (*f*) quidem voluit, hydrophobiâ prehenſos, eſſe mente captos, & ſe ſuóſque ignorare: fatetur tamen in remiſſione mali multos miſeriam ſuam agnoſcere ac deplorare. Hiſtoriæ enim hujus morbi docent, non ſemper continuo tramite hunc morbum decurrere, ſed ſæpe ſubitò exacerbari omnia, dein iterum remittere parùm (*g*): ſed ſimul conſtat, plures hydrophobos monuiſſe adſtantes, ut ſibi caverent, dum præſentiebant novum furoris

(*a*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XVI. nº. CXXVII. pag. 230.

(*b*) Philoſoph. Tranſact. Abridg. Tom. III. pag. 279.

(*c*) De Febr. peſtilent. &c. pag. 355.

(*d*) Philoſoph. Tranſact. Abridg. Tom. V. pag. 367. 369. Baccius de Venenis pag. 70. Medical. Eſſays Tom. V. Part. II. pag. 595.

(*e*) Philoſoph. Tranſact. Abridg. Tom. III. pag. 281.

(*f*) De morbis contagioſis, pag. 269.

(*g*) Philoſoph. Tranſact. Abridg. Tom. V. pag. 367.

quasi paroxysmum instare: rubor faciei major, oculorum immobilitas, distorsiones musculorum faciei, plerumque præcedunt immediatè talem exacerbationem.

Miserrimus ille ægrorum status non diu durat; incipit tunc pulsus vacillare, imò deficere, respiratio fit difficillima, sudor gelidus viscidus per totum corpus exit, & plerumque convulsi pereunt. Habetur tamen Observatio hydrophobi (*a*), qui absque ulla convulsione, imò absque agonia, moriebatur, ac si universalis paralysis mortem induxisset: in hoc autem ægro incipiens morbus post dolores molestos veram paralysin fecerat in brachio demorso. Raro vel nunquam quartum diem excedit hic morbus, computando inprimis à fine primi gradûs; quia, uti ad eamdem hanc paragraphum jam monitum fuit, prima illa symptomata, quæ latens venenum docent jam actuosum fieri, quandoque per plures dies durant, antequam aquæ metus sequatur.

§. 1139. EX tota hac Historia (1129, ad 1139.) constat hujus mali cognitio: prognosis autem elicitur ex consideratione (1135. 1137. 1138.), simúlque cogitando tristissimos ubique eventus, quum, à nata Medicina hucusque, omnes ferè Artis Principes deplorent, *demorsorum prophylaxin vix ullam certam haberi, at jam aquam paventium sanatorum Exemplum dari certâ fide nullum.* Maximè verò dolendum, post sæcula elapsa, irritum successum hactenus applicatorum deplorantia, non esse tentatas diversas à primis Methodos.

Diagnosis hujus morbi ex hactenus enarratis satis evidens habetur: recensita enim fuerúnt signa, quæ demonstrant, canem, vel aliud animal, rabiosum esse: deinde descripta fuerunt symptomata quibus successivè hic morbus in homine se manifestat. Prognosis autem elicitur pariter ex antè dictis: nam §. 1135, habentur illa, quæ successivè in canibus rabidis occurrunt; túncque monitum fuit, morsum eò periculosiorem esse, quò animal diutius hoc morbo laboravit, & morti propinquius est. Præterea ad §. 1137, patuit, quòd calor magnus aeris excitando huic morbo faveat; & citiùs actuosum reddatur hoc venenum in calidis ac biliosis hominibus, quàm in frigidis ac leucophlegmaticis; adeóque varium vivendi genus, & diversa remedia exhibita, in prognosi considerandа sunt. Totus autem morbi decursus præcedenti paragrapho descriptus fuit; adeóque major vel minor spes est, prout symptomata hæc graviora vel leviora fuerint.

Id autem & difficile & tristissimum simul in prognosi est, quòd non habeamus certa signa, quæ docent, illud venenum, ab homine susceptum, ex corpore expulsum esse, vel sic domitum, ut in posterum nocere nequeat. Ex illis enim, quæ ad §. 1137, dicta fuerunt, constat, illud venenum diu

(*a*) Philosoph. Transact. Abridgem. Tom. III. pag. 281.

posse latere in corpore, & nullo indicio se manifestare; attamen postea subitò actuosum reddi, & calamitosissimum hunc morbum producere. Unde, licèt Medicus efficacissima remedia adhibuerit ad præcavenda pessima mala, quæ morsum rabidi animalis sequi solent, tamen nondum est ab omni metu liber, dirum hunc morbum posse sequi. Prudens Medicus hoc ægris nunquam revelat, sed illorum animos certâ spe erigit; cùm constet Observatis, metum futuri mali nocere: interim tamen Medicus angitur ob incertam prognosin, dum ægros suos magnâ consolatur fiduciâ, & quidem tantò magis, quia omnes ferè Medici desperaverunt de curanda rabie, ubi ægri jam ab aqua & omnibus liquidis incipiunt abhorrere; illúdque symptoma brevì solet sequi, dum venenum hoc actuosum fieri incipit.

Dioscorides (*a*) testatur quidem, quòd plures demorsos ab aquæ metu vindicaverit, & etiam ab aliis Medicis noverit servatos; verùm ubi jam hydrophobi erant, nullum novit servatum fuisse. Ex Historiis quidem unum alterúmve hoc morbo evasisse acceperat, sed ipse nullum talem casum vidit. *Ægineta* (*b*) similia testatur, addítque, illos, quos ex Historia servatos didicerat, non à rabioso cane demorsos fuisse, sed ab homine quodam priùs morso hunc morbum accepisse. Notavit autem celeberrimus *Sauvagius* (*c*), quòd venenum rabidum, ab homine communicatum alteri homini, minùs virulentum sit, quàm quod per morsum canis aut lupi communicatur. *Aetius* (*d*) meminit Philosophi, qui invicto mentis robore superavit aquæ metum; sed videtur suspecta nonnihil esse illa Historia, quia dicitur, quòd ille Philosophus balneum ingressurus viderit in aqua canis imaginem, tunc ratiocinio suo utens, dixerit: *quid cani commune cum balneo?* sícque superaverit morbum. Licèt autem reliqua symptomata hydrophobiam comitantia à Veteribus descripta adhuc hodie Medici inveniant, tamen illam imaginem canis in liquidis oblatis, causam, ut fertur, quòd aquam horreant ægri, non confirmant Recentiorum Observata. Unde etiam *Salius Diversus* hujus Historiæ fidem in dubium vocat, dicens, (*e*) *Cùm enim ab eo tempore citra per tot sæcula nullam habuimus Historiam attestantem, confirmatam rabiem sanatam fuisse; in dubium mihi vocatur de fide horum Scriptorum: quòd si verò hi ex hoc morbo salvati sint, in eam eo sententiam, ut incipienti, non progresso morbo, reluctatum sit.*

Interim tamen non videtur negari posse, aliquos evasisse hydrophobos: videntur enim Observationes satìs exactæ, post *Salii Diversi* tempora notatæ, hoc docere. *Helmontius* oculatum testem se profitetur. Vidit enim (*f*) *Transnatantem navem, & in ea senem nudum, funibus vinctum, habentem pondus in pedibus: subter axillas zonâ cingebatur, quâ ad antennam ligatus erat.... unus è nautis dixit senem illum jam hydrophobum, & à rabiente de-*

(*a*) Theriac. Cap. II. pag. 423.
(*b*) Lib. V. Cap. III. pag. 74, versâ.
(*c*) Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 7. & 34.
(*d*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.
(*e*) De Febre pestilent. &c. pag. 366.
(*f*) Ort. Medicin. Tractat. *Idea Demens* n°. XLVII. pag. 227. 228.

morsum fuisse pridem. Credebat *Helmontius*, quòd miserum suffocare sub aquis in animo haberent ne propagaretur contagium, at nauta audacter promittebat, senem pòst rediturum sanum. Pretio impetravit *Helmontius*, ut socius & testis esset hujus curationis; vidítque, quòd senem in altum priùs sublatum in mare præcipitem dederint, & sub aquis retinuerint tanto tempore, quo psalmus *Miserere* recitari potuisset: postea adhuc binis vicibus submerserunt, sed non tam diu. Dúmque mortuum senem suspicaretur *Helmontius*, solutis vinculis, cepit aquam marinam, quam hauserat, evomere, & revixit postea rabie liber. Testabatur autem nauta, omnes hydrophobos sic sanari posse. Aliud Exemplum sanatæ hydrophobiæ legitur (*a*). Præterea ad §. 1130, casus enarratus fuit sanatæ hydrophobiæ; verùm ille morbus non à morsu animalis rabidi natus fuerat, sed sponte in morbo acuto aquæ metus sequebatur.

Fortè quandoque illud venenum minorem efficaciam habet, & tunc quidem aliquem aquæ metum producit, sed non omnino incurabilem: sequens casus (*b*) hoc docere videtur. Bini pueri, unus decem, alter novem annorum, laverant & pertractaverant multùm caput canis, qui ab alio cane rabido demorsus fuerat, hoc effectu, quòd vulneribus sanatis à rabie liber mansit ille canis. Verùm post sex menses circiter ambo pueri inceperunt se malè habere, in imo abdomine dolorem sentire, qui sensim versùs umbilicum adscendebat: post binos menses accedebat ad hos dolores lenis alvi fluxus, & quandoque animi deliquia: post aliquod tempus dolores abdominis ad ventriculum adscendebant, imò & altiùs, túncque sequebantur convulsivi motus circa ventriculum & abdomen: circa finem noni mensis inceperunt aquam horrere, nec poterant ullum liquidum adspicere, quin statim animo linquerentur, sequentibus postea motibus corporis convulsivis; imò latratum canis imitabantur, & mordebant, inprimis ætate major. Paroxysmi illi per horam durabant, quandoque minùs, & circa finem paroxysmi animo linquebantur: postea dùm ad se redibant, meticulosi fugiebant adstantes, atque intra horæ circiter spatium penitus erant ab omnibus his symptomatibus liberi. Notari meretur, quòd eodem præcisè tempore ambo pueri corriperentur hoc paroxysmo & inde emergerent: quotidie autem in ambobus exasperabatur malum. Undecimo mense pejora erant omnia, ita ut & extra paroxysmos fugerent homines neque ad se invicem accedere vellent, post septimanam autem natu major patrem accessit, & admirabundus dixit, quòd bene se haberet, & absque ullo metu aquam intueri posset; idem contigit natu minori: post tres quatuórve dies recidivam patiebantur, & post septimanam denuo subitò liberabantur; & bene se habuerunt in posterum, nisi quòd natu major quinto-decimo mense adhuc aliquot paroxysmos passus fuerit.

Ex his patet, non quidem absolutè dici posse, quòd nullus unquam paven-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 58.

(*b*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. III. pag. 282.

tium

tium sanatus unquam fuerit; sed & simul constat, raro admodum contigisse hanc felicitatem. Ob hanc causam videntur Medici ferè desperasse de curando hoc morbo: dederunt tantùm talia remedia, quæ tot sæculorum Experientia demonstraverat esse imparia huic morbo debellando, neque videntur multùm incubuisse, ut novæ Methodi tentarentur. Ultimis tamen his temporibus cordati Viri ausi fuerunt à trita via recedere, & experiri, quid alia remedia efficere possent, laudabili certè instituto, nec absque successu; uti postea in curatione videbimus.

§. 1140. DISSECTIO cadaverum docuit, plerumque organa deglutiendi utcumque inflammata; gluten biliosum varium in stomacho; vesiculam fellis atrâ plenam; pericardium siccum; pulmones coacervato omni ferè cruore incredibiliter plenos; cor sanguine sæpe ferè siccato plenum; arterias plenas; venas vacuas; cruorem valde liquidum, & vix in aere concrescentem, dum missus venâ concreverat ante triduum; omnes musculos, viscera, cerebrum, cerebellum, spinalem medullam, sicciora solitò.

Antea ad §. 1136, monitum fuit, venenum rabidum multiplici contagio posse communicari; imò & pertractationem multam rerum infectarum non carere periculo: hinc multis videretur imprudens facinus, hydrophoborum cadavera dissecare, inprimis cùm Observata quædam docere videantur, quòd aliquid maligni in talibus cadaveribus adsit. Chirurgus enim, dum hydrophobi cadaver secabat, scalpello leviter vulnerabat digitum indicem, & mirabatur, quòd longè majorem dolorem perciperet, quàm à tali vulnusculo exspectare potuisset. Alter Chirurgus, qui biduò antè digitum vulneraverat, dum manubus versat in simili cadavere viscera, cadit emplastrum vulnus tegens, quòd hinc tabo cadaveris perluebatur, sed paulò pòst erysipelas manum occupavit cum multa tensione & dolore (*a*). Interim non novi, in *Historia Medica* memorari Exemplum, quòd rabies communicata fuerit per sectionem cadaveris hoc morbo defuncti. Similia autem mala, ac illi Chirurgi passi fuerunt, quandoque contigerunt sedulis Anatomicis, dum putridas cadaveris partes dissecarent. Verùm docuerunt Observata, quòd cadavera hydrophoborum mediâ hyeme intra quindecim horarum spatium pessimè computruerint (*b*); adeòque videtur subitæ putredini adscribi hoc posse.

Videndum jam, quænam in cadaveribus hoc morbo defunctorum fuerint observata.

ORGANA DEGLUTITIONIS UTCUMQUE INFLAMMATA. Ex Historia morbi & symptomatibus antea enarratis patuit, quòd liquida vel omnino non, vel saltem difficillimè, deglutiant: dubium autem videtur, an illa impedita liqui-

(*a*) Philosoph. Transact. Abrigdm. Tom. III. pag. 282.

(*b*) Sauvag. Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 41.

dorum deglutitio inflammationi organorum deglutitionis adscribenda sit, an verò horrori insuperabili ab omnibus fluidis, qui in hoc morbo observatur. Historia morbi docet, quòd ægri, dum incipiunt aquam & omnia liquida metuere, de nullo dolore faucium conquerantur; imò quòd solidas offas deglutiant, absque impedimento, majori sæpe alacritate, quàm in sanitate solebant. Juvenis quatuordecim annorum (*a*), qui hoc morbo periit, optimè comedebat, licèt nullum potum deglutire posset. In anginis autem inflammatoriis, utì notum est, & dolor adest, & solidorum ciborum impossibilis deglutitio, licèt liquida adhuc transire possint. Unde videtur illa inflammatio potiùs effectus morbi jam facti, quàm causa: non mirum enim est, has partes inflammari, dum convelluntur vel ad minimum tentamen liquidi deglutiendi, nullo humido madescunt, ingens copia salivæ excernitur; hinc exsiccantur penitus. In cadavere juvenis hydrophobi, sed raptim dissecto, inventa fuit interior superficies œsophagi inflammata; aspera arteria etiam parùm inflammata apparebat (*b*). Non tantùm œsophagus, sed & ventriculus, & intestina inflammata rubescebant in alio cadavere (*c*). Ventriculus ac intestina maculis rubris respersa, & intensissimus rubor in interstitiis membranosis cartilagineorum asperæ arteriæ circulorum inventus fuit in alio casu (*d*). Verùm aperta aliquoties cadavera hydrophoborum nulla inflammationis signa dedisse etiam legitur (*e*). Celeberrimus *Meadus* pariter fatetur, quòd in tali cadavere in capite, faucibus, pectore & ventriculo nihil insoliti invenerit (*f*): sed notandum, quòd erat novem annorum puer, qui secundo morbi die perierat; pulsum verò debilem, nunc celeriorem, nunc verò tardiorem habuerat, dum incipiebat morbus: in juvene autem octodecim annorum, qui triduò ante mortem febricitare inceperat, post mortem fauces admodum inflammatæ inveniebantur (*g*). Unde videtur verosimile esse in illis, quibus morbus per plures dies durat, & acriter febricitant, inflammationem observari circa deglutitionis organa, in reliquis non adeo.

GLUTEN BILIOSUM, &c. Historia morbi docuit ægros sæpius talem materiam rejecisse, & utì postea in cura dicetur, quandoque cum aliquo levamine. In illo cadavere (*h*) ubi nihil præternaturale in visceribus deprehendebatur, inventa fuit ingens copia viscidæ viridescentis bilis. Observatores, qui descripserunt illa, quæ in cadaveribus hydrophoborum notata fuerunt, ferè omnes testantur, biliosam materiem in ventriculo fluctuasse; vel cystidem felleam tenaci, & quandoque atrâ-bile distentam fuisse; utì videri potest in locis Auctorum modò citatis.

PERICARDIUM SICCUM. Notum est, ex Physiologicis, internam super-

(*a*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 366. 368.
(*b*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 55.
(*c*) Hernandes Rerum Mexican. Medic. Thesaur. pag. 494.
(*d*) Bonet. Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XIII. Tom. pag. 342.
(*e*) Ibid. Sect. VIII. pag. 211.
(*f*) Philos. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 368.
(*g*) Ibid. pag. 369.
(*h*) Ibid. pag. 368.

ficiem pericardii, totámque ſuperficiem cordis, auricularum, ac vaſorum majorum venoſorum & arterioſorum circa cor, quæ omnia pericardii cavo continentur, ſemper madeſcere tenuiſſimo halitu, qui ex vaſis exhalantibus harum partium exit; adeóque ſic impediri, ne cor cum pericardio concreſcat, ſimúlque conſervari debitam flexilitatem in omnibus his partibus. Illud autem exhalans, cùm tenuiſſima & fluidiſſima pars ſanguinis ſit, debet minui, imò & tandem deficere, dum ob potûs penuriam, jactationes perpetuas, ſudores continuos, tenuiſſima humorum pars perit; nec reſtituitur. Ob hanc rationem pericardium, quod poſt mortem aliquid humidi collectum habere ſolet, ſiccum in cadaveribus hydrophoborum inventum fuit, utì Obſervata teſtantur (*a*).

PULMONES COACERVATO, &c. Omnis ſanguis venoſus, à toto corpore redux, debet priùs per pulmonem tranſire, antequam denuo aortæ arteriæ ope per totum corpus diſtribuatur. Verùm per ſecretiones varias factas, dum ſanguis per arterias fluit, plurimùm liquidioris partis de ſanguine ſecedit, adeóque ſanguis venoſus craſſior & minùs meabilis fit. Verùm in ſanis, quidquid per venas abſorbentes ventriculi, inteſtinorum, & totius ſuperficiei corporis tam internæ quàm externæ ingreditur, omne illud ſanguini venoſo permiſcetur, antequam per pulmones pellatur, ſícque ſanguis venoſus dilutus ſatìs & meabilis ſervatur, ut per pulmonalis arteriæ anguſtias ultimas tranſire poſſit. In hoc morbo autem deficit reſtitutio liquidi deperditi; hinc brevì hærere incipit ſanguis in arteriis pulmonalibus, vel ſaltem tranſire difficulter; unde, utì anteà monitum fuit, anhela reſpiratio in rabidis animalibus obſervatur, & hydrophobi intolerabilem anxietatem reſpirationémque difficilem patiuntur. De hac re poſſunt & videri illa quæ ad §. 848, habentur, ubi de peripneumonia lethali agebatur. Magìs ergo magíſque accumulatur in pulmone ſanguis ſpiſſior, donec tandem pulmonis vaſa arterioſa penitus infarcta fuerint, nihílque ampliùs in cor ſiniſtrum venire poſſit. Sic vidit *Jo. Faber Lyceus* in cadavere hydrophobi (*b*) *Nigerrimum in dextro cordis ventriculo ſanguinem, quo omnino carebat ſiniſter. Erat autem hic per pulmones mirè accenſos & tumidos plurimus diſperſus.* Et apud *Bonetum* (*c*) paritur legitur, in cadavere hoc morbo defuncti, pulmonem circumquaque pleuræ adhæreſcentem retuliſſe concreti ſanguinis molem, adeo infarctus erat immeabili cruore! Sive autem cordis ventriculi, ſive majora vaſa circa cor aperirentur, ſive pulmones mille locis inciderentur, nullibi niſi concretum ſanguinem, omni propemodum ſero fluido deſtitutum reperire licuit. In alio cadavere inventum fuit, quòd dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſo plenus erat; in ſiniſtro verò cordis ventriculo ſanguis planè fluidus (*d*), dum nempe per in-

(*a*) Bonet. Sepulcret. Anatom. Cap. 1. Sect. VIII. Tom. I. pag. 212.

(*b*) Hernandes Rerum Mexican. Medic. Theſaur. pag. 494.

(*c*) Sepulcret. Anatom. Lib. I. Sect. XIII. Tom. I. pag. 342.

(*d*) Ibid. Sect. VIII. pag. 212.

farctos pulmones tantùm tenuissima sanguinis pars transire potuerat.

ARTERIAS PLENAS; VENAS VACUAS, CRUOREM, &c. Hoc etiam observatum fuit in cadavere, ubi nullo loco sanguis coagulatus apparebat, quinimo sanguis post mortem repertus non coagulabatur frigore aeris, cùm tamen ante aliquot dies per venæ-sectionem eductus coagularetur sponte (*a*). Notandum autem est, quòd paulò antè etiam monitum fuit, non in omnibus hydrophobis inflammationis signa apparuisse: videntur enim in quibusdam putridâ dissolutione omnia corrumpi, & dissolvi humores, non autem disponi ad inflammatoriam spissitudinem. Mirum quidem videri potest, quòd ab eodem veneno oppositi effectus producantur, inspissatio nempe sanguinis, & ejus dissolutio. Verùm si considerentur illa, quæ ad §. 730, de *synocha putrida* dicta fuerunt, constabit, quòd morbosa illa miasmata quandoque incitato motu circulatorio, sanguini inducant spissitudinem inflammatoriam dictam, aliquando etiam inducant aliam sanguinis & humorum degenerationem priori penitus oppositam, nimiam nempe attenuationem in putredinem vergentem. Evidens Exemplum hujus rei habemus in contagio varioloso, quod in variolis discretis inflammationem & suppurationem producit; in pessimis verò confluentibus, ab eodem contagio natis, putridissima humorum dissolutio brevì sequitur, sæpe citò lethalis. Cùm autem ad §. 1135, notatum fuerit, morsum rabidi animalis, si illud vehementissimè furat, diutius morbo laboraverit, & morti jam propius sit, citissimè creare violentissima symptomata; & contrà mitiora omnia esse, si in primo stadio morbi incipientis homini per morsum vulnus inflictum fuit; patebit ratio, quare veneni rabidi effectus diversi in humoribus observati fuerint. Sic intra biduum periit mulier hoc morbo, ejúsque cadaver mediâ hyeme totum computruit quindecim horarum spatio (*b*). Unde concludi posse videtur quòd periculosior, & citò lethalior sit humorum dissolutio putrida, quàm inspissatio inflammatoria; quod & in aliis morbis confirmat Observatio.

Verùm ubi talis dissolutio humorum obtinet, sanguis non accumulabitur in pulmonibus, sed facilè transibit in cor sinistrum: hinc venæ corporis evacuabuntur satìs libere. Cùm autem per arteriarum angustias sanguis, licèt magìs solutus sit, transire non possit, nisi cordis & arteriarum vires agant validè; hinc incipit accumulari in arteriis, quia in pessimis illis morbis, ubi talis humorum degeneratio est, omnes Medici observant, pulsum frequentem, debilem, inæqualem, intermittentem, qui designat vitales vires, quæ humores per vasa movent, opprimi. In pulmonalis autem arteriæ ramis minùs hærebit sanguis, quia tota vis cordis dextri urget sanguinem solutum in arteriam pulmonalem; & licèt hæc vis etiam debilior sit, respiratio semper frequens & anhelosa in iisdem morbis expedit viam, quæ longè brevior est, quàm ubi sanguis vi cordis & arteriæ aortæ ad extrema corporis usque pelli debet. Unde etiam in talibus morbis extremitates

(*a*) Academ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 55. 56.

(*b*) Sauvag. Dissertation sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 41.

corporis frigere solent, dum æstus percipitur circa præcordia.

OMNES MUSCULOS, VISCERA, &c, SICCIORA SOLITO. Etiam hoc Observatio docuit, & quidem in eodem cadavere, in quo sanguis magìs dissolutus inventus fuit (*a*): licèt enim putredo incepta crassiorem sanguinis partem sic dissolvat, ut non concrescat ampliùs; deficit tamen æquè in hoc sanguine subtilior aquosa pars, quæ continuò exhalans interiora corporis humectat, utì paulò antè demonstratum fuit. Præterea ob turbatas & debiles vires vitales, omnes secretiones languent, depravantur, & ob aquæ metum non restituitur humoribus illud, quod vitæ tempore continuò difflatur de corpore. Summam siccitatem in visceribus naturalibus & vitalibus in cadavere hydrophobi pariter observavit *Bonetus* (*b*).

§. 1141. CURATIO omnis hactenus, paucissima exceperis, incerta tam Prophylactica, quàm Therapeutica; cujus prima causa, inanis jactantia multorum specificorum, & neglectus Methodi ex Historia mali excogitatæ.

Doluerunt omnes boni Medici in tetro hoc morbo, ubi jam aquæ metus adest, paucissimos sanatos fuisse; utì constat, ex illis, quæ ad §. 1130, dicta fuerunt. Verùm & illa cura, quæ in demorsis aquæ metum præcavet, nondum ad illam certitudinem deducta est, ut absque omni metu huic confidere possimus. Per menses, imò per annos, utì ad §. 1137, dictum fuit, sani vixerunt homines à rabido animali demorsi, attamen postea nihil minùs cogitantes oppressit dirus morbus; & contrà quidam immunes manserunt, licèt demorsi fuissent ab eodem animali, à cujus morsu plures alii in hydrophobiam inciderant. Hinc licèt in quibusdam quædam remedia data, prophylaxis causâ, profuisse viderentur, tamen nondum absolutè certi sumus, quia fortè absquè his auxiliis evasissent. Accedit quòd sæpe difficile sit, plenam habere certitudinem, illud animal, quod morsum inflixit, rabiosum fuisse; si vel aufugerit, vel illico, utì solet fieri, occisum fuerit. Quandoque & demorsi pereunt alio morbo, antequam se manifestet hydrophobia; tunc pariter incerti sumus de efficacia remediorum, quæ adhibita fuerunt. Elapso anno tractavi duos infantes, in manu demorsos à cane, qui ab omnibus, eumdem pagum inhabitantibus, rabiosus credebatur; hinc occisus illico. Miseri tumido infarcto abdomine ob pessimum victum in magna paupertie laborabant, & post quinque menses lentâ perierunt atrophiâ, absque ullis tamen hydrophobiæ signis: interim tamen non omnino certus sum, illos absolutè curatos fuisse, cùm longè diutius illud venenum in corpore latere possit, utì antea probatum fuit. Hæc videtur ratio, quare tam multa, ut specifica, contra hoc venenum commendata fuerint, quia in talibus casibus profuisse videbantur: dum interim absque ullo emolumento data fue-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 56.

(*b*) Sepulcret. Anatom. Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. pag. 210. 212.

runt postea aliis, in quorum corpore hoc virus latebat: de celebrioribus talibus specificis postea ad §. 1147, adhuc plura dicenda erunt. Verum quidem est, pleraque hæc jactata specifica satis innoxia esse; obsunt tamen, dum his confisi ægri negligunt alia efficaciora remedia, quæ quidem non agunt specificâ virtute, sed indicantur symptomatibus in morbi decursu observatis.

Dictum fuit antea ad §. 9, duplicem esse modum curandi morbos: vel enim directè agimus in causam morbi, non mutato reliquo corpore; ut dum v. gr; cortice Peruviano curamus febrim intermittentem; atque hæc curatio specifica dicitur: vel observando effectus quos causa morbosa in corpore producit, conamur per idonea remedia hos effectus tollere vel præcavere. Si possem venenum variolosum specifico remedio reddere iners, ut non turbaret corpus, curatio specifica esset & pulcherrima: sed cùm tale remedium hactenus cognitum non sit, febrim à contagio varioloso excitatam justo in moderamine conor servare, ut nec furibundo impetu destruat corpus; nec ita segnis sit, ut non sufficiat subigendæ materiæ morbosæ & ad ambitum corporis depellendæ: per balnea cutim, inprimis inferiorum partium, adeo laxam reddo, ut huc versùs major copia materiæ morbosæ vergat & deponatur; sícque liberetur caput & interiora corporis hâc metastasi. Putridam humorum dissolutionem in pejori variolarum specie per idonea remedia præcavere, vel jam factam emendare, conor; sícque certus sum me ægris prodesse, licèt morbum in primis suis incunabulis opprimere non potuerim. Idem jam in rabie canina verum est: si per specificum remedium, certis & multis Experimentis cognitum, possem venenum susceptum iners omnino reddere, hoc solum sufficeret: verùm cùm nullum tale certâ fide cognitum sit, nihil aliud superest, nisi ex morbi Historia eruere, quomodo, & quibus cum symptomatibus, ille morbus decursum suum absolvat; & dein ex his rite perpensis deducere illa, quæ adhiberi cum spe fausti eventûs possent. De his autem sequentibus paragraphis dicetur.

§. 1142. QUANTUM ergo ex omni hac Historia, comparatione ejus cum aliis morbis, & feliciori paucorum casuum eventu concludere licet, videtur primò consistere in affectione nervorum, proximè referenda ad convulsiones, quæ viscera, horúmque vasa occupent; dein hinc vitium nasci sanguini, humoribúsque, quod inflammationi gangrænosæ quasi proximum sit; sedem verò mali primùm circa stomachum, & vicina hærere.

Ex illis, quæ dicta sunt ad §. 1138, ubi solicitè enumerabantur omnia symptomata hujus morbi illo ordine, quo se mutuò sequi solent, constat, prima signa incipientis mali in nervoso systemate apparere. Somnos habent perturbatos, tristes fiunt & meticulosi: adsunt tunc & lassitudines spontaneæ, dolores quasi rheumatici in membro, cui morsus inflictus fuit, qui deinde se per vicinas partes magìs magísque diffundunt: aucto malo, convul-

siones sequuntur, imò plures, utì antea ex casuum enarratione patuit, moriuntur convulsi. Dum jam aquæ metus adest, si vel summis labris liquida tangant, mox convelluntur; imò & in quibusdam observatum fuit, quòd, audito liquidi nomine, toti contremiscerent, imò & convellerentur. Impossibilis etiam deglutitio liquidorum videtur referri debere ad convulsionem musculorum, qui deglutitioni serviunt; nam observatur, musculos faciei miro modo distrahi, dum liquida ori admovere tentant: patuit enim ex illis, quæ ad §. 1140, dicta fuerunt, non semper fauces inflammatas fuisse inventas post mortem; & sæpe absolutam impossibilitatem deglutiendi liquida adesse, dum solidæ offæ facilè in ventriculum devolvuntur. Videntur enim quædam ex numerosis deglutitionis organis servire inprimis liquidorum depulsioni per œsophagum in ventriculum: unde, his convulsis, impossibilis fit liquidorum deglutitio. Antea, ubi de angina convulsiva agebatur, ad §. 818, mirum talem casum retuli de muliere, cæteroquin optimâ sanitate fruente, quæ liquida quidem deglutire poterat, si ad plures uncias simul subitò, & uno quasi impetu, ingererentur; parvam verò liquidi quantitatem nullo modo poterat deglutire; solidas autem offas, inprimis majores, satìs facilè. An œsophagus convellitur in hydrophobis, dum liquidorum deglutitionem tentant? Certè illum convelli posse, docet suffocatio hysterica dicta, dum præfocantem globum in faucibus sentiunt miseræ cum intolerabili anxietate. Ventriculum, cujus orificio superiori continuatione substantiæ nectitur œsophagus, miro modo inflatum fuisse, dum aqua offerebatur hydrophobo, antea ad §. 1138, dictum fuit: imò simulac diducebat labia tantùm, ut cerevisiam, cujus odore delectabatur, sumere tentaret, mox intumescebat ventriculi regio (*a*).

Cùm autem jactatione perpetuâ, vigiliis, sudoribus, liquidiora de corpore pereant, & nihil liquidi possit ingeri, exsiccatur corpus, febris accenditur, inflammatio nascitur, quæ vel ob veneni suscepti malignitatem, vel ob acrimoniam putridam, potûs penuriâ natam, citò in gangrænam lethalem transit, quæ omnia putrefacit, utì ex antecedentibus constat.

Ex quibus etiam patet, duplicem curationis scopum inde deduci. Vel enim debet tolli illa totius generis nervosi affectio, quæ facit convelli deglutitionis organa ad solum liquidorum adspectum (submersio videtur ad hanc rem facere, de qua statim dicetur); vel debet caveri per curam antiphlogisticam inflammatio, quæ futura metuitur.

Sedem autem mali primò circa (*b*) stomacum & vicina hærere, jam monuerat *Aurelianus*, utì ad §. 1130, dictum fuit. Confirmant & hoc morbi symptomata: ingens enim adest circa præcordia angustia (vide §. 1138); ad oblatum potum turget ventriculus, utì dictum fuit; vomunt biliosa, quandoque fusca & graveolentia; aliquando, vomitorio dato, levamen habuerunt, utì postea in curatione dicetur. Præterea Observatio docuit (vide §. 1130. 1139.), inflamma-

(*a*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. III. pag. 277.

(*b*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XII. n°. CVII. pag. 22.

tionem ventriculi produxisse hydrophobiam, quæ, audacter repetitâ venæ-sectione, sanata fuit.

Sequitur jam, ut videamus illa, quæ ad curam hujus mali, tam Prophylacticam, quàm Therapeuticam, profuisse observata sunt.

§. 1143. CURATIO in demorso Prophylactica requirit, ut 1°. Statim à contagio suscepto totus locus affectus, unà cum vicinis, profundis pertundatur scarificationibus, multúmque mittat sanguinis; applicentur magnæ cucurbitæ fortiter trahentes; vel ferro inuratur ignito satìs profundè; dein adigatur in suppurationem perpetuam, applicatu eorum, quæ assiduâ rosione exulcerant; interim toto illo tempore, ab initio in finem, semper foveatur muriâ ex sale marino & aceto, nunquam intermittendo; id continuetur usque ad sextum quidem mensem. 2°. Vestimenta, & cætera, quæ venenum attingere, vel afflare potuit, cautè abjiciendo, vitando. 3°. Statim post infectionem, magno cum apparatu, metu incusso, sæpe minitando, tandem præcipitem in mare vel fluvium dando, aliquamdiu submersum tenendo, iterum mergendo, id repetendo aliquoties cum iisdem omnino circumstantiis: eas enim sanare spiritum turbando, non aquam salsam, docuit funestus exitus hominis post morsum naufragi, multis horis natantis, sæpe diu fluctibus submersi, tamen postea hydrophobi; dein rheo, agarico, succo corticis sambuci, sæpe, & valde fortiter, purgetur. 4°. Omni mane jejunus parùm sudet assumpto aceto aromatico, sale marino, aquâ calidâ. 5°. Quotidie pedes, manúsque, balneo aquæ foveat, caput lavet, os, faucésque colluat, sæpe natet. 6°. Frigidam frequenter bibat, evomátque sæpe, tunc & potus acidulos; victus sit humidus, levis, laxans, tantâ copiâ sæpe sumptus, ut revomatur; cavendo à nimiis aromaticis, vino, calefacientibus, ut & à motu nimio corporis, vel animi.

1°. Cùm tota morbi Historia hactenus enarrata docuerit, quanta mala metuenda sint à veneno rabidi animalis, & quòd illud diu manere in loco demorso possit, antequam in actum deducatur, morbúsque vix unquam curetur, ubi jam aquæ metus adest; nemo dubitat, quàm ocyssimè summa remedia hîc adhibenda esse, ut illud venenum eliciatur ex loco illo corporis, cui applicatum fuit; vel destruatur venenum unà cum parte corporis, cui adhæret. Unde non dubitavit celeberrimus Auctor (*a*) suadere, ut quantocyùs partes demorsæ rescindantur à partibus sanis, si absque vitæ periculo fieri possit. Crudele quidem videtur hoc consilium; sed nemo, qui hor-

(*a*) Sauvages Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 43. 44.

rendum

rendum hujus morbi exitum viderit, hæsitabit mutilatione corporis redimere calamitosissimam mortem. Ubi autem vulnus in tali parte hæret, quæ exstirpari nequit; vel ægri, ut sæpe fit, crudelem hanc medelam pati nolunt; tunc omni modo conandum est, ut exeat per vulnus factum venenum. Hanc autem Methodum commendaverunt antiqui Medici & recentiores unanimi consensu. Unde laudaverunt scarificationes profundas & in ipso loco affecto, & in vicino ambitu; simúlque cucurbitis applicatis, remotâ pressione atmosphæræ, eduxerunt multùm sanguinis; ut sic elueretur virus, quod vulneri & vicinis fortè adhærebat locis. Maximam autem spem curationis Prophylacticæ ponebant in eo, ut diu maneret apertum vulnus inflictum; hinc erodentibus remediis applicatis illud majus reddebant, & à cita consolidatione prohibebant. Pulchrum hujus Methodi Exemplum legitur apud *Galenum*: (*a*) bini homines à rabioso cane morsi erant, sed exiguo adeo vulnere, ut nequidem cutis integre divisa foret. Uni citò consolidabatur leve hoc vulnusculum; prudentior Medicus alterius vulneri diu applicuit valida & acria remedia; sícque vulnus multò majus reddidit; eventus monstravit utilitatem. Prior enim, nihil mali suspicatus, subitò aquam pavere cœpit; & convulsus periit; posterior verò nihil mali passus fuit. *Dioscorides* (*b*) majora vulnera à rabiosis canibus inflicta minùs metuebat, quàm minora; unde & scalpello augenda vulnera jussit. Similia apud *Æginetam* (*c*) & *Aetium* (*d*) habentur. Omnium tamen efficacissimum auxilium ab igne exspectavit *Dioscorides* meritò, cùm omnia destruat vivus ignis; sic cuncta lustret venena, simúlque separatio escharæ inustæ diuturnius tempus requirat, adeóque cita consolidatio vulneris prohibeatur: simul monet, escharâ separatâ, crudum vulnus salsis & acribus irritandum esse, ne coalescat; & si ante quadragesimum diem coiverit, renovandum vulnus esse, sive scalpello, sive novâ ustione. Rencentiorum autem Observata docuerunt, non sufficere levem & superficialem inustionem, sed requiri profundam, ut certi simus, venenum vulneri inhærens, integre per ignem destructum fuisse: simul tamen prudentia requirit, ut escharâ delapsâ, diu sustineatur suppuratio; ut si fortè quid adhuc de veneno lateat, hoc modo expellatur. *Hildanus* (*e*) observavit, puellam quatuordecim annorum, quæ à rabioso cane quinque vulnuscula in tibia acceperat, post trimestre spatium obiisse hydrophobam, licèt vulnera à vetula empirica ferro candenti inusta fuerint; sed leviter procul dubio, quia quindecim dierum spatio curationem absolverat, omnibus plagis consolidatis. Felix autem curæ successus, post profundam inustionem, apud *Hildanum* (*f*) legitur, dum simul, escharâ deciduâ, pisum vulneri imposuerat, utì in fonticulis fieri solet; sícque per tres menses apertum retinuerat. Unde monet Chirurgos, ut, dum cauteria applicant locis à rabido cane demorsis, potiùs peccent in excessu quàm defectu; quia (*g*) *Extremis morbis extrema ad integritatem remedia optima.*

(*a*) Lib. de Sect. ad eos qui introducuntur Cap. VIII. Charter. Tom. II. pag. 293. 294.
(*b*) Theriac. Cap. II. pag. 424.
(*c*) Lib. V. Cap. III. pag. 74, versâ.
(*d*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.
(*e*) Observat. Chirurg. Cent. I. Observ. LXXXVI. pag. 62.
(*f*) Ibid. Observ. LXXXVII. pag. 66.
(*g*) Hippocrat. Aphorism. Sect. I. n°. VI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 11.

Ausus fuit *Dekkerus* (*a*) per suram, à cane rabido morsam, cauterium quàm maximè candens ad os usque adigere, & felici quidem cum eventu.

Cùm autem tam teter ille morbus sit, præstat cautelæ gratiâ in sextum mensem usque plagam apertam tenere; quod leniter erodentibus, ut v. gr; præcipitato rubro, unguentis digestivis misto, facilè obtinetur: quinimo frequens applicatio muriæ salis marini cum aceto quandoque ad hunc scopum sufficere solet, quod simul omni putredini resistit quàm efficacissimè.

Neque confidendum, etsi largum vulnus cane rabido inflictum fuerit, & copiosum sanguinem fuderit; non enim certi possumus esse per copiosam talem hæmorrhagiam ablutum esse omne venenum. Licèt enim largum vulnus inflictum fuisset trienni puero in facie, laudabile pus exivisset, & trium septimanarum spatio consolidatio vulneris facta; tamen post biduum ab inducta cicatrice febris oriebatur, quam sequebantur convulsiones, rabies, & mors. (*b*) Et contrâ *Salius Diversus*, qui simili Methodo usus fuit, testatur, (*c*) *Quòd neminem viderit, neque audiverit, cujus ulcus recta cum ratione fuit pertractatum, rabie correptum fuisse.*

2°. Antea ad §. 1136, dictum fuit, quàm multiplici contagio illud venenum rabidi animalis communicari possit corpori humano; simúlque constitit, quòd illud diutissimè vestibus, aliísque rebus, adhærere queat. Cautela ergo tanti mali suadet, ut hæc omnia, in quæ suspicio cadit, destruantur per ignem.

3°. Antiquitus jam multùm boni ab hac Methodo exspectatum fuisse in hoc morbo curando, fortè etiam & in aliis, legitur (*d*). *Euripides*, apud Ægyptios morbo prehensus, à Sacerdotibus marinâ curatione (ablutione per aquam marinam) restitutus fuit, unde postea dixit:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Interim tamen in hoc morbo non videntur hâc Methodo usi fuisse in cura Prophylactica; sed ubi jam aquæ pavor aderat, utì sequenti paragrapho dicetur. *Celsus* quidem dixit, (*e*) *Quidam post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt, eúmque ibi patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vulnere aperto, quò magìs ex eo quoque virus destillet: deinde multo meracóque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium est. Idque cùm ita per triduum factum est, tutus esse homo à periculo putatur.* Verùm manifestè patet, hoc balneum tantùm fuisse adhibitum, ut vulnus humesceret & foveretur; simúlque per sudorem excitatum, & motum humorum auctum per vinum meracum, expelleretur illud virus, quod vulneri adhæserat. Sub-

(*a*) Exercit. Practic. pag. 566.
(*b*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. III. pag. 281. Tom. V. pag. 367.
(*c*) De Febre pestilenti, &c. pag. 368.
(*d*) Diog. Laert. in vita Platon. Lib. III. Num. VIII. pag. 288.
(*e*) De Medicin. Lib. V. Cap. XXVII. n°. II. pag. 308.

mersionem enim tantùm adhibuit, ubi jam metus aquæ aderat, utì postea dicetur.

Interim tamen satìs communis immersionis usus est ad præcavendam hydrophobiam in demorsis ab animali rabido, in plurimis locis, imò maris accolæ adeo confidunt huic remedio, ut illo solo ferme contenti vix expectant aliud. *Tulpius*, qui in populosissima urbe Amstelodamo, diu numerosam exercuerat Praxin, testatur sequentia: (*a*) *Neque vidi hactenus quemquam (licèt viderim plurimos) cui tempestivè in mare projecto quidquam sinistri postmodum evenerit. Sed salutari hoc remedio, vel flocci facto, vel tardè ac timidè adhibito, dedêre multi irreparabiles supinæ suæ incuriæ pœnas.* Unde apud Batavos moris est, demorsos quàm ocyssimè mari immergere. Ubi enim seriùs fit, & inprimis si jam aquæ metus adsit, levamen quidem adfert, sed non sanat (*b*). Aquam autem marinam non facere hunc effectum, sed ingentem perturbationem, dum ad suffocationem ferè usque submerguntur, videntur docere Observata plura. *Tulpius* observavit, nautam septuagenarium, à cane rabido demorsum, qui, (*c*) *Blandiùs propter ætatem à liberis habitus, perfundebatur Tya fluvio, non minùs leniter, ac si solius cutis immunditiem detersum venissent*, postea periit hydrophobus. Ita & puer, cujus pollicem rabidus canis momorderat, licèt per quadraginta dies famosi specifici ad hunc morbum manè & vesperì drachmam sumpsisset, & decem vicibus maris balneo usus fuisset, dein lithotomiam passus convaluisset, post novemdecim menses elapsos periit hydrophobus (*d*). Quinimo demorsus à rabido cane homo, postea naufragium passus fuit, & spatio trium ad minimum milliarium aquas nando trajecit; nihilominus moriebatur hydrophobus (*e*). Magna certè perturbatio fuit in homine naufragium passo, sed natandi peritiâ fretus, fortè minùs timuit, nec submersionem diuturniorem passus est.

Observatum fuit, tunc inprimis successisse hoc remedium prophylacticum, si magno cum apparatu, metu summo incusso, hæc immersio fieret; simili modo ac *Helmontius* factum vidit, utì ad §. 1139, dictum fuit. Nautæ apud Batavos in locis maritimis, assueti huic curationi, nullis minis vel precibus se flecti patiuntur, sed traditum illis hominem submergunt, & quidem sæpius, ad suffocationis periculum usque; túncque, utì notavit *Tulpius*, ferè semper sequitur felix successus.

Sic videntur facilè posse conciliari diversæ circa hoc remedium prophylacticum Medicorum opiniones. Solum balneum in aqua marina, vel alia, non sufficit; hinc multi contempserunt hoc remedium: & contrà immersio magno cum apparatu facta, & repetita aliquoties, ad suffocationem ferè

(*a*) Observat. Medic. Lib. I. Cap. xx. pag. 41.

(*b*) Stalpart. van der Wiel. Observat. Rarior. Centur. 1. n°. c. pag. 400. Dekkers Exercitat. Practic. pag. 564.

(*c*) Observat. Medic. Lib. I. Cap. xxi. pag. 43.

(*d*) Medic. Essays Tom. V. Part. II. pag. 984.

(*e*) Ridley Observ. de Asthmate & Hydrophobia Observ. XXV. pag. 118.

usque, profuit, hinc alii summopere laudaverunt. Videantur & illa, quae ad §. 1123, habentur.

DEIN RHEO, &c. Sedem mali primùm circa stomachum & vicina haerere, dictum fuit paragrapho praecedenti; unde per purgantia saepe repetita dum avertitur quidquid hîc inciperet colligi, videtur profuturum. Praeterea purgantia, inprimis hydragoga dicta, inter quae succus corticis mediani sambuci tamquam insignis efficaciae remedium numeratur, solvunt omnes humores; sícque aliquando solutis humoribus difflatur faciliùs conceptum contagium, utì postea pluribus patebit, quando *de Lue Venerea* dicetur. Praeterea validis remediis efficaciter turbare corpus profuit saepe in morbis difficillimis; utì in curatione epilepsiae & maniae dictum fuit. Ad hunc scopum autem videtur purgantia commendasse *Dioscorides*, ubi primis diebus medela neglecta erat, nec ampliùs satìs educi poterat vírus, quod per vulnus communicatum fuerat; tunc enim dicit, (*a*) *Alia curationis ineunda ratio: nimirum imperanda purgatio, quae dum corpus agitando ipsius habitum transmutat, magnum adfert adjumentum.* Commendavit *Hieram*; utì etiam *Aetius* (*b*) & *Ægineta* (*c*), inprimis illam, quae additâ *colocynthide* purgabat fortiùs. Omnium autem efficacissimum remedium laudabat helleborismum *Dioscorides*, si frequentiùs ante diem quadragesimum, vel etiam postea, adhiberetur: (*d*) *Tantam enim vim habet id genus auxilii, ut nonnulli, qui jam aquae metu prehendebantur, in ipso primo morbi insultu, helleborum sumentes, evaserint incolumnes. Nam ipso malo jam detentos nequidem helleborus servare posset.* Magnis laudibus extulit hellebori usum *Salius Diversus* (*e*) in hoc morbo, & tutò dari posse ejus infusum certis Experimentis se novisse affirmat; ubi majorem hujus remedii efficaciam desideraret, dabat in substantia helleborum, sed priùs binis coctionibus in aceto mitigatum.

4°. Illa, quae in cadaveribus observata fuerunt (vide §. 1140.), docent, quòd effectus hujus veneni sit quandoque, dissolutionem putridam inducere, & citam putredinem. Aliquando inventus fuit sanguis grumosus concretus circa cor, majora vasa, & pulmones infarciens. Sed notum est, acetum blandè solvere coagulatum sanguinem; simúlque efficacissimum dare adversùs omnem putredinem remedium; ideo eximium usum in hoc morbo habet (*f*). Omnium maximè prodest, si *rutâ, marrubio, scordio*, infusis, acetum medicatum redditum fuerit: certissimum enim & efficacissimum sudoriferum esse acetum, nemo est qui negare possit; additur salis marini pauculùm, quod pariter putredini resistit: haec dein aquâ diluuntur, & tepidè potantur manè in lecto, sequitur brevì sudor, sícque omnia vasa cutanea pervia manent, & per ipsum calidum vaporosum sudorem abstergitur cutis; unde removeri poterit, si quid adhuc de veneno cuti affixum hae-

(*a*) Theriac. Cap. III. pag. 426.
(*b*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 108.
(*c*) Lib. V. Cap. III. pag. 75.
(*d*) Ibidem.
(*e*) De Febre pestilenti, &c. pag. 371.
(*f*) Boerrhaav. Element. Chem. Operation. Part. I. Process. L. n°. V. Tom. II. pag. 212, 213.

reat; præcipuè si simul locus demorsus interea foveatur linteo poscâ calidâ madido. Videmus autem, quòd & veteres Medici sudores suaserint inter prophylactica remedia, & irritaverint cutim, ut versùs superficiem corporis major copia ac impetus humorum derivarentur. Sic monuit *Dioscorides*, (*a*) *Præter hæc, sudores & ante cibum & post cibum eliciendi, quin & dropaces & sinapismi universo corpori alternatim applicandi.*

5°. Ex illis, quæ ad §. 1138, dicta sunt, patet, quòd antequam pavor aquæ accedat, suspiria, tristitia, solitudinis studium, observentur in demorsis: imò & constat, plures, quibus dudum venenum in corpore latuerat, emaciari multùm. Verùm hæc omnia sunt symptomata melancholica (§. 1094.), in quo morbo, utì dictum fuit ad §. 1092, mobiliora de sanguine dissipantur, immobiliora uniuntur; unde sanguis crassior & minùs meabilis redditur. Præterea in cadaveribus hydrophoborum omnia viscera sicciora solitò reperta fuerunt. Meritò ergo in cura prophylacticâ commendatur humectatio totius corporis per balnea, natationes, &c; si enim corpus omnibus his modis redderetur quasi semihydropicum, obtineret conditio fluidorum & solidorum opposita illi, quæ in hydrophobia observatur. Celebres quidam Medici fuerunt in alia opinione; & cùm viderant, hydrophobos adeo horrere aquam, crediderunt esse quamdam antipathiam inter causam illam venenatam & aquam; adeóque voluerunt, aquam nocere, non verò prodesse. Ita sensit *Palmarius*, qui adeo damnosam in hoc morbo aquæ applicationem credidit, ut scripserit, (*b*) *Recèns etiam inflictum vulnus, si aquâ abluitur, vix ullo postea remedio æger restitui queat; altè adeo aqua venenum ejusmodi in corpus dejicit atque impellit!* Similia apud *Salium Diversum* leguntur: (*c*) *At nec ad præservandum balneum, seu potus aquæ, est potens remedium, nec ad curandum; imò cùm ingens antipathia sit inter aquam & virus istud, ut suprà monstratum est, epota aqua semper detrimento erit patientibus.* Credo tamen, neminem, qui hactenus dicta de hoc morbo attentè considerat, utì & illa quæ sequenti paragrapho adhuc dicenda erunt, facilè accessurum esse huic opinioni, quæ & rationi & Experimentis repugnare videtur.

6°. Omnia hæc efficient, ut omnes humores sint satìs diluti, à diathesi ad putredinem quàm maximè alieni; simúlque, dum repleto ventriculo lenis vomitus quandoque excitatur, & alvus laxa servatur per victum humidum, levem, laxantem, cavebitur, ne quid accumuletur in primis viis, ob rationes datas ad numerum tertium hujus paragraphi.

Cùm autem hoc venenum vulnere inflicto recipiatur plerumque; simúlque conferat, utì numero tertio dictum fuit, movere humores versùs corporis peripheriam, ut sic venenum susceptum expellatur per eamdem viam, quâ applicatum fuerit corpori; ideo videntur veteres Medici consuluisse acria aromata, tam in cibis quàm in medicamentis, ut aucto sic humorum

(*a*) Theriac. Cap. III. pag. 426.
(*b*) De Morbis contagiosis, pag. 270.
(*c*) De Febre pestilenti, &c. pag. 374.

motu difflaretur susceptum venenum. Ita *Celsus* post sudorem in balneo jubet, ut multo & meraco vino excipiantur ægri, (*a*) *Quod omnibus venenis contrarium est. Dioscorides* (*b*) cibos acres (δριμυφαγίαι) & meracos potus, quibus vis veneni egregiè retundi potest, quotidie assumendos suadet. Magnum inprimis effectum exspectabat ab alliis, porris, cepis, quia observabat, hæc difficiliùs mutari in corpore, suámque indolem diu retinere, cùm totum corpus hæc, copiosiùs vel diutius ingesta, redoleat: unde credebat, illa tantò efficaciùs agere in hoc venenum, quantò magìs resistebant viribus immutantibus ingesta. Aromata blanda, copiâ aquæ diluta, prodesse possunt, quatenus perspirationem & sudorem movent: idem etiam de parco vini usu verum est. Sed multùm his calefacere corpus, & augere sanguinis velocitatem, non videtur conducere, cùm ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, constet, humores dilutos, blandè motos, & humectationem corporis, longè plùs prodesse ad curam prophylacticam. Sudor autem, utì ad numerum quartum hujus paragraphi dictum fuit, pulcherrimè excitari poterit aceto aromatico, copiâ aquæ diluto. Confirmantur hæc omnia, quia biliosi in hydrophobiam magìs vergunt, quàm pituitosi, utì ad §. 1137, dictum fuit. Facilè patet, ob eamdem rationem, magnum motum corporis & animi pariter periculosum esse in demorsis. Pacata inprimis mentis quies hîc multùm facit, adeóque, quantùm fieri poterit, probabili ratiocinio debet excuti futuri mali metus; & ob hanc rationem decantatissima specifica ad hunc morbum prosunt, quia sæpe fiduciam ægri augent. Plures casus leguntur (*c*), qui docent hoc venenum, diu latens in corpore, subitò in nervum erupisse, dum imprudenter narrabatur ægris, alios demorsos in hydrophobiam incidisse.

§. 1144. CURATIO verò morbi jam præsentis videtur tentanda, maximè in primo gradu; & in initio secundi (1138), inprimis quum aliter funestissimo exitu neglectus plectatur. Apparet maximè probabile, & paucis Experimentis confirmatum, sequentia fieri debere. 1°. Statim post prima signa invadentis mali (1138) morbus tractandus, ut summus inflammatorius (890.), mittendo sanguinem ex lato vulnere magni vasis ad animi deliquium usque, mox clysmata ex aqua nitrosa, modicéve salsâ, cum pauxillo aceti, injicienda: hæc repetenda audacter, etiam plùs, quàm in aliis morbis prudentia concederet: interim hoc facto, obnubilatis oculis in piscinam frigidam demittendus, vel aquæ frigidæ injectu humectandus tam diu, donec aquam vix ampliùs paveat; tum statim plurimùm aquæ bibere cogatur; & de die sic vexato, vesperì concilietur somnus: victus sit tenuissimus, humectans semper.

(*a*) De Medicin. Lib. V. Cap. XXVII. n°. 11. pag. 308.
(*b*) Alexipharm. Cap. III. pag. 426.
(*c*) Sauvages, Differtat. sur la nature & la cause de la Rage, pag. 5.

Hactenus de cura prophylactica dictum fuit: sequitur jam, ut videamus, quid tentari possit, ubi venenum rabidi animalis, hactenus silens, incipit actuosum reddi. Signa, quæ hoc docent, & varii gradus morbi, descripta fuerunt §. 1138. Simul & semel applicanda esse summa remedia, ut infaustus diri morbi exitus præcaveatur, nemo negabit: specificis enim multis, licèt quàm maximè decantatis, confidere tutò non licet, utì postea patebit. Tota autem morbi Historia, & aliqui successus in hoc morbo curando, videntur suadere, morbum hunc tractari debere ut inflammationem summam, admodum periculosam, & subitò in gangrænam tendentem. Quinimo valida remedia antiphlogistica, inprimis venæ-sectio, videntur hîc tentari posse longè audaciùs, quàm in aliis morbis prudentia suaderet; cùm miserrima mors instet, nisi citò succurrere possit Medicus. In illo ægro, cujus ad §. 1130. 1139, mentio facta fuit, & qui ex inflammatione ventriculi in hydrophobiam inciderat, venæ-sectio levamen attulit; quam repetere non dubitaverunt Medici, licèt extrema corporis frigida rigescerent cadaveris instar, nec pulsus ampliùs percipi posset. Animosè autem repetita fuit sanguinis missio, simulac dira symptomata denuo recrudescebant; & undecim venæ-sectionibus, intra quatriduum institutis, evasit ab hoc morbo (*a*); sed & in hydrophobis à morsu rabidi animalis venæ-sectionem ad animi deliquium usque institutam profuisse legitur (*b*). In alio ægro; etsi non curaverit morbum, tamen satìs notabile levamen attulit (*c*). Clysmatum pariter egregius usus est, partim ut eluantur intestina putridis fæcibus, partim etiam ut, elotis jam intestinis, clysmata injecta, diutius retenta, resorbeantur venis bibulis intestinorum, sícque subministretur sanguini liquidi copia, dum illud deglutire horrent ægri. Formulæ talis clysmatis in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur; quæ inprimis, ob salinum stimulum nitri & salis marini additum, crassa intestina abluent, & fæces contentas educent: quod ubi factum fuit, tunc minui poterit salium copia, ut diutius retineri possint, adeóque faciliùs resorberi. Omni bihorio tale clysma injiciendum est, quia summum hîc in mora periculum. Pulchrum hunc clysmatum usum notavit *Aurelianus*, (*d*) *Ut, si omnino potum recusaverint, qualibet tamen parte quiddam liquoris assumant;* jussítque parvâ copiâ simul injici clysma, tunc enim faciliùs retinetur: (*e*) *Erit enim ejus continentia utilis ad minuendam sitim.*

His factis, cùm insuperabilis ille omnis liquidi horror jam adest, vel brevì futurus metuitur, tentant Medici vi quasi illatâ pavorem aquæ superare, dum ægros invitos in frigidam aquam demergunt, & quidem obnubilatis oculis, ut tantò majori cum apparatu & terrore hoc fiat; vel, si hoc fieri commodè non possit, aquâ frigidâ perfundunt totum corpus. Senis hydrophobi tali immersione curati Exemplum ad §. 1139, memoratum fuit.

(*a*) Medic. Essays Tom. I. §. 29. pag. 283. &c.

(*b*) Académ. des Sciences l'an 1699. Histoir. pag. 58.

(*c*) Medic. Essays Tom. V. Part. II. §. 51. pag. 592.

(*d*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XVI. n°. CXXX. pag. 23.

(*e*) Ibid. n°. CXXXI. pag. 232.

Celsus ubi jam aquæ timor aderat, dixit (*a*) *Unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam, non antè ei provisam, projicere; & si natandi scientiam non habet, modò mersum bibere pati, modò attollere; si habet interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ satietur. Sic enim simul & sitis & aquæ metus tollitur.* Videtur autem improbasse hanc Methodum *Aurelianus* dicens illos, qui hâc utuntur nescios fuisse, (*b*) *Quòd passionis curatio illa sit, non ut bibant ægrotantes, sed ut bibere velint.* Præterea metuebat à frigore aquæ; & *Celsus* videtur pariter hoc suspectum habuisse, dum dicit, (*c*) *Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus, in aqua frigida vexatum, nervorum distentio absumat. Id ne incidat, à piscina protinus in oleum calidum demittendus est.* Interim tamen in extremo hoc morbo extrema remedia esse tentanda dictat ratio; & si brumali tempore à nimio frigore aquæ mali quid metuendum videretur, posset illa egelida reddi: attamen à subito illo horrore & concussione totius corporis, quæ percipitur ab immersione in aquam frigidam, speratur meritò magna mutatio; atque ideo hæc præfertur. Horrorem illum aquæ sublatum fuisse hâc Methodo in hydrophobis, satìs certis constat Observatis. Novi hoc factum fuisse Lugduni-Batavorum in homine, qui à fele rabida demorsus, neglecto vulnusculo, sexto mense in hydrophobiam incidit: postquam enim largâ copiâ aquæ perfusus fuerat toto corpore, bibere potuit, & levari in omnibus videbatur: attamen periit. Sed notandum, quòd jam per triginta horas fuerit hydrophobus, antequam hoc remedium tentaretur. Verùm & alius casus legitur (*d*) de puella viginti annorum, quæ jam hydrophoba cùm esset, immergebatur aquæ satìs frigidæ, in qua copiosus sal marinus dissolutus erat: repetebatur frequenter hæc immersio; & postquam diu sic illam vexaverant, relinquebatur in balneo, tota quasi stupefacta. Mirabatur hæc ægra, quòd jam aquam absque horrore videre poterat; postea autem febricitabat quidem, sed communi Methodo feliciter tractabatur hæc febris, à qua mensis circiter spatio evasit. Vomendi conatus aderant, & levabantur vomitu. Toto autem morbi decursu balnea frequenter adhibita fuerunt: unde videtur prodesse, si vi illatâ dometur ille aquæ metus; simili modo ac antea patuit ad §. 1113. *lit.* δ, melancholicum delirium emendari quandoque, dum magnâ vi repugnant, qui horum ægrorum custodiam gerunt. In eodem loco legitur de hydrophobo, cui arbori alligato ducentæ urnæ aquæ projiciebantur in corpus, tali cum effectu, ut aquæ metus cessaret. Requiritur autem immersio, vel larga profusio aquæ; nam à modica aqua irritatur morbus, non domatur.

Cùm autem ad conspectum aquæ illico horrescant ægri, tentatum fuit, an ex vase clauso per fistulam liquores sugere possent. Similes artes, quibus Medici succurrere tentabant hydrophobis, jam apud *Aurelianum* (*e*)

(*a*) De Medicin. Lib. V. Cap. xxvii. n°. ii. pag. 308.
(*b*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. xvi. n°. cxxxiii. pag. 232, 233.
(*c*) De Medicin. Lib. V. Cap. xxvii. n°. ii. pag. 308.
(*d*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 58.
(*e*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. xvi. pag. 234.

leguntur.

leguntur. Varia talia tentamina & alibi (*a*) habentur; sed plerumque absque successu. Apud *Johannem Fabrum Lynceum* (*b*) quidem habetur, quòd hydrophobus per canaliculum (contecto poculo, ne liquida videret) trahere liquida & sorbere potuerit, nec tamen evaserit. Sed plures alii Auctores testantur, nec per fistulam hydrophobos liquida ducere potuisse (*c*).

Cùm autem, utì ad §. 1142, dictum fuit, in hoc morbo circa ventriculum biliosi corrupti humores hærere soleant, & vomitus, sive spontaneus, sive per Artem excitatus, levamen attulerit ægris, utì constans apud Auctores Observatio docet; profuturum videtur & vomitorio uti, inprimis ubi post venæ-sectionem & balnea modò laudata potare denuo possunt ægri, tunc enim longè faciliùs emetica tolerantur, dum post singulos vomitus aqua tepida potari potest.

Omnibus his adhibitis, certum est multùm turbari ægros, & admodum delassari, quæ incommoda nunquam meliùs leniuntur, quàm pacato somno. Emulsa ex seminibus farinosis cum syrupo papaveris albi; vel & opium prudenti dosi datum, huic indicationi tutò satisfacient.

Cùm autem ex antè dictis constiterit, in morbo hoc omnia exsiccari, hinc sponte patet, humectantia in victu requiri, & simul adeo tenuia, ut facillimè à visceribus chylopoieticis subigi possint. Decoctum hordei, oryzæ, avenæ, emulsa ex his & seminibus farinosis parata, sufficient, quæ & simul putredini in hoc morbo metuendæ adversantur.

§. 1145. UT verò Methodus hæc nititur omni morbi indole, omni Artis præcepto; ita videtur nihil exitiale magìs, quàm acerrimis calefacientibus, exsiccantibus, nervosum genus exacerbantibus medicamentis, hìc venenis, jam exsiccatos suo malo ægros enecare; rursúmque nihil crudelius, quàm, abjectâ curatelâ omni, statim negligere, aut suffocare.

Cùm in multis venenis & in morbis malignis observetur in corpore humano, quòd vires illico langueant, pulsus fiat debilis, celer, intermittens; hinc antidotorum titulo ferè semper fuerunt data talia remedia, quæ calidâ aromaticâ virtute vires erigunt, & motum vitalem augent. *Theriaca*, *Mithridatium*, & his similia composita Officinalia remedia, magnam aromatum copiam habent, & satìs calefaciunt, dum assumuntur. Cùm autem quandoque per sudorem diffletur susceptum contagium, utì in febre pestilentiali observatum aliquando fuit; hinc & commendabantur in hoc morbo ad eumdem finem talia remedia. Verùm si considerentur omnia symptomata hydrophobiæ; & illa quæ in cadaveribus hoc morbo defunctorum fuerunt observata; satìs patet exsiccari hìc totum corpus, turbari ac irritari totum syste-

(*a*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. III. pag. 277.

(*b*) Hernandes. Hist. Rerum Med. Mexic. pag. 492.

(*c*) Stalp. van der Wiel. Observat. Rarior. Cent. I. nº. c. pag. 436.

ma nervosum, & sæpe febrim satìs validam accendi cum inflammatione faucium, œsophagi, &c. Adeóque satìs patet, calida exsiccantia remedia minimè conducere, dum aquæ metus adest. In cura prophylactica aliquem usum habere possunt, si prudenti cum moderamine dentur, utì ad §. 1143, dictum fuit. Interim tamen videmus à multis calida & acria talia commendari. Sic testatur celeberrimus *Albertinus*, (*a*) *Bononiæ & in vicinis montibus circumferri antidotum adversùs rabiosorum canum morsus, cujus natura & compositio, non hercule, satìs nota est; sed usus ipse atque Experientia comprobavit; idque urinas ciere adeo frequentes vidit, ut interdum sanguineæ apparerent.* Videtur autem satìs verosimile esse, quòd arcanum illud remedium cantharidibus constet, cùm illæ laudentur ad hydrophobiam à quibusdam. Sic apud *Baccium* (*b*) legitur, quòd *Rhazes* & *Johannes Damascenus* commendaverint antidotum ex cantharidibus, si nempe, abscissis alis, capite, ac pedibus, infusæ per noctem & diem in lacte ebutyrato & acetoso, mox exsiccatæ ac lenticulæ farinâ exceptæ, formarentur in trochiscos ad pondus scrupuli unius ex vino, & exhibeatur trochiscus ad multos dies. Si autem patiens eminxerit sanguinem, lacte recenti attemperari posset urinæ acrimonia: unde videtur alibi inter salutis signa numerasse (*c*), mictum urinæ nigræ, etiam sanguinolentæ, si alia non adessent accidentia. Postea idem remedium ab aliis Medicis commendatum legitur (*d*). Si autem considerentur illa, quæ *Dioscorides* (*e*) habet de effectis cantharidum humano corpori ingestarum; quòd nempe sequantur erosiones ab ore ad vesicam usque, animi defectiones, fastidia, vertigines tenebricosæ, mentis alienationes, &c, patebit satìs, minimè tutum esse talis remedii usum; & quidem in morbo hoc, ubi & deglutitionis organa sæpe inflammata sunt, & convulsiones aliáque symptomata demonstrant, cerebrum ac nervosum systema adeo irritari; simúlque in hydrophobis non possunt, potu copioso assumpto, hæc acria dilui & enervari.

Videtur ergo Methodus curandi, præcedenti paragrapho descripta, optima esse, donec vera specifica antidotus ad hoc venenum inventa fuerit, cui confidere liceat.

Cùm autem hydrophobi rarissimè emergant ex hoc morbo, & metus videatur ne contagium communicetur aliis hominibus morsu, vel salivâ, quam inviti aliquando in adstantes exspuunt, crediderunt quidam, licitum esse, ut suffocarentur miseri ægri, quorum desperata salus esset, & qui ipsâ morte pejora mala pati debebant. Imò quandoque à Magistratu impetratâ veniâ hoc factum fuisse scitur. Crudele autem est occidere hominem ideo, quia servare non possumus; & meritò *Tulpius* monuit sequentia, postquam hydrophobi casum descripserat: opus non fuit, (*f*) *Nec huic, nec aliis ægris*

(*a*) Institut. Bonon. Tom. I. pag. 410.
(*b*) De Venenis & Antidotis, pag. 80.
(*c*) Ibid. pag. 74.
(*d*) Medical. Essays Tom. V. Part. II. pag. 985.
(*e*) Alexipharmac. Cap. 1. pag. 402.
(*f*) Observat. Medic. Lib. I. Cap. xx. pag. 42.

(quos equidem vidi satìs frequentes) mortem maturare, sive per stragula sive per culcitram (utì loquitur vulgus) ori impositam. Pereunt quippe per se satìs celeriter, utpote raró superstites, cum aquæ formidine, in diem vel tertium vel quartum. Ex præcedentibus etiam constitit, non omnes delirare, imò multos sanæ mentis esse ad mortem usque: in illis veró, qui in furorem aguntur, brevì sequuntur convulsiones & mors.

Cùm autem spes exigua sit curandæ hydrophobiæ, nec tamen certa desperatio, quia aliqui emerserunt, animosè tentanda sunt summa remedia; simúlque cavendum, ne adstantibus nocere possint. Hoc autem non adeo difficile esse patet, quia rari casus sunt, ubi hydrophobus alios homines infecit; imò notat *Tulpius*, quòd nunquam viderit, (*a*) *Cuiquam detrimento fuisse rabidorum sputa*; sed simul addit, quòd curaverit solicitè semper hæc mari abluere; & meritò quidem, cùm ex præcedentibus constet, salivam inprimis hoc contagio affici. Saltem inde patet, satìs caveri posse ne propagetur contagium, adeóque meritò damnari crudele illud consilium, quod hydrophobos suffocandos jubet.

§. 1146. NEC desperandum tamen, ob Exempla jam in aliis venenis constantia, de inveniendo hujus singularis veneni antidoto singulari.

Patuit ex antè descripta curatione, tam Prophylactica, quàm Therapeutica, hydrophobiæ, quanto molimine opus sit, quantùm vexari debeat æger, ut post susceptum contagium ab hoc morbo immunis maneat. Omnibus autem his abstinere possemus, si cognitum foret remedium, quòd iners redderet, illud venenum, vel destrueret, absque insigni mutatione corporis. Tale remedium singularis antidoti nomen mereretur; sed nullum tale hactenus cognitum est, cui tutò confidere liceat. Interim simile quid inveniri posse, videtur admodum probabile; cùm & in aliis venenis domandis hoc factum fuerit. Sulphur cum vitro antimonii, aut regulo, fusum, virulentiam tollit, imò ipsius arsenici malignitatem domat, & argenti vivi vim in corpore humano adeo mitigat, ut ferè iners reddatur; utì docet æthiops mineralis & cinnabaris. Plurimi fide dignissimi Itinerantes unanimiter testantur, Indos atrocissicima venena nosse, sed & simul certissima antidota, quæ tamen Europæos pertinaciter celant. Illud venenum, de quo §. 1136, mentionem feci, quo tela imbuta levi etiam vulnusculo certam subitámque mortem faciunt, iners redditur molli saccharo: si enim gallinæ, simul ac virulentum vulnus inflictum fuerit, saccharum pulverisatum intrudatur in ingluviem, nihil mali patitur. Hæc Exempla sufficiunt (plura enim recenseri possent) ut probetur possibilitas inveniendi talis antidoti ad hydrophobiam. Sed simul apparet, magnam hìc semper manere difficultatem. In hominibus enim demorsis hæc tentamina vix institui possunt, dum prudens Medicus nunquam committet salutem ægri incerto remedio. In animalibus rabiosis

(*a*) Observat. Medicar. Lib. I. Cap. xx. pag. 42.

quidem hæc Experimenta tentari possent, sed meritò omnes horrent se exponere periculo, ne inficiantur, dum propiùs accederent.

Interim tamen, recentioribus Experimentis, ab egregiis Medicis institutis, videtur, multùm boni ab argenti vivi usu exspectari posse. Paucis conabor recensere illa, quæ in causa fuerunt, ut hanc Methodum tentarent.

Ex morbi hujus Historia patuit, venenum hoc inprimis in saliva animalis rabidi hærere; & quidem in saliva, dudum exsiccata, adhuc superstes esse tali cum effectu, ut morbum propagare possit; præterea licèt vulnus alteri parti corporis inflictum fuerit, tamen & salivam infici, dum hydrophobia adest. Sed & observatum fuit, citiùs venenum effectum suum producere, si salivæ immediatè communicatum fuerit per oscula, halitum ex ore rabidi hominis susceptum, vel vulnera faciei, inprimis in vicinia glandularum & ductùum salivarium. Notârunt præterea, ingentem salivæ spumosæ copiam excerni in hydrophobis, ac si Natura tentaret per hanc viam expellere hoc venenum, nec sufficere tamen. Cùm autem argentum vivum, corpori humano applicatum, solvat humores, & magnam secretionem excretionémque per glandulas ac ductus salivares producat, sperabant hoc remedio sic posse juvari Naturam, ut solutis humoribus faciliùs extricaretur venenum & expelleretur de corpore. Dum verò in lue venerea, in scabie, & in aliis morbis satìs difficilibus, insignem opem attulerat argenti vivi usus, meritò tentabatur & in hoc morbo, quem adeo funestum omnes Medici agnoverunt hactenus (vide §. 1139.).

Palmarius (*a*) vulneribus à rabioso cane inflictis, applicari jussit mercurium sublimatum, utì & præcipitatum rubrum, sed tantùm hoc scopo, ut erodendo plaga redderetur amplior, irritando humores majori copiâ ad vulnus confluerent, sícque venenum susceptum eliminaretur. In *Actis Parisinis* (*b*) dubio modo proponitur argenti vivi usus copiosus, ut nempe tentaretur an prodesse posset. Verùm postea egregius Medicus (*c*) venenum rabidum statuens esse verminosum, quod tamen nondum probatum est, voluit solis anthelminthicis curam tentandam esse; atque ideo pulverem *Palmarii*, de quo sequenti paragrapho dicetur, tantum nomen habuisse credidit, quia pleraque ingredientia ad classem anthelminthicorum remediorum pertinent. Cùm autem argentum vivum meritò pro efficacissimo remedio contra vermes habeatur, unguento mercuriali illinivit vulnus inflictum ac vicina loca, & quidem optimo cum eventu, utì pluribus Observationibus Practicis probat; præcipuè, quòd quatuor homines eodem die demorsi fuerint ab eodem lupo rabido, & omnes mari immersi, frigidâ quámvis hyeme: bini ex his, paucis diebus postea, fuerunt facti hydrophobi; reliqui duo, funesto hoc exitu perterriti, cùm jam signa imminentis hydrophobiæ observarent, consilium petierunt, licèt antea se maris balneo satìs tutos credidissent. Statim cicatrices vulnerum & totum brachium illinivit unguento

(*a*) De Morbis contag. pag. 272.

(*b*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Histoir. pag. 57.

(*c*) Desault, Dissertat. sur la Rage, 1734. in-12.

mercuriali, tribus diebus successivis hanc inunctionem repetiit; túncque inceperunt cicatrices, antea elevatæ & induratæ, deprimi ac emolliri; dedit simul pulverem *Palmarii* quotidie: postea alternis diebus inunctionem mercurialem adhibuit, tali cum eventu, ut uterque curatus fuerit integre.

Verùm & argentum vivum, aut ejus præparationes, interno usu profuisse in cura hydrophobiæ, pariter constat. Apud Chinenses pro certo remedio habetur sequens Formula. ℞. Moschi optimi gr. XVI.

Cinnabaris nativæ,

——— factitiæ, an. gr. XX.

Seorsim terantur in pulverem impalbabilem, dein misceantur, & exhibeantur cum haustulo spiritûs fermentati ex oryza præparati (Arrack). Plerumque intra duarum aut trium horarum spatium blandus somnus sequitur & perspiratio, quòd si non fiat, repetitur eadem dosis, & certa creditur curatio (*a*). Laudatur autem illud remedium & ad curam prophylacticam, si detur statim post morsum inflictum, vel tam citò, quàm fieri possit: túncque per triginta dies ab hydrophobia tutum reddit hominem demorsum, quo tempore elapso datur denuo eadem dosis. Ubi verò jam aliqua signa hydrophobiæ adsunt, tunc secunda dosis hujus pulveris debet dari tribus horis post primam dosin assumptam, & certa promittitur cura (*b*). Successisse hanc curationem sæpius testantur Auctores (*c*). Cùm autem magna copia moschi addatur, cujus mirabilis virtus in morbis malignis, petechialibus, utì & in morbis convulsivis, recentioribus Observationibus innotuit (*d*); non absque ratione cura pro parte saltem moscho tribui posse videtur.

Verùm & alia Observata docuerunt, absque addito moscho profuisse in hoc morbo præparationes mercuriales: primò tentatum hoc fuit in duobus canibus rabidis, dando grana duodecim turbith mineralis; sequenti die grana viginti quatuor, tertio die grana quadraginta octo. Sequebatur ptyalismus, vomitus, purgatio; sed & simul eò usque debellabatur morbus, ut lac tepidum sponte biberent: quartâ die uni cani adhuc data fuerunt grana viginti turbith mineralis, alteri non. Prior salivam uberrimè effudit, & diris cruciatibus agitabatur: evasit tamen & à morbo, & à remedii dati periculo: alterum morbus nondum penitus devictus denuo aggressus fuit, sícque periit (*e*). Postea in ducentis animalibus, à rabidis canibus vulneratis, hæc cura adeo feliciter cessit, ut ex tanto numero ne unicum quidem periret: unde conclusit celebris Auctor, *morbum hunc gravissimum, saltem ubi primum gradum non excesserit, mercurio, si salivam moveat, sive non moveat, cedere*. Neque tantùm in animalibus, verùm etiam & in hominibus eadem cura successit. In juvene enim cane rabido demorso, cui post sex dies jam aderat insolita mœstitia, tremores, somni perturbati, tendinum subsultus, datus fuit vesi-

(*a*) Philosoph. Transact. n°. CCCCLXXIV. Vol. XLIII. pag. 226.

(*b*) James a new method of curing, &c. madness. pag. 33. 34.

(*c*) Ibidem. Confer. & Sauvag. Differ. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 34. Confer. Philos. Transact. n°. CCCCLXXIV. Vol. XLIII. pag. 215. 216.

(*d*) Philosoph. Transact. ibid. pag. 217-234.

(*e*) James a new method of curing, &c. madness. pag. 4. 5.

perì bolus confectus ex quatuor granis turbith mineralis, scrupulo lapidis contraiervæ, & theriacæ andromachi pauculo, ut inde bolus fieri posset. Nocte sequente paulùm dormivit & sudavit; die sequenti bis alvum liquidam deposuit: similem bolum sumpsit vesperì die sequenti, unde somnus longior, & sudor largior; bis etiam alvum deposuit, atque omnia symptomata minuebantur. Tertium autem bolum sumpsit vesperì denuo, unde placidè dormivit, copiosè sudavit, & manè sanus vegetúsque surrexit: in frigidam quotidie per dies quatuordecim descendit, postea sanus vixit. Crusta autem arida, quæ vulnus manui inflictum tegebat, post tertium bolum sumptum, sponte decidit, vulnúsque pure probè cocto per aliquot dies manavit, dein facilè sanatum. Plures aliæ Observationes Practicæ in eodem tractatu habentur, quæ efficaciam turbith mineralis in hoc morbo curando & præcavendo confirmant, utì etiam ab aliis Medicis observatum fuit (*a*).

Non videntur Medici, qui argentum vivum aut remedia inde parata adhibuerunt huic morbo curando, illa dedisse tantâ copiâ, ut salivatio secuta fuerit; imò videntur potiùs illam evitasse, attamen cura successit. Interim si in pejori jam gradu foret morbus, nec à modica dosi levamen subitum appareret, videtur major quantitas, licèt cum salivationis periculo, adhibenda esse. In cane, utì modò dictum fuit, ingens dosis turbith mineralis salivationem fecit molestam, sed & morbum sustulit. Præterea legitur casus hydrophobi (*b*), qui evasit ex hoc morbo; sed toto morbi tempore ingentem copiam salivæ excreverat, ita ut dentes omnes ante morbum firmi, vacillarent: nullum tamen mercuriale remedium sumpserat, sed opiatis spasmum faucium levare conati fuerant Medici. Unde videtur concludi posse, salubrem esse illam salivæ copiosæ evacuationem in hydrophobia, adeóque nec salivationem hîc metuendam esse.

Quamvis autem hæc omnia egregium effectum mercurialium remediorum testentur, tamen non videtur negligenda esse vulneris debita pertractatio, ut nempe diu apertum maneat, & virus susceptum exire possit. Juvenis demorsus à cane rabido, cùm simul gonorrhœâ laboraret eodem tempore, sumebat vesperì dosin mercurii dulcis, & sequenti manè purgans; vulnus autem, communi Methodo tractatum, satìs citò consolidabatur. Neque tamen frequens usus mercurii dulcis impedivit, quominus, mensis spatio elapso post vulnus inflictum, summâ rabie correptus, miserrimè perierit (*c*).

§. 1147. HACTENUS verò nullius ea comperta fides, cui credi queat salus miserrimè periclitantis hominis, quum nullum sit notum, cujus Experimenta certa; sed vel speculationi ortum debent, vel descriptis ex alio confisum fuit: nec *Æschrionis* apud *Galenum* & *Oribasium* arcano de cancris combustis;

(*a*) Sauvag. Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 53. 54. & 58. 59.

(*b*) Philos. Transact. n°. CCCCLXXIV. Tom. XLIII. pag. 261.

(*c*) Medic. Essays Tom. V. Part. II. pag. 590. &c.

nec *Scribonii Largi* famigerata opiata ad rabiem Siculorum; nec Peregrini consilio de pelle hyænæ, nec *Aetii*, *Rufi*, *Posidonii*, cinere cancrorum cum theriaca; nec jactatâ *Palmario* medelâ; vel nimis laudato *Mayerno*, *Grewo*, & venatoribus, stanno cum mithridatio; nec in insomniis sacris revelatâ radice cynorrhodonis; aliísve in cœlum elato lichene, cinereo terrestri, pimpinellâ, jecore rabiosi canis exusto, & similibus, exceptis.

Postquam dictum fuit de variis Methodis, quæ ad curandam rabiem caninam adhibitæ fuerunt, superest, ut examinetur, quid credendum sit de illis remediis, quæ specificorum titulo ad hunc morbum commendantur, & magnam olim famam habuerunt, imò ad hunc hodie quædam magnis encomiis extolluntur. Ubi omnes cautelæ in curando hoc morbo enumeratæ solicitè observantur, facilè permittunt Medici specificorum usum, cùm plura inter hæc numerentur, quæ saltem nocitura non videntur, si non profuerint: nec ægre ferent cordati, licèt his specificis adscriberetur curatio, quæ efficacioribus remediis debebatur. Ægrorum fiducia erigitur sæpe horum specificorum usu, quod multùm prodest in hujus morbi cura, utì antè dictum fuit. Hinc non miramur, egregios Medicos, etiam hæc dedisse remedia, licèt omnem curationis spem in efficacioribus auxiliis posuerint (*a*). Verùm nulla Experimenta docuerunt, quòd possimus certâ fide committere salutem hominis, de tanto morbo periclitantis, his specificis solis. Plura ex his veteribus Medicis cognita fuerunt & laudata, attamen, utì ad §. 1139, dictum fuit, desperabant de cura, ubi aquæ metus aderat. Ex Observationibus antea memoratis constitit, nec prophylaxin certam contra hunc morbum ab his sperari posse, cùm multi hydrophobi facti fuerint, licèt diligentissimè similia adhibuissent, quod & ulteriùs patebit, dum singula hîc memorata breviter percurremus.

Præterea sæpe omnino incertum est, an animal, quod morsum inflixit, verè rabiosum fuerit; hinc similia data videbuntur sæpe mira præstitisse, ubi simplex morbus absque ullo malo sequente sanatur. Multa certè ex his remediis meræ speculationi originem debent, dum v. gr; credebant venenati animalis partem, vel vulneri oppositam, vel intus assumptam, proprii veneni efficaciam enervare, vel integre destruere. Hinc pilos rabiosi canis vulneri applicandos laudaverunt: alii jecur hujus animalis ægris comedendum dederunt, &c. Plura etiam apud *Galenum* aliósque veteres Medicos leguntur; quæ ab Antecessoribus suis acceperant; sequentium sæculorum Medici eadem similiter descripta, iisdémque encomiis celebrata, posteris tradiderunt. Fateri enim debemus, illam partem Medicinæ, quæ de Viribus & Usu Medicamentorum agit, minùs reliquis excultam esse. Eædem vires, quæ apud

(*a*) Sauvag. Dissertat. sur la natur. & la caus. de la Rag. pag. 49. 50.

James a new method. of curing. & Madness. pag. 39.

Dioscoridem, *Galenum*, *Plinium*, leguntur, adhuc tribuuntur plantis ejusdem nominis. Laudabili industriâ Botanici quæsiverunt, ut plantas à Veteribus memoratas cognoscerent, taléſque caracteres designarent, quibus sera posteritas illas ab omnibus aliis posset distinguere. Verùm nondum satis indagatum fuit sedulâ Observatione, an vires his plantis adscriptæ certo effectu se manifestarent. Quantùm autem utilitatis caperet Ars Medica, si severo & prudenti scrutinio expungerentur omnia, quæ falsa vel dubia de medicamentorum viribus leguntur! Si unusquisque, qui Medicinæ operam dat, toto vitæ curriculo vel unam plantulam omnibus modis examinasset, ut disceret illius usum verum, jam dudum exhaustus fuisset ille labor, & plura haberemus remedia cognita, quibus certò & tutò confidere possemus. Considerabimus jam præcipua ab Auctoribus ad hunc morbum laudata remedia.

Æschrionis APUD *Galenum*, &c. Cinerem cancrorum, vel solum, vel additis radice gentianæ & thure, laudat *Galenus* tamquam remedium totius proprietate (*a*) substantiæ efficax ad hunc morbum præcavendum, si homini demorso quotidie daretur per quadraginta dies ad mensuram magni cochlearis. Ubi verò non statim à morsu inflicto dabatur hoc remedium, verùm tantùm post aliquot dies, tunc duplicatam dosin requiri monebat. Modum autem præparandi sequebatur, quem *Æschrion*, empiricus medicamentorum peritissimus, tradiderat, qui & concivis & Præceptor *Galeni* fuit. Cancros enim viventes, (fluviatiles ac majores laudavit *Aetius* (*b*)) comburebat in patella æris rubri in cineres, qui in pollinem facilè conteri poterant: decem partibus cinerum cancrorum, addebantur quinque partes radicis gentianæ, & una pars thuris. Certo tamen tempore anni, & decimâ octavâ die Lunæ, illam ustionem faciendam monet. Interim non adeo confidebat huic remedio, quin vulneri imponeret simul emplastrum ex pice, opopanace, & aceto acerrimo, quod citam consolidationem impediret. *Dioscorides* (*c*) idem remedium commendat, sed non meminit, in cupreo vase comburendos esse cancros, at igne accensorum vitis albæ sarmentorum cremandos jussit; quod etiam monuerat *Aetius*. Licèt autem *Dioscorides* laudaverit cancrorum cinerem cum gentiana & thure tamquam efficacissimum remedium, quo cum fiducia uti liceat, tamen non videtur credidisse, illud semper effectum præstare; nam dicit, illud remedium solum nonnullis saluti fuisse, sed simul monet, nihil obstare, quominus & alia adhibeantur auxilia; vulneríſque dilatationem, ustionem, &c, commendat. Certè si credidisset, illud specificum nunquam fallere in hoc morbo, facilè abstinuisset ab aliis omnibus. Videtur autem vulneris perpetua irritatio per acre emplastrum magìs profuisse, quàm jactatum illud remedium.

NEC *Scribonii Largi*, &c. Auctor ille, qui sub *Claudio* vixit, de compositione medicamentorum librum scripsit, & à *Galeno* aliquoties citatur,

(*a*) De simpl. Med. Facultat. Lib. XI. Cap. I. n°. XXXIV. Charter. Tom. XIII. pag. 310. 311.

(*b*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107.

(*c*) Theriac. Cap. II. pag. 423. 424.

Inte

Inter medicamenta composita mentionem facit antidoti, quam quot annis componebat Præceptor ejus *Apuleius Celsus* (*a*), & in Siciliam mittebat, quia ibi sunt plurimi canes rabiosi. Componebatur autem illa antidotus ex aromatibus satis calidis, *nardo Syriaco, croco, myrrhâ, costo, casiâ, cinnamomo*, &c; *& opio*. Dabatur autem fabæ *Ægyptiæ* magnitudine ex aqua per dies triginta, demorsis hominibus, ad præcavendam hydrophobiam; imò etiam jam aquæ metu correptis. Verùm patet satis ex ipsis *Scribonii* verbis, quòd non crediderit illud esse certum remedium; dicit enim, *Hoc proficit, ut aquam postea sine timore sumant, & minùs quidem, liberati hâc difficultate, crucientur. Cæterùm nemo adhuc correptus hoc malo, quantùm ego novi, expeditus est.* Præterea, ubi recensuit vires varias hujus antidoti in aliis morbis, addit sequentia: *Oportet autem locum demorsum à rabioso cane, vel à serpente, diu tenere in exulcerationem: neque pati cicatricem ducere, ut virus illac pertrahatur;* & ob hanc rationem imponi jubet acria remedia, quæ etiam sanas partes exulcerant.

Patet satis ex his, quòd certa & specifica vis contra venenum rabidi animalis ab hac antidoto exspectari nequeat, sed agat similiter, ut *theriaca, mithridatium*, & similia, quæ aromatibus calidis atque opio constant. Quid autem boni ab his exspectari possit, ad §. 1143, dictum fuit.

NEC PEREGRINI CONSILIO DE PELLE HYÆNÆ. Apud *Scribonium* pariter hoc remedium laudatur. A barbaro homine, in Cretam insulam post naufragium appulso, hoc arcanum venisse asserit, qui, (*b*) *Cùm liquorem timerent, & latratus ederent, spasmóque vexarentur, remedio brachio sinistro alligato efficiebat, ut potionem acciperent, & liberarentur vitio.* Pro magno munere dein accepit *Scribonius* illud arcanum quod erat *Hyænæ corii particula panno inligata.* Modestè tamen fatetur, se hujus Experimenti instituendi occasionem non habuisse, licèt protinus magna cum cura hyænam invenisset, & pellem jam paratam haberet. *Aetius* (*c*) autem voluit subterni utiliter & insterni, his ægris pellem ursi, aut vituli marini, sed inprimis hyænæ; cujus etiam cinerem sedare aquæ formidinem dicit. Alter usus pellis hyænæ apud *Aurelianum* legitur: (*d*) *Alii poculo lineo panno super imposito, vel belluæ pelle, potandum putant, scilicet superstitione traducti, quòd naturalis auctoritas belluarum, quæ canibus est contraria, timorem ægrotantium solvat.* Parùm autem utilitatis inde exspectasse *Aurelianum*, patet ex his, quæ statim sequuntur: *Sed hæc, quæ vulgus per Experimenta probata putat, longè aliena ab Arte monstrantur.*

Belluam hanc *Aureliani* esse hyænam, videtur constare ex *Plinio* (*e*), qui umbrâ hujus animalis canes obmutescere tradit; item illud vomitionem hominis imitari ad solicitandos canes, quos invadat. Cùm autem inter Naturalis Historiæ Scriptores nondum absolutè constet, quale illud animal

(*a*) Scribon. Larg. n°. CLXXI. CLXXII. pag. 120, & sequ.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Lib. VI. Cap. XXIV. pag. 107, versâ.
(*d*) Acutor. Morbor. Lib. III. Cap. XVI. n°. CXXXVII. pag. 234.
(*e*) Lib. VIII. Cap. XXX. pag. 188.

fit, cui dotes mirabiles à *Plinio* memoratæ tribui poſſint; ſatis patet, non multùm utilitatis exſpectari poſſe ab hoc remedio.

NEC *Aetii*, *Ruffi*, *Poſſidonii*, CINERE CANCRORUM CUM THERIACA. Quid ſentiendum ſit, de efficacia cinerum cancrorum, antea dictum fuit; utì etiam de uſu theriacæ & ſimilium in cura prophylactica.

NEC JACTATA *Palmario* MEDELA. Poſtquam in cura demorſorum recenſuerat *Palmarius* (*a*) omnia illa, quæ ex Veterum ſententia ad hunc morbum ſanandum commendabantur, tradit remedium, cujus tantam eſſe credebat efficaciam, ut, nullâ etiam vulneris curâ habitâ, quacumque victûs ratione uterentur demorſi, certa ſanatio ab ejus uſu ſperari poſſet; non tantùm prophylactica, verùm etiam dum aquæ metus jam aderat. Bina tantùm excipiebat: ſi nempe partes capitis, dentibus ſuperiores, morſu rabidi animalis læſæ fuiſſent; aut vulnus ſtatim à morſu aquâ frigidâ elotum, tunc enim exiguam ſalutis ſpem ſupereſſe voluit, in reliquis verò nunquam fallere.

Talis autem erat hujus remedii formula: *R. Foliorum rutæ, verbenæ, ſalviæ minoris, plantaginis, foliorum polypodii, abſinthii vulgaris, menthæ, artemiſiæ, meliſſophylli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingulorum æquale pondus.* Quotannis lectæ hæ plantæ, dum maximo in vigore ſunt, intra chartas puras repoſitæ, ſiccabantur leviter in loco umbroſo, ut nec nimiùm exareſcerent, nec ſitum contraherent. Ubi autem debebant uſui adhiberi, ſingulorum æquale pondus in pulverem tenuiſſimum redigebat, & hujus pulveris drachmam dimidiam demorſis quotidie præbebat cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex juſculo, vel ex butyro, vel ex melle opiatæ formâ, jejuno ſtomacho & tribus horis ante cibum. Drachmam unam & dimidiam, aut drachmas duas credit ſufficere tum homini, tum omni animali, quantúmvis crudeliter ſauciato: interim monet, non nociturum, ſi ad tres quatuórve drachmas detur; inprimis ſi longo poſt morſum inflictum tempore, vel natâ jam hydrophobiâ, curatio inſtituatur: vulnus autem foveri juſſit bis vel ter de die vino aut hydromelite, in quo ejuſdem pulveris drachma dimidia diluta fuerit, dein tractandum vulnus jubet communi Methodo, illúdque cicatrizari poſſe aſſerit abſque ullo hydrophobiæ metu. Ingenuè autem fatetur, hujus antidoti inventionem atque explorationem deberi *Jacobo Sylvano* Domino *de Pyrou.*

Tamen ſatis frequentia Obſervata docuerunt poſtea, plures poſt hujus remedii uſum hydrophobos factos fuiſſe, hinc & hujus remedii uſus viluit, niſi quòd quandoque ægris detur eodem tempore, dum alia efficaciora ex mercurio remedia tentantur; utì antea dictum fuit, ſimúlque vulnus diu apertum retinetur.

VEL NIMIS LAUDATO *Maierno*, &c. Hujus remedii deſcriptio habetur in *Actis Societatis Regiæ Londinenſis* (*b*). Sumebantur rutæ folio-

(*a*) De Morb. Contag. pag. 276. & ſeq.

(*b*) Num. CXCI. pag. 409. & Philoſoph. Tranſact. Abridg. Tom. III. pag. 284.

rum, à caulibus mundatorum & contusorum, unciæ sex, theriacæ Londinensium (vel Venetæ, quod melius est), allii contriti, & tenuis limaturæ stanni, singulorum unciæ quatuor: vase terreo, rite clauso, digerebantur in quatuor libris vini albi generosi, vel & Canariensis, balneo per quatuor horas, leni ebullitione, cavendo ne vapor exiret; dein colatura expressa servabatur. Pro teneræ vel calidæ constitutionis hominibus loco vini substituebatur cerevisia generosa bene fermentata.

Dabatur ille liquor medicatus ad duas vel tres uncias, in quibusdam ægris etiam majori copiâ, singulo mane per novem dies, & à cibo per tres horas post sumptum remedium debebat abstinere æger. Fæces residuæ, quæ in colo remanserant, debebant vulneri applicari, & renovari singulis viginti quatuor horis. Simul monetur, illud remedium debere potari frigidum, vel saltem leviter tantùm tepefactum, propinaríque ante nonum diem post morsum inflictum; secus enim sanguis jam nimis infectus foret hoc veneno.

Simile remedium ibidem describitur electuarii formâ, nisi quòd scordium, serpentaria Virginiana, & hyperici flores, addantur: quod debebat pariter per novem dies exhiberi.

Facilè patet, & illud remedium agere, ut calidum penetrabile aromaticum sudoriferum; simúlque opium continere: de similium usu dictum fuit ad §. 1143; sed specificâ vi domari inde venenum rabidum, non constat Experimentis.

NEC IN INSOMNIIS SACRIS REVELATA RADICE CYNORRHODONIS. De illa apud *Plinium* leguntur sequentia, (*a*) *Insanabilis ad hósce annos fuit rabidi canis morsus, pavorem aquæ, potúsque omnis afferens odium. Nuper cujusdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem sylvestris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi in fruteto, mitteret filio bibendam; in Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proximâ, parte: casúque accidit, ut milite à canis morsu incipiente aquas expavescere, superveniret epistola orantis, ut pareret religioni: servatúsque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.* Sed nimis notum est, *Plinium* plurima collegisse in vasto suo opere, de quorum fide meritò dubitari potest. Fortè & cynorrhodonis, sive rosæ caninæ, nomen, fecit, ut ad canum morsus utilis crederetur hæc planta. Sed notum est, asperis spinosis plantis hoc nomen datum fuisse à Botanicis, utì *cynosbato*, &c. Saltem hoc certum est, Recentiorum Observatis non confirmari vires, quas *Plinius* huic radici tribuerat.

ALIISVE IN CŒLUM ELATO LICHENE CINEREO TERRESTRI. In egregia muscorum Historia (*b*) celeberrimus *Dillenius* hanc plantam descripsit sub nomine *Lichenoidis digitati cinerei, Lactucæ foliis sinuosis*, & pulchram figuram dedit; monuítque celebrari tamquam specificum remedium ad præcavendam hydrophobiam, atque prostare in Officinis Londinensibus *pulverem*, *antilyssum* dictum, ex æquali copia hujus musci & piperis nigri

(*a*) Lib. XXV. Cap. II. pag. 629. & Lib. VIII. Cap. XLI. pag. 195. (*b*) Pag. 200.

compositum. Magnam famam huic remedio conciliavit testimonium celeberrimi Archiatri *Richardi Meadi*, qui tamen dimidiam tantùm piperis partem addidit. Sequenti autem Methodo dabatur illud remedium. Præmittebatur venæ-sectio in brachio ad novem aut decem uncias. Musci hujus bene depurati, exsiccati, dein pulverisati, unciæ dimidiæ, addebantur drachmæ duæ piperis nigri in pulverem triti: hæc simul bene mista dividebantur in quatuor doses æquales. Quatuor diebus successivis manè, vacuo ventriculo, dabatur una dosis cum dimidia pinta lactis vaccini calidi: his quatuor dosibus sumptis, omni mane, jejunus æger debebat immergi balneo aquæ frigidæ per mensis spatium, hâc lege, ut totus mergeretur, & tantùm per dimidium minutum horæ maneret in aqua, si admodum frigida esset. Postea adhuc sexties eodem balneo uti debebat duarum septimanarum spatio.

Dubium autem videtur, an felices successus illius remedii huic musco tribui debeant, cùm & piper tantâ copiâ addatur, & præterea balnea aquæ frigidæ toties repetita multùm huc facere videantur, utì ad §. 1143, dictum fuit. Saltem habentur Observationes, quæ docent, post usum hujus remedii hydrophobiam secutam fuisse. Puer enim, cujus pollicem rabidus canis momorderat, sumpsit manè & vesperì drachmam pulveris antilyssi per quadraginta dies, decies usus fuit maris balneo: postea calculi sectionem passus, optimè convaluit; tamen post novemdecim menses periit hydrophobus (*a*). Unde videtur concludi posse, quòd non certò constet de vi specifica hujus remedii.

PIMPINELLA. De hoc remedio legitur apud *Palmarium* (*b*), quòd venator *Henrici secundi* Galliarum Regis, dum gravi morbo decumberet, illud bonâ fide revelaverit *Johanni Fernelio*, quem ut Præceptorem suum venerabatur *Palmarius*. Primò autem pimpinellæ efficaciam expertus fuerat in canibus regiis, unde affirmabat, quòd si quis demorsus à cane rabido *aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo, apparatam* (pimpinellam) *comederet, nihil inde incommodi sentire posset.* Interim tamen non memini, in *Fernelii* operibus hujus specifici mentionem fieri; at *Palmarius*, suâ antidoto fretus, fatetur, quòd noluerit tempus & operam perdere in aliis inveniendis. Unde patet, pimpinellæ efficaciam non satìs probatam esse, ut hominis demorsi salus huic remedio committi possit.

JECORE RABIOSI CANIS EXUSTO. Cùm antea ad §. 1136, constiterit, multiplici contagio illud venenum posse conciliari corpori humano, meritò metuuntur specifica illa remedia ex ipso animali rabido desumpta. Verùm quidem est, si in cineres ureretur hepar talis animalis, non videri inde mali quid metuendum esse, cùm ignis vivus lustret omnia animalium & plantarum venena, destruendo illorum fabricam; sed ab inerti cinere pariter vix quid boni exspectandum videtur, cùm merâ ferè terrâ constet. Verùm commendatum fuit à quibusdam, ut demorsi assatum canis, qui momordit, jecur comederent per triduum; & *Palmarius* (*c*) affirmat, se Ex-

(*a*) Medical Essays Tom. V. Part. II. Pag. 984.

(*b*) De Morbis contagiosis, pag. 278.

(*c*) Ibid. Pag. 275.

perientiâ didicisse, aliquot rusticos hoc remedii genere hydrophobiam effugisse. Quantùm autem *Palmario* in his fidendum sit, patet ex antè dictis. Certè puer novem annorum totum hepar canis, qui illum momorderat, comedit frixatum solus, & post mensem à morsu inflicto periit hydrophobus (*a*). An credibile videtur, rusticos evasisse, parte hepatis comestâ, dum integrum hepar salvare non potuit miserum puerum ?

Plura alia laudantur remedia ad hunc morbum (*b*) apud Auctores varios; sed ex illis, quæ modò recensita fuerunt, satìs apparet, quid exspectandum sit de reliquis.

(*a*) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. V. pag. 367.

(*b*) Ibid. Tom. III. pag. 283.



SCORBUTUS.

§. 1148. SCORBUTUS Septentrionalis maris accolis frequentissimus morbus, plurimorum aliorum causa, neque recens, neque Veteribus prætervisus, licèt haud adeo accuratè descriptus, defectu longarum navigationum & peregrinationum in plagas telluris frigidissimas.

Quámvis negari nequeat, apud veteres Medicos plura symptomata scorbuti recenseri in descriptione quorumdam morborum, quos alio nomine indigitaverunt, tamen non adeo videntur perspexisse hujus morbi indolem, neque tam evidenter descripsisse, ut plena scorbuti cognitio inde hauriri posset. Neque videtur adeo frequenter occurrisse hic morbus, ac quidem hodie solet, ob rationes nempe statim dicendas. Constat enim, Medicos celebres, in lectione veterum Medicorum satìs etiam versatos, pro novo morbo scorbutum habuisse, dum incipiebat se quaquaversum diffundere. Hanc sententiam amplexus fuit *Citesius* (*a*), utì & *Freindus* (*b*); qui voluerunt, circa medietatem sæculi decimi sexti morbum hunc longè lateque grassari incepisse. Certè *Forestus* (*c*), qui hoc tempore floruit, scorbutum pro novo morbo habuit quinimo ipsum nomen, quo hic morbus hodie ab omnibus Medicis designatur, apud Latinos aut Græcos Medicos vetustiores non occurrit, neque ab his linguis derivatur; sed videntur populi Septentrionales huic morbo, qui ipsis frequenter molestus est, illud nomen imposuisse; utì patet ex sequentibus, quæ apud *Olaum Magnum* leguntur de illis, qui in urbibus obsessis degunt, & obsidentium commeatum quocumque modo surripere tentant, (*d*) *Ne defectu carnium recentiorum morbum incurrant, quibusvis ægritudinibus tristiorem, patriâ linguâ* Schorbuk *appellatum, hoc est, faucium stomachum diris cruciatibus, & diuturno dolore, tabefactum. Frigidi enim, ac indigesti, cibi avidiùs sumpti, morbum hujusmodi causare videntur, qualem Medici cachexiam universalem appellant.* Alio in loco (*e*) vocat eumdem morbum *Schoerbuch*; unde Belgicum nomen *Scheurbuyk* videtur derivatum fuisse; licèt & apud eosdem *Scheurbeck*, ob ulcera oris & gingivarum depascentia, & *Scheurbot*, ob dolores osteocopos, dicatur. Cùm autem in hoc morbo, post dolores molestos & lancinantes, sæpe cutis deturpatur maculis cæruleis; hinc & vo-

(*a*) Opusc. Med. pag. 168.
(*b*) Histor. of Physick Tom. II. pag. 387.
(*c*) Observat. & Curat. Medicinal. Lib. XX. Observ. XI. Tom. II. pag. 419. Conser. Dodon. Prax. Med. Cap. XVII. pag. 70.
(*d*) Histor. de gentibus septentrion. Lib. X. Cap. XXXVIII. pag. 316.
(*e*) Lib. XVI. Cap. 1. pag. 570.

caverunt *Blœuwescheut*; & mutatâ pronuntiatione *Blœuweschuyt*; licèt minùs bene. Satìs autem patet, *Scorbuti* nomen ab antiquo vocabulo, quo Septentrionales populi hunc morbum designabant, derivatum fuisse.

Apud *Hippocratem* dum lienis morbos describit, secundo loco designatur affectus, in quo color (*a*) *Immutatur, & niger cernitur, pallidus malicorii instar; ex ore malè olet & gingivæ malè olent, eæque à dentibus decedunt, & in tibiis ulcera, qualia pustulæ nocturnæ, erumpunt; membra extenuantur, neque stercus per alvum dejicitur.* Plurima ex his symptomatibus in scorbuto observantur quidem, sed tamen totam mali originem lieni adscripsit *Hippocrates*; &, si pertinax morbus fuerit, lienem inuri jussit. Alio in loco recenset morbum, quem *Ileon sanguineum* vocat, in quo sequentia contingere dicit: (*b*) *Ore malè olet à dentibus, & gingivæ abscedunt; & ex naribus sanguis effluit. Interdum verò ex cruribus ulcera erumpunt; & hæc quidem sanescunt, alia verò exoriuntur: color niger est, cutis tenuis; ad deambulationem & exercitationem haud promptus est.* Omnes enim *Hippocratis* Interpretes & Editores particulam negativam, *haud*, in textu omissam esse testantur, cùm reliquis, quæ in textu habentur, repugnare videatur, quòd talis æger ad motum exercendum promptus foret. Certè hæmorrhagiæ, & quidem periculosæ, satìs familiares sunt scorbuticis, & lassitudo totius corporis, utì postea patebit. Præterea notatur, quòd tales ægri sint λεπτόδερμοι, & videmus in scorbuto à levissima offensa cutim abradi quasi, & ulcera difficilia sequi; inprimis in cruribus, ubi si cutim tantùm unguibus scalpant, sæpe post levem excoriationem sequitur annosum ulcus. Videtur autem *Hippocrates*, licèt plura scorbuti symptomata recensuerit, tamen non habuisse congeriem horum symptomatum pro morbo peculiari, sed credidisse, omnia hæc pendere à splenis vitio. Ita enim statim (*c*) *Gingivæ vitiatæ, & ora graveolentia his, quibus sunt splenes magni. Quicumque verò habent splenes magnos, & neque sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neque oris graveolentia, horum tibiæ ulcera prava habent, & cicatrices nigras.* Observaverunt & recentiores Medici, splenem aliquando insigniter mole auctum fuisse in scorbuticis: ita celeberrimus *Meadus* in cadavere rustici, scorbutum passi, invenit ingentem lienis molem, sed (*d*) *Formâ naturali, solâ magnitudine auctâ; neque color mutatus erat, nec mollitiem tumor aut scirrhus vitiârat. Pendebat autem libras quinque cum quarta libræ parte; cùm hepar quatuor tantùm libras totidémque uncias pondere æquaret. Substantia denique, quæ visceris hujus natura est, laxis fibris suffusum nigrum cruorem visui obtulit.* Interim tamen pluribus Observatis constat, quæ apud *Bonetum* (*e*) collecta habentur, frequenter lienem ab omni vitio immunem inventum fuisse in cadaveribus scorbuticorum.

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XXXIII. Charter. Tom. VII. pag. 662. 663.
(*b*) Ibid. Cap. XLVIII. pag. 672.
(*c*) Prædict. Lib. II. Cap. XVII. Charter. Tom. VIII. pag. 826.
(*d*) Monit. & Præcep. Medic. Cap. XVI. pag. 223. 224.
(*e*) Sepulc. Anatom. Lib. III. Sect. 19. Tom. II. pag. 337.

Meminit & *Plinius* (*a*) morbi cujusdam, quo corripiebantur milites in Germania trans Rhenum, castris à *Germanico Cæsare* promotis. Decidebant autem illis intra biennium dentes, & compages in genibus solvebatur: aquæ vitio adscribit morbum, monuítque à Medicis *stomacacen* vocari, & *scelotyrben*. Prius nomen ferri potest, cùm in scorbuto oris vitia frequenter occurrant. Sed Σκελοτύρβη aliam significationem habet: ita enim definitur apud *Galenum* hoc vocabulum: (*b*) *Scelotyrbe species est paralyseos; quâ quis rectus ambulare non potest, & latus aliàs in rectum, quandoque sinistrum in dextrum, aut dextrum in sinistrum, circumfert; interdum quoque pedem non attollit, sed attrahit, velut ii, qui magnum quid adscendunt.* Quámvis autem paralysis quandoque scorbuto superveniat, utì postea dicetur, non videtur tamen definitio scelotyrbes convenire scorbuto.

Ex quibus omnibus videtur concludi posse, quòd morbus ille, qui hodie scorbutus vocatur, non quidem fuerit omnino incognitus veteribus Medicis, sed tamen non ita accuratè descriptus, quia rariùs occurrebat. Docent enim Observata, quòd Septentrionales orbis plagæ maximè obnoxiæ sint huic morbo, cùm veteres Medici, quorum Scripta ad nos pervenerunt, alia loca incoluerint. Præterea omnium pessimus scorbutus observatur in nautis, qui longas navigationes suscipiunt, & per plures menses salsis aut fumo induratis carnibus & piscibus vesci coguntur: verùm illis temporibus, quibus veteres Medici vixerunt, longinqua illa per mare itinera non suscipiebantur, cùm acûs nauticæ usus nondum cognitus erat.

§. 1149. HIC, quum variatis admodum symptomatibus sæpe fallat, meliùs non cognoscetur, quàm si, totâ ejus Historiâ præmissâ, deinde demum de ejus natura constituatur.

Omnes Medici, qui de scorbuto scripserunt, fassi fuerunt, quòd magnam difficultatem invenerint in definiendo hoc morbo, & determinandis talibus signis pathognomonicis, per quæ scorbutus cognosci & ab aliis morbis distingui posset. *Sennertus*, qui collegit ex optimis Auctoribus præcipua, quæ ad hunc morbum spectant, dicit (*c*): *Tanta omnino morborum & symptomatum farrago in hoc affectu concurrit, ut vix alius sit tam* πολύμορφος, *& qui sub tot morborum speciebus latitet, ac Medicos, etiam cùm cavisse maximè videntur, sæpe decipiat & deludat.* Patebit enim ex sequentibus, mutari symptomata in decursu hujus morbi, & in initio plures habere proprietates communes cum aliis morbis. Deinde, dum ille morbus inveterascit, nunc has, nunc alias, corporis partes magìs afficit, & quidem adeo, ut diligentes hujus morbi Observatores fassi fuerint, vix in binis scorbuticis eadem omnino, symptomata obtinere. In omnibus quidem obtinet, utì postea §. 1153, dicetur, talis degeneratio humorum, ut magìs lentescant, simúlque huic

(*a*) Hist. Nat. Lib. XXV. Cap. III. pag. 639.
(*b*) Definit. Med. n°. CCXCIII. Charter. Tom. II. pag. 265.
(*c*) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. I.

lentori

lentori junctam habeant acrimoniam : verùm varii hujus lentoris gradus esse possunt, varia indoles & intensitas acrimoniæ. Deinde prout ex singulari temperie, vel ex aliis causis simul concurrentibus, quædam partes corporis plùs afficiuntur à morbosa hac humorum dispositione, nova orientur symptomata, quæ aliorum morborum speciem referent. Sic dolores pleuritici, stomachici, iliaci, &c, à scorbuto fiunt, utì postea ad §. 1151, dicetur, remediis antiscorbuticis curabiles; & qui aliâ Methodo exacerbantur potiùs, quàm mitescunt, utì *Eugalenus*, qui optimè de hoc morbo scripsit, pluribus Observationibus Practicis (*a*) probavit. Inde autem factum fuit, ut Medici, Praxim exercentes in illis locis, ubi frequenter scorbutus occurrit, ubique & semper scorbutum incusaverint, licèt à longè aliis causis morbi producti forent. Conquerebatur *Sydenhamus* de hac re, dicens, (*b*) *Hîc enim obiter, sed & libere tamen, dicam, quòd, licèt nullus dubitem, quin scorbutus in his plagis Borealibus reverà inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem, quàm fert vulgi opinio, occurrere persuasum mihi habeo; multos autem ex iis affectibus (ne pluribus dicam) quorum nomine scorbutum incusamus, vel morborum fientium, nondum verò factorum, quique nullum adhuc certum induerunt typum, effecta esse, vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, à quibus sanguis cæterique humores contaminantur.* Certum est, insolitam pigritiam & torporem, quæ scorbutum incipientem comitantur, etiam præcedere alios morbos futuros, & manere sæpe diu post graves morbos debellatos. Ideo optimè monet paulò postea, quòd, nisi ad hæc attendatur, (*c*) *Scorbuti nomen, ut hodie fit, in immensum crescet, & omnem ferè morborum numerum absolvet.*

Ut ergo bona diagnosis scorbuti præsentis habeatur, debet priùs considerari morbi Historia, quæ causas prægressas, & symptomatum in hoc morbo successivè occurrentium, ordinem, enumerat. Sic enim certi quid statui poterit de hoc morbo, qui sub aliorum morborum larva minùs attentos toties fefellit.

§. 1150. INVENITUR apud Britannos, Batavos, Suecos, Danos, Norvegos, Germanos septentrionales, seu inferiores; attingit adeóque Boreales populos, & frigidiori sub climate viventes; atque inter hos maximè infestat vicinos mari, locis marinâ aquâ submersis, lacubus, paludibus, glebæ spongiosæ, pingui, solo depresso inter aggeres exaltatos, aquam coercentes, sito; inprimis sævit in otiosos, hyemali tempore in locis lapidibus instratis & exstructis frigidos, in nautas salsis, fumo duratis, carnibus, pane biscocto, aquâ putridâ, verminosâque, utentes mari, terrâve; item quos aves aquaticæ, pisces salsamentarii, ad ventos, fu-

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. XVI. XVII, & alibi passim.

(*b*) Sect. VI. Cap. v. pag. 349.

(*c*) Ibid. pag. 350.

mósve indurati, caro bubula, suilláve, fumo, & sale condita nimis delectant, vel farinacea non fermentata, pisa, fabæ, caseus, salitus, acer, antiquus; hos qui melancholiæ, maniæ, labi hypochondriacæ, hystericæ, morbis lentis, obnoxii vivunt, maximéque qui nimio cortice Peruviano fuerunt usi.

Patuit ex illis, quæ ad §. 1148, dicta fuerunt, scorbutum Septentrionales regiones magìs infestare: interim tamen videtur certum esse, quòd hoc non adeo fiat ob acre frigus, sed potiùs ob alias rationes. In orientales Indias navigantes ipsa sub Zona torrida scorbutus sæpe pessimo modo infestat, utì nimis notum est; & observatum fuit in Gallia (*a*), æstivis sub fervoribus scorbutum admodum exasperatum fuisse, & plurimos, qui jam reconvalescere incipiebant, pessimè se denuo habuisse. Dum hoc considerabat egregius Medicus venit in hanc opinionem, (*b*) *Causam veram & primariam scorbuti nullam aliam esse, quàm abstinentiam diuturniorem à quocumque genere recentium vegetabilium.* Certè plurimis & validis argumentis hanc sententiam firmat. In obsidione Thorunensi, præter urbis incolas, (*c*) aliquot millia militum præsidiariorum hoc morbo abrepta fuerunt; dum interim Suecis obsidentibus nihil tale contingeret. Notum autem est, obsidentes copiam olerum & vegetabilium habere posse, obsessos non. Dum exercitus Cæsareus circa Temeswariam in hyberna deductus fuisset, (*d*) plura millia militum scorbuto perierunt; & quod notandum est, in gregarios milites solos sæviebat morbus, dum omnes præfecti, etiam inferioris ordinis, immunes erant. Verùm notat, hyemen diuturniorem fuisse, olera propter obsidionem prægressam vastata, & propter paludes huic urbi vicinas hortos oleraceos longiùs remotos fuisse. Unde certè gregarii milites vel nullis vel raris vegetabilibus frui poterant, præfecti in hybernis stationibus lautiùs vivebant. Simulac autem verno tempore nova dabat munera tellus, cessavit morbus. Constat illos, qui in Indias orientales navigant, sæpe scorbutum pati, dum per plures menses vegetabili cibo recenti abstinere coguntur. Simulac verò ad Promontorium Bonæ-spei appellunt, ægros in nosocomium deferunt, juscülis ex carne recenti cum omni olerum genere coctis, & gratissimis fructibus, reficiunt, tam felici cum eventu, ut quatuordecim dierum spatio sani redeant omnes ferè ad labores solitos. Confirmantur præterea modò dicta Observationibus celeberrimi *Cochii* (*e*), qui, antequam pulchrum illum tractatum de scorbuto ediderat *Bachstromus*, similia cogitaverat de natura & indole scorbuti, dum videbat hunc morbum semper sequi longam à vegetabilibus abstinentiam; & è contrà brevì superari eumdem per diætam vegetabilem, modò nondum viscera exesa fuissent & destructa per pessimam diuturni jam scorbuti acrimoniam. Cùm autem Borealibus populis rigida & diuturna sit hyems, & plu-

(*a*) Mém. de l'Academ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 245.
(*b*) Bachstrom, Observation. circa Scorbut. pag. 12.
(*c*) Ibid. pag. 4. 5.
(*d*) Ibid. pag. 5. 6.
(*e*) Bagni di Pisa, 253, in Notis.

rium mensium spatio nivibus sepulta tellus nulla proferat vegetabilia, atque piscibus carnibúsve fumo vel aere siccatis, aut sale conditis, vivant, patet ratio, quare scorbutus frequentior his contingere soleat.

ATQUE INTER HOS MAXIME INFESTAT VICINOS MARI, &c. Cùm in scorbuto pessimo, utì postea dicetur, magna adsit putredo, ita ut cadaver oleant miseri, & vegetabilis victûs penuria, ad putredinem disponens, meritò inter causas scorbuti numeretur, utì modò dictum fuit, patet ratio quare illi homines, qui in aere putridis effluviis inquinato vivere coguntur, huic morbo inprimis obnoxii sint; maris nempe accolæ, & præ cæteris, ubi degunt talibus in locis, quæ subinde marinâ aquâ submerguntur. Illi, qui aquam marinam salubrem & potabilem reddere conati fuerunt, hanc inprimis difficultatem invenerunt, quòd ingratum & subputridum saporem tollere non potuerint; salem enim marinum, qui in hac aqua adest, inde separare facilè poterant. Unde observatur, quòd, dum recedente maris æstu litus adhuc madidum solis calori exponitur, pessimus fœtor per vicina loca dispergatur; & longè adhuc magìs, dum pisces, conchylia, &c, in litus ejecta, brevì putrescunt. Neque hoc mirum videbitur, si consideremus piscium multitudinem, eorumdem propagationem numerosam, & quorumdam ex his ingentem molem. Verùm maxima pars horum in mari perit, & piscium hæc cadavera putrescunt sub undis. Si balæna in litus ejecta, & ibi mortua intolerabilem fœtorem per aliquot milliaria dispergere potuerit; quid fiet, dum ingens harum belluarum numerus putrescit in mari? Paucæ enim piscium species sunt, quæ humanis usibus serviunt, & vasta balænarum cadavera, exsecto adipe, ac flexilibus bronchiorum cartilaginibus, in mari relinquuntur à piscatoribus. Si jam his addantur plantæ marinæ molles, adeo numerosæ, pariter in mari putrescentes, tot hominum & aliorum animalium submersa cadavera, facilè patebit ratio, quare ingens illa aquarum congeries putrido & ingrato inficiatur sapore, & odore. Minor quidem fœtor percipitur, ubi profundum mare est, quia ingenti aquæ columnâ teguntur hæc in fundo maris demersa, & quod exspirat ventis difflatur. Verùm circa litora, ubi nec profundum æquor est, & per æstum nunc aquâ teguntur quædam loca, alio tempore non, ibi molestus ille fœtor magìs percipitur; & quotidiana Observata docent, talibus in locis degentes vivere morbosos & scorbuto frequenter affligi.

Ob eamdem causam hunc morbum patiuntur illi, qui stagna & loca paludosa accolunt, quæ etiam æstivis inprimis caloribus pessimum fœtorem spargere solent; omnium maximè si venti validi & frequentes non difflent noxias has exhalationes. Ob hanc causam pejùs afficiuntur, qui depressa & simul uliginosa loca incolunt, quæ minùs ventis perflantur. Plura talia loca apud Batavos sunt, quæ cespitibus, igni alendo servientibus, eductis inundantur aquâ: aggere dein circumducto collectam aquam educunt per molendina, sícque stagna talia & paludes convertunt in læta pascua; sed, qui inhabitant talia loca, ferè omnes scorbuto languent, & dentibus cariosis ac gingivis sanguinolentis morbum testantur; imò plerumque in ipso flore

ætatis jam fiunt edentuli: (videantur & illa, quæ §. 1108, de noxis aeris stagnantis, palustris, & umbrosi habentur): morbum tamen diutius tolerant ob labores perpetuos, nam,

INPRIMIS SÆVIT IN OTIOSOS. Imminutum motum animalem ad glutinosam spissitudinem disponere humores nostros, aliâ occasione ad §. 69, probatum fuit, postea autem demonstrabitur, §. 1153, unà cum acrimonia adesse sanguinis crassitiem. Vita ergo otiosa & sedentaria disponit ad hunc morbum: unde & in illis locis, ubi scorbutus frequens est, observatur, textores, sartores, & similes, sedentarias artes exercentes, sæpius hoc morbo affici. Multos vidi, qui, laboriosâ vitâ & frugali, tantùm acquisiverant pecuniæ, ut ingravescente ætate, paucis contenti, leni in otio vivere possent; his semper suasi, ut quotidianis deambulationibus, agriculturâ, vel alio quovis modo, corpus exercerent: quod si negligerent, brevì in hunc morbum incidebant. Quamdiu in longinquis navigationibus procellosum mare perpetuos ferè labores nautis imperat, plerumque adhuc satìs sani vivunt. Verùm simulac per longius tempus serenum mare fuerit, incipiunt scorbuti vestigia apparere, & citò crescit morbus ob durum victum & alia, de quibus statim dicendum erit: unde periti Navarchæ invitos cogunt ad labores, etiam inutiles, dum tranquilla serenitas adest diu.

HYEMALI TEMPORE IN LOCIS LAPIDIBUS, &c. Plurimi apud Batavos totam vitam ferè in talibus locis transigunt, quæ infra solum depressa solis fenestris eminent (*kelderkeukens* vulgò vocantur). Perpetuam humiditatem ibi adesse satìs experiuntur: hinc & lapidibus pavimentum sternunt, & ipsos parietes tegulis lapideis incrustant, probè gnari, omnia ex ligno parata ab humiditate brevì corrumpi & destrui. Quinimo, pessimo more, & in talibus locis cubilia ponunt, licèt observent quotidie, lectum, stragula, & supposita lecto stramina, madescere. Verum quidem est, quòd focum instruant, sed sub camino, neque adeo largum tamen; hinc de nocte, dum ignis silet, in loco tali humido & frigidò dormiunt. Apud plures, parcimoniæ causâ, ignis sub cineribus sepelitur, postquam culinari inservivit usui; neque semper frugalis cœna novum ignem poscit, vel saltem modicum tantùm. Quinimo sæpe munditiei maximè studiosæ matronæ malunt vespertino tempore frigus pati, quàm magno labore detersum focum novo igne exstructo maculare. Dentes in his erosi, gingivæ dolentes semicorruptæ, molesti dolores per corpus sparsi, quotidianâ Observatione docent, quàm familiaris sit ab hac causa scorbutus; quod etiam jam notaverat *Olaus Magnus* ubi de scorbuto agit, dicens, (*a*) *Videtur esu salsorum ciborum, nec digestorum, nasci, & frigidâ murorum exhalatione foveri. Sed vim tantam non habebit, ubi muri interiùs tabulis quorumcumque lignorum sunt cooperti.*

IN NAUTAS SALSIS, FUMO DURATIS, &c. Tali enim victu coguntur uti nautæ in longis navigationibus, cùm recentes carnes diu servari non possint. Oves, gallinæ, porci, quandoque aluntur in navibus, ut subinde recentes carnes & juscula haberi possint, sed nunquam tantâ copiâ, ut omnibus suffi-

(*a*) Histor. de Gentib. Septentrion. Lib. XVI. Cap. LI. pag. 570.

cere valeant. Præfectorum navis & ægrorum usibus hæc solùm dicantur. Unde patet, necessariò crassos, pingues, terrestres, humores nasci (vide §. 1093.), quibus muriatica acrimonia se admiscet. Quamdiu autem valido motu corporis crassorum adunatio impeditur, satis commodè se habent, utì dictum fuit; inprimis si potu copioso diluantur humores, & eluatur illud salsum abundans in sanguine. Verùm dum calores sub æquatore incipiunt experiri, plerumque aqua, illorum potui destinata, putrescere incipit, & pessimè fœtere; unde miseri potum fastidiunt, & vel nullum sumunt, vel parcissimum. Verum quidem est, quòd aqua hæc putrida post aliquod tempus incipiat sedimentum deponere, limpida fieri, & potabilis denuo reddi; atque dein bona maneat; interim tamen, dum per plures dies, imò quandoque septimanas, horrendam fracedinem spirat aqua, adeóque à potu abhorrent nautæ, pessima dispositio humorum nascitur, dum nec satìs diluitur crassum, nec sudori & urinæ subministratur vehiculum sufficiens, ut per has vias acria de sanguine elui possint. Illi verò, in quibus ingens sitis aquæ putrescentis fastidium vincit, unà cum potu putrida hæc miasmata ingerunt, pariter nocitura: idem contingit quandoque, ubi aquæ penuria adest, dum adversâ tempestate diutius protrahitur navigatio, quàm communiter fieri solet.

Quòd autem sale conditarum carnium usus ad scorbutum faciat, etiam inde patet, quòd illi homines, qui naufragium passi, vel mercede conducti, in ultimis Septentrionalis plagis hyemem transegerunt, omnes ferè mortui sint scorbuto, ubi his solis vixerunt. Et contrà plurimi ex illis, qui recentes cervorum, vulpium, ursorum, carnes venatu sibi comparaverant, evaserunt (*a*).

ITEM QUOS AVES AQUATICÆ, PISCES, &c. Aves aquaticæ piscibus vivunt, saltem plurimæ: cùm autem pisces citò putrescant, hinc & hæ aves, ubi his ferè solis pascuntur, dant nutrimentum, quod sponte suâ in putredinem tendit, cùm omnia animalia, quæ aliis animalibus nutriuntur, omnes succos facilè alcalescentes habeant (vide §. 79.). Præterea in piscibus pingue abundat oleum, & ideo aves piscivoræ omnes rancidum sapiunt plùs vel minùs: rancida autem talis acrimonia pejor est simplici putredine, & ubi semel humoribus nostris mista est, difficiliùs inde eluitur. Ob eamdem rationem pisces salsamentarii salem pertinaciter retinent, utì etiam carnes pinguiores, ubi semel penetratæ fuerunt sale, quo condiuntur; tunc enim nequidem diuturnâ maceratione & coctione in larga aquæ copia à sale liberari poterunt. Cùm autem Batavi hyemali tempore similia in deliciis habeant, imò recentes carnes fastidiant plurimi, patet & alia ratio, cur frequentiùs scorbuto laborent. Septentrionales populi, Experientiâ docti, inde scorbutum fieri, in diuturnis obsidionibus omnem operam adhibebant, ut obsidentium pecudes abducere possent, & mirâ industriâ in ipsis domo-

(*a*) Hedendaasche Historie, &c. door Salmon VII. deels sesde stukje, pag. 869. & seq.

rum tectis parabant pascua : (*a*) *Lignis enim abietinis, & corticibus arboris betulæ, exquisitâ industriâ* (domos) *tegunt, terram herbiferam quadratâ figurâ à campis excisam superimponentes, quam submisso avenæ vel hordei semine firmioribus radicibus nectunt; quo fit, ut tecta hujusmodi pratorum virentium speciem & virtutem æmulentur.* Sic recentium carnium esu vitabant scorbutum, quem præ cæteris omnibus morbis metuebant, & quem noverant in urbibus obsessis adeo fatalem esse.

Cùm autem farinosa cruda, non fermentata, glutinoso spontaneo producendo faveant, utì ad §. 69, dictum fuit, & utì postea dicetur ad §. 1153; & in scorbuto, saltem incipiente, crassities talis humorum adsit; patet ratio, quare talia affatim sumpta ad scorbutum disponant, præcipuè si his vescentes non utantur simul validis corporis exercitiis : dura enim messorum ilia hæc ferunt & alia multa, quæ otiosis hominibus pessimè nocent. Pisa, fabæ, & his similia legumina, similis indolis sunt, cùm in farinam redigi possint, quæ cum aqua subacta æquè lentescit, ac aliæ farinæ ex cerealibus paratæ.

Caseus autem, licèt ex dulci & blando lacte paretur, si antiquior fuerit, magnam acrimoniam acquirit, ita ut linguam mordeat. Notum est, caseum parari, dum lacti recenti vel acidum quodvis, vel coagulum lactis dictum, instillatur : tunc enim separatur à tenui lactis sero crassior pars, quæ intra densum linteum summâ vi premitur, ut omne serum exeat : relictum tunc in linteo magnâ constat parte butyraceâ lactis, & caseo propriè dicto : ille ob pingue butyraceum admistum, dum diu servatur, admodum acris fit, non autem acidus, sed ad alcalinam indolem potiùs vergit. Ubi verò lac priùs orbatur cremore pingui, & dein coagulatur, tunc caseus inde pressus longè minùs acris fit per ætatem, sed durescit instar cornu, & igni admotus perfectè ut cornu lentescit, (*b*) *Ustulatur, comburitur, fœtet.* Adeóque caseus, unà cum acrimonia per ætatem acquisita, in putredinem vergit, licèt ex lacte acescente paratus sit : & cùm plerumque multo sale condire soleant caseos diu servandos, patet facilè, quare illorum usus noceat illis, qui ad scorbutum inclinant alias etiam ob causas : imò quotidianis Observatis constat, scorbuticos omnium symptomatum augmentum percipere, simulac per paucos tantùm dies tali caseo utuntur.

QUI MELANCHOLIÆ, &c. Constat ex illis, quæ §. 1093, dicta fuerunt de causis melancholiæ, plures ex illis etiam scorbuto producendo favere, dum pertinacem in humoribus tenacitatem faciunt, dissipando tenuissima, figendo reliqua. Hinc & Auctores, qui de scorbuto scripserunt, affinitatem magnam inter cacochymiam atrabilariam & scorbutum statuerunt. Certè *Eugalenus* audacter pronunciavit, (*c*) *Quos cum crassiore victûs ratione diuturnior mœstitia exercuit, de his ægrotantibus constanter semper prædicere ausus fui, eos scorbuto morbo, vel aliis permixto, teneri.* Et postea subjungit sequentia : (*d*) *Interna hujus morbi causa, melancholici humoris exuberantia censetur.*

(*a*) Olaus Histor. de Gent. Septentr. Lib. IX. Cap. XXXVIII. pag. 316.

(*b*) Boerrhaav. Element. Chem. Operation. Part. II. Process. XC. pag. 301.

(*c*) Cap. de caus. Scorbut.

(*d*) Ibidem.

Notavit egregius ille Vir, qui *Anſoni* navigationem circa totum orbem terrarum deſcripſit (*a*), ſcorbuto afflictos claſſiarios puſillanimes fieri & à leviſſima etiam cauſa ſummo terrore percelli; imò obſervavit, dum adverſa quædam contingerent, quæ ſpem felicis in Patriam reditûs minuebant, mox augeri morbi violentiam, ſic ut perirent illi, qui in ultimo morbi gradû verſabantur; alii verò, qui languida membra trahentes adhuc utcumque fungi poterant ſuo munere, ſtatim cogebantur decumbere.

Cùm autem §. 1108, demonſtratum ſit, labem hypochondriacam & hyſtericam meritò inter evidentes melancholiæ cauſas numerari, patet & ratio, quare his malis afflicti ægri in ſcorbutum proni ſint, ſi aliæ cauſæ hujus morbi ſimul acceſſerint; & inprimis ſi talibus locis vixerint, ubi endemius ſcorbutus eſt.

Cùm autem §. 1051, ubi de generalibus morborum chronicorum cauſis dicebatur, conſtiterit, quòd in morbis lentis & major viſcoſitas humorum, & acrimonia varia obſervetur, dum à ſana indole ſanguis degenerat, patet ſatìs, quare his morbis obnoxii facilè ſcorbutici fiant.

MAXIMEQUE QUI NIMIO CORTICE PERUVIANO FUERUNT USI. Antea ad §. 753, ubi agebatur de illis effectis, quæ febrem intermittentem ſequi ſolent, notatum fuit, quòd poſt has febres, inprimis ſi diuturnæ & validæ fuerint, humores craſſi & acres reddantur, ſimúlque ſolidæ partes corporis debilitentur; unde ob laxa vaſa, & liquida craſſa atque acria ſimul, febres intermittentes aliquando terminarentur in ſcorbutum & alios morbos chronicos. Ubi autem pertinacibus talibus febribus curandis adhibetur cortex Peruvianus, tunc mutationes humorum & ſolidarum partium corporis, per ipſam febrim prægreſſam factæ, malè adſcribuntur uſui corticis Peruviani. Interim tamen & hoc obſervatur, poſt æſtates fervidiſſimas, ſequi autumnali tempore febres intermittentes difficiles, cum anxietate præcordiorum, levi flavedine oculorum, & urinâ ſubicteritiâ, quæ omnia docent, in viſceribus abdominalibus obſtructiones natas eſſe. Ubi intercalaribus diebus ſolventium remediorum copia datur, hæc per febrim ſequentem mota ſæpe feliciter expediunt ſaburram viſceribus infarctam, ſícque tutò tolluntur hæ febres, vel ſi pergant, liberatis jam à materia obſtruente viſceribus, cortice Peruviano dato, feliciter curantur. Ubi autem, antequam ſoluta fuerit & expulſa hæc materia, præpropere datur cortex Peruvianus, languent tales ægri; ſíque repetatur corticis uſus, dum prima recidivæ ſigna apparent, pertinax ſæpe obſtructio manet in toto ſyſtemate vaſorum meſentericorum, quæ ergo melancholiæ & morbo hypochondriaco originem dare poterit, (vide §. 1108.); adeóque & ſcorbuto, utì modò dictum fuit. *Sydenhamus* (*b*) qui indignabatur, utì antea dictum fuit, ſcorbutum toties inculpari in morbis chronicis, & qui cortice Peruviano in febribus intermittentibus aliíſque morbis curandis ſatìs libere uſus fuit, ingenuè fatetur, dolores vagos, anomalis & inconditis ſymptomatibus ſtipatos ſæpe ſequi. Suſpica-

(*a*) Anſons, Voyage round the world, &c. pag. 143.

(*b*) Sect. VI. Cap. V. pag. 351.

batur primò ad affectuum hystericorum classem referri debere hæc mala: sed iteratis Experimentis didicit, quòd remediis hystericis non cederent illi dolores, sed antiscorbuticis feliciter tollerentur: ideo rheumatismum scorbuticum vocavit, & monuit, quòd illi, qui, (*a*) *Longum & repetitum corticis Peruviani usum experti sunt, huic malo sint obnoxii; quod quidem, ut obiter attingam* (inquit), *unicum est incommodum, quod ex hoc remedio illatum novi unquam.* Tamen & alia mala imprudentem corticis Peruviani usum in febribus intermittentibus curandis secuta fuisse, in illarum febrium Historia patuit. Sufficit hîc notasse, quòd, fatente *Sydenhamo*, corticis Peruviani nimium usum scorbuti symptomata secuta fuerint, quæ non cedebant nisi remediis huic morbo debellando propriis.

§. 1151. DUM verò hos aggreditur, his ferè phœnomenis incedit, augetur, maturatur:

1°. Pigritia insolita, torpor, sedendi & decumbendi amor, lassitudo spontanea toto corpore, gravitas ejusdem, musculorum omnium dolor quasi à nimia fatigatione, maximè in cruribus lumbísque, ambulandi inprimísque per acclive vel declive summa difficultas, manè à somno evigilanti sensus omnium artuum & musculorum quasi fatigatorum & contusorum.

Optimam diagnosin morbi dat enumeratio symptomatum, quæ observantur illo tempore, dum morbus adest, unde & scorbutus hîc tali modo describitur. Verùm in multis morbis, & inprimis in acutis, inter congeriem symptomatum inveniuntur quædam, quæ, dum adsunt, certò morbum determinant, & ab aliis omnibus morbis distinguunt, licèt præterea in eodem morbo observentur symptomata, quæ etiam in aliis morbis inveniuntur. Sic v. gr; febris acuta cum pulsu duro, dolore acuto punctorio, inspirationem admodum impediente, cum tussi ferè perpetua, in pleuritide inveniuntur, & ejus diagnosin faciunt. Dum ferox & perpetuum delirium cum febre acuta continua oritur, phrenitis adesse dicitur. In duobus autem illis morbis multa adsunt sæpe symptomata communia, nempe sitis, anxietas, nausea quandoque, calor, pervigilium, &c. In morbis autem chronicis, qui ex vitiis liquidorum, sensim natis, originem ducunt (vide §. 1050.), & lento gradu functiones corporis labefactant, major sæpe difficultas est eruendi signa illa pathognomonica, quæ certam dant diagnosin morbi præsentis; inprimis in morbi principio, ubi nondum adeo læsa est sanitas, sed quasi vacillare incipit tantùm.

Causæ prægressæ, quæ morbum producere aptæ sunt, multùm lucis diagnosi affundunt in scorbuto, qui variis adeo symptomatibus ludit, ut optimi hujus morbi Observatores testati fuerint, in binis ægris, hoc morbo afflictis, raró vel nunquam eadem symptomata observari; & si fuerint similia, mutato tamen ordine in diversis ægris decurrere frequenter.

(*a*) Sydenham. Sect. VI. Cap. v. pag. 351. 352.

Interim

Interim tamen conveniunt Auctores in eo, quòd incipientem ſcorbutum comitetur torpor inſolitus, & laſſitudo totius corporis, ſpontanea dicta ideo, ut diſtinguatur à ſimili moleſtia, quam experiuntur validis laboribus fatigati homines (*a*).

Verùm talis laſſitudo & totius corporis gravitas etiam obſervantur in aliis morbis incipientibus, utì jam monuerat *Hippocrates* (vide §. 433. 734.) pronuncians generaliter, quòd (*b*) *Spontaneæ laſſitudines morbos denunciant futuros*. Præterea & à morbis validis reſurgentes, dum viribus exhauſti, movere corpus tentant, ſimilem laſſitudinem experiuntur; inprimis dum nondum integre morbus debellatus fuit, & adhuc aliquid de materia morboſa ſupereſt in corpore. Dum hæc noverat *Sydenhamus*, ægre tulit ſcorbutum ubique incuſari, & voluit hæc eſſe ſigna, (*c*) *Vel morborum fientium, nondum verò factorum .... ; vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, à quibus ſanguis ceterique humores contaminantur*. Præterea obſervamus, humidâ & tepidâ ſimul aeris conſtitutione, omnes homines ſic gravari, ut totum corpus ponderoſius quaſi & ad ſolitos motus peragendos inertius ſentiatur, ob perſpirationem inſenſibilem tunc imminutam, utì ex *Sanctorii* Obſervatis conſtat: imò etiam in valde plethoricis talis torpor obſervatur. Adeóque patet & in aliis morbis ſimilia ſymptomata inveniri.

Attentus tamen ad omnia Medicus ſcorbutum incipientem ab aliis morbis diſtinguere poterit, ſi noverit, utì dictum fuit, cauſas ſcorbuto producendo aptas præceſſiſſe. Laſſitudo illa ſpontanea, ſi morbum acutum minitetur, brevì certè in talem morbum abit: ſi autem à retento perſpirabili producta fuerit, quiete corporis, tenui victu, blando ſudore, finietur; vel ſi neglectum hoc fuerit, quandoque periculoſum morbum faciet. In ſcorbuto autem talis laſſitudo ſenſim ſubrepit, per plures dies imò ſeptimanas pergit ſenſim aucta, nullo alio morbo ſequente; & inprimis hoc peculiare habet, quòd à ſomno evigilanti moleſtior ſit hæc laſſitudo, quàm reliquo diei tempore, dum laſſitudo ab aliis cauſis orta poſt ſomnum minui potiùs ſoleat.

Obſervatur autem, quòd levitatis ſenſus, & ad motum alacritas, tunc adſint, quando libera humorum circumductio per omnia vaſa corporis obtinet; & contrà, ubi tranſitus liber humorum vel in toto corpore vel in parte impeditur, gravitas & moleſtia percipiuntur. Brachii pondus homo ſanus non percipit, verùm ſi phlegmone illud occupaverit, inſtar plumbi grave ſentit, & cogitur illud vel faſciâ ſuſtinere, vel fulcro cuicumque obvio imponere. Cùm autem & humorum immeabilium craſſities peccet in hoc morbo, utì poſtea ad §. 1153, dicetur, & cauſæ, paragrapho præcedenti enumeratæ, tali humorum craſſitiei producendæ faveant, meritò videtur poſſe ſtatui, quòd in primo hoc ſcorbuti ſtadio obſervata ſymptomata immeabilitati humorum per vaſa adſcribi queant, ſimúlque deficiat copia ſubtiliſſimi totius corporis liquidi, quod motui muſculari ſervit; cùm à viſ-

(*a*) Eugalen. Paſſim. Confer. Van der Mye de Morbis Bredanis, pag. 5. 6. 7. Bachſtrom de ſcorbuto, pag. 19.

(*b*) Aphoriſm. Sect. II. n°. v. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 46.

(*c*) Sect. VI. Cap. v. pag. 349.

cidiori & à ſanitatis conditionibus, degenerante ſanguine, nec quantitate nec qualitate debitis, ſecerni poſſit. Ubi autem huic viſciditati nondum juncta eſt valida acrimonia, in initio morbi, de moleſtis doloribus non adeo conqueruntur ſcorbutici, ſed tantùm de gravitate & laſſitudine totius corporis. Atque hoc eſt primum ſcorbuti ſtadium, in quo ſi morbus non curetur, tunc ſequuntur nova ſymptomata, ſucceſſivè nunc enumeranda.

2°. Difficilis, anheloſa, ad motus vel parvos ferè deficiens reſpiratio: crurum tumor accedens, recedénſque, horum præ gravitate immobilitas; maculæ rubræ, fuſcæ, flavæ, violaceæ; faciei color pallido-fuſcus; oris fœtor incipiens; gingivæ tumentes, dolentes, calidæ, prurientes, ad minimam preſſionem evomentes cruorem; dentium ob retractas gingivas denudatio, & mobilitas; dolores varii vagi, per omnes externas internáſque corporis partes mira producentes tormina, pleuritica, ſtomachica, iliaca, colica, nephritica, cyſtica, hepatica, lienaria, &c; hæmorrhagiæ variæ, ſed leviores.

Notandum hîc eſt, quòd deſcribantur ſymptomata ſcorbuti, quando ſenſim ſubrepit hic morbus, & lento gradu augetur, prout plerumque ſolet fieri. In urbibus verò obſeſſis, & longinquis peregrinationibus marinis, ubi penuria ſalubris cibi adeſt, & mœſtitia perpetua ac timor, ibi longè citiùs ille morbus progreditur & omnia ſymptomata citò exacerbantur, brevíque tempore ad ſummam malignitatem perveniunt. In præcedenti numero jam notatum fuerat, ambulationem admodum difficilem eſſe, inprimis per acclive vel declive, ſed omnium maximè dum acclivia adſcendere debent. Dum enim hoc fit, muſculi omnes ferè agere debent, ut pondus totius corporis elevetur: in deſcendendo, quámvis minor, tamen & valida, actio muſcularis requiritur, ut corpus ſuſtineatur, ne præcipiti nimis motu delabatur. Muſculis autem agentibus (vide §. 28. n°. 2.) acceleratur motus ſanguinis venoſi versùs cor dextrum, adeóque illud obruitur, niſi citò & liberrimè ſe evacuare poſſit per arteriam pulmonalem. Hæc eſt ratio, quare etiam in ſanis hominibus, gradus rapidiſſimè adſcendentibus, cor palpitare incipiat, & reſpiratio fiat frequentior ac moleſtior, quia ſanguis venoſus tunc tantâ copiâ & celeritate redit ad cor dextrum à toto corpore, ut non poſſit eodem tempore tranſire per pulmonem, niſi celeri reſpiratione frequentiùs dilatetur pulmo: unde etiam coguntur quieſcere homines, vel ſuffocarentur. Sic etiam obſervatur, generoſiſſimos equos, nimis veloci curſu exercitos, ſæpe mortuos concidere. Si autem hoc fiat in homine ſano, ubi omnes humores ſunt meabiles, & omnia vaſa pervia, facilè intelligitur, à leviori acceleratione ſanguinis venoſi, per motum muſcularem factâ, idem fieri debere, ſi ſanguis majorem lentorem & viſciditatem habuerit, ſícque difficiliùs per ultimas anguſtias arteriæ pulmonalis tranſire poſſit: talem

autem lentorem sanguini scorbuticorum inesse, postea ad §. 1153, probabitur: unde patet ratio, cur in initio scorbuti difficultas ambulandi sit, ubi per acclivia vel declivia inceditur; aucto verò morbo ad parvos etiam motus deficiat respiratio. *Eugalenus*, qui graphicè hunc morbum descripsit, hoc pulchre notavit, dicens, (*a*) *Si morbus hic subsit, post levem motum (extra manifestam viscerum obstructionem) eum demonstrabunt cùm difficilior respiratio, tum labra genæque subfusco ac lurido colore, præter consuetudinem, citráque ambientis aeris frigus conspicuæ.* Quare livor in facie oriatur, infarcto pulmone, antea ad §. 848, explicatum fuit, ubi de lethali peripneumonia agebatur. Optimè autem notat *Eugalenus*, difficilem illam respirationem scorbuticorum distingui à simili malo, ab aliis causis nato, quòd non adsint, (*b*) *Tussis, sibilus, stertor, dolor pungens, orthopnœa, & his similia thoracis affectionibus propria.*

CRURUM TUMOR ACCEDENS, RECEDÉNSQUE, &c. Cùm difficilior sit adscensus venosi sanguinis ex artubus inferioribus corporis versùs cor, hinc & venæ ibi valvulas plures habent, & musculis imponuntur aut interponuntur ita, ut ab his tumentibus, dum agunt, vicinæ venæ comprimi possint, sícque sanguinis venosi motus cor versùs accelerari: unde observamus in hominibus diu quiescentibus sæpe pedes tumere, quia venæ minores commodè se evacuare nequeunt in venas majores nimis distentas. Cùm autem pigritia insolita, & ad parvos etiam motus deficiens respiratio, omnem ferè motum muscularem prohibeant, patet ratio, quare crura frequenter tumeant in hoc morbo. Tepore autem lecti, & situ corporis horizontali; cùm facilitetur sanguinis venosi reditus àb artubus inferioribus, recedit sæpe ille tumor, denuo rediturus ob eamdem rationem.

Ob difficiliorem autem transitum humorum per artus inferiores, tumorémque gravantem, sentiunt hæc membra ponderosa, ac si plumbo infuso gravia forent, & ideo adhuc minùs illa movere possunt. Accedit, quòd à sanguine viscido, & quasi vappido, scorbuticorum, minori copiâ & minùs bonum secernatur fluidum illud tenuissimum, quod encephali fabricâ paratum per nervos ad musculos derivatur, ut motus musculares fiant.

MACULÆ RUBRÆ, FUSCÆ, &c. Omnes Auctores, qui de hoc morbo scripserunt, ejúsque symptomata recensuerunt, maculas se observasse testantur. In obsidione Bredana (*c*) scorbuto correpti maculas lividas per corporis superficiem dispersas habuerunt, imò multis tota cutis purpureo colore inficiebatur. Monet *Eugalenus*, quòd his maculis lividis scorbuticorum decepti Chirurgi & Empirici (*d*) peste laborare sic affectos crediderint, &, datâ theriacâ, aliísque calidis medicamentis, non paucis ægris mortem acceleraverint: nec hoc adeo mirum videbitur, si consideremus, egregium virum *Poupartium* (*e*), dum attentè observabat pessimum scorbutum in nosocomio grassantem, conclusisse, quòd aliquam similitudinem haberet cum sæva peste

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. IV. pag. 13.
(*b*) Ibid. pag. 12.
(*c*) Van der Mye de Morb. Bred. pag. 5. 6. 7.
(*d*) De Morb. Scorbut. Symptomat. XXXVI. initio.
(*e*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 237, & suiv.

Athenienſium à *Lucretio* deſcripta; & comparando ſymptomata obſervata cum deſcriptione peſtis, quæ apud hunc Poetam legitur, ſatis hoc probat. Obſervationes autem *Poupartii* magnum lumen affundunt huic morbo, quia cadaveribus diſſectis indagavit rationem ſymptomatum, quæ in hoc morbo obſervaverat. Quidam ægri brachia, crura, femora, habebant rubro profundo colore in nigredinem tendente tincta, ſed in talibus, poſt mortem, ſanguis niger concretus ſub cute reperiebatur: maculas autem cæruleas, rubras, flavas, nigricantes, ſimiliter ab extravaſato ſub cute ſanguine productas obſervabat, prout ſanguis extravaſatus colorem mutaverat; dum vel coagulatus & niger manebat, vel incipiens diſſolvi per varios colorum gradus tranſibat, antequam penitus diſpareret, ſimili omnino modo ac in contuſionibus apparet, ut antea dictum eſt, dum de his agebatur. Magna enim affinitas eſt inter maculas ſcorbuticas & mutationem coloris in cute, quæ contuſionem prægreſſam ſequitur: in utroque enim caſu extravaſati humores ſub integris integumentis hærent; in utroque caſu vaſa rupta ſunt; & videtur in ſcorbuto à cauſis internis naſci ſimilis conditio, qualis à cauſa externa contundente naſci ſolet; vaſorum nempe ruptura & liquidorum extravaſatio. Obſervatur enim in ſcorbuto & magna degeneratio liquidorum in acrimoniam, & aucta teneritudo partium ſolidarum, ut à levi vi rumpantur. Memini, aliquoties contigiſſe, ut, ſcorbuticorum carpum ſi fortiùs parùm contrectaſſem, pulſum explorando, ſequenti die monſtraverint digitorum veſtigia in cute cærulei coloris. Pariter, utì in partibus contuſis, ſi profundiùs inter partes muſculoſas hæreant liquida extravaſata, moleſtus dolor oritur, qui levatur, ubi maculæ cæruleæ vel lividæ ſub cute apparent, docentes locum mutaſſe extravaſata; ſic & idem in ſcorbuto contingit. *Poupartius* (*a*) invenit in cadaveribus muſculos inflatos, duros inſtar ligni, ob ſanguinem extravaſatum inter muſcularem carnem hærentem: fiunt in tali caſu moleſtiſſimi dolores elevati, ſimulac locum mutavit extravaſatus cruor, & ſub cute hæret. In Praxi hoc frequenter vidi, moleſtos dolores in ſcorbuticis levari, ſi maculæ cæruleæ vel lividæ ſub cute partis dolentis apparerent. Monuit & *Brunnerus* (*b*) ſe hoc obſervaſſe, quòd illi dolores non priùs deſinerent, quàm maculæ, ſed latæ valde, prorumperent, quas poſtea diſcutientibus ſolvere tentabat.

FACIEI COLOR PALLIDO-FUSCUS. Multùm affinitatis inter cacochymiam atrabilariam humorum & ſcorbutum adeſſe, præcedenti paragrapho dictum, & ad §. 1094, de hac mutatione coloris faciei actum fuit. *Eugalenus*, ubi inveſtigat ſigna, ex quibus tempeſtivè ſcorbutus cognoſcitur, ut curari poſſit, antequam nimis ingraveſcat, notavit, quòd adſit (*c*) *In nonnullis quoque lividus faciei color, in iis potiſſimùm, qui craſſo & melancholico abundant ſanguine*: addítque, quòd in his poſt levem motum corporis, labra & genæ ſubfuſco & lurido colore perfuſa appareant.

ORIS FŒTOR INCIPIENS, &c. Signa ſcorbuti ſe ſatis citò manifeſtant

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 241.
(*b*) De Scorbuto, pag. 17.
(*c*) De Morb. Scorbut. Symptom. IV. pag. 13.

circa gingivas & dentes; imò videtur acrimonia scorbutica has partes primariò afficere: unde in illis locis, in quibus hic morbus endemius est, ferè omnes habent dentes cariosos, gingivas exesas. Medici autem, qui in talibus locis Artem exercent, semper solicitè attendunt, quomodo gingivæ se habeant. Naturaliter gingivæ turgidulæ sunt, & satìs firmæ, atque illam partem dentium occupant, quæ crustâ illâ adamantinâ dictâ non tegitur: ubi autem scorbùtus nascitur, tunc gingivæ incipiunt complanari, à medio corpore dentis recedere deorsum, & nudam relinquere partem molliorem dentis, crustâ illâ durissimâ non tectam. Simul autem gingivæ assurgere incipiunt in dentium interstitiis, rubere, tumere, prurire quandoque, postea dolere. Dum hæc vident Medici, noverunt scorbutum adesse. Cùm autem gingivæ naturaliter adhæreant molliori dentium parti, illíque periostei instar serviant, simulac secedunt à dentibus, illi incipiunt corrumpi, cariosi fieri, & frustulatim excidere. Illa autem membrana, quæ alveolos dentium investit, gingivarum quasi propago est, & similiter affici solet, unde incipiunt dentes vacillare, & sponte cadere, antequam adhuc omnino cariosi fuerint. Ideo in illis locis, ubi frequens hic morbus est, toties videmus homines in ipso flore ætatis jam edentulos. Licèt enim morbus curetur si dentis inferior pars, quæ gingivâ sanâ adhærente tegi debet, cariosa jam fuerit, nunquam gingiva denuo denti accrescet, utì nec periosteum ossi, si illud corruptum fuerit. Hæc est ratio, quare gingivæ solutæ à dentibus appareant, & illa pars gingivarum, quæ inter dentium interstitia assurgit, libera ab omni nexu fit, & specillo facilè moveri possit. Rubent tunc gingivæ, pruriunt primò, postea dolent, ad levem attactum sanguinem fundunt, & observavit *Poupartius* (*a*) infantes unguibus lacerasse gingivas prurientes, atque avulsisse partes gingivarum, quòd facilè fit, dum libere à nexu cum dentibus gingivæ incipiunt tabefieri. Simul dum panem vel pomum mordent, fœdo spectaculo sanguinolenta gingivarum vestigia relinquuntur. Verùm sanguis ille ex gingivis à levi attactu egressus inter gingivas & dentes colligitur; imò & in ipsis dentium alveolis idem contingit, dum dentes vacillare incipiunt; ibíque corruptus in tabum producit oris fœtorem. Vidi hoc toties in scorbuticis, quòd, leviter premendo gingivas, secundùm totam longitudinem maxillæ utriusque, talis tabus exiverit. Accidit quandoque, ut in dentium alveolis collectus talis tabus erodat interstitia tenera ossea, quæ dentium alveolos à se invicem separant, sícque per totam longitudinem maxillæ osseæ progrediatur, omnia inficiens & corrumpens, nisi uno vel pluribus dentibus evulsis via fit, per quam illud corruptum exire possit: qualem casum decennis pueri memorat *Poupartius* (*b*), cui Chirurgus omnes dentes evellere debuit, ut gingivas & maxillam curare posset. Omnia hæc symptomata sensim succedunt in leniori scorbuto, rapidè autem si in magnam jam malignitatem degeneraverit morbus.

DOLORES VARII, VAGI, &c. Omnes Auctores, qui de scorbuto scripserunt, fassi sunt, tales dolores scorbuticis contingere: imò *Sydenha-*

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 238.

(*b*) Ibid. pag. 243.

mus, qui non facilè credebat scorbutum adesse, notavit (*a*) post usum corticis Peruviani talibus doloribus vagis, anomalis, affici ægros, quos quidem primâ fronte ad hystericos affectus pertinere credebat; verùm, cùm remediis huic morbo debellando aptis minimè cederent, postea didicit, solis antiscorbuticis remediis facilè curari, cùm nempe in principio statim hæc adhibebantur, utì ad præcedentem paragraphum dictum fuit. Simul satìs patet, diversos posse simulari morbos à scorbuto, prout acre illud scorbuticum his illísve partibus insederit. Solet quidem plerumque circa gingivas & dentes primò se manifestare hoc malum; verùm certum est, alias plures partes affici, utì constat ex illis quæ dicta fuerunt, & ulteriùs patescet in sequentibus, ubi dicetur de iis, quæ in cadaveribus scorbuticorum observata fuerunt. *Eugalenus* (*b*) pluribus Observationibus Practicis demonstrat, quàm varia sub morborum specie scorbutus illudat minùs peritis. In cive Embdano sub pleuritidis larva latebat, & frustra ab Empirico binis venæ-sectionibus adhibitis in homine frigido & pituitoso quærebatur sævi doloris lenimen. *Eugalenus*, dum videret nec molestam adeo tussim adesse, nec pulsum durum, nec febrim validam, dolores intermittere, & per intervalla denuo recrudescere, ipsam ægri temperiem morbis acutis inflammatoriis minùs favere, & urinas crassas copiosum sedimentum lateritium deponere (de quibus postea adhuc dicendum erit), statim conclusit, dolorem illum lateris non esse pleuriticum, sed à scorbuto pendere; adeóque remediis ad hunc morbum sanandum propriis curari debere, quod & felix eventus probavit. Molestissimos dolores circa cardiam & ventriculum sæpius observavi in scorbuticis; sed signa jam memorata scorbuti incipientis, & urinæ illæ scorbuticæ, pulsúsque parvus, debilis, & inæqualis, inprimis illo tempore, dum acerrimi illi dolores urgerent, satìs certam morbi diagnosin dabant.

HÆMORRHAGIÆ VARIÆ SED LEVIORES. Dum nempe ab ipsa humorum acrimonia vasa sanguinea eroduntur, vel adeo mollia & tenera evadunt, ut levissimâ vi solvantur, ac contentum sanguinem effundant. Hinc gingivæ leviter etiam pressæ sanguinem fundunt; inde maculæ, & sanguis extravasatus in interstitiis fibrarum muscularium collectus, utì antè dictum fuit: quandoque & leves narium hæmorrhagiæ, sed sæpe repetitæ. Ubi autem sanguis per putridam dissolutionem incipit diffluere, tunc validæ illæ & mirabiles hæmorrhagiæ fiunt, de quibus sequenti numero dicetur.

3°. Gingivarum putredo fœtens cadaver, harum inflammatio sanguinem stillans, gangræna; dentium vacillatio, flavedo, nigritudo, caries; varicosi annuli ad raninas venas; hæmorrhagiæ sæpe lethales, ex ipsa cute externa, non apparente vulnere, ex labiis, gingivis, ore, naribus, pulmonibus, stomacho, hepate, liene, pancreate, intestinis, utero, renibus, &c; ulcera pessima, obstinata, nulli applicato cedentia, facilè gangrænosa, ubique, maximè in cruribus, va-

(*a*) Sect. VI. Cap. v. pag. 351. 352. (*b*) De Morb. Scorbut. Symptom. XVI, & sequ.

gantia, cum diuturno fœtore; scabies, crustæ, sicca & lenis elephantiasis; sanguis venis eductus, in fibrosa parte ater, grumosus, crassus & tamen solutus, in parte serosa salsus, acer, muco flavo viridi in superficie scatens; dolores summi erodentes, lancinantes, citò trajicientes, noctu ingravescentes per omnes artus, juncturas, ossa, viscera; maculæ lividæ.

Præcedenti numero de fœtore oris incipiente jam dictum fuit, verùm ubi increscit morbus, tunc fœtor intolerabilis oritur. Probè memini, me olim vocatum fuisse ad ægrum, cujus morbum non noveram, qui, dum me alloqui vellet, adeo horrendam mephitim ore exspirabat, ut parùm abfuerit, quin in animi deliquium inciderem, licèt non adeo delicatum in similibus ferendis me esse noverim. Incipiunt tunc satìs subitò turgere gingivæ, sed molles, & fungosæ quasi, ita ut dentes quandoque tegant, & impediant, ut nihil solidi cibi sumere possint: si vel lingua inter loquendum gingivis impingat, mox sanguis exit: brevì pòst livescunt gingivæ, imò nigrescunt, jam omnino gangrænosæ. Hæc autem corruptio citò proserpit, omnia depascens, inprimis in junioribus; simúlque tunc adest copiosus, tenuis, olidissimæ salivæ effluxus, utì aliâ occasione ad §. 423. *lit.* β, memini, ubi de grangræna agebatur à materiæ acris scorbuticæ depositione ad varias corporis partes. Vidi aliquoties, magnam partem maxillæ osseæ corruptam excidisse, dum negligebatur gangrænosa talis gingivarum putredo. Aliquando macula albicans in genarum vel labiorum parte interna apparet, cum duritie illam undique ambiente; &, utì optimè *Poupartius* (*a*) monet, nisi statim spiritu vitrioli tangatur ille locus, citò nigrescit, fœtet, & depascitur omnia vicina. Facilè autem patet, dentes simul tunc pessimè affici debere, utì ex dictis ad præcedentem numerum patuit.

VARICOSI ANNULI AD RANINAS VENAS. Notum est ex Anatomicis sub lingua, ad utrumque latus frœnuli linguæ, apparere venam satìs insignem & conspicuam, quæ in quibusdam morbis pertundi lanceolâ solet: hæ ranimæ vocantur, & in venas jugulares externas plerumque se evacuare solent. Observantur quandoque in scorbuticis illæ venæ varicosæ & tumentes, quod fieri potest ob vicinas his venis partes in tumorem elatas, sícque liberum transitum sanguinis ex his venis in jugulares impedientes. Fortè etiam alia hujus rei ratio adferri posset, dictum enim fuit præcedenti numero, quòd difficilis, anhelosa, & ad motus vel parvos ferè deficiens respiratio fit in scorbuticis: sed notum est, in difficili respiratione auriculam & sinum dextri cordis non libere depleri posse, adeóque nec venæ jugulares commodè evacuabuntur. Alio autem in loco, §. 807, ubi de inflammatoria angina agebatur, probatum fuit, impedito sanguinis venosi in cor dextrum transitu, venas, à capite reducem sanguinem ferentes, citiùs turgere quàm in aliis corporis locis: si jam simul consideretur, nudas jacere hîc venas ra-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 244.

ninas, & salivâ perpetuò foveri ac madescere, patebit ratio, quare in scorbuticis hæ venæ varicosæ fiant: accedit, quòd dolentibus, & tumentibus gingivis motum manducationis vix audeant tentare tales ægri, imò nequidem loqui sustineant: unde & lingua & musculi maxillam linguámque moventes vix agunt; adeóque non promovebitur sanguis venosi fluxus per has venas à musculis adjacentibus, qui, utì notum est, agentes turgent, & vicinas venas premendo motum sanguinis venosi versùs cor juvant.

HÆMORRHAGIÆ SÆPE LETHALES, &c. Ad præcedentem numerum, ubi de maculis scorbuticorum agebatur, notatum fuit, in hoc morbo ita degenerare partes fluidas & solidas corporis, ut liquida ex vasis, quibus continentur, levi de causa exeant; quæ, si integumentis corporis integris coerceantur, maculas illas rubras, cæruleas, lividas, &c, faciunt; imò inter ipsa musculosæ carnis interstitia tales extravasationes sanguinis observatas fuisse. Verùm in tali casu sanguis effusus coagulatus impedit ulteriorem sanguinis eruptionem: ubi verò idem fit in vasis, quæ in superficie corporis interna vel externa patent, periculosæ sæpe fiunt hæmorrhagiæ, & satìs mirabiles. Narrat *Sennertus*, in homine scorbutico se observasse, quòd per aliquot dies sanguis satìs copiosus de crure funderetur, neque à Chirurgo sisti potuerit, atque ob hanc causam se in concilium vocatum fuisse, (*a*) *Et si vix vestigium, & via manifesta, unde sanguis efflueret, visui appareret.* Ex lingua & labiis in hoc morbo copiam sanguinis exivisse vidi, licèt detersis his partibus non potuerim distinguere determinatum locum, unde sanguis erumperet: gingivas sanguinolentas in scorbuto videre, familiare admodum est. Frequentes, hæmorrhagias per nares & per alvum in scorbuticis observavit *Poupartius* (*b*), quandoque & per os, senibus frequenter lethales (*c*). Si jam simul consideretur, lienem, hepar, &c, simili modo affici (*d*), firmam carnem musculosam ita corrumpi, ut in cadaveribus manubus tractari non potuerit, quin illico rumperetur (*e*); patebit ratio, quare ab internis hæmorrhagiis scorbutici sæpe subitò exstinguantur. Sic legitur (*f*), quòd scorbutici in lectulis suis decumbentes se satìs commodè habuerint: manducaverint, biberint hilares, fortem vocem ediderint inter loquendum, tamen subitò exspiraverint, dum in lecto quámvis manentes, ad alium navis locum transferebantur. Alii, qui tentaverant lecto egredi, moriebantur, antequam ad superiorem navis partem venire potuerant. Quidam, qui adhuc incedere poterant, uno momento concidebant mortui, dum conabantur majori molimine aliquod opus peragere. Videtur admodum probabile, quòd miseri illi, tabefactis jam visceribus, internâ tali hæmorrhagiâ perierint.

ULCERA PESSIMA, OBSTINATA, &c. De gangrænosis illis ulceribus, quæ gingivas aliásque partes oris interni in scorbuticis depascuntur, jam antea

(*a*) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. 11. Tom. II. pag. 582. 983.
(*b*) Academ. des Scienc. Ann. 1699. Mém. pag. 238.
(*c*) Ibid. pag. 242.
(*d*) Ibid. pag. 240. 241.
(*e*) Ibid. pag. 244.
(*f*) A Voyage round the world, &c. pag. 145.

dictum

dictum fuit. Obſervati fuerunt & abſceſſus, in viſceribus, ſub axillis, in inguinibus, imò muſculorum intervalla in artubus pure repleta in cadaveribus inventa ſunt (*a*). Quibuſdam in variis corporis locis oriebantur tubercula, in dies aucta, quæ deinde aperta faciebant ulcus ſcorbuticum, à ſanguine coagulato, qui tumorem fecerat, natum. Singulis vicibus, dum emplaſtrum tegens ulcus removebatur, grumus ſanguinis exibat, ſícque ſenſim curabatur ulcus (*b*). Similia ulcera ſæpius vidi, neque ſunt ex peſſimis; verùm nullibi pejora & difficiliùs curabilia occurrunt; quàm in cruribus, & præſertim circa malleolos: totus ambitus talis ulceris fuſco, vel & purpureo liveſcente, colore perfunditur, fundus ulceris ſordidus eſt, labia quaſi exeſa, ſaniem olidam plorant; & noverunt omnes, qui Praxin Medicam in locis, ubi frequens ſcorbutus eſt, exercuerunt, quanta tædia hæc ulcera faciant Chirurgis, quàm difficulter ad cicatricem perducantur, quàm facilè in vicino loco erumpant nova! Omnium difficillima curatu talia ulcera obſervantur in illis, qui ſedentarias artes exercent, & licèt ſcorbutus per idonea remedia emendatus fuerit in his, tamen cùm ſimili victui indulgeant ac antè, in locis depreſſis & paludoſis vivant, manent hæc ulcera, pergunt plorare acre ſerum, & fonticulorum vice funguntur; neque abſque periculo conſolidari poterunt, cùm per illa liberetur ſanguis quotidie acribus, quæ retenta nocerent. Vidi per viginti & ultrà annos talia ulcera manſiſſe in eodem ferme ſtatu, atque tales ægros ſe ſatìs commodè cæteroquin habuiſſe: ubi autem, vel ſponte ſuâ, vel per exſiccantia, conſolidabantur annoſa hæc ulcera, nec in vicinia nova prodibant, ſequebatur periculoſus morbus, vel & mors. Ulcera illa tibiarum etiam videntur obſervaſſe Veteres, & monuerunt à talibus naſci cauſis, quæ ſcorbuto producendo favent. Sic *Hippocrates* ab uſu aquæ paludoſæ (*c*) ulcera in tibiis naſci ſcripſit; & ob annonæ penuriam ſequi (*d*) ulcera cutanea, obſervavit *Galenus*; utì & herpetem, impetiginem, pſoram, lepram, &c: verùm his ſimilia mala inter ſcorbuti ſymptomata à recentioribus Medicis numerantur, nempe,

SCABIES, CRUSTÆ, SICCA ET LENIS ELEPHANTIASIS. Illa, quæ hactenus dicta ſunt, ſatìs docent, & mox dicenda ulteriùs confirmabunt, in ſcorbuto adeſſe talem ſanguinis & humorum indolem, ut ob majorem ſpiſſitudinem difficiliùs tranſeat per vaſa, & ob comitem acrimoniam erodat loca, in quibus hæret; adeóque varia ſequentur mala in hoc morbo pro diverſis partibus affectis. Si ergo in vaſis cutaneis ſcorbuticâ acrimoniâ infecti humores hærere incipiant, varios morbos cutaneos producere poterunt, vel obſtruendo vaſa, vel rodendo; & inprimis circa folliculos cutaneos, ubi intricato magìs decurſu vaſa glomerantur. Hinc varia puſtularum & macularum genera quandoque in ſcorbuticis occurrunt. Vidi in muliere quinquagenaria, inveterato jam ſcorbuto laborante, per totam cutim ſparſas veſiculas ichore plenas, diverſæ magnitudinis, quarum quædam digiti apicem æquabant, aliæ

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 241.
(*b*) Ibid. pag. 242.
(*c*) Lib. de Aer. Loc. & Aqu. Cap. III. n°. VIII. Charter. Tom. VI. pag. 195.
(*d*) Lib. de Probis Pravíſque Aliment. ſuccis, Cap. I. Charter. Tom. VI. pag. 417. 418.

multò minores erant: ichor ille adeo acris erat, ut nisi pertusis vesiculis exitus daretur, exulceraret cutim: ubi verò pertundebantur, collapsæ exsiccabantur, & squamarum formâ decidebant. In multis locis epidermis unà cum cute incipiebat incrassari, colore quámvis non mutato, & ungues decidebant. In alia muliere diu jam scorbuticâ vidi cutim hinc inde purpureis deturpari maculis, à quibus in squamas satìs densas degenerans epidermis secedebat, absque ullo ichore exeunte: squamis autem illis deciduis, mox renascebantur novæ, satìs fœdo spéctaculo. Si jam conferantur illa, quæ *Aretæus* scripsit de (*a*) *Elephantiasi*, patebit certè, multa symptomata fœdi hujus morbi etiam in scorbuto quandoque observari. Præterea notavit *Galenus*, in Alexandria plurimos elephantiasi laborare, quia (*b*) *Pulte, lenticulâ, cochleis, multisque salsamentis* uterentur; simúlque ambiens aer calidior humorum impetum ad cutim ferret. Notat simul, quòd, (*c*) *In Germania & Mysia rarissimè verò affectus is grassari visus est; & apud lactipotas Scythas nunquam ferè apparet.* Hæc considerans celeberrimus *Cocchius* suspicabatur, (*d*) ad scorbutum referri posse elephantiasin, & in Ægypto ideo frequens malum esse, quia ibi frequens erat cibi vegetabilis defectus: imò pulchre notat, desperatos elephantiacos, ab hominum commercio remotos, ob morbi fœditatem, & ad deserta loca delatos, quandoque convaluisse, non ob viperas ex desperatione comestas, utì quidam scripserunt, sed quia miseri nullum cibum, nisi vegetabilem, invenire poterant. Antea ad §. 1150, notatum fuit, recentium vegetabilium penuriam in longinquis peregrinationibus marinis & urbibus obsessis scorbutum producere, & patebit postea, scorbutum tali vegetabili victu sanari feliciter, utì & lacte & lactis sero; adeóque apparet ratio, cur similes quandoque cutis defœdationes, ac in elephantiasi, in scorbuto observentur.

SANGUIS VENIS EDUCTUS, &c. Cùm aliquando in scorbuticis, utì §. 1161, dicetur, sanguinis missione opus sit, Medici consideraverunt sanguinem venis emissum, ut viderent, quantùm & quomodo à sanguine sano degeneraret. Notum est, in homine sano sanguinem venâ eductum, puro vase exceptum, brevì coagulari in unam massam rubram, à qua sensim separatur serum flavescens fluidum, cui innatat pars rubra sanguinis concreta, quæ in parte superiori, aeri contigua, coccineum colorem habet, in parte inferiori magìs obscuri coloris est, & ob saturatam rubedinem ferè nigricat: in scorbuticis autem insula illa dicta sero innatans, nigrum colorem habet, inæqualis apparet, grumosa, & levi vi adhibitâ solvitur in fuscum quasi liquamen. Serum sanguinis viridescit magìs, acris saporis est, & quandoque lentescit ita, ut gelatinæ consistentiam habeat: quandoque vidi totum serum in talem mucosam tenacitatem degenerasse, aliquando tantùm partem ejus, quæ superiori insulæ satìs firmiter adhærebat. Notavit *Eugalenus* (*e*), se semper talem sanguinem observasse in illis, qui, crassiori cibo indulgentes,

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. II. Cap. XIII. pag. 67, & sequ.

(*b*) Method. Medend. ad Glauc. Lib. II. Cap. XII. Charter. Tom. X. pag. 390.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Del vitto Pythagor. pag. 58, seq.

(*e*) De Morb. Scorbut. Symptom. X. pag. 45.

diutius cum hoc morbo conflictati fuerant, imò ipsum vulgus, tali sanguine viso statim concludere, quòd scorbutus adsit. Ubi autem, in pejorem gradum degenerante morbo, sanguis mittitur, tunc, per putredinem solutis humoribus, (*a*) *Loco sanguinis crassi, valde tenue, coccinei coloris, & acris saporis serum, nullâ crassiore nigrâ substantiâ in fundo vasis relictâ, effluxisse non sine admiratione* vidit *Fridericus Hoffmannus*.

DOLORES SUMMI, ERODENTES, &c. Cùm talis sit sanguinis ejúsque seri indoles, viscosâ tenacitate hærebit facilè in vasorum angustiis, simúlque ob acrimoniam comitem erodet loca, in quibus stagnat. Ubi immeabiles humores incipiunt hærere in vasorum convergentium extremis, illáque distendere, dolor oritur. Verùm si repetitâ actione liquidi à tergo urgentis iidem adhuc transprimi possunt, licèt difficulter, tunc lancinantes illi dolores adsunt, citò trajicientes, dum illud obstruens ex angustiis arteriosis transprimitur in venas. Cùm autem totus sanguis simili labe infectus sit, frequenter redeunt dolores similes. Noctu autem solent ingravescere, utì in lue venerea ossa jam occupante, ita ut monuerit *Eugalenus*, (*b*) exercitatos etiam Medicos hæsisse quandoque dubios circa morbi diagnosin: interim tamen causæ prægressæ, & alia scorbuti præsentis signa antea memorata, hoc dubium solvere poterunt; utì etiam, si (*c*) *Pulsus parvus & inæqualis* sit, dum dolores illi urgent; quòd & *Eugalenus* observavit, qui eodem in loco plures dolorum varietates (*d*) in ægris notatas recenset.

Omnium maximè ossibus infestum esse scorbutum, certa & numerosa Observata docent: jam enim in initio dentes ac maxillas aggreditur, & observavit *Petitus* (*e*), quòd in scorbuticorum cadaveribus inventum fuerit periosteum ab omnibus ferè corporis ossibus secessisse. Epiphyses ab ossis reliquo corpore separatas, costas osseas à cartilaginibus sejunctas & cariosas, plura ossa corporis nigra & cariosa, ligamenta articulorum erosa, cellulosam ossium internam fabricam in putrilaginem conversam, observavit *Poupartius*, (*f*). Quod magìs mirum videbitur, fracta ante multùm temporis ossa, & dudum jam consolidata, in scorbuto laborantibus denuo solvebantur (*g*), destructo callo, qui fractorum ossium extrema univerat; ita ut recens quasi fractura appareret; &, postquam scorbutus bono victu ac idoneis remediis superabatur, renascebatur callus, sícque denuo consolidabatur fractura (*h*). Inflicta ante quinquaginta annos vulnera, & firmâ cicatrice sanata, recrudescebant denuo in classiario scorbutico (*i*). Non mirum ergo est, ossium fracturas non

(*a*) Med. Ration. System. Tom. IV. Part. V. Cap. 1. ubi de Thes. Pathologic. §. XIV. pag. 10.

(*b*) De Morb. Scorbut. Symptom. XIII. pag. 51.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Ibid. Symptom. XII. XIV. XV, & sequ.

(*e*) Traité des Maladies des Os, Tom. II. pag. 446.

(*f*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 238, & suiv.

(*g*) Ansons, Voyage Round. the world. pag. 145.

(*h*) Mead. Dissertat. sur le Scorbut, pag. 135.

(*i*) Ansons, Voyage, Round The world. pag. 145.

consolidari in scorbuticis, levia vulnera sanationem respuere, &, in cruribus si fuerint, degenerare in ulcera diuturna.

Sed nec interna viscera immunia sunt ab hac labe, & præcipuè observavi, cardiæ & ventriculi dolores enormes quandoque hos ægros excruciare, ab assumptis cibis auctos, appetitu tamen satìs integro manente. Pericardium, pulmo, pleura, diaphragma, non tantùm concreta, sed quasi in unam massam confusa, inventa fuerunt in cadaveribus scorbuticorum, qui subitâ oppressione pectoris suffocati perierant (*a*); & sequenti numero patebit, ulcerationes & corruptelam viscerum in hoc morbo observatas fuisse. Interim tamen & hoc mirabile occurrit, quòd in tanta degeneratione humorum cerebrum tamen semper sanum & illæsum repertum fuerit (*b*), & Observationes hujus morbi per totum ejus decursum factæ oonfirmant, actiones cerebri satìs integras mansisse. Convulsiones, temores, paralyses, &c, quidem adsunt in hoc morbo aliquando, utì statim dicetur; sed potiùs vitio nervorum & musculorum, quàm ipsius cerebri: memoria enim, intellectus, ratiocinium, &c, illæsa manent. Miseri illi, qui in ultimo Septentrione hybernaverunt, & successivè omnes perierunt, singulis diebus omnia notaverant, quæ ipsis contigerunt, & ultimus superstes concludit harum calamitatum Historiam, dum scribit, *Morior*; unde videtur ad ultimum vitæ finem mente constitisse; nec memorat, ullum sociorum delirasse ante mortem (*c*). Simul & hoc notari meretur, quòd ad finem vitæ usque appetitus non defecerit, sed miseri illi, ob debilitatem & dolores continuos de lectulis suis surgere non poterant ampliùs, ut cibos pararent (*d*). Imò ingentem famem in scorbuticis ad mortem usque adfuisse notat *Poupartius*, (*e*) illámque deducit ab acri humore, qui in ventriculis hoc morbo defunctorum reperiebatur.

MACULÆ LIVIDÆ. De maculis scorbuticis præcedenti numero dictum fuit: verùm ubi auctâ scorbuti malignitate lividæ maculæ totam corporis superficiem incipiunt deturpare, gangrænosæ corruptelæ indicium dant.

4°. Febres variæ, calidæ, malignæ, intermittentes omni modo, vagæ, periodicæ, continuæ, ἀτροφίαν inducentes; vomitus; diarrhœa; dysenteriæ, straguriæ sævæ, lipothymiæ; anxietates sæpe subitò lethales; hydrops; tabes; convulsio; tremor; paralysis; contractura; maculæ nigræ, vomitus, & secessus sanguinis; hepatis, lienis, pancreatis, meseræi putredo & consumptio; contagium celere.

Antea ad §. 586, ubi de febrium causis agebatur, notatum fuit, omnia illa, quæ humores multùm mutant, febrim facere posse. Ex antè dictis

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 240.
(*b*) Ibid. pag. 246.
(*c*) Salmon Hedendægse, Historie VII, deel, pag. 918.
(*d*) Ibid. pag. 892.
(*e*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 245.

autem satis patet, quantùm in scorbuto sanguis degenerare possit à naturali sua conditione. Ubi ergo jam provectus morbus est, sanguísque ferè totus corruptus, minimè mirum est, pessimas accendi febres, & quidem admodum varias, pro diverso nempe gradu corruptelæ, pro diversis partibus corporis, quæ præ reliquis afficiuntur. In scorbuto incipiente rarò febris adest, sed tantùm succedit morbo jam inveterato: idem autem & in aliis morbis chronicis observatur. Sic in melancholia pulsus lentus est, & frigus majus (§. 1094.); in atra bile turgente febres immanes brevì omnia putrefacientes (1104.) observantur: hydrops incipiens à febre alienus morbus est; hydropem diuturnum lenta febris comitatur frequenter, dum nempe corrumpi incipiunt stagnantes aquæ. Tales febres inordinatas, intermittentes, continuas, in scorbuticis vidit *Eugalenus* (*a*); putridas admodum pessimum scorbutum comitatas fuisse, alibi (*b*) legitur. Febres autem illæ depascuntur corporis torositatem, & tanta est degeneratio sanguinis omniúmque humorum, ut non possit fieri restitutio illorum, quæ per ipsas vitæ actiones pereunt quotidie de solidis & fluidis corporis partibus; adeóque necessariò atrophia sequitur.

VOMITUS, DIARRHŒÆ, DYSENTERIÆ. Præcedenti numero dictum fuit, molestam sæpe cardialgiam in scorbuticis observari, quam quandoque vomitus sequitur; & plerumque doloris levamen sentiunt, dum ventriculum exoneraverunt, unde sæpe digito in fauces immisso, vomitum excitant, ut lenimen doloris obtineant. Si à simili causa irritentur intestina, poterit diarrhœa sequi, vel & dysenteria, si major humorum acrimonia fuerit: præcipuè metuitur illa dysenteria, quæ putrefactis & consumptis jam visceribus abdominalibus sequitur, quia semper lethalis est. Observata fuit & pertinax alvi constipatio, quam simul comitabatur difficilis respiratio, atque hoc pro lethali signo habebatur præ reliquis (*c*).

STRANGURIÆ SÆVÆ. Causæ stranguriæ possunt referri vel ad acrimoniam urinæ auctam, vel ad malè affectas partes, per quas urinæ transeunt, vel ad utrumque hoc malum, dum v. gr; acrior urina ureteres, vesicam, urethram, excoriat. Constat ex Physiologicis, urinam continere (*d*) *Aquam sanguinis, salem ejus acerrimum, subtilissimum, volatilissimum, alcalino proximum; oleum* (sanguinis) *acerrimum, tenuissimum, volatissimum, putrefacto proximum:* adeóque major acrimonia urinæ pendet à majori copia salis & olei sanguinis in urina contentorum, vel & à majori acredine illius salis & olei. Sic videmus, æstivis sub caloribus, dum per cutis spiracula difflatur multùm de parte aquosa sanguinis, urinam reddi parciorem, sed magìs coloratam, quandoque adeo acrem, ut stranguriam faciat, & quidem ideo, quia sales & olea sanguinis in tali urina majore copiâ hærent, dum deficit aquosa pars diluens. Etiam aliâ occasione dictum fuit (vide §. 888.), stranguriæ sensum percipi, dum materies morbosa soluta & mobilis reddita, sed & simul acrior, per urinæ vias expellitur de corpore; túncque illa stranguria boni ominis

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. IX. X.

(*b*) A voyage round the world, pag. 145.

(*c*) Ibid. pag. 144.

(*d*) Boerhaav. Instit. Med. §. 375.

est, quia notat, urinam quidem esse acriorem, sed ideo, quia materiam morbosam continet de corpore eliminandam. Urina autem scorbuticorum rubra est cum sedimento gravi copioso, lateri rubro contrito, aut bolo rubræ, simili, quod sedimentum, si urina igni imponitur, denuo solvitur, & inprimis si aliqua copia aquæ addatur: tantâ enim copiâ salium gravatur talis urina, ut, dum frigescere incipit, statim pars illorum ad fundum secedat, imò & salina pellicula sæpe talibus urinis innatat, perfectè ut fit in muriis salium saturatissimis, quæ frigefactæ ad fundum sales deponunt; utì notum est in depurationibus & crystallisationibus salium, quæ in Officinis Chemicis & Pharmaceuticis fieri solent. Colorem autem saturatiorem urinæ inprimis ab oleo pendere, docuerunt Chemici. Simul notandum, quòd in scorbuticis, dum in pejus vergit morbus, obscurior fiat urinæ color, & in fuscum vergat; urina autem sana, sibi relicta, dum incipit putrescere, similem colorem fuscum acquirit, & sedimentum copiosum deponit; adeóque tunc talis urina dat signum dispositionis ad putredinem auctæ. Urinam inter præcipua signa diagnostica (*a*) scorbuti habuit *Eugalenus*; & optimè monuit, quòd, (*b*) *Si levior putredo, & morbi initium sit, urinæ quandoque citrinæ & tenues, quandoque crassæ & albæ visuntur, quales reddi in omni cruditate solent.* Verùm crescente morbo observat, quòd, (*c*) *Nonnunquam tenues, & rubræ, intensæ rubedinis, sed ad fuscum declinantis apparent, similes iis (nisi quòd obscurè livescant) quæ ardentibus febribus redduntur.* Ideo sequentem regulam diagnosticam statuit: (*d*) *In quorum enim urinis majora putrefactionis indicia insunt, quàm foris ex calore & siti apparet, morbo lento existente, & ad nullius Veteribus cognitæ febris typum accedente, de his certò tecum statuere potes ac debes, à scorbuto tales detineri.* Alio autem in loco addit, (*e*) *Maximè, si obambulantibus, & omnia vitæ munia sine offensione administrantibus, tales* (urinæ) *reddantur.*

Ubi ergo acriorum, & ferè putridorum, salium & oleorum copia exit per urinam in ultimo scorbuti gradu, facilè patet, stranguriam molestissimam debere sequi, præcipuè si simul, ut in marinis itineribus sæpe fit, adsit penuria potûs, quo potuisset urina reddi magìs diluta, adeóque & minùs acris.

LIPOTHYMIÆ, ANXIETATES, &c. Omnes Auctores, qui accuratiùs de hoc morbo scripserunt, monuerunt, animi deliquium & subitam mortem in scorbuto pessimo metuenda esse. *Eugalenus*, hoc notavit, addiditque, quòd, (*g*) *Omnium ferè hoc morbo laborantium pulsus parvus, debilis, & inæqualis est;* sed talis pulsus lipothymiam minitatur. Ita & apud *Forestum* leguntur sequentia de scorbuto: (*h*) *Quoties verò passio magìs ingravescit, sequitur & ambulandi impotentia, anhelitûs difficultas, potissimùm dum se movent aut erigunt; & si aliquamdiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu semi-*

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. V. Not. VIII. Symptom. VII. in Digression. Symptom. VIII. Symptom. IX, & alibi passim.
(*b*) Ibid. Symptom. VII. in Digression.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibid. Symptom. XVI.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Observat. & Curat. Medicinal. Lib. XX. Observ. XI. Tom. I. pag. 418.

animes deliquio afficiuntur: rursus decumbentes reficiuntur ac respirant liberiùs. Postea autem addit, quòd hoc (*a*) *Deliquio aliquos exstinctos* noverit. Ad præcedentem numerum jam notatum fuit, classiarios pessimo scorbuto laborantes adhuc commodè se habuisse, dum in lectulis decumbebant quieti, ad minimum autem corporis motum subitò exspirasse; imò etiam tales, qui utcumque videbantur reconvalescere, & solitos labores tentare conabantur. *Poupartius*, (*b*) subitaneas tales scorbuticorum mortes pariter observavit, & in cadaveribus illorum vidit, omnia interiora corrupta esse, in multis etiam cordis auriculas pugnum æquantes, repletas sanguine coagulato, unde necessariò sanguinis circuitus subitò suffocari debuit.

HYDROPS. Patuit ex illis, quæ §. 1150, dicta fuerunt, inter scorbuti causas recenseri talem victum, qui pertinacibus viscerum obstructionibus ansam dare potest; utì in capite de *Melancholia* demonstratum fuit: præterea & additum fuit, illos, qui morbis lentis obnoxii vivunt, in scorbutum pronos esse. Verùm postea, ubi de causis hydropis, §. 1229, dicetur, patebit pertinaces viscerum obstructiones hydropi viam sternere; unde & ibi scorbutus inter causas hydropis numerabitur. Præterea ad secundum numerum hujus paragraphi crurum tumor inter scorbuti phœnomena locum habet, qui & in hydrope incipiente adest (vide §. 1230.); adeóque facilè patet ratio, cur inveteratum scorbutum sequatur hydrops. Unde, utì monet *Sydenhamus*, vulgò dicebatur, (*c*) *Ubi desinit scorbutus, incipit hydrops.* Indignabatur quidem magnus ille Vir, utì ad §. 1149, monui, quòd ubique scorbutum incusarent Medici; & hinc subjunxit sequentia, (*d*) *Hæc tamen regula sæpe sæpius non aliter est accipienda, quàm quòd, ubi primùm se hydrops manifestis prodit indiciis, præconcepta de scorbuto opinio statim collabascit:* interim tamen modò dicta satìs evincunt, hydropem post diuturnum scorbutum sequi posse; & Observationes Practicæ docent, illud frequenter contingere.

TABES. Eodem hoc numero jam dictum fuit, quare atrophia scorbutum sequatur, quâ sensim contabescit corporis habitus: verùm & ipsa tabes, purulentâ labe affectorum viscerum effectus, à scorbuto nascitur quandoque. Phthisin enim, sive tabem, ab ulcere aliorum viscerum, æquè ac ab ulcere pulmonum, produci posse, ad §. 1214, patebit. In cadaveribus autem hoc morbo defunctorum pus inventum fuit in cavo pectoris (*e*), in pulmone, in hepate, in renibus, sub axillis, inter musculos brachiorum & femorum, adeóque patet, & purulentam tabem ex hoc morbo sequi posse.

CONVULSIO. Ingentes hæmorrhagias in scorbuto quandoque occurrere, ad præcedentem numerum dictum fuit: verùm aliâ occasione ad §. 232, probatum fuit, evacuationem nimiam cruoris prægressam sequi convulsiones; adeóque & ab hac causa in scorbuticis sequi possent. Præterea ad §. 710, ubi *de Convulsione Febrili* agebatur, notatum fuit, ab aliis partibus corporis affectis sic posse affici sensorium commune, ac si causa Physica in ipso cerebro

(*a*) Observat. & Curat. Medicinal. Lib. XX. Observ. XI. Tom. I. pag. 418.
(*b*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 244.
(*c*) Sect. VI. Cap. v. pag. 350.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 239. 240. 241.

præexſtitiſſet, cùm tamen longè aliis in locis hæreat origo mali. Non mirum ergo videbitur, in peſſimo ſcorbuti gradu convelli ægros, licèt in cadaveribus cerebrum ſanum inveniretur (*a*): ſi enim bilis, corrupta in ventriculo fluctuans (vide §. 710.) convulſionem excitare potuerit, ceſſantem illico, dum per vomitum hæc ſaburra excutiebatur; ſi dolores magni & periodici, utì & ulceroſa materies alicubi hoſpitans in corpore, epilepſiam horrendam producere potuerit (vide §. 1075. n°. 4.); quid non timendum erit in ægris, quorum omnia ferè oſſa carioſa erant (*b*); quorum ligamenta erodebantur ab acri ſanie in cavis articulorum collectâ; quorum pericardium ferè totum eroſum erat, & ipſum cor profundè ulceratum (*c*); quorum viſcera alluebantur adeo acri ſanie, ut hæc cadavera ſecantibus epidermis ſecederet à manubus, & facies ulceraretur (*d*). Patet ergo ſufficiens ratio convulſionum in peſſimo ſcorbuto, de quo hoc numero agitur; & *Poupartius* (*e*) obſervat, convulſiones omnibus ſcorbuticis contigiſſe, dum illas inter communia ſymptomata ſcorbuti putridiſſimi recenſet.

TREMOR. Antea ad §. 627, ubi de tremore febrili agebatur, notatum fuit, tremorem naſci, vel à defectu ſubtiliſſimi liquidi, adeóque ſummâ debilitate, vel à cauſa quacumque ſenſorium commune irritante. Certè ſtatim patuit, irritantes cauſas validas adeſſe, ſimúlque ex antè dictis conſtitit, tantam debilitatem eſſe in ultimo hujus morbi gradu, ut etiam à leviſſima cauſa in animi deliquium cadant. Videantur illa, quæ ad locum citatum habentur, ubi hæc fuſiùs explicantur.

PARALYSIS. Ex illis quæ §. 1060, de cauſis paralyſium dicta fuerunt, patet ſatìs, quòd in ſcorbuto laborantibus poſſit paralyſis naſci æquè ac in aliis hominibus, ſi tales cauſæ ſupervenerint: verùm hîc agitur de illa paralyſi, quæ ex ſcorbuto ut causâ ſequitur: hanc *Eugalenus* deſcripſit (*f*), & ſimul notavit, à paralyſi Veterum differre in eo, quòd, licèt robur & firmitas pereant membris affectis paralyſi ſcorbuticâ, tamen in pleriſque (*g*) aliquis motus maneat, & quidem per intervalla ille motus augeatur ac minuatur denuo.. Ad §. 1057, autem monitum fuit, quòd levior talis paralyſis gradus vocetur *Pareſis*, dum nempe adhuc in membris paralyticis aliquis motus ſupereſt, ſed non conſtans. Ideo etiam *Eugalenus*, (*h*) *Non paralyſim hanc affectionem, ſed potiùs paralyticam paſſionem, eam dicere* maluit; præcipuè cùm videret, idoneis remediis quandoque brevi tempore ſuperari hanc pareſin, cùm è contrà vera paralyſis, conſentientibus omnibus Medicis, pro diuturno & pertinaci morbo habeatur. Si jam ſimul conſideretur, in cadaveribus peſſimo ſcorbuto defunctorum cerebrum ſanum repertum fuiſſe, utì antea dictum fuit, videbitur admodum probabile, ſcorbuticam illam paralyſin non adeo pendere ab encephali & nervorum vitio. Sectiones autem cadaverum docuerunt (*i*), ligamenta erodi, epiphyſes ſolvi ab oſſium reliquo corpore, ipſos muſculos ſanguine ni-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 246.
(*b*) Ibid. pag. 239.
(*c*) Ibid. pag. 245.
(*d*) Ibid. pag. 246.
(*e*) Ibid. pag. 238.
(*f*) De Morb. Scorbut. Symptom. XXII. XXIII.
(*g*) Ibid. Symptom. XXII. pag. 61, 62.
(*h*) Ibid. pag. 63.
(*i*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 239.

gro

gro & putrido madidos, dum attrectabantur manubus, in frustra disrumpi qui in sanis hominibus adeo firmi sunt (*a*). Hæc certè sufficiunt ad impediendum membrorum liberum motum, præcipuè si simul notetur, quòd causa motûs muscularis per nervos quidem applicetur musculis (vide §. 1058.), sed & simul requiratur integra ipsius musculi fabrica, ut causa motûs, per nervos applicata musculo, effectum suum præstet. Cùm ergo quandoque adeo depravetur in hoc morbo musculorum, ligamentorum, & ossium, quibus musculi adhærent, fabrica, patet ratio paralysis scorbuticæ dictæ.

CONTRACTURÆ. In paralysi aderat musculi laxa immobilitas, verùm in contractura, musculi rigidi potiùs sunt, & immobiles simul; sed tunc articuli, quibus movendis illi musculi serviunt, flexi manent, nec extendi possunt ampliùs. Observavit hoc malum in scorbuticis *Poupartius* (*b*), musculis ligni instar rigescentibus, ob sanguinem copiosum coagulatum, quo turgebant. Cùm autem etiam in cadavere (vide §. 1058.), injectâ aquâ tepidâ per arteriam sic turgere possit musculus, ut tumentium vasorum auctâ amplitudine, minuatur longitudo musculi, & pars affixa huic musculo moveatur, facilè patet, idem fieri debere, dùm infarcta sanguine vasa turgent summopere in musculis viventis adhuc hominis. Cùm autem musculis artus flectentes validiores sint musculis extensoribus, patet ratio, quare dum eadem causa agit in omnes, fiat contractura membrorum; quod etiam antè ad §. 1069, monitum fuit, dum de cura paralysis agebatur. Talem retractionem versùs poplitem *Eugalenus* (*c*) in scorbuto observavit.

MACULÆ NIGRÆ. De maculis diversorum colorum in præcedentibus numeris hujus paragraphi dictum fuit: ubi verò nigræ sunt, certa sunt necrosis, adeóque & mortis, indicia.

VOMITUS ET SECESSUS SANGUINIS. De subitis & sæpe satìs miris hæmorrhagiis in hoc morbo præcedenti numero dictum fuit. Cùm autem in ultimo hujus morbi stadio erosis vasis & visceribus, tales evacuationes sanguinis sursum & deorsum fieri soleant, satìs patet, nihil boni inde exspectari posse.

HEPATIS, LIENIS, &c. Totus sanguis, & omnes humores, tandem degenerant in rodentem acrimoniam; non mirum ergo, omnia putrescere & consumi. Observationes plures antéa recensitæ fuerunt, quæ hoc confirmant.

CONTAGIUM CELERE. Docuerunt quidem Observationes Practicæ, plures simul in eodem loco scorbuto affligi: tamen inde nondum certò constat, quòd per contagium ex uno homine in alterum hic morbus transeat. Dum enim in navibus, vel & in urbibus obsessis, scorbutus grassatur, malo victui, aquæ penuriæ, vegetabilis cibi defectui, &c, hujus morbi origo meritò tribui potest, utì ex antè dictis patuit; adeóque causis communibus, in omnes eodem loco degentes agentibus, potiùs tribuendus vide-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 239.
(*b*) Ibid. pag. 241.
(*c*) De Morb. Scorbut. Symptom. XX. pag. 60. Ibid. Observat. XVI.

tur, quàm contagio. *Sennertus* (*a*) quidem voluit, suo tempore in Saxonia inferiori scorbutum ideo frequentem fuisse, quia mos erat, ut ex capaci poculo biberent omnes, & cùm rarò fieret, ut omnes communi mensâ utentes à scorbuto immunes forent, illéque morbus gingivas soleat primò inficere, hinc credidit, scorbuticum virus hoc modo facilè communicari posse. Verùm urgeri posset, similem in commensalibus victum huic morbo æquè originem dare potuisse. Fateor, quòd nemini suadere vellem, ut eodem uteretur poculo cum illis, quibus putrido tabo gingivæ diffluunt, interim tamen non videtur certò constare, quòd per contagium propagetur scorbutus, utì de variolis, lue vereneâ, scabie, & similibus morbis, fieri novimus. In iis locis, ubi scorbutus pro endemio morbo habetur, observavi illos, qui inferiorem domûs partem incolunt, hoc morbo affligi, dum interim in superiori parte domûs habitantes, & salubri victu utentes ab hoc morbo immunes erant, licèt quotidie inter scorbuticos versarentur.

Fateor quidem, quòd *Poupartius* (*b*) contagiosum hunc morbum vocaverit, & quædam habere communia cum crudeli Atheniensium peste dixerit, plurimósque in eodem nosocomio hoc morbo decubuisse: verùm notandum est, quòd ægri deferebantur in nosocomium jam scorbutici, & ob magnum numerum, ne putridis exhalationibus nocerent aliis decumbentibus, ad aliud nosocomium delati fuerunt. Neque legitur, saltem ibi, alios infectos fuisse. Præterea Indiam dum navibus petunt Batavi, ad Promontorium Bonæ Spei ubi pervenerunt, scorbuto ægrotantes classiarios ad nosocomium deferunt, nullum inde metuentes contagium; soléntque ferè omnes bono victu brevì restitui. Interim tamen prudentia jubet, ut in ultimo stadio scorbuti versantes ægri cautè tractentur: licèt enim contagium non metuendum adeo foret, tamen putridissimis exhalationibus nocere possent.

§. 1152. EX quibus liquet, hujus morbi naturam & effectus non difficulter elici ab his, qui prædicta expendunt.

Per victum enim insalubrem, & alia §. 1150, recensita, sensim degenerat sanguis, & omnes tandem humores, ut viscido lentore magìs cohæreant, & difficiliùs transeant per vasorum angustias: procedente morbo huic lentori jungitur acrimonia. Effectus autem ejus diversi sunt, pro indole & gradu variis hujus acrimoniæ, & prout diversis corporis partibus hæc applicantur. Simul & partium solidarum cohæsio adeo debilitatur, ut à levi causa facilè solvi possit; utì docent scorbuti symptomata modò enarrata.

(*a*) Lib. III. Part. V, Sect. II. Cap. III. Tom. II. pag. 994.

(*b*) Academ. des Scienc. Ann. 1699. Mémoir. pag. 237.

§. 1153. ET causam ejus proximam esse eam sanguinis indolem, quâ & crassitie simul in una, & tenuitate acri salsâ, alcalicâ, vel acidâ, in altera parte peccat; quæ inprimis accuratè investiganda & distinguenda sunt.

Causa, (*a*) *Proxima morbi appellatur tota illa simul, quæ totum jam præsentem directè constitit*; & cujus (*b*) *Præsentia ponit, continuat, morbum ..., absentia eum tollit.* Sanguis autem humanus constat diversis partibus, quarum quædam in concretionem pronæ sunt; aliæ verò tenuiores longè minùs cohærent, & facillimè à reliquis secedunt. Sic in sanguine recèns misso videmus contineri halituosum subtile, quod in auras illico avolat, & quod vasis puris exceptum exhibet liquidum tenue admodum: rubra autem pars sanguinis sponte coit: serum verò sanguinis calore ebullientis aquæ concrescit in massam scissilem, instar albuminis ovi cocti; interim & tenuior lympha in sanguine adest, quæ, nec sponte suâ, nec calore majori, in coagulum abit. Illa autem pars sanguinis, quæ in concretionem prona est, crassior fit in scorbuto, utì ad tertium numerum præcedentis paragraphi dictum fuit; & quidem adeo, ut pars seri in mucum ex flavo viridescentem abeat. Sed tunc simul notatum fuit, tenuiorem seri sanguinis partem salsam esse & acrem. Cùm enim tenuissima sanguinis portio pro maxima parte aquoso latice constet, & omnia salina promptè solvantur in aqua, patet ratio, quare, ubi salina acria abundant in sanguine, tenuior sanguinis pars majorem acrimoniam habeat. Idem verum est de oleo sanguinis, pariter acriori reddito, cum salibus acrioribus unito in saponem, qui promptè in aquosis diluitur. Si sola crassities major peccaret, obstructiones fierent, dum tales humores in vasorum angustiis hærerent facilè immeabiles: si sola acrimonia tenuiorum liquidorum adesset elueretur satìs facilè copiosiori potu tenui quocumque, & per urinæ vias vel cutis spiracula hæc exirent de corpore: verùm dum illud acre irretitur huic lentori, manet affixum partibus, in quibus illud lentum hærere incipit & colligi, illásque erodit. Ex binis autem illis, spissitudine nempe majori in una parte sanguinis crassiori, & acrimoniâ in parte tenuiori altera, videntur satìs intelligi posse phœnomena scorbuti, utì sequenti paragrapho dicetur, adeóque meritò concluditur, bina hæc unita, simul constituere causam proximam hujus morbi.

Acrimonia autem hæc varia esse potest: si enim à salsamentis liberaliùs assumptis acrimonia conciliatur humoribus, hæc muriatica erit, nec facilè tunc in putredinem tendet scorbutus, & diutius tolerabitur, licèt molestissimos dolores faciat, & rigiditatem membrorum quandoque inducat. Talis in classiariis satìs frequenter contingit, & victu recenti insulso, potúque copioso, feliciter superari solet, & sæpe brevi satìs tempore. Ubi verò non

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 740. (*b*) Ibidem.

bene conditis sale carnibus, & hinc calido sub climate putrescentibus, vesci coguntur miseri, & aquam corruptam bibere, tunc alcalina putrida nascitur acrimonia, & pessimus scorbutus sequitur, qui brevì corpus destruit. Acida acrimonia rariùs contingit quidem, tamen & observatur in illis locis, ubi vilioris sortis homines pane secalino, lacte ebutyrato acido, farinosis ferè solis, vivunt; simúlque sedentarias artes exercent, ut sibi victum parent. Scorbutus talis non adeo sævus est, & satìs diu tolerari potest, nec ita difficulter sanatur, modò victus mutari possit, & salubri motu exerceri corpus; quod non semper apud pauperes obtineri potest ob rem angustam, & quia ad alia opificia inepti sunt.

§. 1154. ET ex his per Historiam morbi (1151) cognitis, omnia ejus morbi phœnomena, utut mira, facilè deduci posse.

Veritas causæ proximæ scorbuti modò assignatæ ulteriùs confirmatur, si considerentur symptomata hujus morbi, licèt multiplicia admodum, & satìs mira: nam satìs commodè inde deduci possunt; & causæ hujus morbi (vide §. 1150.) aptæ sunt, ut talem degenerationem humoribus nostris inducant.

Incipiente enim morbo, crassities illa sanguinis adest; acrimonia autem tanta humorum nondum observatur: hinc pigritia & torpor unà cum doloris obtusi sensu per omnia membra, incipientem scorbutum comitantur (§. 1151. n°. 1.). Ubi verò increscit morbus, augetur ille sanguinis lentor; hinc difficilis respiratio ad parvum etiam motum, dum crassus sanguis per arteriæ pulmonalis angustias transire absque molestia non potest; hinc venosus ad cor dextrum retardatur; unde crura tument (§. 1151. n°. 2.). Verùm simul incipit augeri acrimonia, quæ, in tenuiore sanguinis parte hærens, se manifestat in liquoribus à sanguine secretis, adeóque ipso sanguine tenuioribus. Urina fit acrior, contentis saturatior, magìs colorata: saliva pariter à blanda sua indole degenerat, & gingivas perpetuò alluens, illas inficit & dolere facit. Si acrimonia alcalina sit, incipit os fœtere, quia degenerans saliva, in os affusa, ubi liberrimus aeri aditus est, putrescit citò: gingivæ, perpetuò maceratæ in putrescente saliva, tabescunt & putredinem augent, adeóque & oris fœtorem. Dum succus pancreaticus, salivæ satìs similis, similiter degenerare incipit, utì & bilis, tormina stomachica, iliaca, colica, &c. sequuntur. Vasa autem, dum acriora liquida per illa fluunt, solvi incipiunt, inprimis minora vasa, quorum tunicæ minùs validæ sunt: hinc hæmorrhagiæ fiunt, sed leviores tantùm, quia majora vasa, magìs callosis tunicis instructa, non tam facilè patiuntur unitatis solutionem, ut Chirurgi dicere solent.

Omnia autem hæc inprimis obtinent in scorbuto putrido; nam ubi acida, vel & muriatica, acrimonia prædominatur, symptomata sunt leniora, nec tam subitò increscunt. Auctâ verò putredine, gingivæ diffluunt in cadaverosam saniem, dentes corrumpuntur citò, imò & quandoque ipsæ

maxillæ cariosæ fiunt. Simul per ipsam putredinem majorem sanguinis crassities solvitur; utì enim antea dictum fuit, in febribus putridis sanguis de vena missus non concrescit, sed fluidus manet: adeóque talis sanguis vasis suis contineri nequit, sed per extrema illorum elabitur, vel & erosis vasis periculosas hæmorrhagias facit (vide §. 1151. n°. 3.). Reliqua autem symptomata antea memorata, quæ comitari solent scorbutum pessimum, ex illa fluidorum degeneratione satìs facilè deducuntur; præcipuè si consideretur; & solidarum partium cohæsionem debilitari non tantùm ob acrimoniam erodentem humorum, sed etiam, illa, quæ de solidis corporis nostri per vitales actiones deteruntur quotidie, non posse restitui, ubi tanta omnium humorum degeneratio adest: hinc vel sponte apertis vasis subcutaneis, vel à levi attactu contritis, maculæ illæ scorbuticæ oriuntur. Similia autem fieri in interioribus corporis, magna debilitas, & subita mors ad minimum motum, satìs docent.

§. 1155. QUOD ipsum clariùs docent regulæ, quas curatio morbi prospero, vel sinistro, eventu comprobavit; quarum præcipuæ hæ sunt.

Prudentes Medici, postquam morbi causas consideraverunt, & attentâ mente perpenderunt omnia symptomata, concludunt, quid agendum sit, ut morbus præsens curetur. Interim tamen, dum illa adhibentur remedia, quæ indicatio ex causis & phœnomenis morbi deducta jusserat, solicitè attendunt, an hæc prospero effectu se probent, an non. Si prius contigerit, noverunt se morbi genium perspexisse; si posterius, intelligunt se nondum satìs cognitam habere morbi indolem; túncque omni attentæ mentis acumine conantur detegere, in qua re erraverint. Hæc est illa doctrina nocentium & juvantium, tanti in Arte usûs, cùm vel confirmat diagnosin & indicationem curatoriam, vel errorem hîc commissum citò detegit. Videantur illa, quæ circa hanc rem ad 602. n°. 7, dicta fuerunt. Patebit autem, spero, ex curatione scorbuti, mox tradendâ, causam proximam hujus morbi rite definitam fuisse; sícque hactenus dicta rerum eventu confirmabuntur.

§. 1156. IN hoc morbo crassum est reddendum tenue; stagnans mobile; cohærens fluidum.

Sequuntur jam generales indicationes curatoriæ, quæ respondent causæ proximæ morbi §. 1153, descriptæ. Crassities enim aderat in una sanguinis parte, impediens liberam circumductionem humorum per vasa; hæc ergo debet attenuari: & dum hoc fit, illud, quod stagnabat in vasis ob nimiam crassitiem, mobile fiet, ubi sic attenuatum fuerit, ut per ultimas arteriarum angustias libere transire possit; simúlque illa, quæ cohærebant, denuo in fluorem debitum redigentur.

§. 1157. ITEM nimis tenue cogendum; acre leniendum, in genere, in specie.

Pariter ad §. 1153, notatum fuit, alteram partem sanguinis tenuitate morbosâ peccare, cui juncta est acrimonia. Præterea in pejori gradu scorbuti videmus quandoque dissolvi sanguinem, præcipuè si acrimonia putrida adsit, ita ut vasis suis coerceri nequeat, sed miræ & periculosæ sæpe sequantur hæmorrhagiæ (vide §. 1151. n°. 3.). Tunc autem indicatio jubet, illud tenue cogendum esse ita, ut solitam consistentiam acquirant humores, sícque vasis propriis coerceri possint. Fuerunt quidam Medici in illa opinione, quòd nimia humorum tenuitas sanitati nocere non posset; hi quidem utebantur specioso hoc argumento, quòd tenues humores transirent per omnes vasorum angustias absque ullo impedimento; & cùm liber ac expeditus humorum motus per vasa ad functionum corporis humani integritatem requiratur, concludebant, tenuitatem humorum nunquam nocere posse sanitati: unde omnem curam morborum præsentium, & prophylaxin morborum futurorum, ponebant in attenuatione omnium humorum; hincque potus aquosos calidos, theæ, caffeæ, & similes, perpetuò sorbillandos commendabant, & ægris, & sanis hominibus. Sed non considerabant, ad sanitatem requiri, ut in singulis vasorum seriebus proprii continerentur humores, sanguis in vasis sanguineis, serum in vasis serosis, & sic in reliquis vasorum decrescentium ordinibus. Si enim sanguis foret instar aquæ tenuis, difflaretur totus per vasa exhalantia, in superficie corporis externâ, patentia; vel effusus in cava corporis interna hydropem faceret brevì: parùm enim rediret ad cor per venas, si humores tam tenues forent, ut liberrimè transirent per arterias exhalantes; maximæ ergo arteriæ corporis brevì vacuæ forent: verùm cor, expellens sanguinem in arterias, illas distendit, quia plenæ sunt; &, nisi distenderentur arteriæ, non contraherentur; adeóque brevì cessaret sanguinis circulus per totum corpus, & sequeretur lethalis syncope.

Acre autem, quod simul adest, leniendum est pariter, ut minùs noceat; quod obtinetur curâ generali, vel speciali. Generale lenimen acrium fit, dum adhibentur talia, quæ quamvis acrimoniam demulcent, ut est aqua, diluens omne acre, oleum molle, obtundens & inviscans omnem acrimoniam, simúlque partes corporis defendens, ne ab acribus facilè lædi possint. Specialis autem cura acrimoniæ dicitur, quando adhibentur cognito acri opposita remedia quámvis eadem manifestam quandoque acrimoniam habeant; utì dum v. gr; acrimonia alcalina putrida acidis assumptis corrigitur

§. 1158. ET in correctione unius (1156) semper respiciendum ad naturam alterius (1157): unde summæ artis opus tentare hunc morbum cum successu.

Magni momenti monitum hoc Practicum est, & cujus neglectus tot infelicium curationum causa fuit. Antea in cura obstructionis (vide §. 135.) plura laudata fuerunt remedia attenuantia, quæ tamen in scorbuto curando promiscuè usurpari nequeunt. Si enim adesset in hoc morbo acre alcalinum putridum, sales fixi alcalini, utì & volatiles, sapones ex alcali fixo vel volatili & oleo simul unitis constantes, nocerent, quia acrimoniam præsentem augent, dum crassitiem humorum attenuant. Ob eamdem rationem non prosunt mercurialia in hocce casu, quia, licèt efficacissimè solvant, humores tamen solutos in putridum liquamen convertunt, utì in salivatione mercuriali patet. Simul solicitè attendendum est, quid viscera, per morbum hunc labefactata, adhuc ferè possint. Adeóque magnâ hîc prudentiâ opus est, ut debita scorbuti curatio institui possit; inprimis si morbus in pejori gradu jam constitutus fuerit: neque temerè hîc fidendum speciosis antiscorbuticorum remediorum titulis, cùm multa ex his nocere possint, nisi debito tempore morbi adhibeantur, & acrimoniæ prædominanti cognitæ oppositam efficaciam habeant. Hoc autem ulteriùs patebit ex sequentibus.

§. 1159. ACRIA evacuantia semper hunc morbum exasperant, & sæpe reddunt incurabilem.

Cùm duræ digestionis cibi scorbuto sæpius ansam dederint (vide §. 1150.), utì & tales morbi prægressi, qui à validis obstructionibus viscerum addominalium oriuntur crediderunt Medici, per valida evacuantia curam hujus morbi tentari posse, ut nempe expelleretur hæc saburra quantocyus, sícque viscera gravante hâc mole liberarentur. Subducere quidem convenit illa, quæ in primæ coctionis visceribus hærent, sed leni stimulo, utì dicetur sequenti paragrapho. Cùm enim in hoc morbo, provecto inprimis, adeo debilitentur solida, ut à levi vi solvatur illorum cohæsio, & humores contenti effundantur, patet satìs, multùm metuendum esse à turbis excitatis in corpore per acria evacuantia assumpta. Longè majus discrimen adhuc foret ab emeticis, dum inter vomendum, diaphragmate & musculis abdominalibus convulsis (vide §. 652.), validè comprimuntur omnia abdominis viscera; quæ ergo, si jam tabefieri inceperint in scorbuticis, destruerentur, & sequeretur lethalis syncope. Prætetea observatur, acria purgantia, ut *scammonium*, *jalappa*, *colocynthis*, *&c*, solvere etiam humores sanos, & solutos in putridum liquamen per alvum educere: cùm autem in pejori gradu morbi putrida humorum degeneratio plerumque soleat adesse, patet & alia ratio, quare acriora purgantia in hoc morbo non conveniant.

Multiplici in scorbuto curando Experientiâ celebris *Eugalenus* pro canone Therapeutico ponit, (*a*) *Quòd validas purgationes & largam sanguinis missionem ægre hic morbus ferat.* Pariter observavit *Myus* (*b*), pur-

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. V. pag. 20.

(*b*) De Morb. Bredan. pag. 5-7.

gationes plurimos ſcorbuticos læſiſſe. Vidi etiam, dum dyſenteriæ & diarrhœæ epidemicæ graſſabantur, ſcorbuticos periculoſiùs reliquis decubuiſſe.

Sequitur jam, ut enarrentur illa, quæ in ſcorbuto curando profuerunt. Cùm autem §. 1151, quatuor diverſi gradus ſcorbuti deſcripti fuerint, quorum primus levior, ſequentes autem & pluribus & pejoribus ſymptomatibus ſtipabantur, ſimili ordine tradetur curatio.

§. 1160. HINC *α*. Incipiendum in ſpecie (1151. n°. 1.) prima, à leni, attenuante, deobſtruente, purgativo, parcâ doſi, ſæpe iteratâ. *β*. Pergendum in attenuantibus, & digerentibus dictis. *γ*. Deſinendum in ſpecificis lenioribus, diu continuatis, in forma quacumque. *δ*. Interim ſex res non naturales ita ordinandæ, ut ſint contrariæ cauſis (1150).

In primo gradu ſcorbuti (§. 1151. n°. 1.) talia ſymptomata adſunt, quæ majorem humorum craſſitiem & immeabilitatem docent, ſed nulla adſunt ſigna magnæ acrimoniæ humorum, aut viſcerum corruptorum.

α. Lene tale purgans datur, ut liberentur primæ viæ ab omni materia indigeſtili, ob malum victum ſæpe hîc collectâ: ſimul, ut blando ſolvente ſalino ſtimulo attenuentur humores, & copioſiùs deriventur versùs inteſtina; ſícque non tantùm contentæ in tubo inteſtinali fæces educantur, ſed ſimul ſolvantur atque expellantur illa, quæ in viſcerum abdominalium vaſis hærere inceperant.

Plures autem tales formulæ in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur, quæ huic ſcopo ſatisfaciunt. Commendantur quidem & ibi *Pilulæ Cocciæ Majores*, quæ ſcammonium, colocynthidem, aloen, &c, continent, ſed dantur ſatìs parcâ quantitate; & præterea in hoc ſcorbuti gradu nondum magna acrimonia adeſt, neque putrida humorum ſolutio.

Solet horum purgantium uſus ſæpius repeti, tribus quatuórve diebus interpoſitis, quo intervallo dantur remedia attenuantia & digerentia, de quibus ſtatim dicetur; túncque iterum purgans. Semper autem memores eſſe debemus axiomatis *Hippocratici*, cujus mentionem feci ad §. 11: *Si quæ purgari decent, purgentur, tum confert, tum ægri facilè ferunt; ſi verò contraria, difficile.* Ubi ergo illa pigritia inſolita incipit emendari, dum hæc remedia ſumuntur, & major alacritas redit toti corpori, ſcimus profuiſſe & contrà, ſi debilitatem & languorem ſentire incipiant, abſtinemus à purgantium uſu. Præterea in corporibus obeſis, utì & in leucophlegmaticis, tutiùs repetuntur purgantia remedia; in ſtrictis & macilentis corporibus, minùs conveniunt.

β. Craſſities enim humorum hîc adeſt, utì antea probatum fuit; verùm in cura obſtructionis (§. 135.) inter attenuantia fuerunt laudati ſales & ſapones, tam nativi, quàm artificiales. In *Materia* autem *Medica*, ſelecta ad hunc ſcopum remedia habentur, & ſatìs varia, ut pro diverſa temperie

ægrotantium

ægrotantium possint hæc vel illa adhiberi. Sic v. gr; in frigidæ & laxæ temperiei hominibus calidiora attenuantia conducunt, qualia sunt v. gr; *tinctura salis tartari, elixir proprietatis, sal volatilis oleosus aromaticus, sapo starkeianus, &c.* In calidis autem & biliosis utimur *cryſtallis* ac *cremore tartari, salepolychresto, oxymelle simplici, scillitico*; & inprimis saluberrimis illis succis, pomorum aurantiorum, citreorum, &c, quæ acidulum saponaceum succum habent, pulchre attenuantem, & saporis gratiâ adeo placentem. Simul etiam habetur ratio diversæ tempestatis anni: æstivis enim sub caloribus à calidioribus remediis abstinemus, quæ tutiùs hyemali tempore adhiberi possunt.

γ. Satìs magnus numerus est remediorum, quæ antiscorbuticorum titulo apud Auctores commendantur, licèt non omnia easdem vires habeant, ideóque delectu opus hîc est, pro vario gradu morbi non tantùm, sed etiam pro diversa ægrorum temperie. Antea dictum fuit ad §. 1150, vegetabilis nutrimenti defectum inter causas scorbuti numerari; hinc & inter specifica antiscorbutica recensentur, in *Materia Medica* ad hunc numerum, talia, quæ hunc defectum supplere possunt. Acetosæ omnes species, bardanæ turiones primo vere erumpentes, brassica rubra, chærophyllum, cichorea, endivia, urtica, &c, jusculis incocta, pulchrum effectum præstant. Huc etiam spectant aurantiorum, citreorum, &c, succi, qui vel cibis adsperguntur, vel aquâ diluti, addito pauco vino, gratum & salubrem potum præbent. Languent enim tales ægri: pulsum (*a*) parvum, debilem & inæqualem in scorbuticis adesse monuit *Eugalenus*; imò talem pulsum inter diagnostica scorbuti præsentis signa numeravit; qui quandoque adeo languidus apparet, ut Medicus Italus, huic morbo curando minùs assuetus, miraretur, hominem tali cum pulsu vivere posse. Ob hanc rationem in catalogo antiscorbuticorum occurrunt aromata pulcherrima, quæ gratâ suâ fragrantiâ languentes vires vitales excitare valent. *Abrotanum, absinthium, ageratum, balsamita, fœniculum, majorana, mentha, melissa, &c*, talem vim habent. Insuper & laudantur talia, quæ, præter lenem vim stimulantem, solvendi & attenuandi efficaciâ pollent. *Anagallis, beccabunga, fumaria, nasturtium aquaticum, &c*, ad hunc finem meritò commendantur. In hoc autem scorbuti gradu diu in horum usu continuandum est, & licèt variâ formâ hæc remedia possint usurpari, cerevisia vel vinum his medicata reddita minori fastidio ab ægris sumi solent, & quidem per longum tempus. Solo (*b*) absinthio, aquæ & vino, vel & cerevisiæ tenui, infuso, difficillia scorbuti symptomata non tantùm, sed & morbum ipsum, se superasse testatur *Eugalenus*. Dum cerevisiæ dolio aliquot brassicas rubras capitatas, minutim conscissas, infundebant, cum duodecim manipulis nasturtii aquatici, vel cochleariæ, & librâ recentis raphani rusticani, integras familias curatas vidi, quæ tali cerevisiâ pro potu communi utebantur diu.

δ. Nisi hoc impetrari possit, frustranea sunt omnia: emendatus enim

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. XI. pag. 48. Symptom. XVII. pag. 58.

(*b*) Ibid. Symptom. XXX. pag. 83.

per idonea remedia morbus recrudescit denuo per easdem causas, à quibus originem sumpsit. Multis apud Batavos moris est, hyberno tempore carne bubulâ ac lardo salitis vivere, & exeunte hyeme satìs malè se habent à scorbuto: tempore verno, usu recentium herbarum & fructuum horæorum emendatur morbus, imò quandoque integre superatur; recrudescens tamen denuo, dum subsequente hyeme simili victu utuntur. A caseo antiquo & acri, si quotidie sumatur, longè citiùs omnia scorbuti symptomata redire vidi, quàm ab ulla alia causa. Solent quidem ægri, dum levatur morbus, Medici monita spernere, & inprimis in chronico tali malo, interim tamen à quibusdam impetrant Medici, ut in posterum simili victui non indulgeant. Major longè difficultas obtinet in curandis scorbuticis, qui coguntur in locis uliginosis & depressis habitare, ut victum sibi comparent; nam nequidem optimis remediis tunc eradicatur morbus, sed mitigatur tantùm, dum verno tempore & totâ æstate sero lactis pro potu communi uti solent: unde dolent toties Medici, miseros tales in flore ætatis jam edentulos fieri, & molestissimis artuum doloribus cruciari, inprimis dum hyberno torpent otio: æstivi enim labores ruricolis talibus prosunt.

§. 1161. AD secundum gradum (1151. n°. 2.) conferent eadem, quæ in priori, (1160. α. β. γ. δ.). Tum usus scorbuticorum acriorum paulò, formâ succi expressi, conservæ, spiritûs, salis volatilis, vini, cerevisiæve medicatæ: balnea itidem externa & pediluvia ex antiscorbuticis; frictiones calidæ, siccæ, cum specificis liquidis; sæpe venæ-sectio conducet, ut pars acris liquidi tollatur, erosio in vasa nimis distenta minuatur, revulsio procuretur, via paretur medicamentis applicandis.

Symptomata enumerata in secundo hoc scorbuti gradu §. 1151. n°. 2, docent majorem adesse spissitudinem & immeabilitatem humorum, quàm in primo gradu: crurum enim tumor ac præ gravitate immobilitas, utì & difficilior, & ad motus etiam parvos ferè deficiens, respiratio hoc monstrant. Conferunt ergo quidem omnia laudata in paragrapho præcedenti, sed solent etiam adhiberi paulò acriora, ut magìs dividatur illud lentum, simúlque languor ille superetur. Quænam autem cautela requiratur in horum administratione, dicetur ad sequentem paragraphum.

In *Materia Medica* ad hunc numerum plura talia acriora antiscorbutica recensentur, quæ huic scopo servire possunt, sed tamen non omnia promiscuè usurpari. Quædam enim acerrima sunt, ut *acriviola*, *allia*, *arum*, *piperitis*, *sedum minus vermiculare acre*. Unde vel in frigidis & leucophlegmaticis corporibus tantùm adhiberi possunt, vel saltem in aliis temperiebus refractâ tantùm dosi dari debent. *Gratiola* autem acre purgans hydragogum remedium dat, quod quidem potenter solvit omnia tenacia, sed tamen limitatâ admodum dosi hîc tantùm convenit, cùm monitum fuerit ad §. 1159, acria evacuantia hunc morbum exasperare. Formulæ pariter compositæ ex

his in *Materia Medica* habentur. Simul autem notandum est, quòd oris fœtor incipiens, gingivæ tumentes, & dolentes, dolores varii & vagi (§. 1151. n°. 2.), doceant acrimoniam humorum tenacitati junctam, adeóque & de lenimine illius acrimoniæ cogitandum esse, dum tenax viscidum attenuatur antiscorbuticis illis acrioribus. Cæteroquin illud acre, adhærens illi lentori, soluto hoc vinculo, liberum jam, noceret magìs, nisi diluentibus enervatum, vel oppositis remediis emendatum, fuerit. Optimum autem est, si simul evacuationibus naturalibus prudenter auctis, expellantur de corpore, & solutum illud viscidum & acre huic junctum, utì ad §. 1164, dicetur.

Balnea ex plantis antiscorbuticis, aquæ infusis, eidem scopo servire possunt, dum horum remediorum vis, aquâ diluta, venis bibulis tutò recipitur; & inprimis si maculæ scorbuticæ corporis externam superficiem deturpent; sic enim faciliùs extravasata sub cute liquida, quæ has maculas faciunt, dissipabuntur. Cùm autem crura sæpe talibus maculis purpureis afficiantur, unde à quibusdam hic morbus *scelotyrbe* vocatus fuit, commendantur, inprimis pediluvia, quorum variæ formulæ apud *Sennertum* (*a*) habentur, & plures similes ex remediis, in *Materia Medica* recensitis, parari possunt.

Simul etiam tunc solent adhiberi frictiones, de quarum usu egregio in solvendis coagulatis, & augenda actione vasorum in liquida contenta, pluribus dictum fuit ad §. 28. 75, & 132, utì etiam ad §. 334, ubi de cura contusionis agebatur; in qua sub cute integra sanguis effusus hæret, fractis à vi externa sub cute, adhuc integra, vasis. Patuit autem ex hujus morbi Historia, quòd maculæ illæ scorbuticæ ab effusis sub cute humoribus similiter fiant. Cùm autem in scorbuticis facilè rumpantur vasa, utì antea dictum fuit, lenes tantùm adhiberi possunt frictiones: & quia simul metuitur facilis putredo effusorum humorum, hinc & laudantur à multis spirituosa liquida, ut nempe his irrorentur leviter panni, quibus perfricantur membra.

Disputaverunt autem Medici, an venæ-sectio in hoc morbo conducat. Cùm enim dictum fuerit ad §. 1153, in scorbuto esse talem sanguinis indolem, quæ & crassitie simul in una, & tenuitate acri salsâ, alcalicâ, vel acidâ, peccat in altera parte, crediderunt multi, nil meliùs ad curandum hunc morbum conducere, quàm si repetitis etiam sanguinis missionibus subduceretur de corpore vitiosus cruor, & bono interim victu restituerentur sani humores. Verùm considerari debet, optima etiam alimenta ingesta debere subigi in corpore nostro, ut mutentur in nostros humores. Antea verò ad §. 25, probatum fuit, magnam jacturam sanguinis impedire assimilationem ingestorum in naturam liquidi vitalis sani; adeóque patet, restitutionem sani humoris impediri profusâ vel frequenter repetitâ missione sanguinis. Præterea in scorbuticis sanguis lentore suo incipit hærere in ultimis arteriarum angustiis, & mobilior tenuiórque pars transit in ve-

(*a*) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. VIII. Tom. II. pag. 1020.

vas, lentus itaque illis ſanguis per venæ-ſectionem non educitur, adeóque non videtur multùm emendari cacochymia humorum per ſanguinis miſſiones in hoc morbo. Simul etiam Obſervationes Practicæ numeroſæ docuerunt *Eugalenum*, utì ad §. 1159, dictum fuit, (*a*) *Largam ſanguinis miſſionem* ægri ferri à ſcorbuticis. Confirmat hoc aſſertum pulſus debilis in hoc morbo, & facilis ſyncope. Ubi autem ſatìs plena fuerint vaſa ſanguinea, tunc tutò plenitudo poteſt minui per venæ-ſectionem, ſícque ſimul pars acris liquidi tollitur; modò caveatur, ne ob nimiam ſanguinis evacuationem functiones corporis, ſatìs languidæ in hoc morbo, adhuc magìs enerventur. Notandum quoque eſt, dolores ſcorbuticos, varia loca corporis occupantes, quandoque morbos inflammatorios imitari, & minùs peritis imponere, utì ad §. 1151. n°. 2, monitum fuit; túncque etiam abſque ullo ſucceſſu ſanguinis miſſionem tentatam fuiſſe. Patet ergo ex dictis, quid boni à venæ-ſectione in ſcorbuto exſpectandum ſit, & quo in caſu proſit.

§. 1162. PROUT verò tenuitas acris, calor ingens, metus hæmorrhagiæ, majora; vel craſſities, inertia, frigus, vaſorum pallor, majora; utendum ſpecificis modicè adſtringentibus, frigidiuſculis, vel calidis, acribúſve.

Ex phœnomenis hujus morbi, §. 1151, deſcriptis, patuit in principio craſſitiem & inertiam humorum adeſſe; aucto verò morbo ſigna majoris acrimoniæ apparent, & plerumque etiam incipientis putredinis; quæ dum adeſt, ſolvi incipiunt humores, & ſoluti ſimul fiunt acriores; unde febres calidæ ſæpe fiunt, &, eroſis ab acrimonia humorum vaſis, hæmorrhagiæ. Illa autem remedia antiſcorbutica, præcedenti paragrapho laudata, acria ſatìs ſunt & calefacientia; adeóque, ubi oris fœtor jam incipit, gingivæ dolent, tument, caleſcunt, moleſti dolores vagi per totum corpus adſunt, & hæmorrhagiæ etiam leviores, facilè patet, tutum non eſſe talium remediorum uſum. Adeo enim tenera redduntur ſolida ſæpe in ſcorbuto, ut levi de cauſa ſolvatur cohæſio partium; ſimúlque adeo ſoluti ſunt humores, ut vaſis ſuis ampliùs coerceri nequeant, utì prægreſſa morbi Hiſtoria docuit. In tali morbi conditione prudentes Medici aliud antiſcorbuticorum remediorum genus adhibent; talia nempe, quæ ſolida roborant, & nimiam humorum tenuitatem emendant. *Lapathum, polypodium quernum, capparidis & tamariſci cortex, acetoſa, &c*, talia ſunt, quæ ad hunc numerum in *Materia Medica* recenſentur. Quamdiu autem frigus & inertia mera in ſcorbuto incipiente obſervantur, vel & morbus jam adultior frigida & leucophlematica corpora occupat, tunc acribus antiſcorbuticis utuntur tutò. Ubi autem dubia ſigna ſunt, vel metuitur futura brevì putredo, licèt nondum adſit, tunc adhibentur illa antiſcorbutica, frigidiuſcula dicta, quæ pariter in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur, quorum pleraque vim ſolventem ſaponaceam inſignem poſſident, ſimúlque omni putredini reſiſtunt. Ob eamdem rationem videmus,

(*a*) De Morb. Scorbut. Symptom. V. pag. 20.

Medicos sæpe *cochleariam*, *nasturtium*, & similia præscribere, addendo simul *acetosam*, *succum citri*, *aurantiorum*, *&c*, ut nempe posteriora priorum vim nimis acrem temperent, & putredini hîc metuendæ resistant.

§. 1163. **AD vitia autem oris in hac specie emendanda oportet uti his, quæ antiphlogistica, antiscorbutica, & simul huic illíve scorbuti speciei appropriata sunt.**

Inter scorbutica symptomata §. 1151. n°. 2. 3, numerantur vitia oris, fœtor nempe oris incipiens, gingivarum tumor, dolor, & ad minimam illarum pressionem sanguinis eruptio; ubi morbus augetur, fit gingivarum putredo cadaver olens, & gangrænosa corruptio, citissimè omnia depascens. Ubi leviora hæc mala sunt, eradicato morbo per ideona remedia sponte cedunt. Verùm quandoque hæc adeo molesta sunt, ut inducias non ferant tamdiu, sed subitam poscant medelam. Cùm autem ad §. 1153, monitum fuerit, diversam quandoque acrimoniam prædominari in scorbuto, inde concluditur, & variam esse medelam ad hæc oris vitia, prout hæc vel illa acrimoniæ species adest. Si pallidæ & tumidulæ gingivæ doleant in corpore leucophlegmatico, spiritus theriacalis, cochleariæ, spiritus vini camphoratus, &c, prodesse possunt, qualia in *Materia Medica* ad hunc numerum habentur. Ubi verò gingivæ rubent, calent, pruriunt, aut dolent, tunc modò dicta remedia nocerent potiùs, utpote nimis calida. Muria, quâ limonia mala condiuntur, quæ salem marinum omni putredini adversum habet, & gratam limoniorum fragrantiam succúmque illorum acidum, pulcherrimè prodest, inprimis si parùm diluatur aquâ quacumque stillatitiâ, & addatur mel rosarum, diamoron, &c; quæ flaccidas illas & sæpe jam semigangrænosas partes firmant; tales formulæ pariter in *Materia Medica* habentur. Sufficit, si tali remedio sæpius de die os colluatur, vel & spleniola, tali collutorio madida, inter labia, buccas, & gingivas, ponantur, sæpius renovanda. Minimè autem requiritur, ut gingivæ scorbuticorum talibus remediis ruditer perfricentur, utì quandoque à Chirurgis factum vidi; augetur enim dolor inde & inflammatio, teneríſque illis harum partium vasis destructis sequitur gangræna. Ubi autem maculæ latiores albæ oriri incipiunt, in ambitu inflammatæ & rubræ, cum pessimo fœtore, & copioso salivæ tenuis effluxu, succurrendum illico est efficaci medelâ, ut putredo citissimè proserpens sistatur. Spiritus salis marini omnia alia remedia, quæ tentata vidi, superat. In malo hoc incipiente sufficit, si drachma spiritûs salis marini in quatuor unciis aquæ florum sambuci, rosarum, similísve, diluatur, & additâ unciâ mellis rosarum edulcoretur: ubi autem magna jam putredo adest, tunc mero spiritu salis marini quandoque coactus fui tangere loca hæc gangrænosa penicilli ope; & ubi depascens hæc putredo sic domita non ampliùs serperet intra duodecim horas, tunc denuo eodem remedio, sed diluto magìs, utebar; & brevì sequebatur separatio partium verâ gangrænâ tabefactarum. His separatis, crudæ & dolentes hæ partes fovebantur perpetuò succo sem-

pervivi majoris cum æquali copia mellis rosarum, quod pulchre leniebat dolorem ac inflammationem, & ad bonam consolidationem deducebat pura jam hæc ulcera. Verùm ubi gangrænosâ tali putredine erosæ sunt gingivæ, dentes vacillant, & brevì cadunt, imò & quandoque maxillæ osseæ pars insignis cadit, quod evitari nequit, si seriùs vocatus Medicus fuerit, vel minùs idoneâ medelâ tractatum fuerit hoc malum. Videantur & illa, quæ, in capitulo *de Gangræna* §. 423, de affluxu materiæ scorbuticæ ad gingivas dicta fuerunt.

§. 1164. AD speciem tertiam (1151. n°. 3.) valent omnia prædicta, nisi quòd utendum sit maximâ copiâ liquidorum lenium, facilè meabilium, antisepticorum, antiscorbuticorum, cum leni promotione sudoris, urinæ, fæcis alvinæ, diu continuatâ.

In tertia specie, utì ex symptomatibus §. 1151. n°. 3, recensitis patet, jam adest major acrimonia sanguinis, ita ut vasorum cohæsio levi etiam vi solvatur, simúlque omnes humores magìs in putredinem vergere incipiant, unde & majori cautelâ in curatione opus est. Si calida & acria antiscorbutica imprudenter adhibeantur, utì v. gr; *Cochleāria, nasturtium, sinapi, raphanus rusticanus, &c*, his stimulis augetur motus acrium humorum per vasa, quæ parùm cohærent, unde sæpe subitæ & immanes hæmorrhagiæ sequuntur: hinc meritò præferuntur leniora. quæ simul omni putredini resistunt, & vasa firmant. Ob hanc causam *acetosa, lapathum, acetosella*, & similia, tantum nomen meruerunt: imò in hoc morbo tractando exercitati Medici cochleariæ plerumque acetosam addunt, licèt nondum scorbutus ad tertium illum gradum pervenerit.

Præcipuus enim scopus est in curatione scorbuti, ut illud acre eluatur ex sanguine, & lentor, si adsit, simul attenuetur: verùm magnâ copiâ liquidorum lenium, & facilè meabilium, utrumque obtinetur; simúlque vehiculum subministratur sudori & urinæ, ut per has vias exeant acria. Videmus enim, in sanis etiam hominibus, per cutis spiracula difflari, & per urinam secerni de sanguine, omnia illa, quæ per ipsas sanitatis actiones jam acriora reddita nocerent, si retinerentur diutius. Pariter & per alvum exeunt de corpore non tantùm inutiles fæces alimentorum post chylificationem peractam, verùm etiam humorum in ventriculum & intestina depluentium recrementa. Convenit ergo, omnes has excretiones augere cum prudentia. Antea quidem monitum fuit, constitisse per Observata Practica, quòd fortiora purgantia nocerent scorbuticis; verùm semper profuit, leni stimulo alvum subinde promovere, sive per *epicrasin* purgare, utì Medici loqui solent, interposito aliquot dierum intervallo; quo tempore diluentium & leniter solventium usus adhiberi solet. Urinæ autem scorbuticorum, utì pariter antè dictum fuit, contentis saturatæ sunt, & acres magnámque sedimenti copiam ponere solent; unde videtur Natura ipsa hanc viam indicare, ut sanguis ab acrimonia inhærente depuretur.

Patet inde ratio, quare ſerum lactis, inprimis tempore verno recentis graminis ſucco dives, & hinc ſubvirideſcens, tantum nomen habuerit in ſcorbuto curando; nam agit ſolvente graminis vi, ſimúlque urinam ſatìs copioſam movet; unde etiam inter efficacia diuretica meritò numeratur. Solet quoque optimo ſucceſſu cum lenioribus antiſcorbuticis herbis decoqui, ſícque magìs medicatum reddi; quales formulæ ad hunc numerum in *Materia Medica* habentur, & plures aliæ ſimili normâ concinnari facilè poterunt.

Jam apud *Hippocratem* videmus, in cura *ilei ſanguinei* (ſub quo nomine ſcorbutum deſcripſiſſe videtur, utì antea ad §. 1148, dictum fuit) laudari lactis aſinini cocti uſum ſatìs largum cum melle, ut per inferiora ſequatur purgatio; deinde addit, (*a*) *Et lac bubulum, ſi tempus ferat, quadraginta diebus bibat. Manè quoque lactis bubuli heminas duas bibat, tertiâ aquæ mulſæ parte etiam interpoſitis diebus admiſtâ.*

Manifeſtè hinc patet, quòd interpoſitis aliquot diebus, melle addito, alvum movere intenderit, ſimúlque lacte dato lenire omnem acrimoniam & diluere. Licèt autem blando & pingui cremore acrimoniam omnem lac obtundat, ſerum lactis tamen magìs diluit & diureſin movet.

Magnam lactis & ſeri ejus in ſcorbuto curando virtutem pariter multis encomiis laudat *Fridericus Hoffmannus* (*b*), & propriis Obſervatis, aliorúmque celebrium Medicorum, confirmat; ſimúlque commendat aquarum medicatarum, cum lacte recenti permiſtarum, largum uſum. Imò teſtatur, quòd triginta annorum uſu didicerit egregiam virtutem aquarum medicatarum in cura ſcorbuti, etiam inveterati. Alio autem in loco notat, nullo remedio tam citò, tam ſecurè, & tam efficaciter, extirpari ſcorbutum, quàm thermarum Carolinarum uſu; imò plures, (*c*) *Ulcera ſordida diu geſtaſſe, quæ tandem adhibitis tam interiùs quàm exteriùs Carolinis, penitus coiverunt, & coaluerunt, nullâ planè, quod aliàs ſolemne eſt, ſubſequente noxâ.* Verùm hæ aquæ diluunt, ſalino principio, quod continent, ſolvunt, ſimúlque alvum & urinam movent.

Ubi verò magna diſſolutio humorum jam adeſt, & putredinis ſigna, tunc videntur minùs conducere illæ thermæ, cùm ſalem alcalinum habeant: in tali caſu modicè adſtringentia, acidula, meliùs convenirent, utì ad §. 1162, monitum fuit.

§. 1165. AD quartam verò ſpeciem rara medela; varianda Medendi Methodus pro varietate ſymptomatum; aliquando mercurialia proſunt; ut & præſcripta (1164).

Ex quibus omnibus (1148, ad 1166) rite conſideratis, & cum phœnomenis morbi, ac cadaverum inciſorum, collatis conſtat, in curatione felici hujus morbi id agendum maximè, ut indagetur

(*a*) Lib. de Intern. Affection. Cap. XLVIII. Charter. Tom. VII. pag. 672.

(*b*) Medicin. Rational. Syſtemat. Part. V. Cap. I. ubi de Theſ. Therapeutic. §. X. pag. 29.

(*c*) Diſſertat. de Therm. Carolin. Cap. V. §. XV. Opuſcul. Phyſic Medic. Tom. II. pag. 300.

indoles vitiosi humoris & singularis acrimoniæ, quæ prædominans peccat: cúmque illa acrimonia sit salina muriatica, acida austera; alcalina fœtens, rancida oleosa; atque de his singulis, & universis sæpe actum sit, ordinatior mali curatio habebitur: & liquet, cur serum lactis, lac ebutyratum, aquæ medicatæ, toties desperata hujus morbi mala sanaverint, & quæ? Cur acidi succi horæi maturi pomorum arantiorum, citriorum, limoniorum, granatorum, acetosæ, acetosellæ, aceti, vini Rhenani, Mosellani, toties specifica huic morbo, & quando? Cur adstringentia austera, ut rheum, lapathum, tamariscus, capparis, vinum austerum nigrum, rubrúmve, ut & chalybs, adeo sæpe bona, & ubi? Cur acerrima aromata, cochlearia, lepidium, nasturtia, arum, raphani, piper, zingiber, sempervivum minus acre, sales alcalini volatiles, fixi, oleosi, aromatici, saponacei, iterum sæpe sola prosint? Cur quod uni scorbutico salutare, id exitiale idem alteri fiat? Cur ergo non nomini hujus mali studendum sit, sed ejus tantùm singulari, ac si alius foret morbus, genio.

Si considerentur illa symptomata, quæ §. 1151. n°. 4, enumerantur, patebit facilè, parùm spei superesse, febres enim malignæ putridæ, comitantes talem scorbuti gradum, designant, ingentem humorum corruptelam jam adesse, simúlque reliqua docent, ipsa viscera jam contabescere. Pro varietate autem symptomatum diversa quidem medela adhibetur, sed ferè tantùm hâc spe, ut leniantur molesta mala, utì in cura, palliativâ dictâ, fieri solet, per quam, (a) *Mitigando symptomata semper etiam aliquid de morbo primario tollitur*; vel saltem hoc efficere tentat Medicus, ut ægri faciliùs tolerent morbum, qui tolli integre non poteſt. Sic v. gr; diarrhœis & dysenteriis lenibus diacodiatis, unà cum demulcentibus remediis, succurritur; stranguria decocto radicum & foliorum althææ cum aqua & lacte lenitur; ad lipothymias grata cardiaca, nec nimis calida tamen, adhibentur; & sic de reliquis.

Si autem adhuc curabile sit malum, neque viscera tabefacta, tunc prosunt illa sola, quæ præcedenti paragrapho laudata fuerunt.

Cùm autem mercurialia remedia difficillimis morbis eradicandis quandoque cum successu adhibita fuerint, inceperunt Medici scorbutum etiam sic tractare, & inprimis ideo, quia viscosum tenax in sanguine scorbuticorum aliquando observatur, utì antea dictum fuit. In primo scorbuti gradu (§. 1151. n°. 1.), ubi lentor ille viscosus prædominatur, nec magna adhuc acrimonia adest, tolerari, posset prudens argenti vivi usus; quámvis certum sit, hunc morbi gradum laudatis antea remediis feliciter curari. Verùm ubi jam oris fœtor incipit, gingivæ tument, dolent, calent, fa-

(a) Boerhaav. Institut. Medic. §. 1244.

tis

tìs patet, ſuſpectum eſſe mercurialium remediorum uſum, cùm horum effectus ſit, os internum exulcerare, & magnam copiam fœtidæ ſalivæ elicere: adeóque affluxus acrium humorum ad gingivas augeretur, non ſine moleſtia & periculo. Infelicem ſucceſſum argenti vivi, tam externè quàm internè adhibiti, in homine, cui à ſcorbuto malè affecto lingua exulcerabatur, recenſuit *Fridericus Hoffmannus*, qui ideo pro Regula Practica ſtatuit, (*a*) *Mercurialis proſapiæ medicamenta, utcumque etiam præparata & adhibita, in ſcorbuto, tantùm non ſemper maximo eſſe nocumento; longè verò certiùs graviúſque nocere ſolent in vitiis dentium & linguæ ſcorbuticis*, &c. Cùm autem in quarto hoc ſcorbuti gradu magna jam adſit acrimonia, imò plerumque diſſolutio putrida humorum, patet ſatìs, mercurialium remediorum uſum tunc inprimis quàm maximè ſuſpectum eſſe. Illi, qui morbis venereis ſanandis frequentem operam adhibuerunt, ſatìs experti ſunt, levem etiam argenti vivi quantitatem ingentes turbas excitare in ſcorbuticis corporibus, ſi à lue per hanc Methodum curari debeant.

Sequuntur jam quædam Corollaria Practica, quæ ex prædictis facilè dededuci poterunt.

EX QUIBUS OMNIBUS, &c. Conſideratæ fuerunt cauſæ ſcorbuti, enumerata ſymptomata varia, quæ hunc morbum in toto ſuo decurſu comitari ſolent; dein enarratæ ſunt illæ mutationes partium corporis in hoc morbo, quæ per cadaverum ſectionem detectæ; & ex illis omnibus concluſum fuit §. 1153, craſſitiem in una parte ſanguinis, in altera acrimoniam, peccare. Unde patet, curationem requirere, ut illud craſſum attenuetur, & emendetur acre. Verùm illa craſſities humorum quandoque eſt iners mucoſa frigida, túncque amara & aromatica tantum uſum habent. In tali caſu abſinthium, quod *Eugalenus* (*b*) adeo laudavit, pulcherrimum effectum præſtat: aliquando adeſt ſpiſſitudo inflammatoria humorum; tunc ſucci horæi, ſyrupi & ſapæ ex his confectæ, ut *rob ſambuci*, *ribeſiorum*, &c, proſunt pulcherrimè; utì etiam, dum in obeſis corporibus pingue oleum ſanguinem reddit minùs meabilem. Poteſt & adeſſe ſpiſſitudo atrabilaria, quæ mellitis, ſaponaceis, &c, ſolvitur, utì antea in capitulo *de Melancholia* pluribus dictum fuit.

Verùm illa acrimonia pariter obſervatur diverſa; & quædam remedia ad omne acre mitigandum valent, utì aqua, v. gr; & omnia aquoſa, quæ ſolâ dilutione quamvis acrimoniam lenire poſſunt; olea mollia, quæ obtundunt acria quæcumque, dum illa obvolvunt quaſi. Alia remedia huic vel illi acrimoniæ infringendæ apta ſunt, non verò omnibus: ſic acida putredini alcalinæ domandæ proſunt; & contrà, ubi acida acrimonia adeſt, alcalinorum uſus probatur. Cùm autem antea de diverſis illis acrimoniæ ſpeciebus, & de illarum medela, actum fuerit (vide §. 60, & ſeq. §. 76, & ſeq. & §. 605.), illa hîc repetere ſuperfluum foret.

(*a*) Medic. Ration. Syſtemat. Tom. IV. Part. V. ad Enarration. Morbor. Obſerv. VI. Cap. 1. pag. 54, & ſeq.

(*b*) De Morb. Scorbut. Symptom. XXX. pag. 83.

CUR SERUM LACTIS, &c. Quia omnia hæc craffitiem humorum diluendo & attenuando minuunt, fimúlque fuppeditant fanguini aquofum vehiculum, per quod acres fales & olea, jam corruptioni proxima, elui poffunt, & per fudoris, urinæ, & alvi vias, exire de corpore. Verùm requiritur tale adhuc virium vitalium robur in ægris, ut moveri poffint hæc ingefta cum fanguine per vafa; cæteroquin & manent in corpore, & hydropicos tumores producunt. Ubi ergo magnus languor percipitur, vel figna adfunt nimiæ diffolutionis humorum, tunc non conveniunt.

CUR ACIDI SUCCI, &c. Quando ob defectum cibi vegetabilis humores in putrefcentem rancidam indolem degeneraverunt, utì fit in urbibus obfeffis, & longinquis navigationibus: tunc enim, utì antea dictum fuit, folis fructibus horæis, & jufculis ex carne recenti ac herbis oleraceis paratis, feliciffimè fanantur fcorbutici, fi nondum vifcera, ob putridam hanc cacochymiam, infignem labem paffa fuerint. Plures fcorbuticos in nofocomio Parifino fanavit *Morinus* (*a*), dum acetofam magnâ copiâ dedit cum ovis coctam pro cibo. Decoctum hordei cum vino Rhenano fcorbuticis quàm maximè profuiffe, *Eugalenus* (*b*) teftatur. Apud *Clufium* (*c*) legitur, Norwegos in vicinam infulam, moris abundantem, exponere fcorbuticos, neque domum reducere, priufquam fanitati reftituti fuerint; toto autem tempore, quo fic ab omni humano confortio remoti vivunt, folis moris vefcuntur, & quandoque intra paucos dies convalefcunt. Hyemali autem tempore, ubi hæc expofitio fieri nequit, ob acre frigus, electuario ex his fructibus parato, magnâ copiâ affumpto, utuntur fimili cum fucceffu.

CUR ADSTRINGENTIA, AUSTERA, &c. Ex fymptomatibus fcorbuti antea §. 1151, recenfitis, conftitit, in hoc morbo quandoque adeo debilitari cohæfionem folidarum partium, ut à leviffima vi adhibita folvantur; fimúlque fæpe tunc adeffe folet nimia folutio humorum. In hoc cafu adftringentia auftera, antea §. 28. n°. 4, laudata ad curandam nimiam debilitatem & laxitatem fibrarum folidarum, egregiè profunt, quæ & fimul humores nimis folutos compingunt. Ubi ergo in fcorbuticis laxa flacciditas totius corporis obfervatur, & à rudiori quacumque corporis contrectatione maculæ cæruleæ oriuntur, tunc hæc remedia locum habent. Fortè Britannica herba, apud *Plinium* ad ftomacacen & fcelotyrben laudata, fimiles virtutes habebat: nam morbus ille, quo, trans Rhenum Caftris à *Germanico Cæfare* promotis, laborabant milites Romani, lentus erat, cùm (*d*) *Intra biennium dentes deciderint, compagéfque in genibus folverentur.* Verùm in flaccidis corporibus lento fatìs gradu morbus procedit, languore & laffitudine, quámvis fatìs moleftus fit. Præterea multi eruditi Viri in illa fuerunt opinione, quòd Veterum Britannica herba lapathi fpecies foret, de qua re legi poteft *Muntingius* (*e*), qui tamen plurimùm eruditionis, fortè ad fcopum non adeo re-

(*a*) Académ. des Scienc. Ann. 1708. Hiftoir. pag. 63.

(*b*) De Morb. Scorbut. Symptom. X. pag. 47.

(*c*) Rarior. Plantar. Hiftor. Lib. I. Cap. LXXXV. pag. 119.

(*d*) Hift. Natur. Lib. XXV. Cap. III.

(*e*) De vera Antiquor. herba Britannica.

quisitæ, huc congessit. De chalybis pulchro effectu in simili laxitate solidarum partium, antea §. 28. n°. 4, actum fuit, & sequenti capitulo adhuc quædam dicentur.

CUR ACERRIMA, &c. Prosunt hæc in illis casibus, ubi pallor, frigus, inertia, adsunt; tumidulus corporis habitus, urinæ pallidæ inodoræ, sitis nulla, gravitas totius corporis, signa dant, quòd hæc remedia tutò possint exhiberi. Cùm autem multa ex his acerrimam vim habeant, prudenter adhiberi debent, ne subitò validis his stimulantibus in motum deducta glutinosa & lenta in pulmonibus accumulentur, & periculosum morbum (vide 871.) inducant.

CUR QUOD UNI SCORBUTICO, &c. Quia in quibusdam adest varius scorbuti gradus, diversa species & intensitas acrimoniæ in humoribus. Sic v. gr; acerrima illa aromata, modò laudata in scorbuto lento & frigido, si darentur in illo gradu morbi, ubi gingivæ cadaver olent, & sanguinem stillant, periculum foret lethalis hæmorrhagiæ; dum & humorum acrimonia per hæc remedia augeretur, & vasa vix cohærentia ampliùs, aucto per acria hæc stimulantia humorum impetu, rumperentur brevì. Ideo etiam plures Medici sequuntur prudens *Sennerti* monitum (*a*), neque tam facilè acerrima antiscorbutita adhibent, quæ spirituum antiscorbuticorum nomine laudari solent; sed sero lactis infusam cochleariam, nasturtium, &c, exhibent; vel & succos recèns pressos sero lactis diluunt, sícque potandos exhibent ægris.

CUR ERGO NON NOMINI, &c. Jam aliquoties dictum fuit in aliorum morborum Historia, quòd nihil damnosius sit, quàm audito nomine morbi tantùm, absque ullo examine ulteriori, dare remedium, quod in publicis Officinis prostat, & specioso titulo insignitur, tamquam specificâ & indubitatâ polleret efficaciâ ad eumdem morbum debellandum. In Pharmacopoliis sic prostant spiritus, essentiæ, elixiria, &c, antapoplectica, antepileptica, antifebrilia, antipleuritica, antiscorbutica, &c, quæ omnia, licèt in quibusdam casibus usum habere possint, tamen etiam sæpe inutilia, imò & damnosa, sunt. Illi soli, qui Artem brevem esse vellent, quæ meritò ab *Hippocrate* (*b*) longa dicitur, nomini morbi oppositum in Dispensatoriis publicis remedium quærunt; túncque credunt, se egregiè Medici munere functos esse. Verùm Historia scorbuti, hactenus descripta ex fidelibus Observationibus, satìs docet, quàm diversa mala sub eodem nomine comprehendantur; & quàm varia medela requiratur in morbo hoc incipiente, vel confirmato, in scorbuto muriatico, vel putrido, ubi lenta tenacitas adest in humoribus, vel nimia dissolutio, ubi viscera adhuc integra sunt, vel jam tabefieri incipiunt, & sic de reliquis. Qui ergo feliciter hunc morbum tractare cupit, parùm confidat speciosis antiscorbuticorum remediorum titulis, sed solicitè causas prægressas indaget, signa diagnostica notet, quæ diversam acrimoniæ humorum speciem ac intensitatem designant, & inde Medendi Methodum eliciat, sícque prudenti Arte, manente quámvis eodem morbi nomine, diversa mala curet.

(*a*) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. VI. Tom. II. pag. 1113.

(*b*) Aphorism. Sect. I. n°. 1. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 1.



CACHEXIA.

§. 1166. CACHEXIÆ nomine intelligi solet ea dispositio corporis, quæ nutritionem ejus depravat per totum illius habitum simul.

Cachexia adesse dicitur, utì optimè *Celsus*, vertit, (*a*) *Ubi malus corporis habitus est.* Per corporis autem habitum intelligitur externa corporis species quam, dum Medicæ Artis etiam ignari vident degenerare à sanitatis consuetudine, dicunt simpliciter, hominem se malè habere, licèt non cognoscant evidenter, quodnam vitium adsit, vel quale viscus in tali homine affectum fuerit. Sic ubi à validis morbis resurgunt homines languidi & debiles, malo habitu totius corporis testantur quàm gravia mala passi fuerint: quámvis enim morbus superatus sit, tamen omnium viscerum functiones adeo adhuc languent, ut non possint ingesta alimenta deduci ad illam absolutam perfectionem, quæ ad restitutionem perditorum in solidis & fluidis partibus nostri corporis requiritur; adeóque depravatur nutritio per totum corporis habitum simul. Optimè hoc notavit *Aretæus*, dum dicit (*b*) καχεξία, *id est, malus habitus omnium simul vitiorum conversio est, si quidem ab omnibus morbis propagatur & emanat.* Loco enim ἀπότοκοι, mutato tantùm accentûs loco, ἀποτόκοι, pulcherrimè genuinum hujus loci sensum restituit *Petitus* (*c*), quod & confirmatur auctoritate *Celsi* dicentis, (*d*) *Quod ferè fit, cùm longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt.* Ut autem meliùs elucescat cachexiæ indoles, *Aretæus* oppositum huic morbo corporis statum describit, εὐεξίην nempe, id est, bonum corporis habitum, in quo homo bene se habet ad omnia, ad alimenti concoctionem & distributionem, ad sanguinis creationem, &c: (*e*) *Hæc consequitur facilis spiratio, validæ vires, floridus color, sed prima omnium sanitas: quòd si ad imbecillitatem* κακοχυμίης, *id est, vitiosorum corporis humorum, Natura conversa fuerit, id jam est cachexia.* Tunc enim respiratio ad motum corporis etiam levem anhela fit, vires debiles sunt, color malus. Semper enim cachexiam necessariò comitatur cacochymia, quæ vocatur quantitas illa, (*f*) *Humoris, quæ lædit functiones.* Degeneres enim à sanitatis conditionibus humores per vasa fluere in cachecticis, ipse malus color docet, & functionum plurium corporis læsio.

Simul etiam patet, malum habitum, sive cachexiam, plurimis illis mor-

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXII pag. 167.

(*b*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 46.

(*c*) Ibid. pag. 188.

(*d*) De Medicin Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.

(*e*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

(*f*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 719.

bis, inprimis chronicis, adesse; unde meritò dixit *Aretæus* (*a*), quòd malus habitus communis sit omnibus morbis, chronicis nempe, de quibus agit. An non v. gr; in scorbuto (vide §. 1151. n°. 2.) difficilis respiratio; crurum tumor, color pallido-fuscus, maculæ cutis, &c, cachexiam testantur? Unde *Olaus Magnus*, postquam scorbuti symptomata descripsit, addit sequentia; (*b*) *Vocatúrque vulgari gentis linguâ Schœrbuch, græcè cachexia.* Et alio in loco de malo victu, tamquam causâ scorbuti agens, dicit; (*c*) *Frigidi enim, ac indigesti cibi, avidiùs sumpti, morbum hujusmodi causare videntur, qualem Medici cachexiam universalem appellant.* Patebit autem ex sequentibus, cachexiam, licèt aliorum morborum prægressorum soboles sæpe sit, tamen & ex malo victu in sanis antea hominibus frequenter nasci.

§. 1167. ADEOQUE pro causa agnoscit vel liquidi nutrientis depravatam indolem quamlibet, vel vitium vasorum receptruorum, vel defectum facultatis applicantis.

Certum est, per ipsas sanitatis actiones quotidie perire de corpore nostro liquidorum copiam, & deteri partes solidas nostri corporis: adeóque ex conditione sua vivum corpus citò destrueretur, (*d*) *Naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus.* Requiritur ergo ad constantiam vitæ & sanitatis, ut tantum & tale in humoribus, solidísque, perpetuò restituatur, quantum & quale quotidie perditur: (*e*) *Hoc nutrire dicitur, & ipsa hæc actio nutritio.* Verùm hæc restitutio perditorum ex ingestis cibo & potu fieri debet, per ipsas vitæ & sanitatis actiones sic mutatis, ut fiant similes solidis & fluidis partibus nostri corporis. Cùm autem tota chylificationis Historia doceat, ingesta omnia in liquidum redigi, antequam nutriant; hinc materies nutrimenti liquidum dicitur nutriens, licèt & solidarum partium jactura inde resarciri debeat. Explosa dudum jam est sententia, quam tuebantur *Asclepiadis* æmuli, statuentes, (*f*) *Nihil concoqui, sed crudam materiam, sicut assumpta est, in corpus omne diduci.* Et contrà novimus (uti antea ad §. 1. monui ex *Galeno*), nihil illorum, quæ ingeruntur, habere adhuc indolem partium corporis nostri; (*g*) *Ideo fuit Naturæ necessarium, ea immutare, concoquere, & eadem alendo corpori similia præparare.* Si ergo non satis perfecta fuerit hæc immutatio ingestorum, tunc liquidum nutriens habebit depravatam indolem, nec inde restitui poterunt perdita. Hæc autem depravatio liquidi nutrientis poterit fieri, vel ab ingestorum indole, non satis facilè mutabili; vel à viribus immutantibus non satis validis, de quibus omnibus sequenti paragrapho dicetur.

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.
(*b*) Hist. gent. septentr. Lib. XVI. Cap. XI. pag. 570.
(*c*) Ibid. Lib. IX. Cap. XXXVIII. pag. 316.
(*d*) Cels. de Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.
(*e*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 436.
(*f*) Cels. de Medicin. Lib. I. Præfat. pag. 6.
(*g*) Lib. Hippocrat. de Aliment. Comment. II. text. VII. Charter. Tom. VI. pag. 245.

Præterea liquidum nutriens, licèt optimè elaboratum fuerit, debet distribui posse per omnia corporis loca, adeóque vasa, quæ illud deferent, debent apta esse huic recipiendo; unde & in his vasis vitium hærere poterit, de quo dicetur §. 1171.

Tandem assimilatum omnino, licèt fuerit liquidum nutriens, licèt vasa omnia pervia fuerint, debet moveri per vasa, debet applicari ad illa loca, quorum defectus supplendi sunt. Motus autem ille, qui distribuit per universum corpus liquidum nutriens, illúdque applicat singulis partibus, poterit esse nimis languidus, vel nimis violentus; de quibus agetur §. 1172.

§. 1168. HUMORIS depravatio oritur, 1°. Ab assumptis quæ à virtute mutante in nobis non possunt assimilari restituundis: qualia cibi farinacei, leguminosi, crassi, fibrosi, pingues, acres, aquosi, viscosi (69); corpora indigerenda, ut cespites, creta, arenæ, calx, &c. 2°. Ab defectu motûs animalis in otio, torpore, somno nimio. 3°. A vitiatis organis per debilitatem nimiam (41. 42. 43. 44.), aut nimium robur (50. 92.); liquidísve vitio non facilè medicabili (60. 69. 76. 106. 107. 406.). Hísce causam præbent multa, ut omnes secretiones nimiæ, qualescumque demum fuerint, vomitus, diarrhoea quælibet, dysenteria, hæmorrhagia quælibet, visceris singularis vitium scirrhosum, &c, retentio quælibet secernendi.

1. Constitit ex modò dictis, assumpta debere mutari in corpore nostro, ut ex his fiat liquidum nutriens. Ut autem hæc mutatio assumptorum fiat, debent illa posse superari à corporis nostri viribus immutantibus. Hinc ubi cibi tales ingeruntur, qui tenacitate viscosâ nimis cohærent, ut sunt multa farinacea, & legumina ipsa, fabæ, lentes, &c; vel cibi crassi & fibrosi, ut sunt carnes, fumo, sale, aere, induratæ; tunc vires viscerum chylopoieticorum non satìs ex his educere possunt omne solubile, ingestis, etiam copiosis, parùm nutrimenti acquirit corpus, & chylus ex his paratus, crudior, non satìs assimilatus, vel omnino non, vel difficulter, potest perduci ad ultimam perfectionem, quæ requiritur, ut assimiletur partibus solidis & fluidis corporis nostri. Ventriculus & intestina tunc gravantur indigestili materiâ, &, crudis humoribus sanguini admistis, degenerant omnia liquida à naturali sua indole; sícque malus habitus totius corporis sequitur, (*a*) *Cùm inusitatos, aut inutiles, cibos aliquis assumpsit.* Certum enim est, consuetudinem hìc multùm facere: constat enim ex Historia, integras gentes solis vegetabilibus & aquâ vixisse; alias solis ferè piscibus sustentari; quasdam carnibus & lacte, dum aliis in more est, quodvis ferè vegetantium & animalium genus lautissimis mensis adhibere. (*b*). Observationes jam quotidianæ docent, lan-

(*a*) Cels. de Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.

(*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 50.

guere homines, simulac simplicem victum, licèt ex difficilioris digestionis cibis paratum, cum lauta mensa permutant; unde dixit *Hippocrates*, utì aliâ occasione ad §. 173, monui, (*a*) *Consueta longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis molesta minùs esse solent.* Pinguia autem difficilis admodum digestionis sunt, & in ventriculo diu retinentur, túncque rancida fiunt, & sic pessimè nocere poterunt. Sani & robusti homines hoc sæpe experiuntur, si pinguiores carnes, & inprimis lardum, majori copiâ in prandio comederint; tunc enim vesperì eructant acre oleum, quod fauces ferè erodit, in ignem projectum luculentam flammam facit. Tamdiu hoc pingue in ventriculo, reliquis cibis jam ferè vacuo, manet indigestum, & nisi in duodeno copiosæ & acriori bili occurrat, quæ illud pingue saponaceâ suâ vi reddat aquæ miscibile, in reliquo intestinorum tractu cruditatem rancidam pessimam facere poterit. Cùm autem in sanissimis hominibus omnes humores blandi sint, chylus naturaliter nullam acrimoniam habeat, sed dulcis saporis sit, patet satìs, acres cibos multùm abesse ab indole nostrorum liquidorum, adeóque difficiliùs assimilari. De noxis acrium ingestorum plura dicta fuerunt ad §. 586. *lit.* α, & §. 1150, probatum fuit, scorbuticam humorum acrimoniam à talibus nasci. Aquosa autem nimiâ copiâ assumpta debilitando fibras solidas nocere, antea ad §. 30, constitit.

Si autem à difficilioris digestionis cibis cachexia nascitur, longè magìs hoc fiet, si depravato appetitu assumuntur talia, quæ nullo modo digeri possunt, utì cespites, &c. De hac re postea dicendum erit, ubi agetur de morbis virginum & gravidarum, in quibus talis appetitûs depravatio observatur quandoque.

Conferantur & illa, quæ §. 25. n°. 1, habentur de alimentis magìs tenacibus, quàm virium permutantium in corpore virtus est.

2. Constat ex Physiologicis, chylum ex ingestis paratum sanguini venoso permisceri, & adhuc diu suam indolem retinere, licèt unà cum sanguine per vasa & viscera corporis nostri circumducatur; tandem tamen octo vel decem horarum spatio chylum assimilari penitus humoribus nostris, neque ampliùs apparere in sanguine. Verùm in illis, qui inerti otio torpent, & somno indulgentes ferè nunquam orientem vident solem, languet muscularis motus, qui tantùm confert ad validam & expeditam sanguinis circulationem, utì antea ad §. 25. n°. 2, dictum fuit; unde illa assimilatio chyli tardiùs in talibus & minùs bene perficitur, adeóque sensim degenerantibus humoribus inducitur cachexia. Quotidiana Observata hanc rem confirmant. Dura messorum ilia quosvis cibos ferunt, & digerunt quàm felicissimè. Fessus à labore diurno domum redux rusticus pane atro, carnibus, aut lardo, fumo & sale induratis, famelicum replet ventriculum, moderatóque somno languida membra postquam refecit, surgit robustus & alacer ad solitos labores. Illi verò, qui divitiis affluentes largis quotidie fruuntur epulis, nec se ad labores credunt natos esse, perpetuis querelis Medicorum aures fatigant, dum volunt vivere sani, & nihil agere. Literati Viri, qui mentem acriter exercent, corpus verò minimè, impallescunt

(*a*) Aphorism. Sect. II. n°. 1. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 87.

libris suis, cachectici omnino. Nunquam autem citius & certius damnum sanitatis percipitur, quàm ubi laboriosam vitam subitò quis commutaverit cum otiosa : unde inter cachexiæ causas ab *Aretæo* optimè recensetur, (*a*) *Ab exercitationibus quies* . . . . , *& ab ingentibus laboribus otium.*

3. Requiri certum robur & determinatam cohæsionem in partibus solidis vasorum & viscerum corporis nostri, ut efficiant illa, quæ sanitatis & vitæ ratio postulat, antea paragraphis in textu citatis demonstratum fuit. Nimia enim debilitas vasorum & viscerum facit, ut minor actio sit vasorum in contenta fluida, adeóque minor mutatio & assimilatio chyli, qui cum sanguine per vasa fluit. Præterea ob eamdem rationem minùs elaborata erunt liquida, quæ ingestis in ventriculo & intestinis misceri debent, ut v. gr; saliva, bilis, succus pancreaticus, &c : unde etiam §. 44, ubi morbi ex debilitate nimia vasorum & viscerum oriundi recensentur, inter illos numeratur cachexia.

Sed & nimium robur vasorum ac viscerum inter causas hujus morbi numeratur, quia tunc tanta est cohæsio partium solidarum illa componentium, ut non cedant satìs liquidis impulsis; adeóque sic interrumpitur æquabilis sanguinis motus, & turbantur omnes secretiones. Verùm paulò pòst patebit, retentionem quamlibet secernendi, producere posse cachexiam. In paragraphis autem in textu citatis fusiùs de hac re dictum fuit.

Verùm & liquida possunt degenerare vario modo, ac quandoque vitiis affici, quibus non semper facilis medela inveniuntur. Sic videmus, infantes acido (§. 60.) laborantes non nutriri, sed cachecticos sensim contabescere; & noverunt satìs Medici, illud humorum vitium, ubi semel invaluerit, difficulter eradicari posse. Glutinosum (§. 69.) in primis viis aggestum impedimenta format chylo parando, perficiendo, secernendo (§. 71.); adeóque depravatur nutritio: si verò lentor talis glutinosus sanguinem jam infecerit, tunc omnia cachexiæ symptomata (§. 72.) producit. Ubi autem alcalinum putridum infecit humores (76.), ineptitudo ad nutriendum, aptitudo ad consumendum, producitur (§. 86.). A plethora (§. 106.), nisi in tempore solvatur per sanguinis missionem, sæpe etiam cachexia producitur, utì videmus in virginibus plethoricis, si menstruorum suppressione laborent.

Per obstructionem verò (§. 207.), cùm tollatur transitus liquidorum per canales, omnes functiones corporis possunt lædi (§. 120.), adeóque & hic morbus produci. Si autem in quodam loco corporis collecti hæserint humores, jam penitus à sana indole nostrorum fluidorum alieni, nec unquam illis assimilandi, tunc morâ & calore corporis attenuantur, simul acriores redduntur, & venis resorpti sanguinem inficiunt, illúmque nutritioni penitus ineptum reddunt. Ita à pure, in abscessu clauso diu relicto (§. 406.), producitur cachexia purulenta, difficulter curabilis, & nutritionis defectu totum corpus sensim contabescit. Si autem pus resorptum adeo funestum morbum producere valeat, quanta non fient mala à tabo gangrænoso, ichore cancri exulcerati, si & hæc in sanguinem resorbeantur?

Tota chylificationis Historia docet, utì antea ad §. 25. n°. 1, monitum fuit,

(a) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

præcipuam

præcipuam causam assimilationis ingestorum pendere ab eo, quòd pauculùm crudi ingesti misceatur maximæ copiæ humorum inquilinorum. Saliva enim inter manducandum miscetur cibis, deinde succus gastricus, utraque bilis, succus pancreaticus; &c, & chylus, tunc in intestinis resorptus per vasa lactea, in ductu thoracico miscetur maximæ parti lymphæ totius corporis; adeóque chylus in ductu thoracico jam pro maxima parte constat humoribus inquilinis: tamen ductus thoracicus guttatim adhuc chylum instillat venæ subclaviæ, qui torrente sanguinis venosi redeuntis à capite & utroque brachio abripitur, ac in cor dextrum defertur.

Ubi ergo, qualicumque de causa, minuitur insigniter copia humorum inquilinorum, assimilatio crudi ingesti minùs perficitur, adeóque depravatur nutritio, & cachexia inducitur. Omnium autem maximè hoc metuendum est, ubi subitis evacuationibus humorum copia imminuta admodum fuerit, ut in vulneratis; in mulieribus abortum, & simul validam uteri hæmorrhagiam passis; in cholera morbo, ubi intra paucas horas totum corpus ferè exinanitur: replenda quidem sunt hæc corpora, sed sensim, neque permittendum, ut multa simul & semel ingurgitent, licèt appetitu valeant. Idem notavit *Aretæus* de hoc morbo agens, dum dicit, (*a*) *Bene utique cibos appetunt, tametsi multos ingerant ac repleantur; crudi verò & non confecti digeruntur, quoniam alimenti elaboratio ad coctionem pertinens, debilis admodum atque invalida est.* Lentiores autem, sed frequentes, humorum evacuationes, copiam sanorum liquidorum minuendo, pariter cachexiam inducunt. Sic videmus illos, qui sudoribus nocturnis diffluunt, sensim contabescere. Ob eamdem rationem videtur *Celsus* damnasse frequentem purgantium usum dicens, (*b*) *Sed purgationes quoque, ut interdum necessariæ sunt, sic, ubi frequentes sunt, periculum adferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit.*

Sed & visceris singularis vitium scirrhosum meritò inter cachexiæ causas numeratur. Modò dictum fuit, tot humores concurrere ad chylopoiesin, & in diversis visceribus præparatos. Si ergo aliquod ex his visceribus in scirrhum induruerit, secretio liquidi, in hoc viscere præparandi, lædetur; adeóque deficiet aliqua ex conditionibus requisitis ad assimilationem crudi ingesti, quæ ergo minùs perfecta erit: hinc depravabitur nutritio plùs minúsve, prout diverso gradu læsa fuerit visceris affecti functio. A scirrhosa hepatis labe toties cachexia nascitur, præcipuè icterica; & cùm scirrhi, in visceribus latentis, tam difficilis cura sit, imò vix possibilis, ubi confirmatus fuerit, patet satìs, cachexiam à tali causa natam vix eradicari posse. Unde meritò monuit *Aretæus* sequentia: (*c*) *Scirrhi in liene geniti discussiones non facillimæ sunt: quòd si & ab hoc oriundi morbi proveniant, utpote aqua intercus, aut malus habitus, insanabile malum effectum est.* Ideo etiam periti Medici, ubi aliam manifestam cachexiæ causam nullis signis detegere possunt, scirrhum in visceribus latere meritò suspicantur.

(*a*) De Cauf. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

(*b*) De Medicin. Lib. I. Cap. III. pag. 31.

(*c*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XIV. pag. 128.

Cùm autem in corpore ſano quædam excerni debeant ſtatis temporibus, ſi retineantur illa in corpore, depravatur liquidorum indoles, ita ut inepta fiant nutritioni corporis. Hoc videmus manifeſtè in menſium ſuppreſſione, ubi bonus ſanguis abundans retinetur, & retentus ſenſim degenerat adeo, ut in cachexiam incidant pallidæ totæ & tumidæ factæ mulieres. Viris multis conſueta eſt ſanguinis evacuatio per hæmorrhoides; verùm & ab hac evacuatione ſuppreſſa, præter plura alia mala, ſolet cachexia ſequi; quod notavit *Aretæus* dicens, (*a*) *Labis hujus cauſæ ſunt, & ab hæmorrhoidibus, quas vocant, venis effluvii ſuppreſſio; & uſitatorum vomituum retentio, & ab exercitationibus quies; & ſudorum exſiccatio; & ab ingentibus laboribus otium. Quando enim horum ſingula, quæ aderant, non ampliùs revertuntur, tunc ſequitur corporis gravitas, pallor ſubinde repetens, venter flatibus refertus, oculi concavi*, &c. Præterea morboſæ quandoque excretiones obſervantur, per quas noxium educitur de corpore, quod imprudenti medelâ cohibitum multa mala & cachexiam inducit. Junioribus ſæpe tota cutis capillata capitis exulcerata plorat liquidum ſatìs acre, quod in cruſtas concreſcit quandoque admodum denſas: ubi his cruſtis areſcentibus & compactis impeditur exitus illius acris humoris, vel per adſtringentia, & inprimis per plumbata remedia, ceruſſam, acetum lithargyrii, &c, ſic conſtringuntur vaſa cutanea, ut illud ampliùs exire nequeat, convulſiones, ophthalmiæ, aſthmata, quandoque ſequuntur; & ſi ex his malis emergant, cachectici languent miſelli infantes, donec, vel ſponte, vel per Artem, reſtituatur illa excretio. Idem vidi contigiſſe, dum annoſa crurum ulcera, copiam acris ſeri quotidie plorare ſolita, exſiccantibus remediis tractabantur.

§. 1169. **P**ATET verò, has cauſas ſemel poſitas, vel minuendo ſolida, vel infarciendo ea liquidis libere transfluere ineptis, agere; unde duplex notabilis hujus mali effectus, tabes ſcilicet, vel leucophlegmatia, & hydrops anaſarca.

Certum eſt, per vitæ & ſanitatis actiones ſolidas partes corporis noſtri deteri: ſi enim ipſum durum lapidem guttula aquæ delapſa excavare poſſit, non vi, ſed ſæpe cadendo, an non longè major effectus exſpectari debet, dum quater mille vicibus intra horæ ſpatium humores, vi cordis pulſi, incurrunt in latera canalium convergentium, & tranſire debent per ultimos fines arteriarum, qui in pluribus viſceribus molles pulpoſi ſunt? Obſervamus, epidermidem deteri quotidie, & renaſci illud quod perierat. Demonſtrat Chemia, in ſaliva ſolidi quid contineri, ita & in bile, & longè plùs in urina: procul dubio & cum fæcibus alvinis ſolidarum partium detrita ramenta exeunt, dum interior tunica inteſtinorum adeo tenera eſt, & villos pendulos in cavum inteſtinorum habet, unde villoſa vocata fuit; qui villi adeo molles ſunt, ut, niſi liquido immerſa ſuſtineantur, informis muci ſpecie appareant. Verùm illa interior ſuperficies inteſtinorum per motum pe-

(*a*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

ristalticum ad contenta apprimitur, adeóque & deteritur. Præterea meconium, in toto tractu intestinorum quandoque in fœtu repertum, satis solidum, à fæcibus humorum, qui in intestina deferuntur, natum, demonstrat pariter, solidas partes corporis per ipsas vitæ actiones detrimentum pati, quod per nutritionem reparari debet; quæ ergo si deficiat, solida debent minui. Demonstratur autem in Physiologicis (*a*), restaurationem partium solidarum fieri per ipsos humores, qui per vasa fluunt, & continent in se abundantes tales particulas, quales fuerunt, quæ à solidis secesserant. Si ergo à sanitatis legibus omnino recesserint humores, non habebunt illas dotes, quæ ad restitutionem perditorum in solidis requiruntur. Observamus autem in sano sanguine, ejúsque sero, plasticam quamdam tenacitatem; utì & in secretis à sanguine humoribus, quæ videtur requiri, ut particulæ nutrientes hæreant locis, quibus applicantur. Videmus præterea, quòd, ubi nimis attenuantur humores, deficiat nutritio & contabescat totum corpus. Pállidi, exhausti, macilenti, resurgunt à salivatione mercuriali, dum per vim argenti vivi totus sanguis solutus fuit, licèt plùs potent liquidi nutrientis, quàm exspuant. Ubi jam à quacumque causa depravatam nutritionem comitatur humorum nimia tenuitas, tunc illi elabuntur de corpore quandoque per sensibiles, aliquando per insensibiles evacuationes, quandoque subitò, aliquando sensim. Ubi per vomitum, alvum, urinam, confertim exeunt, pro diversis evacuationibus varia nomina acceperunt tales morbi, diarrhœæ, diabetis, choleræ, &c. Verùm ubi per insensibiles evacuationes, vel & sudores, sensim sic exeunt humores de corpore, & deficiens nutritio non restituit perdita, lento marasmo perit corpus, quem morbum & tabem siccam vocaverunt, & atrophiam simpliciter; quam *Fernelius* distinxit à cachexia, in qua (*b*) *Plena satis atque copiosa corporis moles est: at verò tum substantiâ, tum colore vitiosa:* atrophiam verò dixit, (*c*) *Quum lentè ac pedetentim, nullâ prægressâ causâ, id sumpto alimento non alitur.* Hæc tabes, Anglis satis familiaris, cùm lentè depascat corpus, consumptio appellatur; de qua dixit *Benedictus:* (*d*) *Tabidorum languor, sine pulmonum aut visceris cujuslibet corruptela, tacitâ vi obrepens, Anglis infestissimus est, &, nisi primis obediverit remediis (quod rarissimè evenit), funestùs.*

Frequentiùs autem contingit, cachexiam comitari album totius corporis tumorem, quem leucophegmatiam Medici vocaverunt, vel etiam hydropem anasarcam; quia panniculus adiposus, musculis superimpositus, & inter eorumdem interstitia locatus, accumulato aquoso humore turget; de quo in capitulo *de Hydrope* dicetur. Probatum enim fuit §. 25, impeditam ingestorum assimilationem in naturam liquidi vitalis sani facere debilitatem & laxitatem nimiam fibrarum solidarum, inde sequi, §. 26, extensionem facilem vasculorum his fibris conflatorum, atque tumorem. Præterea §. 69, demonstratum fuit, debilitatem vasorum & viscerum causam esse, à qua iners

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 463.
(*b*) Patholog. Lib. VI. Cap. VIII. pag. 150.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Theat. Tabidor. ad Observation. ἐπαγγαγεῖν Spectant. pag. 109.

& frigidus lentor in corpore nascitur, qui tumorem album, sive λευκὸν φλέγμα Veteribus (*a*) dictum §. 72, producit. Hunc autem cachexiæ effectum & *Aretæus* (*b*) & *Celsus* (*c*) pariter notaverunt.

§. 1170. QUIN & pro vario colore, mole, tenacitate, acrimoniâ, fluiditate liquidi infarcti varii admodum morbi, ut cachexiæ effectus, prodire solent: cutis, scilicet, albitudo, pallor, flavedo, lividitas, rubedo, viror, nigritudo, fuscus color; gravitas; tumor sub oculis, & partium tenuissimarum; flatus, œdema partium à corde remotarum; cordis arteriarúmque palpitationes, ad minimum motum admodum auctæ; urinæ crudæ, tenues; sudores spontanei, aquosi planè; tandémque marcor, vel leucophlegmatia & hydrops.

Cacochymiam semper comitari cachexiam, antea ad §. 1166, dictum fuit: verùm hæc cacochymia diversa admodum observatur in cachecticis, adeóque & varios effectus producet, & distinctis signis se prodet prout degenerantes à sanitatis conditionibus humores tenacitate aut fluiditate, vel diversâ specie & gradu acrimoniæ, peccaverint. Cùm autem, (*d*) *Floridus color* boni habitûs signum ab *Aretæo* meritò statuatur, utì pariter ad §. 1166, monitum fuit; diversus cutis color in malo habitu aderit, & quidem in variis cachecticis varius. Licèt autem in tota cute coloris mutatio appareat quandoque, omnium tamen facillimè distinguitur in illis locis, ubi vasa, nuda ferè, nullâ cute tectâ apparent, & simul tam tenues tunicas habent, ut color liquidi, vasis contenti, transluceat: hæc obtinent in canthis oculorum, internâ superficie palpebrarum, labiis, ore interno, faucibus, &c, utì aliâ occasione sæpius jam monitum fuit. Ob hanc causam periti Medici hæc loca sedulò lustrant, dum in sanguinis & humorum indolem inquirunt. Alibi (vide §. 97.) conatus fui, ex Observatis *Malpighianis* de ovo incubato deducere varias illas mutationes & colorum diversitates, quas subit liquor per vasa pulli motus, dum in sanguinem vitalem mutatur. Patuit tunc, utì in pullo nascente, per calorem incubatûs, motum humorum per vasa, vim cordis, & aeris conspirantem actionem, nascebatur intra quadraginta octo horas sanguis ruber, cujus nullum vestigium nec in ovo, nec in pullo, præexstiterat; sic etiam in humano corpore per similes causas, sed validiores, produci sanguinem rubrum ex ingestis breviori tempore. Verùm ubi vel ob causas assimilantes debiliores, vel ob materiam nutrimenti difficiliùs mutabilem, non potest elaborari alimentum ad perfectionem boni sanguinis usque, illa pars rubra sanguinis vel non conficitur, vel non tantâ copiâ, quantâ requirebatur ad restitutionem perditi. Tunc albe-

(*a*) Hippocrat. Lib. de Affection. Cap. v. Charter. Tom. VII. pag. 625: Confer. Aphorismor. Sect. VII. n°. LXXIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 336.

(*b*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I Cap. XVI. pag. 47.

(*c*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.

(*d*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

do ob defectum partis rubræ sequitur, utì videmus post validas hæmorrhagias etiam in sanis antea & robustis hominibus fieri. Cùm autem serum sanguinis flavescat naturaliter, si illud nondum in morbosam tenuitatem degeneraverit omnino, & colorem suum amiserit, tunc deficiente parte rubrâ, color pallidus apparet, ab albedine declinans in dilutam flavedinem, quod inprimis in oculorum canthis apparet in virginibus chlorosi laborantibus. Aliquando videmus etiam totum corpus ex flavo viridescente colore perfundi in tali morbo, licèt urina cruda & decolor nullum signum det cacochymiæ ictericæ: imò quandoque & subfuscus color apparet, absque cacochymia atrabilaria. Utì enim in ovo incubato liquor, in sanguinem rubrum mutandus post quadraginta octo horas, primò colorem subviridescentem habet, dein ferrugineum; sic videtur in debilibus cachecticis corporibus contingere, ubi chylus non quidem in perfectionem sanguinis rubri elaboratur, sed in vicino assimilationis gradu subsistit. Considerans hæc *Galenus*, utì alio in loco §. 75. n°. 5, notavi, noluit (*a*) evacuari debere illud semicoctum alimentum, sed retinendum esse in corpore, & perficiendum ulteriùs; dum nempe per motum, frictiones, aliáque remedia, augetur actio vasorum in fluida contenta, sícque obtinetur perfecta assimilatio, quæ antea defectuosa erat.

Ubi autem cacochymia biliosa vel atrabilaria cachexiam comitatur, tunc aliæ colorum mutationes fiunt, de quibus videantur illa, quæ ad §. 1094, habentur. Quámvis autem color ruber plerumque index sit boni sanguinis, tamen ubi tenuis magìs sanguis est, tunc simul plerumque acrior, & tenera admodum est vasorum compages, unde in genis sæpe roseus color apparet, licèt corpus sensim contabescat, utì fit in illis, qui in phthisin inclinant, utì postea ad §. 1198, patebit.

Cùm autem requiratur bonus sanguis, ut per encephali fabricam inde separetur subtilissimum illud fluidum nerveum, quod musculari motui perficiendo servit, & in cachecticis omnes humores à sanitatis conditionibus degenerent, deficiet & illud fluidum nerveum vel copiâ, vel non habebit omnes dotes requisitas. Unde illa alacritas ad motum, quæ in sanis adest, deficit, & vix trahunt languida membra cachectici. Præterea observatur, quòd simul ac libera sanguinis circumductio per vasa partis cujusdam corporis impeditur, statim illa pars gravis sentitur: sic ex. gr; si brachium valida phlegmone occupet, instar plumbi grave percipitur. Cùm autem cachexiam frequenter comitetur glutinosa iners & frigida cacochymia humorum, quæ facit difficiliorem transitum liquidorum per vasa, inde & alia causa gravitatis membrorum percipitur.

Prima ferè tumoris leucophlegmatici indicia apparere solent in laxissimis illis sub oculis partibus, quas ὑπώπια & ὑποφθάλμια dixerunt veteres Græci. Ob perpetuam enim mobilitatem, quâ indigebant bulbi oculorum, debebant omnia vicina facillimè cedere posse, hinc esse laxissima. In sanis hominibus, dum à somno evigilant, videmus has partes plùs minùs tumere, qui tumor tamen brevì evanescit, dum oculi leviter fricantur, utì omnes à somno evigi-

(*a*) Hippocrat. de Aliment. Comment. III. text. XIV. Tom. VI. pag. 255.

lantes facere solent: simul erecta in vigilantibus corporis positura, & musculorum faciei adjacentium, utì & palpebrarum, motus faciunt, ut brevì dissipetur omne, quod in tenerrima tunica cellulosa sub oculis collectum hæserat. Verùm in leucophlegmaticis, ubi omnia laxiora sunt, & major humorum visciditas, manet ille tumor, nec integre dissipatur diurno tempore.

Quia verò & conditiones requisitæ ad bonam chylopoiesin languent in hoc morbo, hinc ingesta non satìs immutantur, sed, spontaneâ degeneratione, vel in fermentationem, vel in putredinem, vergunt; unde abundantia flatuum nascitur, utì aliâ occasione ad §. 647, demonstratum fuit.

Notum est, humores, venis contentos, propelli per illas versùs cor illo motu, quem ab arteriis acceperant. Verùm cùm venæ non pulsent, & in decursu suo semper latiores fiant, retardatur necessariò humorum, ex arteriis in venas venientium, motus. Unde in plurimis corporis locis videmus, venas arteriis contiguas esse, ut turgentes arteriæ in sua diastole premant vicinas venas, sícque humorum motum per illas promoveant. Præterea musculi agentes, dum turgent, premunt omnes venas illis incumbentes, vel inter illos decurrentes; sícque plurimùm adjuvant venosi sanguinis motum. Verùm in cachecticis languet cordis & arteriarum actio, motus musculares vel omnino non, vel admodum languidè exercentur; adeóque desunt illa adminicula, quæ expeditum humorum venosorum ad cor reditum procurant. Majores venæ hinc vix deplentur, & minores lymphaticæ venæ, quæ ex cavis majoribus & minoribus corporis lympham, arteriis exhalantibus expulsam, resorbere debebant, cùm non possint depleri facilè in majores venas nimis plenas, non resorbent omne, quod eructant arteriæ exhalantes; hinc incipit turgere tunica cellulosa aquosis humoribus, sícque œdema nascitur; inprimis in partibus à corde remotis, quia ibi, cæteris paribus, semper tardior circulationis motus est. Inde fit pedum tumor, maximè si erecti stant diu, vel sedent pendulis pedibus; tunc enim contra gravitatis nixum adscendere debent humores. Ubi verò in lecto decumbunt, tunc ob horizontalem situm corporis faciliùs ab extremis partibus corporis sursum redire possunt humores venosi, dum simul etiam lecti tepor fluidiorem reddit lympham, quæ in tunica cellulosa aggesta hæret; œdematosi enim pedes simul & sunt frigidi. Optimè hæc omnia observavit *Aretæus*, dum notavit venas repletas tumere in cachecticis, dicens, (*a*) *Venæ in temporibus elatæ apparent: partes enim quæ circumjacent, emarcuerunt. Verùm & in brachialibus longè grandiores inflatione venæ redditæ sunt.* Paulò antè autem habet sequentia: (*b*) *Stantibus pedes tibiæque intumescunt, decumbentibus autem partes declives atque jacentes: quòd si decubitum mutaverint, tumor in illas decumbentes partes devolvitur, humidique aut frigidi in gravitatem fit circuitus.*

Cùm autem cor sinistrum nihil expellere possit in aortam, nisi quòd priùs

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. xvi. pag. 47. 48.

(*b*) Ibid. pag. 47.

à corde dextro receperit, & cor dextrum parùm accipiat ob tardiorem motum sanguinis venosi, hinc patet ratio, quare pulsus debilis & languidus sit. Simulac verò corpus movere incipiunt, venæ plenæ, à musculis agentibus pressæ, subitò movent humores contentos versùs cor dextrum; quod tunc obruitur, qui tantùm non potest transprimere per pulmonem, quantùm venæ adferunt; unde fit cordis palpitatio, & respiratio laboriosa ac difficilis: quæ omnia & apud *Aretæum* (*a*) pulchre notantur. Quàm periculosa autem mala fieri possint, dum stagnantia subitò in motum deducta, cor & pulmones obruunt, alibi §. 871, dictum fuit, ubi de peripneumonia notha agebatur.

In hominibus robustis sanis urinæ coloratæ sunt, & sedimentum deponunt; in cachecticis urinæ vix coloratæ, hinc crudæ dictæ, & tenues prodeunt, dum omnes functiones in his languent, & sæpe tanta debilitas circulationis in his est, ut non possint liquida, per transpirationem insensibilem expellenda, per ultimos fines arteriarum cutanearum exprimi. Unde tunc, (*b*) *Corpore squalent, sudore carentes, & pruriginosi*; quia unà cum perspirabili liquido exeunt de corpore acria subtilia, quæ nunc in cute retenta pruritum excitare possunt. Imò, (*c*) *Nonnunquam accidere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera, summa cutis exasperetur.* Observatur autem, quòd cutis exhalatione impeditâ, augeatur urinæ copia, quæ tunc cruda & tenuis exit, dum subtile illud liquidum, quod solebat per ultimos fines arteriarum cutanearum difflari de corpore, urinam diluit. Hinc *Galenus*, postquam dixerat, urinam exactè ostendere conditionem sanguinis in vasis contenti, subjungit, (*d*) *Ergo ubi crudus planè is* (sanguis) *est, utique tenuis aquosáque urina cernitur, nihil nec quod subsideat, nec quod pendeat, in se habens.* Et *Hippocrates* dixit hominem, (*e*) *Non posse renutriri, quamdiu talia urinam faciunt.* Ubi autem copiosa talis secedit urina, potûs quantitatem superans, vel spontanei sudores abundant, tunc sensim exhausto corpore sequitur immedicabilis marasmus: si autem non exeant de corpore, sed maneant, accumulantur in cavis majoribus corporis, vel in tunica cellulosa; túncque leucophlegmatiam vel hydropem producunt, utì præcedenti paragrapho dictum fuit.

§. 1171. VITIUM vasorum recepturorum bona liquida nutritia universale fingi vix potest ullum; tamen nimia contractilitas & laxitas, atque inde pendentia vitia, pro caussis admitti possunt: de quibus actum (24, ad 58.).

Dum chylus, ex ingestis alimentis natus, sanguini mistus, per vasa fluit, actione vasorum in contenta liquida perficitur, ut fiat bonum liquidum nutritium, utì *Loweri* & *Walaei* Experimenta docuerunt; adeóque, dum

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Cels. de Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.
(*d*) De Sanitat. Tuend. Lib. IV. Cap. IV. Charter. Tom. VI. pag. 121.
(*e*) Prædict. Lib. II. Cap. IV. Charter. Tom. VIII. pag. 813.

adest liquidum bonum nutritium, sequitur necessariò, quòd & vasa, quorum efficaciâ illud liquidum paratum fuit, omni notabili vitio caruerint; adeóque patet, vitium universale in vasis non posse adesse, quamdiu liquida bona sunt.

Verùm quidem est, quòd nimia contractilitas, vel laxitas, in vasis observari possit, de quibus antè ad numeros hîc citatos dictum fuit, sed & simul constitit, humores brevì degenerare à sanitatis conditionibus, dum vasa, vel nimis laxa, vel nimis stricta sunt. Particulare quidem impedimentum adesse potest in quibusdam vasis, recepturis materiam nutritiam; ut dum v. gr; oscula vasorum lacteorum, in intestina hiantium, à quacumque causa impediuntur; vel cisterna lumbaris, aut ductus thoracicus in suo decursu, à tumore vicino comprimitur. Talis casûs apud *Warthonum* legitur de generoso Viro, qui in flore ætatis, ex equo delapsus, validam lumborum contusionem passus fuit, & post varia mala tolerata totus emaciatus, tabe confectus, periit. In cadavere inventus fuit tumor septem librarum, solidæ substantiæ, circa mesenterii exortum: (*a*) *Involvebat autem in sua mole, arteriam magnam, venam cavam, vasa emulgentia, plexus nerveos, renes succenturiatos, & glandulas lumbares. Longus erat, pedem unum, latus sex pollices, crassus quinque.* Videtur autem admodum probabile, quòd tantæ molis tumor, in tali loco hærens, impediverit chyli & lymphæ iter per cisternam lumbarem & ductum thoracicum, materiam ergo nutritiam, vel integre, vel saltem magnâ parte, interceperit; simúlque effecerit, quominus lympha commodè in ductum thoracicum potuerit venire, chylúmque diluere, antequam sanguini mistus per pulmonem fluxerit; & ideo fortè varia tubercula in pulmone nata fuerunt, quæ erant similis substantiæ, ac tumor ille in abdomine repertus.

§. 1172. DEFECTU facultatis applicantis nutritio universalis impeditur; si vires circulantes sunt nimis languidæ, vel nimis violentæ (92, ad §. 107.)

Licèt autem liquidum nutritium bonum & vasa omnia pervia fuerint, nec nimis laxa, nec nimis rigida; facilè patet, ad nutritionem requiri, ut ad singula loca corporis nutriendi deferatur liquidum nutriens, & particulæ defectum perditorum restauraturæ applicentur illis locis, in quibus hæc jactura facta est. Ad hoc autem motus liquidorum requiritur, & quidem adeo moderatus, qualis in perfecta sanitate adest; tunc enim observatur, quotidie corpori reddi tantùm & tale, quantùm & quale per ipsius sanitatis actiones perierat. Si motus languet, tunc plura manent in corpore, quæ secedere debuissent & expelli; nec debitâ vi moleculæ liquidi nutrientis applicantur ad loca, quæ debebant restaurari (*b*): unde corpus

(*a*) Adenograph. Cap. XI. pag. 51.

(*b*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 462, & sequ.

repletur

repletur quidem, ſed non bene nutritur, nec in debito conſervatur robore. In ſtabulis quieſcens equus, lauto abundans pabulo, repletur & pingueſcit, ſed ad labores invenitur minùs validus, quàm dum moderato curſu exercetur. Et contrà nimio exercitus labore equus macilentus redditur, & tandem debilis omnino, dum per motum nimis validum plùs quotidie de corpore perit, quàm redditur per alimenta aſſumpta. Ubi enim nimiâ rapiditate humores moventur per vaſa, tunc major fit attritus ad vaſa, adeóque plura deteruntur; ſimul non datur tempus, ut liquidi nutrientis moleculæ applicentur locis, ubi ſimiles particulæ deficiebant, dum nimis accelerato motu prælabuntur illico. Hinc intelligitur ratio, quare in morbis, in quibus languet circulatorius humorum motus, tumeant corpora; & contrà in morbis, quos comitatur febris acuta, tantùm pereat de corporis mole, ut videamus, ſuccis plenos & obeſos homines intra quatuordecim dies reddi exſuccos & macilentos per febrim acutam continuam, à qua reſurgunt debiles. Simul etiam notandum eſt, quòd per nimis languidum, aut nimis celerem, humorum per vaſa motum brevì degenerent liquida, & ad debitam nutritionem minùs apta reddantur. De exceſſu autem & defectu motûs circulatorii antea, ad numeros in textu citatos, actum fuit.

§. 1173. EX quibus diagnoſis morbi facilis: prognoſin firmat conſideratio cauſæ, durationis, effectûs, gradûſque mali.

Diagnoſis cachexiæ facilis eſt, cùm externa corporis ſpecies, à ſanitatis conſuetudine degnerans, etiam Artis Medicæ imperitis hujus morbi præſentiam teſtetur; utì ad §. 1166, dictum fuit. Verùm ad §. 1169, monitum fuit, duplici modo malum corporis habitum, ſive cachexiam, à bono corporis habitu, qui in ſanitate adeſt, recedere. Vel enim ſenſim pereuntibus liquidis & ſolidis partibus corporis, nec reſtitutis per nutritionem, exſuccum contabeſcit corpus; túncque multi Medici maluerunt atrophiam, marcorem, maraſmum vocare, aut & ſiccam tabem. Vel contrà turget corpus humoribus, ſed crudis, & à ſanitatis legibus omnino degenerantibus, tunc totus corporis habitus tumidulus eſt, ſimúlque vitiatus color cutis externæ, utì & reliqua ſigna, adſunt, quæ §. 1170, enumerata fuerunt, adeóque hîc non repetenda.

In prognoſi autem hujus morbi ad plura attendendum eſt: variat enim ratione *cauſæ*. Ubi v. gr; à malo victu (§. 1168. n°. 1.) ortum duxerit cachexia, per purgantia, aut vomitoria, prudenter adhibita, ſi expellatur indigeſtorum ſaburra, in primis viis hærens, & deinde bono utantur victu tales ægri, reſtituuntur feliciter. Patet hoc in urbibus obſeſſis, ubi ob annonæ penuriam incongruo coguntur uti victu, & multi cachectici fiunt; obſidione ſolutâ, bonis refecti cibis, reſtituuntur plurimi: ſoli illi ferè pereunt, quorum viſcera corrupta ſunt, vel qui nimis avidè ingurgitant cibos, etiam optimos; tunc enim nimiâ alimenti copiâ debiles vires opprimuntur,

non inſtaurantur. Magnum hominum numerum in hunc morbum incidiſſe novi ante paucos annos, dum, annonæ penuriâ preſſi, pane uti cogebantur, ex furfuribus copioſis, farinâ paucâ, arborum corticibus, ſcobe ligni, parato. Poſtquam autem optima cerealia ſubminiſtrata fuerunt miſeris illis, emerſerunt plurimi. Ita pariter, ubi à defectu motûs animalis morbus ſubrepit ſenſim, curantur omnes qui iners otium cum vita laborioſa permutare ſuſtinent. Dum circa tempus pubertatis cachecticæ virgines pallido ſic dicto morbo laborant, intra paucas ſeptimanas curam promittere ſemper auſus fui, & ſtabilem ſanitatem, modò vellent renatas ex limaturæ ferri uſu vires ſalubri corporis motu conſervare, & à potibus aquoſis tepidis abſtinere, qui robur ſolidarum partium corporis enervant. Verùm huic conſilio non ſemper morigeras eſſe tales ægras, inprimis opulentiores, dolent ſæpe Medici. Ubi autem à vitio viſceris cujuſdam purulento, ſcirrhoſo, &c, cachexia oritur, tunc non poteſt ſanari morbus, niſi cauſa tollatur; quod difficillimum eſt, & ſæpe omnino impoſſibile, adeóque tunc & mala ſequitur prognoſis.

DURATIONIS autem ratione pariter variat prognoſis: facilè enim ſuperatur in initio, niſi ab immedicabili cauſa oriatur morbus, dum humores à ſana indole incipiunt recedere, nondum tamen penitus degeneraverunt. Ubi enim hoc factum eſt, tunc meritò *Aretæus* hanc ſtatuit prognoſin: (*a*) *Valetudo hæc vix ſanabilis eſt, malúmque longiſſimum, longo enim tempore acquiritur, neque ab uno corporis vitio, neque ab uno viſcere prodiens, ſed omnium eſt in deterius converſio. Quocirca ab hac enaſcentes morbi inevitabiles ſunt, ut puta aqua inter cutem, aut phthiſis, aut* ξύντηξις, *id eſt, colliquatio: ſiquidem & mali habitûs cauſæ colliquationis* (cauſis) *germanæ ſunt.* Ubi enim omnes humores morboſi ſunt, omnium viſcerum functiones admodum labefactatæ, languidam vitam trahere poſſunt miſeri, ſed tot malis tandem ſuccumbere debent.

EFFECTUS autem conſideratio pariter ad prognoſin requiritur, prout horum illorúmve viſcerum functiones magìs læſæ fuerint. Si autem v. gr; cachecticis accedat vertigo, memoriæ imbecillitas, tremor, ſomnolentia, metus eſt, ne lenti, vel & aquoſi humores, in encephalo incipiant accumulari; unde apoplexiæ metus inſtat; utì dictum fuit pluribus §. 1010. n°. 2, *lit. γ*. Si ad minimum corporis motum anhelare incipiant, & ferè ſuffocentur, pectoris cavum ſimilibus repleri concluditur, vel & ipſum pulmonem: quàm ancipitem autem eventum talia mala habeant, poſtea ad §. 1219. 1220, patebit. Notaverat *Aretæus* edaces quandoque eſſe cachecticos, & tunc videtur adhuc meliorem curæ ſpem habuiſſe: verùm, cùm crudis ſuccis, (*b*) *Omne corpus refertum fuerit, & ciborum appetentia evaneſcat, ſic malo habitu uſque ad ventriculum graſſante, & affectu jam ſummam potentiam obtinente, tum ſanè tumidi fiunt, imbecilli, & ad omne opus abjecto proſtratóque animo*, &c, tunc funeſtum morbi exitum credidit inevitabilem.

(*a*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

(*b*) Ibidem.

GRADUS autem cachexiæ ex duratione morbi & effectibus observatis definitur.

Præterea optimè notavit *Aretæus*, varias ætates in prognosin considerandas esse: (*a*) *Ætates hujus morbi feraces sunt inprimis senectus, neque mortem evadunt: pueri, & celeriter pati idonei sunt, & liberantur faciliùs: florentes ætate haud ita valde huic malo patent, non tamen penitus facilè sanantur.* Observationes Practicæ hoc etiam confirmant: senes enim, licèt sani, tandem vergunt in marasmum senilem immedicabilem (vide §. 55.). Et monuit *Hippocrates* sequentia: (*b*) *Senes juvenibus quidem plerumque minùs ægrotant: quicumque verò illis morbi diuturni oboriuntur, cum iis frequentiùs simul intereunt.* Voraces pueri sæpe cachectici fiunt, sed liberatis à saburra aggesta primis viis, dein bonâ diætâ, & lenibus roborantibus, solent plerumque restitui, nisi neglectum ab initio malum altiores jam radices egerit. In florenti autem ætate, vegeto & firmo jàm corpore, vix, nisi à gravioribus causis cachexia inducitur, & hinc non semper facilè sanantur.

§. 1174. QUIN patet etiam, curationem quidem requirere 1°. Aliquando nimis acris, fluidíque mitigationem, inspissationémque modicam. 2°. Tenacis, hærentísque, dissolutionem atque fluxilitatem. Sed quum à tam variis causis hæc duo oriri queant (1168. 1169. 1170.), inprimis necessarium esse pro harum diversitate variare & medicamenta, & modum his utendi.

Consideratis illis, quæ spectant causas cachexiæ, ejus effectus varios, hujúsque morbi diagnosin & prognosin, sequitur, ut de curatione agatur. Verùm uti ex præcedentibus patuit, quandoque in cachexia humores sic degenerant, ut tenuiores redditi non coerceantur vasis, sed per varias vias elabantur de corpore, sícque marasmum inducant: contrà verò frequentiùs contingit, ut viscidiores solitò humores impediant liberum motum per vasa, vel saltem difficiliorem reddant; unde vel stagnando in cavis majoribus & minoribus corporis, vel vasa distendendo, corpus tumere faciunt. Duplex ergo est indicatio curatoria in hoc morbo, atque utraque hæc considerationem meretur.

1. Fuerunt quondam Medici in illa sententia, uti sæpius dictum fuit, humores nostros non posse peccare nimiâ tenuitate, cùm tenues humores liberrimè per vasorum angustias transire possint; adeóque credebant, sic expeditissimam humorum circulationem obtineri. Hinc inculcabant omnibus, ut perpetuò diluerent sanguinem aquosis tepidis potibus, & in his reponebant summam prophylaxin ad omnes morbos. Inde tanta encomia potûs theæ, caffeæ, &c, apud *Bontekoum* & alios leguntur. Verùm quotidianæ Observationes Practicæ docuerunt Medicos, & inprimis illos, qui apud Bata-

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor, Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI pag. 48.

(*b*) Aphorism. Sect. II. n°. XXXIX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 79.

vos Medicinam exercent, ubi abusus potûs aquosi, tepidi, copiosi admodum invaluit, nullam observari frequentiorem causam cachexiæ, quàm perpetuam potûs aquosi tepidi ingurgitationem: minùs inde afficiuntur, qui valido corporis motu difflant quotidie illud aquosum ingestum, & corporis exercitio robur addunt fibris solidis, cæteroquin ab aqua tepida brevì nimis laxis futuris (vide §. 35. n°. 3.). Verùm mulieres, inprimis sedentariam vitam agentes, pallido inde laborant morbo, menstruis copiosissimis diffluunt, steriles quandoque redduntur, ob perpetuum ferè fluorem album, madescente semper flaccido utero; vel si conceperint, frequentes abortus patiuntur. Non consideraverunt illi Viri, qui humorum perpetuam attenuationem adeo laudabant, liquidorum sanorum indolem: in sanissimis & robustis hominibus sanguis densus est, & concrescens illico in solidam massam, dum vasis apertis exit; in debilibus autem & valetudinariis longè dilutior sanguis apparet, longè minùs concrescens. Si vel hoc solum Observatum Practicum considerassent, vidissent facilè, quòd nimiâ dissolutione humorum, homo sanus & robustus reddatur debilis & valetudinarius. Præterea singulis humoribus debet adesse debitus spissitudinis gradus, ut maneant in vasis suis; si enim sanguis ruber æquè tenuis redderetur ac serum sanguinis, vasa sanguinea fierent vacua; si serum sanguinis adeo tenue redderetur ac est lympha, quæ per vasa cutis exhalantia transire potest, exhauriretur brevì totum corpus. Patet ergo satìs, peccare posse humores nostros nimiâ tenuitate, dum à sanitatis conditionibus manifestè sic recedunt. Cùm autem sanguinis crassissima pars, rubra nempe, in arteriis & venis maximis corporis contenta, motum à corde & arteriis recipiat, receptum reliquis communicet, simúlque à densissima hac parte sanguinis, ad vasa maximè resistentia attrita, calor sanus sustineatur, & communicetur toti corpori, nimis diluto sanguine per aquosa, simúlque flaccidioribus redditis solidis per eadem, languidior fit humorum motus, & minuitur calor; unde non difflabitur facilè hoc aquosum de corpore, sed manebit, vasa distendet, & in cavis corporis incipiet accumulari, sícque cachexiam aquosam, sive hydropem producere.

Verùm præter illam nimiam tenuitatem humorum, quæ ab imprudenti diluentium usu nascitur, & alia fluiditas morbosa liquidorum observatur, quæ fit, quia vel non satìs condensantur humores per efficaciam vasorum & viscerum, vel morbosi quid miscetur fluidis, quod debitam illorum consistentiam tollit.

Certum est, chylum, ex alimentis assumptis paratum, habere minorem densitatem, quàm sanguinem rubrum, ejúsque serum: supernatat enim chylus sanguini de venis educto, & repetito circuitu per vasa & viscera corporis tandem densior redditur, & in nostram Naturam mutatur. Videtur autem statui posse, pulmonem suâ actione quàm maximè conducere ad hanc chyli immutationem (*a*), cùm omnis chylus vim & efficaciam pulmonis pati debeat, antequam cum sanguine per arterias moveatur, & omnis humor vitalis totus quantus pulmones transeat, dum per alia viscera tantùm

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 208.

certa portio transfluit. Præterea aorta toti corpori omnibúsque ejus partibus prospicit, dum unà cum vitali sanguine liquidum nutriens distribuit per omnia: sed aorta omnem suum sanguinem à corde sinistro accipit, in quod pulmonales venæ sanguinem per pulmonem transmissum evacuant. Unde videtur pulmo conciliare debitam densitatem chylo, illámque conservare in sanguine. Hinc patet ratio, quare pulmone affecto videamus toties marcescere totum corpus, licèt nec per sputa, nec alias evacuationes sensibiles, multùm perdatur de corpore: quandoque etiam sudores nocturni fiunt, ob humores nimis tenues nec satìs densatos in pulmone, qui per vasorum cutaneorum oscula, tempore lecti magìs laxata, elabuntur. Cùm autem eadem actio, quæ chylum condensat, & similem reddit nostris humoribus, blandam simul indolem conciliet omnibus (liquida enim sana non sunt acria), patet ratio, quare majorem tenuitatem humorum, à tali causa natam, soleat comitari acrimonia, quæ mitigationem poscit, dum nimia fluiditas modicam inspissationem requirit.

Quandoque morbosi quid cum humoribus fluit per vasa, quod debitam illorum consistentiam tollit, nimiámque fluiditatem inducit: hoc tam in morbis acutis, quàm chronicis, observatur. Sic antea, ubi de febre continua putrida dicebatur, ad §. 730, notatum fuit, quandoque acrem stimulum vel corpori applicatum, vel ex degenerantibus humoribus in ipso corpore natum, febrim excitare, quæ sanguinem reddit longè fluidiorem debitò, & periculosas hæmorrhagias producit. Ita *Wepferus* in petechialibus & malignis febribus observavit hoc contigisse, vidítque (*a*) ichthyocollæ gluten profuisse, sanguinem nimis tenuem incrassando. In variolis confluentibus pessimis fit quandoque putrida humorum dissolutio, utì postea in hujus morbi Historia dicetur; túncque vidit *Sydenhamus*, spiritum vitrioli (*b*) potui communi mistum, egregiè profuisse; sed constat Experimentis Chemicis, acida fossilia humores plerosque nostri corporis inspissare. In chronicis morbis similia observantur: si enim, impedito libero bilis exitu in duodenum intestinum, illa regurgitet in sanguinem, icterus fit; qui, si diuturnus fuerit, soluto toto sanguine per bilem perpetuò admistam, immedicabilis nascitur hydrops. Ubi vomica purulenta in corporis interioribus hæret, morâ tenuius & acrius redditum pus venis resorbetur, totúmque sanguinem solvit ita, ut putridissima oriatur diarrhœa, brevì totum corpus exhauriens, & lethalis; utì ad §. 1188, in empyemate dicetur, & in phthisi §. 1206.

Patet ergo ex omnibus hactenus dictis, in cachecticis satìs frequenter adesse humorum nimiam tenuitatem, quæ corrigi debet, ut fiat sanatio.

2. Patuit quidem, humores nostros certum densitatis & cohæsionis gradum habere; debet tamen hæc cohæsio molecularum, quæ fluida nostri corporis constituunt, talis esse, ut superari possit per vires cordis & arteriarum, cæteroquin hærerent in extremis vasorum, & obstructiones facerent. Per quas autem causas talis viscositas nostris humoribus concilietur,

(*a*) Cicut. Aquatic. Histor. & Nox. Cap. v. pag. 61.

(*e*) Sect. V. Cap. IV. pag. 299.

§. 115, & sequentibus, ubi de obstructione agebatur, explicatum fuit. Si à motu circulari violento, & vasis fortibus, validè comprimentibus liquida contenta, lentor major & cohæsio inducatur humoribus, tunc adest spissitudo inflammatoria dicta: ubi autem à languente motu, vel laxato vase, aut minutâ copiâ liquidi (§. 116.) major humorum viscositas nascitur, tunc frigidus lentor immeabilitatem humorum producit, de quo vide §. 72. Indicatio curatoria ergo est, ut illud tenax, quod in extremis convergentium vasorum hærere incipit, vel saltem nonnisi difficulter transit, solvatur & reddatur meabile.

Cùm ergo & nimia dissolutio humorum à variis causis pendeat, atque etiam nimia tenacitas, & præterea utriusque hujus vitii comes possit esse acrimonia varia, patet satìs nihil generale hîc statui posse, sed solicitâ indagatione opus esse, ut cognoscatur, quale vitium in humoribus sit, & à quibus causis ortum: hoc autem cognito, tunc facilè determinatur, quid agendum sit, & per quæ. Sic v. gr; si nimia tenuitas liquidorum à potûs aquosi abusu nata fuerit, victus siccior, & omnia, quæ laxata nimis vasa roborare valent, curam absolvent: contrà dum à morboso miasmate soluti sunt humores, tunc illud enervare, vel corrigere, indicatio jubet: & visum fuit quandoque, aquæ potum copiosum profuisse, qui in priori casu nocuisset. Pariter, ubi densitas inflammatoria humorum adest, laxanda sunt vasa, ut minùs premant contentos humores: ubi verò frigidus pituitosus lentor prædominatur, augendum est vasorum robur. Idem etiam verum est de variis acrimoniæ speciebus per diversa remedia corrigendis.

§. 1175. MAXIME curandum, ut victus sit ex his, quæ liquidis sanis similia, facilè transmittenda, causæ singulari morbi adversa, ægróque inprimis grata sunt.

Ex ipsa definitione hujus morbi §. 1166, data, constat, in cachexia depravari nutritionem, adeóque non adesse omnes conditiones requisitas, ut ingesta alimenta assimilentur perfectè nostris fluidis & solidis partibus. Verùm ex antè dictis constitit (§. 1168.), non omnia alimenta æquali facilitate assimilari; imò quædam non posse subigi, nisi à robustis, & quotidiano labore exercitis, corporibus, sed cachexiam facere in debilioribus: sponte ergo patet, quòd cachecticis debeat procurari talis victus, qui facilè subigi possit, imò liquidis sanis similis sit; & adeo simul tenuis, ut nullum obstaculum libero motui humorum per vasa nascatur, dum chylus, ex ingestis paratus, fluit cum sanguine. Ex quibus autem alimentis talis victus parari queat, antea ad §. 28. n°. 1, utì & ad §. 599, dictum fuit.

Seliguntur autem ex illis alimentis talia, quæ opposita sunt causæ singulari morbi: v. gr; si lenta & frigida cacochymia comitetur cachexiam, à farinosis lentis in victu abstinemus, utì & à gelatinis, ex animalium partibus coctione cum aqua paratis, ne humorum nimiam tenacitatem tali victu augeamus. Et contrà si nimiam ob tenuitatem humorum depravetur nutri-

tio, & lento marasmo hinc tabescat corpus; tunc talia prosunt, modicè inspissando humores nimis tenues. Si aquosâ colluvie turgere incipiat corpus cacheëticum, tunc juscula carnium vel omnino non, vel parcâ saltem copiâ, dantur; & potiùs adhibentur carnes juniorum animalium assatæ, pisces fluviatiles, assi pariter, panis biscoctus, cum potu pauco, sed meraciori, ut in totum sicciori victu utatur talis æger. Idem etiam verum est de varia acrimonia, quæ cachexiam comitatur: si enim acida adsit acrimonia, utì toties in junioribus contingit, tunc ova, jura carnium, gelatina eboris, cornu cervi, &c, prosunt, quia sponte suâ in acidum non vergunt: & contrà, si in alcalinam putridam indolem potiùs degenerent humores, lacticinia, decocta panis, hordei, avenæ, &c, addito vino acidulo prosunt; & à carnibus, ovis, piscibus, abstinetur. Vel si juscula carnium dentur, additur succus citri vel aurantiorum, aut cum hordeo, avena, oryza, &c, decoquuntur, ut minuatur facilis horum in putredinem degeneratio.

Simul etiam cavendum est, ne majori copiâ simul alimenta, licèt optima, ingerantur; gravantur enim illico debilia hæc corpora, nec reficiuntur inde: repetitis autem vicibus, & minori copiâ, si exhibeantur, pulchre prosunt. Neque recedendum ab hac cautela, licèt cachectici appetitu valeant; quod contingere quandoque novimus, & *Aretæus* jam notavit, dicens, (*a*) *Multos utique cibos appetunt, edaces admodum sunt: celerior concoctione distributio fit crudiorum magìs quàm concoctorum.* Et licèt exhausta per marasmum ferè corpora celeriorem repletionem poscere viderentur, tamen non debent multa simul ingeri, sed sensim; si videmus facilè ferri ab ægris ingesta, copia prudenter augeri potest, sed lentè, secundùm monitum *Hippocratis* dicentis, (*b*) *Quæ diuturno tempore attenuantur corpora, sensim reficere oportet.* Certum enim est, quòd, nisi bono victu utantur cachectici, & Medicis morigeri esse velint, medicamentis parùm proficiatur. Quoties non vidi mulieres ob abusum potuum aquosorum cachecticas, dum feliciter curatæ fuerant, in eumdem morbum relapsas fuisse, & iteratis quidem vicibus, tandem penitus incurabiles, dum nolebant ab his potibus abstinere!

Interim tamen, non nimis morosus sit Medicus in præscribenda diæta, simúlque semper attendat, ut eligantur talia, quæ ægro grata sint, faciliùs enim digerit ventriculus illa, quæ palato placent. Aliquam in his Medicorum indulgentiam laudat *Hippocrates*, utì ad §. 599, notavi, dum dicit, (*c*) *Paulò deterior sed suavior tum potus, tum cibus, melioribus quidem, sed minùs gratis, præferendus.* Non quidem in omnibus serviendum voluit ægrorum cupiditatibus, sed aliquid indulgendum esse, si non directè repugnet indicationi curatoriæ. Similiter de stomachicorum curatione agens *Aretæus* dicit, (*d*) *Cupiditatibus eorum indulgeat Medicus in rebus, quæ non magnopere lædunt.* Sic v. gr; si cachecticus, in quo humores videntur tendere in

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. XVI. pag. 47.

(*b*) Aphorism. Sect. II. n°. VII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 47.

(*c*) Ibid. n°. XXXVIII. pag. 79.

(*d*) De Curat. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. VI. pag. 132.

acrimoniam alcalinam, jura carnium desideraret, vel & ipsas carnes, & fortè ex consuetudine his solis ferè delectaretur, addito succo citri vel aurantiorum, concedi hæc possent. Aliquoties vidi, cachecticas fœminas aceto delectari quàm maximè, licèt nulla putredinis signa adessent, imò potiùs in primis viis acida acrimonia quandoque ex ingestis nasceretur: dedi pulveres absorbentes ante cibum, sícque gratâ fragrantiâ aceti reficiebantur tales ægræ, & acidum aceti enervabatur ab absorbentibus jam in ventriculo hærentibus. Attentus & peritus Medicus in multis casibus poterit sic ægris placere, & tamen indicationi curatoriæ satisfacere; imò longè magìs morigeros vidi ægros, qui indulgentem Medicum nacti erant, dum credebant, talem nihil denegare unquam, nisi quod absolutè noxium erat: contrà, dum in levissimis etiam auctoritate suâ pertinaciter utitur Medicus, morosi ægri etiam in gravioribus ejus consilium spernunt.

§. 1176. TUM ut optimè digeri queant, condimentis, potu vinoso, exercitio, aere procurandum.

Quámvis optimi cibi dati fuerint, languet sæpe ventriculi & intestinorum actio in ingesta, unde non satìs elaboratus chylus actione horum viscerum paratur. Pulchrum effectum tunc faciunt omnia illa, quæ grato stimulo possunt languidas ventriculi & intestinorum vires excitare, unde talibus condiri tunc solent cibi.

Aromata, sal, acetum, succus citri, aurantiorum, &c, solent condimentis præcipuam materiam dare; simúlque talia eliguntur, quæ singulari humorum degenerationi opposita sunt.

Acida condimenta eliguntur, si humores in alcalinam putredinem vergant; & contrà ab illis abstinendum erit, si acida acrimonia prædominetur: tunc enim aromata, allia, cepæ, sinapi, commendantur, quia in his sal volatilis alcalinus adest, qui contusis his bulbis & seminibus quaquaversum exhalat, & adstantium nares oculósque ferit, sæpe non sine molestia: eadem satìs conveniunt, ubi mucosa frigida cacochymia adest.

Vini pariter insignis usus est, si aquâ plùs minúsve dilutus pro potu communi usurpetur. Iís, qui assueti sunt cerevisiam potare, facilè illius usus conceditur, & inprimis generosioris: videtur enim cerevisia fermentata spiritus suos tenaciori parùm materiæ irretitos habere; hinc durabilem magìs effectum solet præstare quàm vinum. *Momma* dicta *Brunsvicensis*, quæ est cerevisia meracissima, & verum quasi Cereris extractum, bis térve de die ad uncicam unam aut alteram data cum pane biscocto, languidissimos quandoque curavit morbos, utì antea ad §. 75, monui. Pulcherrimè prodest, si in prandio & cœna post sumptum cibum, pauculùm sumatur de vino meraco, sed molli, intingendo panem biscoctum, qui dein deglutitus miro modo ventriculum roborat. Vina illa, oleosa dicta, ut sunt Hispanica, & Hungarica meraciora, pulchre huic scopo serviunt.

Quantùm

Quantùm autem faciant corporis exercitia ad feliciorem digeſtionem ciborum, quotidianis Obſervatis conſtat, dum videmus, operarios facillimè digerere duriſſima edulia, à quibus ſedentariam vitam agentes homines gravarentur quàm peſſimè. De hac re antea §. 25, & §. 28, dictum fuit.

Cùm autem aerem perpetuò cum cibis & potibus deglutiamus, ſingulíſque vitæ momentis inſpiremus, patet ſatìs, multùm conferre ad ſanitatem aerem purum & ſalubrem; præcipuè cùm conſtiterit per Experimenta pulcherrima celeberrimi *Haleſii*, aerem non tantùm permiſtum hærere fluidis noſtris, ſed etiam notabilem partem ſolidarum partium noſtri corporis conſtituere. Hinc videmus, miſeros homines, qui diu carceribus incluſi hærent, omnes fieri cachecticos, nec ſanari facilè poſſe, niſi liberiori aurâ illis frui conceſſum fuerit. Quantùm dolent ſæpe Medici & Chirurgi, etiam peritiſſimi, quòd vix ſanare poſſint ægros in noſocomiis decumbentes, dum ſimiles morbos optimo cum ſucceſſu tractant extra noſocomia! Ubi enim ingens decumbentium numerus adeſt, tot exhalationibus morboſis, putridis, inquinatur aer, quem reſpirare coguntur miſeri, ut ferè omnes cachectici fiant, antequam à vulneribus ſuis curentur.

In noſocomiis caſtrenſibus, & navibus bellicis inprimis, (*a*) magna toties ab hac ſola cauſa oritur calamitas. Optimè ergo meriti ſunt de genere humano, nec ſatìs laudari poſſunt, egregii illi Viri, qui facilem ſatìs Artem docuerunt, quo aer in navibus & noſocomiis renovari poſſit, ſícque purior reddi. Appetitum auctum, digeſtionem faciliorem, magnámque corporis alacritatem, ſentiunt omnes, qui, poſtquam totâ hyeme fumoſa in urbe latuerunt, verno tempore ad amœni gaudia ruris redeunt. Summum hinc remedium eſt, in aere puro, campeſtri, ventis perflato, degere; inprimis in loco à paludibus & ſtagnantibus aquis remoto. Unde etiam videmus, peritos in Arte Medicos, ſimulac vernus tepor adſpirat, languentes chronicis morbis ægros rus ablegare, ut puro fruantur aere, & ſimul frequentiores habeant occaſiones ſalubri motu corpus exercendi, per ambulationes, vectiones, equitationes, &c.

§. 1177. UT verò organa primarum coctionum itidem bene diſponantur, leni digeſtivo, vomitivo, purgante, roborante, proſpiciendum.

Ferè ſemper ſolent in cachecticis primæ viæ gravari plùs minúſve indigeſtâ ſaburrâ, & lentâ pituitâ: unde indicatio curatoria jubet, ut hoc gravans expellatur de corpore. Si appetitus deficiat, & nauſea adſit frequens, lene vomitorium datum, pulcherrimè prodeſſe ſolet: ſi in inteſtinis ſimilis hæreat materia, blando purgante, ſed repetitis vicibus ſumpto, eliminatur tutò, ſimili ferè modo, ac in cura ſcorbuti ad §. 1160, dictum fuit. Intermedio autem tempore, ubi purgantia non exhibentur, dantur talia, quæ

(*a*) *Sutton*, Nouvelle Méthode pour pomper le mauvais air.

omnem lentorem fundunt & attenuant. *Sal polychrestus, tartarus solubilis, tartarus regeneratus*, & similia, in aqua quadam stillatitia aromatica, uti v. gr; aquâ menthæ, absinthii, &c, soluta, addito melle, vel & oxymelle scillitico, si major viscidítas adfuerit, præcipua sunt. Ubi per hæc mobilis reddita fuit & soluta materia viscida, longè faciliùs per cathartica leniora expellitur.

Simul etiam conducunt illa, quæ inertem ventriculum roborant, & leni stimulo aromatico agunt; inprimis quando jam maxima pars saburræ, in primis viis hærentis, expulsa fuit. *Absinthium, mentha, centaurium minus, gentianæ radix, calamus aromaticus, &c*, formâ conservæ, vel vini medicati, si exhibeantur, pulchre prosunt. Simili usui serviunt, *myrrha, opopanax, galbanum, sagapenum, &c*, formâ pilularum si deglutiantur, omni trihorio vel quadrihorio ad sex vel octo grana; sic enim totâ die fragrans aroma hæret in ventriculo & intestinis, simúlque omne lentum attenuatur. Tincturæ Officinales ex his paratæ, elixir illud proprietatis dictum in Officinis, aliáque similia, pariter exhiberi possunt, sícque datur occasio variandi formulas, licèt eadem indicatio curatoria maneat; quod magnam utilitatem habet inprimis in morbis chronicis curandis, dum ægri pertæsi longæ curationis, sæpe alia remedia postulant.

§. 1178. ET ubi horum usu viæ laxatæ, materies morbosa attenuata erit, tum attenuantibus, diureticis, sudoriferis insistendum.

Per eadem autem hæc remedia & bonum victum (§. 1175.) caveri poterit, ne similis saburra denuo colligatur in primis viis. Verùm videmus, cachecticos sæpe turgere toto corpore, dum jam in leucophlegmaticam cacochymiam vergunt; túncque vel iners aqua, vel lentum mucosum, prædominatur in sanguine, quod etiam vel corrigi debet, vel expelli. Correctio inprimis fit, auctâ vasorum actione in contentos humores, de qua re sequenti paragrapho dicetur. Verùm quandoque tanta abundantia cacochymiæ est, ut expulsione ejus opus sit, saltem pro magna parte, ut vasa minùs distenta robur acquirere possint, sícque faciliùs mutare humores degeneres in sanam indolem. Cùm autem in sanis hominibus superfluum aquosum, & cum hoc alia plura, quæ relicta nocerent, per cutis spiracula, vel urinæ vias, exeant de corpore, patet satìs, binas illas excretiones promovendas esse, ut sanguis depuretur. Imò observatur plerumque in cachecticis, urinæ copiam minui, dum totus habitus corporis tumere incipit; simúlque vix perspirare hæc corpora, cùm tota cutis sicca sit, & vix calescat, vel saltem non satìs, ut insensibilis vaporis formâ expellantur humores superflui; unde sub cute in tunica cellulosa incipiunt colligi, sícque tumorem leucophlegmaticum producunt. Cùm autem tenues debeant esse humores, ut exeant per minima hæc vasorum cutaneorum orificia, & transeant per fistulas renales, hinc in usu attenuantium

modò laudatorum pergendum est satis diu, & dein promoveri possunt hæ excretiones per sudorifera & diuretica remedia.

De sudoriferis, & variis illorum classibus, videantur illa, quæ ad §. 1188, & sequentes habentur in *Institutionibus Medicis*. Diuretica enumerantur ibidem §. 1220, & sequentibus; inter quæ tamen vix inveniuntur certiora illis, quæ ex scillæ bulbo amarissimo parantur; quod remedium veteribus Medicis adeo frequenti in usu fuit. Acetum enim scilliticum, vinum scilliticum, oxymel scilliticum, laudaverunt ubique: neque tantùm vi diureticâ pollet, sed potentissimè incidit & attenuat omne lentum viscosum; adeóque dupliciter prodest. De ejus usu adhuc dicetur in capitulo *De Hydrope*.

Sponte autem patet, sudorifera & diuretica tantùm locum habere in cachexia, quæ in leucophlegmatiam vel hydropem anasarcam vergit; non verò ubi marasmo exsuccum tabescit sensim corpus, ibi enim hæc nocerent.

Quidam Medici fuerunt in hac opinione, cacochymiam tutò minui posse per sanguinis missiones; cùm sic crederent vitiosum cruorem tolli, dum per bonum victum restitueretur interea novus & melior sanguis. Jam apud *Celsum* hujus Methodi mentio fit: in cura enim cachexiæ, postquam laudaverat evacuationes per alvum, sudores, &c, addit, (*a*) *Si nihil reliqua proficiunt, sanguis mittendus est; sed paulatim, quotidiéque, pluribus diebus; cum eo ut cætera quoque eodem modo serventur.* Si autem consideretur, per sanguinis missionem educi illud, quod aptum erat, transire per angustias arteriosas in venas, illa verò, quæ stagnant ob lentorem, non sic educi, sed manere in corpore; præterea, utì constitit in antè dictis (vide §. 25. n°. 1.), jacturam nimiam sanguinis impedire assimilationem ingestorum in naturam liquidi vitalis sani, patebit non facilè minui posse cacochymiam per venæsectiones, simúlque restitutionem perditorum impediri, dum vitalis sanguinis copia, jam deficiens in cachecticis, per repetitas venæ-sectiones adhuc ulteriùs minuitur. Minimè tuta ergo hæc Curandi Methodus videtur.

§. 1179. ULTIMO chalybeatis utendum, alcalinis, saponatis, cum exercitio cursûs, vectionis, frictionis, balnei.

Postquam per modò dicta maxima pars cacochymiæ subducta fuerit de corpore, tunc semper adest adhuc magna flacciditas partium solidarum, & nisi illis robur addatur, brevì in cachexiam relabuntur tales ægri. Quomodo autem, & per quæ, roborentur partes solidæ nimis debiles; antea ad §. 28, dictum fuit; inprimis ibi laudatus fuit usus limaturæ ferri, cujus in tali casu mirabilis efficacia est. Imò in Praxi numerosissimos casus vidi, ubi solo hoc remedio, aromatibus gratissimis juncto, superabatur cachexia, lenibus evacuantibus tantùm per tres quatuórve dies priùs exhibitis, ut nempe primæ

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 169.

viæ ab omni saburra mucosa & indigestili materia liberæ forent. Manifestè enim tunc videmus, non requiri, ut per continuas evacuationes humores cacochymici tollantur; sed, aucto vasorum robore & actione, in fluida mutari illud semicrudum cum sanguine fluens, & perfici in liquorem vitalem sanum. Aliâ occasione §. 75. n°. 5, jam notavi, subsidere sensim laxum corporis tumorem ab usu ferri, pallorem mutari in sanum & vividum rubrum colorem, agilitatem redire torpidis & segnibus antea membris, absque ulla evacuatione illius lenti glutinosi, quod prædominabatur in humoribus; idémque *Galeni* auctoritate confirmatum tunc fuit, qui prudenter monuerat, (*a*) frigidam & lentam pituitam non semper debere evacuari, sed potiùs permutari in bonum sanguinem, quod pulchre perficit ferri usus; nec fallit eventus, modò viscerum integritas adsit. Si enim corrupti quid aut purulenti in visceribus lateat, aut scirrhosa adsit durities, tunc nunquam aliquid boni à limaturæ ferri usu observare potui; utì nec, quando tenacissima atra-bilis, visceribus abdominalibus impacta hærens, cachexiam produxerit: aquarum autem medicatarum usus, quæ ferrum inimitabili per artem modo solutum, gerunt, in tali casu sæpe adhuc cum fructu tentatur.

Sales autem alcalini, & sapones ex alcalinis salibus & oleis simul unitis parati, magnam efficaciam habent in solvendis tenacibus & viscidis, utì ad §. 135, dictum fuit: verùm minùs conveniunt illo tempore, dum ferro utuntur tales ægri. Limatura ferri enim in acidis vegetabilibus solvitur facillimè, sed si addatur alcali tali solutioni, præcipitatur ferrum, & ochræ flavescentis speciem refert, quæ, muco primarum viarum irretita, cum illo concrescit in massam vix solubilem, sícque sæpe multas molestias producit. Ob hanc causam ab illis abstinemus eo tempore, dum limaturâ ferri utuntur cachectici, illámque vino infusam, aut cerevisiæ generiosiori & meracæ, exhibemus; vel si in substantia exhibeatur, vinum vel cerevisiam talem superbibendam suademus. In victu etiam ob eamdem causam laudantur tunc talia, quæ ex sua natura in acidum potiùs vergunt, & contrà vitantur talia, quæ in alcalinam putredinem nimis prona sunt.

Nisi autem sanati jam cachectici salubri motu corpus exerceant, ferè semper relabuntur in eumdem morbum. Toties dolent Medici, curatas à chlorosi puellas, dum nolunt, inprimis opulentiores, inertem vitam cum laboriosa permutare, post paucos menses æquè languidas reddi, ac antè fuerant. Sed ille motus potest imperari sanatis jam, non autem ubi morbo provecto languent, nam impossibilis foret; atque etiam periculo non careret, si per subitum motum, & ultra vires auctum, stagnantia simul ac semel circulantibus humoribus miscerentur, brevì enim hæc pulmonem infarcirent lentore suo, & suffocationis periculum facerent. Videmus sic, leucophlegmaticos, simulac citatiori gressu incedere, aut acclivia loca adscendere, tentant, statim anhelo pectore suspiria ducere, & ferè suffocari, nisi gradum sistant illico. In tali ergo casu incipimus à frictionibus, primò lenioribus,

(*a*) Hippocrat. Lib. de Aliment. Comment. III. tex. xiv. Charter. Tom. VI. pag. 255.

dein fortioribus; &, ut simul laxa solida roborentur, panni lanei, imbuti vapore accensi succini, mastiches, olibani, & similium, ad has frictiones adhibentur; deinde viribus parùm jam auctis, suademus ægris, ut seipsos perfricent, sic enim frictioni additur muscularis motus hîc adeo utilis. Optimè hoc *Celsus* monuit in cura hujus morbi, dicens, (*a*) *Si infirmior est, gestari, ungi, perfricari, si potest, maximè per seipsum, sæpius eodem die, & ante cibum & post eum, sic ut interdum oleo quædam adjiciantur calefacientia, donec insudet.* Auctis ulteriùs viribus, vectiones in rheda, equitationésque, successivè adhibentur, donec firmum jam corpus propriis viribus moveri possit; tunc enim ad ambulationes & cursus procedere licet. Videri possunt & illa, quæ §. 28, n°. 2, de iisdem habentur: sempérque inculcandum est seriò talibus jam sanis, solam prophylaxin recidivæ in bona diæta & corporis exercitio consistere.

Balneum quidem à *Celso* laudatum fuit ad curandum malum habitum; sed videtur illud adhibuisse hoc scopo, ut dissiparetur pars cacochymiæ gravantis per sudorem. Interim tamen, cùm plerumque simul adsit in cachexia laxa solidarum partium debilitas, quæ per balnea aquosa tepida potiùs augetur, in tali casu minùs convenire videntur, nisi aromaticis calefacientibus herbis additis corrigatur vis emolliens & laxans aquæ tepidæ. Certè si aquosum abundans in tali corpore difflandum sit per sudores, in laconico sicco si quotidie per aliquod tempus hæreant tales ægri, meliùs hoc obtinebitur, quàm balneo humido: si autem scopus sit, roborare nimis flaccidum corpus, balneum frigidum potiùs conduceret, cui tantùm confidit *Aetius* in hoc morbo curando, ut dixerit (*c*) *Quòd si quis ad frigidæ lavacrum adsuefieri possit, compendio ad omnem mali curationem pervenerit.* Sed prudenter indicat, adsuescendum esse balneo frigido; nam simul & semel insolitum tale frigus applicare debilibus corporibus, prudentiæ Medicæ repugnaret.

§. 1180. HÆC autem ex variis peti, variè præparari, applicaríque, debent, pro causa maxima cognita.

Si considerentur illa, quæ in enumeratione causarum cachexiæ §. 1168, dicta fuerunt satìs patet, diversa, imò & oppositarum virium, remedia ad curam quandoque requiri. Dum ob debilitatem nimiam solidarum partium, tumet corpus viscidis humoribus plenum, tunc roborantia remedia locum habent: ubi autem soluti nimis humores abeunt de corpore nec restituuntur per ingesta, vasa contrahuntur, & lento marasmo perit corpus. In tali casu humectantia & leniter incrassantia remedia requiruntur.

Verùm & ipsa remediorum præparatio varia est in diversis. Si v. gr. pallido morbo laborans puella, inerti mucosâ cacochymiâ humorum turgeat, ferrum in acido vegetabili solutum datur potiùs quàm in substantia,

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 168.

(*b*) Ibid. pag. 169.

(*c*) Serm. X. Cap. XIX. pag. 231.

quia limatura ferri deglutita lento primarum viarum muco ſic inviſcari poterit, ut vel nihil omnino, vel parùm tantùm, agat. Contrà verò, ſi acidum acre ſimul adſit in primis viis, tunc potiùs in ſubſtantia datur, quia & acidam acrimoniam mitigat, ſimúlque in hoc acido ſolutum ferrum ſuos præſtabit effectus.

Ita etiam ob eaſdem rationes applicatio remediorum varia erit: utì enim paulò antè dixi, ſi laxanda ſint ſolida nimis rigida, aqua tepida, & inprimis vapor aquæ calidæ, ſummum dant remedium; & contrà, ad roborandas partes nimis laxas, frigida aqua prodeſt, & longè plùs quàm creditur. Toties occurrit in Praxi, quòd teneræ conſtitutionis homines, à minima tempeſtatum variatione, cephalalgiâ, odontalgiâ, coryzâ, &c, afficiantur, unde ſolent caput multùm tegere, & fovere perpetuo tepore, cùm inde aliquod levamen ſentiant: verùm tantò redduntur ſenſibiliores ad minimum frigus, & dum minùs tecto capite egrediuntur, illico minimam aeris viciſſitudinem ſentiunt. Plures curavi, dum perſuadere potui, ut ſenſim minuerent capitis tegumenta, verno tempore incipiendo; dein leviſſimè tantùm tecto capite dormirent, & æſtate omni mane faciem, collum, cervicem, aquâ frigidâ lavarent; quod ubi per ſequentem autumnum & hyemen continuaverant, ſic firmabantur vaſa ſuperiora, ut ab omnibus illis moleſtiis liberi viverent poſtea, & aeris viciſſitudines abſque ullo damno ferre poſſent; præcipuè ſi ſimul caverent, ne pedes unquam multùm refrigeſcerent.

Patet ergo, Medicum ex cognitione cauſarum cachexiæ eruere debere normam agendorum, adeóque ſæpe diverſâ Methodo opus habere in curando hoc morbo.

§. 1181. UBI verò à nimia acrimonia conſumptio, & tabes cachectica, inquirendum in acrimoniæ ſpeciem, ſi fieri queat. 1°. Per indagationem cauſæ cachexiæ (1168). 2°. Temperiei morbi, ægríque. 3°. Symptomatum. 4°. Excretorúmque.

In ſanitate, nec in liquidis, nec in ſolidis partibus noſtri corporis, notabilis acrimonia deprehenditur. Sanguis ſanus aliquid leviſſimè ſalſi ſaporis habet, & tamen adeo blandus eſt, ut oculo inſtillatus nullam moleſtiam faciat. Imò bilis ipſa, quæ tamen inter humores noſtros maximam acrimoniam habet, ab oculo fertur facilè. Urina ſana quidem acris eſt, at eſt humor excrementitius, qui non manet in corpore, ſed expellitur. Si carnes animalium ſanorum decoquantur in aqua, dant mollia juſcula; ex oſſibus & carnibus animalium decoctis in aqua blandæ fiunt gelatinæ: cerebrum habet fatuum ſaporem, imò & reliqua omnia corporis viſcera in aqua decocta nullam acrimoniam juſculis præbent. Unde patet evidenter, materiem nutrititiam, ex qua reſtituuntur ſolidæ & fluidæ partes noſtri corporis, neceſſariò debere habere blandam indolem. Unde etiam videmus, chylum & lac, ex ingeſtis alimentis parata, blandi ſemper eſſe ſaporis, cùm jam propiùs accedant ad aſſimilationem cum partibus noſtri corporis.

Simulac ergo acrimonia in nostris humoribus nasci incipit, incipit depravari nutritio, & corpus marcescit.

Dum acidâ acrimoniâ laborant juniores diu, totum corpus miserrimè contabescit, solo abdomine tumente, & infarcto, à reliquis indigestis ciborum. Ubi in scorbuto inveterato acrimonia humorum magna adest, atrophia sequitur, utì ad §. 1151. n°. 4, notatum fuit. Dum in cancro exulcerato acris sanies, pro parte resorpta, sanguinem infecit, videmus torosa corpora vero marasmo exsiccari, licèt debitam copiam optimorum alimentorum sumant. Unde patet, acrimoniam humorum posse causam dare consumptioni & tabi cachecticæ, illámque in hoc morbo adesse nonnunquam. Quod & *Celsus* indicavit, dum de hoc morbo agens, dicit, (*a*) *Huic, præter tabem, illud quoque nonnunquam accidere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera, summa cutis exasperetur.* Quod ab acrimonia majori humorum ad cutem delatorum fieri videtur.

Ut autem curatio rite procedat, priùs debet cognosci acrimoniæ prædominantis indoles propria, quantùm per Artem hoc indagari poterit: certum enim est, quandoque à latentibus causis marasmum induci. Si unius noctis spatio ob supplicii metum totus marcuerit homo, ita ut & canos haberet capillos (*b*), patet satìs, à simili causa, licèt leviori, talem marasmum produci posse longiori tempore. Videmus sic, homines, metu, tristitiâ, vel & perpetuis curis oppressos, contabescere sensim. In initio talis corporis mutatio, ab animi effectu producta, non potest adscribi majori humorum acrimoniæ; sed certum est, magnas mutationes humoribus induci posse per animi affectus diu perseverantes, utì in melancholiæ Historia patuit; adeóque patet, & in tali casu ad humorum degenerationem attendendum esse, ut cognoscatur, & cognita emendetur. Unde consideranda erunt sequentia.

1°. Causæ antea recensitæ fuerunt, adeóque indagandum, qualis ex illis huic morbo originem dederit; & an simul acrimoniæ producendæ apta fuerit, & quali: inprimis autem considerandum est, quali victu æger usus fuerit. Sic v. gr; in infantibus, solo lacte viventibus, meritò suspicamur acrimoniam acidam. Ita etiam si salsamentis in victu usus fuerit antea copiosè æger, acrimonia muriatica accusatur. Idem de reliquis acrimoniæ speciebus verum est.

2°. In hominibus enim calidæ temperiei, vel & post morbos acutos calidos toleratos, si cachexia succedat, novimus, humores in alcalinam putridam degenerationem vergere. Et contrà in frigida temperie, vel & morbo chronico, potiùs in mucosam inertem viscíditatem tendere, quæ raro acrimoniam comitem habet, saltem in initio.

3°. In genere, (*c*) *Dolor, sine signis motûs aucti & sine apparente obstructione majore, ut & erosio partium sine tumore simul præsente,* dant signa acrimoniæ in humoribus. Non enim ubique acrimonia accusanda est, ubi dolor

(*a*) De Medicin. Lib. III. Cap. XXII. pag. 167.

(*b*) Marcell. Donat. Lib. I. Cap. I. pag. 1.

(*c*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 911.

adest: videmus enim, acerbissimos dolores nasci à sola inflammatione in sanissimis corporibus subitò, in quibus nulla signa acrimoniæ humorum unquam fuerant observata. Sudans à labore homo gelidam affatim hauriat aquam, sæpe intra bihorium acutissimâ laborat pleuritide, & præ vehementia doloris seipsum suffocat, dum inspirare non audet aerem: sed tunc adest motus auctus, acuta nempe febris. Exostosis sensim nascens, periosteum distrahendo, intolerabiles dolores facit, sed adest tumor. Ubi autem absque his dolores adsunt, meritò de acrimonia humorum cogitant Medici. Sic in scorbuticis dolores illi molesti oriuntur, ulcera sponte nascuntur in cruribus, quæ sensim vicina rodendo serpunt. Adeóque ex his symptomatibus generale acrimoniæ signum habetur. Qualis autem acrimoniæ species sit, alia iterum symptomata docent, de quibus antea dictum fuit §. 63. 64. 85. 86. Præterea symptomata, quæ singulares acrimoniæ species comitantur, & indicant, pulchre enarrata habentur (*a*) in *Semeioticis*: quæ hîc repetere supervacaneum videtur.

4°. Excreta enim sequuntur sanguinis & humorum indolem. Sic ubi acrimonia alcalina adest, urina acris, crassa, fusca, spumescens, fœtida, excernitur; fæces alvinæ cadaverosum odorem habent; sudor quandoque fœtidus exit. In acrimonia acida observatur urina decolor, quandoque stranguriosa, crassa, alba, cum sedimento crasso, copioso. Fæces alvinæ acidum spirant; & sæpe viridescunt; sudor acidum olet. In acrimonia verò muriatica occurrit urina salsa, tardè putrescens, cum sedimento spisso, & pellicula tenui innatante.

Ubi autem ad quatuor modò memorata attenditur, peritum Medicum minimè latere poterit, an adsit humorum acrimonia, & qualis.


§. 1182. HÆC cognita corrigenda suis contrariis (vid. 1166.).

Quomodo emendari possit acrimonia acida, & alcalina, antea peculiaribus capitulis pertractatum fuit. Possunt autem & de his, & de aliis acrimoniæ specibus videri illa, quæ ad §. 1051, habentur, ubi de causis generalibus morborum chronicorum agitur.

(*a*) Boerhaav. Institut. Medic. §. 912, & sequ.



EMPYEMA.



EMPYEMA.

§. 1183. QUOTIES inter pulmones & pleuram pus in thoracis cavo colligitur empyema eſt.

Certum eſt, empyematis vocabulum laxiori ſignificatione olim uſurpatum eſſe, & deſignaſſe quamcumque ſuppurationem partium interiorum corporis, uti pluribus (a) *Hippocratis*, (b) *Galeni*, (c) *Aretæi*, &c, locis demonſtrari poſſet, quæ in *Foeſii Œconomia* collecta habentur. Interim tamen & verum eſt, quòd magis ſpecialis hujus vocabuli uſus fuerit pro deſignanda collectione puris in cavo thoracis inter pulmones & pleuram; qualis Definitio exacta apud *Aetium* legitur, quæ ita ſonat: (d) *Empyici, hoc eſt, pectore ſuppurati, vocantur, quibus abſceſſus in ſuccingente coſtas intrinſecus membranas, aut in aliqua alia pectoris pellicula, factus, acervatim ruptus eſt, & in vacuum pectoris locum effuſus, inter pulmonem & membranam coſtas ſuccingentem.* Hoc autem ſenſu ſolet hodie apud Medicos & Chirurgos empyematis nomen intelligi.

§. 1184. QUOD ſemper ſupponit vomicam purulentam fuiſſe ruptam, cujus elapſum pus thorace recipitur.

Quomodo inflammatio tranſeat in ſuppurationem, antea §. 387, explicatum fuit, ubi ſimul dictum de illis, quæ requiruntur, ut bonum pus fiat. Ut ergo pus in thoracis cavo hæreat, debuit præceſſiſſe abſceſſus, qui & vomica ſolet vocari; clauſa quidem, quamdiu pus in loco manet ubi natum fuit; aperta verò, ubi pus de hoc loco elabitur, rupto tumore, quo continebatur. Non enim videntur humores, ab alia quacumque cauſa in cavo thoracis collecti, morâ in pus unquam verti. Dixerat quidem *Hippocrates*, (e) *Si ſanguis in ventrem præter naturam effuſus fuerit, eum ſuppurari neceſſe eſt.* Verùm aliâ occaſione (§. 172. n°. I.) probatum fuit, quòd ſuppurationis nomine hîc intelligatur quævis ſanguinis corruptela, non verò converſio in pus propriè dictum. Putreſcere poteſt ſanguis in cavo thoracis collectus, & in corruptum ichorem degenerare; ſed non mutatur in pus. Poteſt autem acris talis ichor partes, quas alluit, rodere, inflammare, adeóque poſſunt & abſceſſus naſci ab hac cauſa; ſed tamen inde patet, pus non fieri ab effuſis humoribus in thoracis cavo, ſed illuc delabi ex vomicis priùs factis.

(a) Epidem. Lib. III. Comment. III. text. XXIII. XXV. Charter. Tom. IX. pag. 263. Confer. Aporiſm. Sect. V. n°. VIII. Charter. Ibid. Part. II. pag. 199.

(b) Hippocrat. Prognoſtic. Comment. I. Sentent. XL. Charter. Tom. VIII. pag. 616. Confer. Aphoriſm. Sect. VII. n°. XLIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 316.

(c) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 37.

(d) Sermon. VIII Cap. LXV. pag. 85.

(e) Aphoriſm. Sect. VI. n°. XX. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 259.

Sequitur jam, ut considerentur illa loca, quorum abscessus rupti, pus effundere possunt in thoracem.

§. 1185. TALES sunt vomicæ. 1°. Pulmonum; ab inflammatione horum (820 867.), à sputo sanguineo, à materie ad fluorem inepta his impacta. 2°. Pleuræ; ab inflammatione hujus (875), à vulnere externè inflicto levi, citò externè clauso, internè rupto (298), à contusione hujus, vel ruptione tecta in suppuratum abeunte (324). 3°. Diaphragmatis inflammati, suppurati, in superiora rupti (907. 910.). 4°. Mediastini similiter affecti (877). Ut & 5°. Pericardii ipsius (877).

1°. Quomodo, & quibus cum signis, inflammatio pulmonum in suppurationem abeat, antea ad numeros hîc citatos dictum fuit, ubi *De Peripneumonia* agebatur: inprimis autem notatum fuit §. 836, quòd, si pulmo suppuratus pus effuderit in cavum thoracis, fiat empyema ferè lethale, quia pulmo ulcere jam exesus est, antequam empyema fiat; adeóque parùm spei superest, ut convalescere à tanto morbo æger possit, utì postea ad §. 1192, dicetur.

Cùm autem pulmonum inflammatio gravis adeo & molestus morbus sit, facilè cognoscitur talis causa empyematis futuri; utì etiam si sputum sanguineum præcesserit; de quo, tamquam ulceris pulmonalis causa, in sequenti capitulo *De Phthisi* dicendum erit.

Verùm contingit quandoque, ut in pulmone, & visceribus aliis corporis, lentè accumuletur materia, quæ per vasa transire nequit, sed illorum angustiis impacta manet, sícque obstructionem facit; levem quidem in initio, neque multis symptomatibus stipatam, sed quæ sensim augeri ab iisdem caussis perennantibus poterit, &, comprimendo vicina, vel ob materiam obstruentem morâ acriorem redditam, inflammationem excitare, quam parva vomica sequitur. Antea ad §. 824, dictum fuit de peripneumoniæ causis; túncque patuit, aeris intemperiem, chylum ex viscosis & crassis cibis paratum, exercitia pulmonum violenta, cursu, luctâ, nixu, &c, periculosum hunc morbum producere, tunc inprimis maximè metuendum, ubi arteriæ pulmonalis fines occupat: minùs verò periculosus ille morbus est, si circa fines arteriarum bronchialium hæreat. Si ergo in parva tantùm parte pulmonis, & inprimis circa fines arteriarum bronchialium, ejusmodi materia ad fluorem inepta hæserit, facilè intelligitur, posse tale malum nasci, absque multo impedimento actionis pulmonis. Videmus in catarrhosis morbis ingentem copiam tenacis pituitæ ex finibus arteriarum in asperam arteriam exprimi, & per tussim educi: si ergo ob aerem frigidum constrictis vasis, vel ob tenacitatem nimiam materiæ, illud viscosum exire nequeat per fines arteriarum, nascetur talis obstructio, & poterit sequi vomica pulmonis, sed parva quandoque, quam vix ulla febris comitatur; & sæpe fallit incautos. Vidi sæpius in Praxi, latentem talem vomicam, cùm tussicula

tantùm adesset, & per hanc mucus à bronchiis pulmonum averteretur, pro catarrho habitam fuisse, donec subitò exscreati puris copia docuisset, quale malum latebat. Imò dum hæc scribo, vidi nobilem Virum, qui, raucâ voce, & pectoris oppressione, dum gradus adscendebat, atque tussi molestâ afflictus per aliquod tempus, incepit copiam puris cocti exspuere, & tamen æger, ejúsque Medicus, mordicùs tuebantur, præter catarrhum molestum nil aliud mali subesse, cùm eodem tempore ob hyemale frigus frequentes grassarentur catarrhi.

Quandoque contingit, obstructa talia loca in pulmone manere diu, & vix ullo signo cognosci, si parvæ tantùm molis fuerint; attamen postea, aliâ accedente causâ, suppurantur, & vicina depascendo magnas sæpe pulmonum vomicas producunt. Notavit hoc in Praxi Medica versatissimus *Baglivus*, quòd nempe tales (*a*) *Latent interdum per plures annos in pulmonibus tuberculi absque sensibili molestia ægrotantis: manifestantur demum vel post pleuritidem, vel post anginam, vel post febrem aliquam, sanatam*; atque bis se hoc observasse in cadaveribus dissectis. Ideo monet, statim medelam adhibendam esse, si post sanatam aliquam febrim superveniat dolor lateris, vel dorsi, vel alterius pectoris partis, accedente simul difficili respiratione. In Historia Medica numerosi casus leguntur illorum, qui subitò exstincti fuerunt catarrho suffocativo, utì credebatur, in quorum cadaveribus omnia vasa aerea pulmonis pure plena inventa fuerunt; quibusdam etiam pus per os & nares magnâ vi erupit. Notabilem talem casum ipse vidi. Venit ad ædes meas, ut me consuleret, rhedâ vectus æger, gradus satìs numerosos adscendit, licèt non sine molestia, ut ipse fatebatur, sed credebat, se asthmate spasmodico laborare, cæteroquin sanum se omnino prædicabat. Re examinatâ, monui illum de ancipiti morbi sui eventu, & quod vomicam in pulmone latere crederem; unicámque spem curæ esse, si rupto abscessu & evacuato pure consolidari posset locus. Videbam facilè, quòd non fideret multùm huic morbi sui diagnosi; promittebat tamen, se tentaturum remedia, quæ præscripseram: descendit gradus satìs alacriter, currum conscendit, ad vicinum Pharmacopolium tendit, &, dum servus ejus fores pulsat, moritur, ingenti copiâ puris per os & nares expulsâ. Dum inopinatos similes casus vidisset in Praxi *Baglivus*, exclamat, (*b*) *O quantùm difficile est, curare morbos pulmonum! O quantò difficilius eosdem cognoscere, & de iis certum dare præsagium! Fallunt vel Peritissimos, ac ipsos Medicinæ Principes. Tyrones mei, cauti estote, & prudentes, in iis curandis: nec facilem promittite curationem, ut nebulones faciunt, qui* Hipppocratem *non legunt.*

Certè noverat *Hippocrates*, quòd quandoque in corpore lateant suppurationes, & ideo dixit, (*c*) *Quibus suppuratum quoddam in corpore existens signis non proditur, iis ob puris aut loci crassitudinem suî signa non edit.* Idem enim & in aliis corporis visceribus contigisse novi. Vidi aliquoties in hepate & renibus abscessus in cadaveribus dissectis, de quorum præsentia nul-

(*a*) Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. pag. 35.
(*b*) Ibid. pag. 34.
(*c*) Aphorism. Sect. VI. n°. XLI. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 274.

lam suspicionem habuerant Medici vitæ tempore, & apud *Bonetum* plura similia Exempla habentur.

Sed & *Hippocrates* meminit talium tuberculorum pulmonis, quæ postea suppurantur, dum dicit (*a*) *Quum ad sese pulmo sanguinem, aut pituitam salsam, traxerit, neque rursus dimiserit, sed ibi collecta & coacta fuerint, ex his tubercula in pulmone gigni solent, & suppurari.* Postea monet (*b*) *Nisi verò advertat, morbus annum detinet, & mutatur* (æger) *& varias subit affectiones.* Simul notat, quandoque pus in pectus erumpere, túncque sectione vel ustione factâ educendum esse. His similia habet & alibi (*c*), ubi pariter notat, empyema inde fieri posse. Patet ergo, à latenti tali causa pus colligi quandoque in thoracis cavo, & Medicos sæpe fallere, dum non exspectant empyema nisi post validos morbos inflammatorios pectoris prægrèssos.

2. In pleura membrana, & locis intercostalibus, tales vomicas fieri, quæ ruptæ in cavum thoracis pus effundunt, antea patuit in Historia pleuritidis, & inprimis §. 894, ubi de pleuritide suppurata agitur. Quomodo à vulnere pectoris malè curato empyema nasci possit, pariter ad §. 298, dictum fuit.

Præterea ad §. 324, ubi de contusione agebatur, monitum fuit, effusos humores, sub cute integra, nisi resorbeantur venis, stagnando posse acres reddi, & inflammationes, suppurationes, &c, producere. Adeóque à contusione thoracis empyema potest nasci. Notatum autem fuit §. 326, à musculis contusionis similia mala fieri posse; simúlque tunc dictum est, quandoque per contusiones quasdam tantùm rumpi musculorum fibras, ita tamen ut inde actio musculi non tollatur; túncque adest illud malum, quod veteres Medici (σπάσμα) vulsionem, vel & (ῥῆγμα) rupturam, dixerunt, utì (*d*) *Hippocratis* & (*e*) *Galeni* auctoritate tunc probatum fuit. Molestos dolores inde fieri & diuturnos constat; & monet *Hippocrates* quòd, rupturæ illæ, (*f*) *Difficillimæ sunt, circa thoracem & maximè periculosæ*: ad curationem enim talium malorum quies partis dolentis multùm præstat; quæ in thorace ob respirationem perpetuò necessariam difficulter obtineri potest; adeóque ob perpetuam illam irritationem inflammatio ac suppuratio sequi possunt; & apostemate introrsum rupto, fiet empyema. Videtur *Aetius* à tali causa empyema metuisse. Postquam enim dixerat, se novisse, quosdam sine febre empyicos factos fuisse, subjungit, (*g*) *Quibus autem ex gymnasii, exercitiis, aut lapsu aliquo, vulsio facta, dolorem quemdam circa thoracem in profundo attulit*, &c; postea remedia recenset, quibus hoc malum superari possit. In versione latina *Aetii* (*h*) σπάσμα verterunt convulsionem, sed minùs rectè, utì §. 326, probatum fuit.

Patet ergo, ruptionem talem tectam pleuræ, & musculorum intercostalium, inter causas empyematis meritò numerari.

(*a*) Lib. de Inter. de Affection. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 641.
(*b*) Ibidem.
(*c*) De Morb. Lib. I. Cap. VIII. Charter. Ibid. pag. 541.
(*d*) Ibid. pag. 541. 542.
(*e*) Hippocrat. Lib. de Medic. Officin. Comment. III. text. XXXI. Charter. Tom. XII. pag. 98.
(*f*) Coac. Prænot. n°. CCCCXXV. Charter. Tom. VIII. pag. 877.
(*g*) Lib. VIII. Cap. LXXIII. pag. 173, versâ.
(*h*) Sermon. VIII. Cap. LXV. pag. 84.

3. In numeris hîc citatis de suppuratione, paraphrenitidem sequente, dictum fuit, simúlque tunc notabatur, abscessum, in diaphragmate natum, posse rumpi abdomen versùs, túncque asciten purulentum producere; vel & versùs thoracem, túncque empyema sequi.

4. 5. De his pariter, numeris citatis in textu, actum fuit: simul conferantur illa, quæ ad §. 913, de mediastini ac pericardii inflammatione, & suppuratione hanc secuta, habentur.

Interim tamen notatum est, quòd pus collectum in cavo pericardii, vel inter mediastini duplicaturam, propriè loquendo, non faciat empyema, cùm non hæreat inter pulmonem & pleuram, quod in Definitione empyematis §. 1183, requiritur. Præterea per paracentesin, §. 1191, Descriptam, pus ex his binis locis non educeretur. Ubi autem illud pus, rupto pericardio vel mediastino, in cavum thoracis delabitur, tunc empyema producit.

Præterea notari meretur ipsius mediastini structura, de qua §. 170. n°, 4, & §. 913, dictum fuit; simúlque notatum, duplicatæ pleuræ lamellas, mediastinum constituentes, à se invicem recedere circa corpora vertebrarum thoracis, & sic relinquere speciem triangularis cavi, cujus postica pars est columna vertebrarum; in quo cavo ponitur membrana cellulosa, per quam transeunt aspera arteria, œsophagus, ductus thoracicus, &c: si pus collectum hæreret intra hanc duplicaturam mediastini, proprio pondere delabens posset quandoque miras vias sibi per substantiam cellulosam facere, & in longè dissitis corporis locis tumorem purulentum excitare. Ad §. 413, ubi de fistulis agebatur, memorabilem talem casum recensui, & postea aliquot similes in Praxi vidi, qui fecerunt, ut dubitaverim, an non quandoque tale quid contingeret in morbis, quod & §. 836. n°. 4, monui.

§. 1186. COGNOSCITUR futurum 1°. Ab inflammatione quinque partium (1185), nullâ coctione, revulsione, crisi, medicamento, depuratâ, sed cum horrore vago, febriculâ, noctu gravi, calore vago, gravitate loco doloris, dyspnœâ, appetitu prostrato, siti majori, desinente. (vide 833. 892. 913.).

Certum est, hîc magnâ attentione opus esse, ut Medicus tutò determinare possit, empyema adesse, vel non; post mortem enim facta cadaveris sectio demonstrabit, an in diagnosi erraverit; & præterea turpe foret, si, factâ thoracis paracentesi, nullum pus exiret. Sedulò ergo perpendenda est tota Historia morbi prægressi, præcipuè si quis ab initio non adfuerit tali ægro, sed tantùm in concilium vocetur, dum deliberatur an empyema adsit, & quomodo educendum sit collectum pus. Empyema autem semper supponit vomicam purulentam præexstitisse (§. 1184.) in una vel pluribus ex quinque partibus modò recensitis; adeóque sedulò perquirendum est, an in morbi Historia talia signa occurrant, quæ docent in his partibus inflammationem natam fuisse; simúlque nulla adfuisse indicia, talem inflammatio-

nem, vel benignâ resolutione, vel evacuatione materiæ morbosæ, aut metastasi, ad alias corporis partes, curatam esse. Deinde examinandum, an secuta fuerint postea talia symptomata, quæ notant inflammatum locum abire in suppurationem. Ultimò inquirendum est omni cum cura, an & adfuerint signa apostematis jam facti.

Cùm autem de omnibus illis satis amplo sermone actum fuerit, ubi de *Peripneumonia*, *Pleuritide*, *Paraphrenitide*, in suppurationem abeuntibus dicebatur, nullo modo opus erit hoc loco illa omnia repetere. Signa enim pulmonis suppurandi, & jam suppurati, descripta fuerunt §, 833. 834. 835. De pleuritide suppurata dictum fuit §. 892. 893. 894. De simili malo, diaphragma, mediastinum, aut & pericardium, occupante, videantur illa, quæ ad §. 910. 912. 913, habentur.

§. 1187. COGNOSCITUR jam præsens. 1°. A tempore inceptæ inflammationis viginti dierum sine purgatione. 2°. A signis vomicæ in quinque partibus (1185) disparentibus. 3°. A novo dolore, tussi, dyspnœâ, salivatione ortis, móxque disparentibus. 4°. A tussi sicca; gravitate ad diaphragma; decubitu in unum latus; strepitu puris ad motus; febre lentâ; genis rubentibus; oculis cavis; digitis in extremitate calidis, unguibus recurvis; abdominis tumore.

Omnia illa signa, quæ recensentur paragrapho præcedenti, tantùm docent, vomicam adesse talem, quâ ruptâ, pus posset effundi in cavum thoracis, adeóque empyema produci. Sequitur ergo, ut dicatur de illis signis, quæ docent, pus inter pulmones & pleuram hærere. Potest enim vomica pericardii rumpi, ita ut in cavum pericardii labatur pus, túncque non aderit empyema, neque illud pus per paracentesin, §. 1191, descriptam, posset educi. Cordis palpitatio perpetua, anxietas magna, locus ubi dolor inflammatorius in initio morbi, fuerat, signa dabunt talis mali, cujus curatio vix sperari potest. Pariter, utì antea monitum fuit, vomica mediastini posset sic rumpi, ut pus delaberetur inter secedentes à se mutuò mediastini lamellas, adeóque nec tunc hærebit in cavo pectoris, sed ad longè alia loca corporis venire poterit.

Signa autem præsentis empyematis sunt primò talia, quæ comitantur vomicæ purulentæ rupturam: deinde habentur alia, quæ docent pus inter pulmones & pleuram in thoracis cavo collectum hærere; quæ omnia singulatim consideranda sunt.

1°. Certum quidem est, quòd, ubi inflammatio illarum partium, quæ §. 1185, recensentur, duravit per viginti dies, absque ulla expurgatione vel metastasi materiæ morbosæ, tunc ferè certi simus, suppurationem hîc factam esse; præcipuè si signa suppurationis simul adfuerint. Verùm non ideo certò scimus, vomicam purulentam jam ruptam esse, nam rupturæ tempus admodum variat. Patuit hoc ex *Hippocratis* testimonio, quod adduxi §. 894, ubi de pleuritide suppurata agebatur. Nam sic admonet, (*a*) *Rumpuntur autem plurimæ suppu-*

(*a*) Coac Prænot. n°. CCCCII. Charter. Tom. VIII. pag. 875.

rationes, *partim vigesimo die*, *partim quadragesimo*, *partim sexagesimo:* simul autem indicat, illis ægris citiùs rumpi vomicas, quibus dolor intensior fuit in principio morbi, utì & spirandi difficultas, cum tussi & sputatione, quæ signa sunt celerioris suppurationis, & vomicæ jam multo pure distentæ, adeóque citiùs rumpendæ. Patet ergo, quòd, omnibus morbi symptomatibus in toto decursu rite expensis, celeriorem vel tardiorem rupturam vomicæ possimus exspectare; sed simul evidens est, quòd non possit exactè determinari dies, quo hæc ruptura fiet: Sic monuit enim *Hippocrates*, si molesta satìs symptomata adsint, (*a*) *Ad vigesimum diem*, *aut citiùs ruptionem exspecta*, quod & *Celsus* disertè monuit, dicens, (*b*) *Si protinus initio dolor & tussis fuit*, *& spiritûs difficultas*, *vomica vel ante*, *vel circa vigesimum diem erumpet. Si seriùs ista cœperint*, *necesse est quidem increscant; sed quò minùs citò adfuerint*, *eò tardiùs solventur.*

Observavit *Piso* (*c*) in pleuriticis, ante diem morbi decimum quartum defunctis, quòd totus thorax pure plenus esset; imò vidit pus in pectore cujusdam Sacerdotis, qui, sexagenario major, perierat nonâ pleuritidis die. Verùm in hoc ægro neglecta fuerat venæ-sectio in morbi initio, & sexto tantùm die fuerat instituta; unde inflammatio, perperam curata, citiùs in suppurationem abiverat.

2. De signis vomicæ dictum fuit §. 835, & 893, quæ præcipuè pendent à distractione partium vicinarum, & compressione pulmonis in illo loco, ubi saccus purulentus hæret; simulac autem, ruptâ vomicâ, pus diffunditur in cavum thoracis, tunc necessariò illa omnia symptomata plurimùm minuuntur; imò quandoque penitus abolita videntur: quod optimè notavit *Hippocrates*, talem vomicam, in pulmone latentem, describens. Sic autem habet: (*d*) *At si per infusum pus minimè educatur*, *id ex pulmone in thoracem erumpit; póstque ruptionem sanus esse videtur*, *quòd pus ex angustia in ampliorem locum venerit; & spiritus*, *quem respiramus*, *in pulmone sedem habeat. Sed*, *procedente tempore*, *pure pectus impletur*, *tusses & febres aliique dolores omnes magìs ipsum vexant*, *morbúsque declaratur.*

Cavendum ergo est Medico, ne subito hoc levamine deceptus, credat morbum finitum esse, cùm adhuc anceps periculum supersit. Non quidem convenit, tristi prognosi datâ, eripere ægro blandam illam sanationis spem, quam conceperat; sed oportet amicos monere, quòd fallax illud levamen sit: sic enim famæ detrimentum cavebitur.

3. Antea ad §. 894, notatum fuit, quòd dolor minuatur, dum inflammatus locus in apostema purulentum abiit: hinc levantur ægri tales à dolore, cùm pus factum est, sed manet dyspnœa & molesta tussis. Ubi verò talis abscessus pure collecto, & quotidie aucto, turget, tunc membranæ, pus coercentes, magìs magísque distrahuntur, augetur multùm dolor, & sæpe minùs periti

(*a*) Coac. Prænot. n°. CCCCII. Charter. Tom. VIII. pag. 875.

(*b*) De Medicin. Lib. II. Cap. VII. pag. 66.

(*c*) De Morbis à serof. colluv. Sect. III. Cap. IX. Observat. LXII. pag. 256.

(*d*) De Morb. Lib. III. Cap. XV. Charter. Tom. VII. pag. 592. 593.

Medici doloris illud augmentum adſcribunt novæ inflammationi, & debiles jam à longiori morbo ægros repetitis ſanguinis miſſionibus quandoque exhauriunt. Si autem attendiſſent ad illa, quæ in externis partibus corporis, ſimili modo affectis, apparent, intellexiſſent facilè rationem novi doloris, qui percipitur, dum vomicæ internæ ruptura inſtat. Dum enim valida phlegmone manum occupat, moleſtus dolor adeſt, qui augetur, dum incipit ſuppurari pars affecta; minuitur verò, dum pus factum jam eſt. Verùm ubi à pure accumulato incipit diſtendi cutis & magìs diſtrahi, ſensímque quaſi lacerari, donec ruptâ cute pus exitum invenerit, tunc vehemens adeſt dolor, ſed ceſſans illico, ſi lanceolâ Chirurgâ pertundatur abſceſſus jam maturus, vel emollientiſſimis cataplaſmatibus macerata cutis ſponte à diſtendente pure rupta fuerit. Idem etiam contingit in abſceſſu interno; & hinc omnia illa ſymptomata diſparent mox, poſtquam vomica rupta empyema produxerit. Tunc autem ſequuntur nova mala, quæ à pure diaphragma deprimente, viſcera thoracis alluente, macerante, &c, producuntur; de quibus ſequenti numero agendum eſt.

4. Tuſſis oritur tunc à pure comprimente pulmonem, & impediente liberam ejus dilatationem per aerem inſpiratum, unde veſicularum aerearum latera ad ſe mutuò affricantur: ubi autem morâ idem illud pus acrius redditum fuit, tunc augetur irritatio tuſſiculoſa. Sicca autem tuſſis eſt, quia de effuſo pure in pectoris cavum nihil educi poteſt, ſed tantùm quid de muco pulmonis vaſa aerea obliniente, abraditur. Cùm autem ſponte ſuâ pus inferiorem partem cavi thoracis petat, hinc neceſſariò gravitas percipitur ad diaphragma.

Decubitus in dorſo talibus ægris ſatìs commodus eſt, quia diaphragma versùs dorſum profundiùs deſcendit. Ob eamdem rationem ſitum erectum in lecto amant, ſi multùm puris in thorace collectum fuerit, quia tunc puris incumbentis pondere diaphragma versùs abdomen deſcendit, ſícque amplior redditur thoracis cavitas. Cùm autem, ſi in latus ſanum decubuerint ægri, puris pondus urgeat mediaſtinum versùs alterum cavum thoracis, hinc difficiliùs poterit explicari pulmo ſanus; unde anguſtias magnas patiuntur ægri, & ſitum corporis mutare coguntur. Hoc ſignum empyematis optimè notavit *Hippocrates* de hoc morbo agens: (*a*) *Quum longius tempus progreſſum fuerit, febris vehemens ac tuſſis prehendit, latus dolet; neque in ſanam quidem partem decubitum ferre poteſt, ſed in dolentem*, &c.

Cùm autem pus illud, niſi aliam viam invenerit, utì poſtea dicetur, per ſectionem educi debeat, hinc Medicus certus eſſe debet, in quo thoracis latere pus hæreat. Quandoque, dum ægri ſe circumvertunt in lecto, fluctuationem puris ſentiunt, imò & ſtrepitus moti puris ab adſtantibus auditur. Ob hanc rationem juſſit *Hippocrates* (*b*), ut ægri, in firma ſella collocati, alter humeros teneat, Medicus verò ægrum concutiat,

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. xvi. Charter. Tom. VII. pag. 568.

(*b*) Ibid. Lib. III. Cap. xv. pag. 593.

ſimul

ſimul lateri aures propè admoveat, ut ſtrepitum puris in alterutro thoracis cavo collecti audiat. Simul tamen monet, quòd, (*a*) *Præ craſſitudine & copia puris*, nullus audiatur quandoque ſtrepitus, quámvis thorax pure plenus ſit: (*b*) *Quibus ſuppuratis, dum concutiuntur* (humeri), *multus ſtrepitus de humeris fit, minùs puris habent hi, quàm quibus paucus* (ſtrepitus), *ſi difficiliùs ſpirent, & meliorem colorem habeant. Quibus autem ſtrepitus quidem nullus fit, verùm difficultas ſpirandi fortis, & ungues lividi, hi pleni ſunt pure, & perniciosè habent.* Genæ autem rubent, & meliùs colorati apparent illi, qui magnam copiam puris in pectore habent, quia difficiliùs tranſit in his ſanguis per pulmonem, adeóque & minùs facilè per jugulares venas ſanguis à capite redux evacuatur in cor dextrum; unde vaſa ſanguinea faciei magìs diſtenta manent, utì aliâ occaſione §. 807, ubi de angina agebatur, explicui. Febris autem lenta perpetuò comitari ſolet empyema, ob tenuiorem partem puris reſorptam, & ſanguini miſtam. Hæc autem febris ſenſim habitum corporis depaſcitur, unde ſumma inducitur macies. Cùm autem magna copia pinguedinis in orbitis oculorum adſit, ut molli quaſi pulvinari bulbus oculi undique excipiatur, lubricetur, & ſervetur mobilis, inde, pinguedine hâc conſumptâ, redduntur oculi cavi, id eſt, bulbus oculi profundiùs in orbitam demergitur. Ob eamdem cauſam, conſumptâ illâ pinguedine, quæ in apicibus digitorum organum tactûs ſuſtinet, ungues recurvi magìs prominent. Simul & color ſatìs acer in extremis digitis & in volis manuum ſolet percipi, dum perpetua febricula ſanguinem velociùs movet per vaſa magìs contracta, atque ob tendineas vaginas incumbentes exſuccas magìs & aridas redditas, plùs compreſſa.

Abdominis autem tumor tunc tantùm adeſt, quando magna puris copia deprimit diaphragma, ſícque abdomen prominere facit.

Cùm autem tantùm interſit Medico, ut certò noſcat, in quo thoracis latere pus hæreat, *Hippocrates* omnia ſigna collegit, & varias artes adhibuit, ut firmam haberet diagnoſin. Ita obſervavit, illud latus pectoris, ubi pus copioſum hæret, & quod ideo ſæpe ſtrepitum nullum facit, magìs intumeſcere, quàm latus oppoſitum (*c*); quod poſtea recentiorum Chirurgorum Obſervatis confirmatum fuit. Quia autem & magìs caleſcit latus affectum, hinc juſſit, totum thoracem obvolvi linteo tenui, intincto terræ rubricæ liquidæ, admodum tritæ & tenui, ſuasítque ſectionem aut uſtionem inſtituendam illo in loco, (*d*) ubi citiùs exſiccatio apparet. Vel & nudum thoracem rubricâ liquidâ illiniendum juſſit, ut appareat locus, qui primò ſiccatur; ſed prudenter monuit, tunc (*e*) multos ſimul illiniri debere, ut ſimul & ſemel totus thoracis ambitus tegatur: cæteroquin fallere poſſet, dum ille locus, qui primus illiniretur, citiùs reliquis exſiccaretur.

(*a*) De Morb. Lib. II. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. pag. 568. Confer. Lib. III. Cap. XV. pag. 593.

(*b*) Coac. Prænot. n°. CCCCXXXII. Charter. Tom. VIII. pag. 877.

(*c*) De Morb. Lib. II. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. pag. 568. Confer. Lib. III. Cap. XV. pag. 593.

(*d*) Ibid. Lib. III. Cap. XV. pag. 593.

(*e*) Ibidem.

Consideratis ergo omnibus, quæ ad diagnosin spectant, sequitur, ut videamus, quænam mala à pure, in thoracis cavo stabulante, sequi possint.

§. 1188. EFFECTUS hujus mali, 1°. Puris ex ulcere rupto, nec dein sanato, vel repurgato, continua accumulatio. 2°. Hujus in loco clauso, calido, humido, perpetim agitato, exacerbatio, putredo, fœtor, attenuatio. 3°. Diaphragmatis elevandi impedimentum, pulmonúmque extendendorum: unde anhelosa, difficilis, erecta respiratio, metus suffocationis jacenti, decubitus in liberam partem impossibilis, tussis sicca perpetua, anxietas. 4°. Pulmonis, pleuræ, diaphragmatis, pericardii, cordis ipsius, maceratio, corrosio, in tabum fluidum consumptio; unde febricula hectica cum pulsu celeri, parvo, rubore genarum, siti perpetuâ, fame sublatâ, debilitate summâ, animi defectibus. 5°. Hinc omnium liquidorum ineptitudo ad nutritionem, circulationem, secretionem, excretionémque; unde tabes, ἀτροφία, fibrarum resolutio, liquidorum putredo, adeóque vel per comesum pulmonem rejectio, vel alvi fluor saniosus lethalis, cum sudore nocturno post somnum, pustulis faciei, aduncis unguibus, flavedine pellucente, facie *Hippocraticâ*.

1°. Quandoque contingit, talem vomicam paucas tantùm uncias puris continere, unde, post rupturam factam, levamen omnium symptomatum percipiunt ægri; & parva quantitas puris effusi non multùm angustare potest pectoris cavum, unde certam sanitatem sperant ægri. Verùm tale ulcus apertum, perpetuò motum, pergit pus fundere, adeóque quotidie augetur puris quantitas. Videantur illa, quæ de hac re ad §. 894, habentur.

2°. Ad §. 406, dictum fuit de generatione puris, dum nimis diu clausus relinquitur abscessus, & de pessimis malis, quæ hinc sequuntur. Talis mutatio puris & hîc fiet in saniem acrem putridam rodentem, si diu maneat; ac quidem citior & pejor erit hæc degeneratio in hoc loco, ob motum perpetuum thoracis, calorémque vicini cordis. Præterea majus inde discrimen metuitur, dum corrupta sanies viscera vitalia alluit perpetuò.

3°. Notum est ex Physiologicis, quòd ad inspirationem requiratur thoracis dilatatio, ut aer libere in pulmonem ingredi possit. Illud thoracis latus, in quo puris magna copia hæret, dilatatum quidem est, &, utì paulò antè dictum fuit, major amplitudo pectoris in uno latere designat locum, ubi empyema est. Verùm, totum illud cavum licèt amplius fuerit, dum pure plenum est, impeditur expansio pulmonis tamen à pure undique ambiente. Præterea, ut exspiratio fiat, debet diaphragma, in inspiratione depressum, elevari denuo, sursum versùs thoracem: sed dum plures puris collecti libræ

gravant diaphragma, ſponte patet, illud longè difficiliùs attolli poſſe; adeóque erit difficultas magna reſpirationis, augenda ſimili proportione ac creſcit copia puris. Hinc facilè intelliguntur reliqua ſymptomata, quæ in textu enumerantur, de quibus etiam antea dictum fuit.

4°. Omnia loca, quæ acris talis ſanies alluit, erodi ac in putridum liquamen converti debere, dubitari nequit; &. Obſervata in cadaveribus empyemate defunctorum veritatem hujus rei demonſtraverunt. Si ipſæ coſtæ carie exedi potuerint à pure fœtidiſſimo, utì celeberrimus *Heiſterus* (*a*) vidit, quod cadaver ſecantis digitos roſerit; non miramur, cor & pulmones pariter in tabum fluidum conſumi potuiſſe, utì ad §. 406, ex *Schenckii* (*b*) Obſervatis conſtitit. Plura ſimilia apud *Bonetum* (*c*) inveniri poterunt. Dum autem pars acris & putridi ichoris, venis reſorpta, cum ſanguine fluit, dum vitalia viſcera irritantur perpetuò, & eroduntur ſenſim, perpetua febris, hectica dictâ, ſequitur, totum corpus depaſcens, cum ſiti perpetua, & fame deletâ, ob putridum talem fomitem circa vitalia viſcera hærentem. Simul facilè intelligitur, debilitatem ſummam, & animi deliquia, debere ſequi, donec mors omnibus his malis finem imponat.

5°. Ut nutritio fiat, debent omnes humores noſtri blandi eſſe, omnéſque ad ſanitatem requiſitas dotes habere. Verùm hîc à reſorpto putrido ichore totus ſanguis corrumpitur, vitalia loca, per quæ omnis ſanguis totius corporis tranſire debet, alluuntur perpetuò tali putrilagine. Hinc patet, omnes functiones turbari debere, nec poſſibile eſſe, ut reſtituantur perdita in corpere per nutritionem; dum interim hectica febris ſenſim totum habitum corporis depaſcitur. Cùm autem pulmo perpetuò maceretur in acri & putrida tali ſanie, eroditur, & quandoque pars contentæ materiæ in cavo thoracis rejicitur per ſputa, ſed abſque levamine, licèt ægri, qui hactenus tuſſiculam ſiccam paſſi fuerant, inde ſpem concipiant: facilè autem patet, tabefacto ſic pulmone, nil boni exſpectandum eſſe. Præterea, dum putredo augetur, attenuatur magìs corruptum pus, venis reſorbetur, & totum ſanguinem ſolvit, unde ſudoribus nocturnis diffluunt, ſícque exſiccatur corpus; vel putridiſſima diarrhœa ſequitur, corrupto toto ſanguine, quæ in ſuppuratis ultimam morbi cataſtrophen facere ſolet. Videantur & illa, quæ de ſudoribus nocturnis ad §. 835, habentur. Monuerat hoc *Hippocrates*, dicens, (*b*) *Qui crebrò tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, pernicioſum; ac ſub finem empyema habere deprehenduntur, alvóſque perturbatas*. Dum autem in ſudoribus illis nocturnis magna copia humorum versùs vaſa cutanea ruit, liquidiſſimâ parte per ſudores expreſſâ, craſſior & acrior ſanguis in vaſis cutaneis facilè hæret; ſícque vel rubores facit, vel circa folliculos cutaneos obſtructiones pariens puſtulas excitat. Ad §. 835, ex Prognoſticis *Hippocratis* allegavi locum, ubi, inter alia ſigna latentis in corpore collectionis purulentæ, & illa habentur. Poſtquam enim recenſuit febrim hecticam, ſudores, tuſſim

(*a*) Acta Phyſico-Medica, Tom. I. Obſervat. CLXXIV. pag. 394.

(*b*) Obſervat. Medicinal. Lib. II. pag. 274.

(*c*) Sepulc. Anatom. Lib. II. Sect. VI. Tom. I. pag. 666, & ſeq.

(*d*) Coac. Prænot. n°. x. Charter. Tom. VIII. pag. 853

inanem, addit, (*a*) *Oculique cavi fiunt, malas rubores obſident, & ungues quidem manuum adunci evadunt, digiti verò ſummi maximè incaleſcunt, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & phlyctænæ per totum corpus naſcuntur.* Huc etiam ſpectare videntur binæ Coacæ Prænotiones, quæ ſeparatis quidem numeris ſcribuntur, ſed ſe mutuò proximè ſequentibus, &, ſi uniuntur, perfectum ſenſum exhibent. Ita autem legitur: (*b*) *Rubores circa naſum alvi humeſcentis ſigna ſunt: dolore circa hypochondria aut pulmonem, ſi ſuppurentur, malum eſt.*

Cùm autem ſanguis per putridum miaſma reſorptum penitus ſolvatur adulto jam morbo, color ruber perit, & ſerum ſanguinis flaveſcens per majora vaſa fluit: unde per ungues pellucidos flavus color apparet, qui in ſanis hominibus roſeus eſſe ſolet. Similis etiam color in tota ſuperficie corporis conſpicitur, quod videtur & indicaſſe *Aræteus*, de hoc morbo agens, dum ſcribit: (*c*) *Quod ſi & in longum mutatio producitur, habitus phthiſicus redditur; neque enim ultrà in officio Natura perſeverat, quoniam concoctio non fit qualis antea: inde caro conſumitur, color qualis belluæ* (χροιὴ ζωώδης) *efficitur.* Verùm optimè videtur monuiſſe *Petitus*, quòd aliter hic locus legi debeat, interpoſitâ particulâ negativâ, nempe, (*d*) χροιὴ ἐ ζωώδης; túncque ſignificat colorem cutis deturpari, neque ampliùs eſſe talem, qualis in vivo & ſano homine apparet.

Ubi autem per ſudores, alvi fluxum, atrophiam, totus habitus corporis vero maraſmo conſumitur, tunc magna mutatio in facie talis ægri apparet, & ſibi ipſi diſſimilis fit. Solet autem *Facies Hippocratica* dici ideo, quia ab *Hippocrate* in *Prognoſticis* graphicè deſcripta fuit (*e*). Poſtquam enim monuerat, optimum ſignum eſſe in morbis, ſi facies ægrotantis ſanorum faciei ſimilis ſit, & inprimis ſibi ipſi ſimilis manſerit æger, damnat quàm maximè faciem penitus mutatam à naturali ſua conditione, illámque ſic deſcribit, (*f*) *Naſus acutus, oculi concavi, tempora collapſa, aures frigidæ & contractæ, & imis partibus inverſæ. Ad hæc cutis circa frontem dura, intenta, & arida, colórque totius faciei niger, aut etiam pallidus & lividus aut plumbeus.* Talis autem vultus apparet, ubi omnis pinguedo conſumpta eſt, & exhauſtis liquidis vaſa collapſa ſunt; ſimúlque, conſumpto, aut oppreſſo pulmone, pauculum ſanguinis, quod ab encephalo redit, in venis ſtagnare incipit, tunc enim lividus ille & plumbeus faciei color apparet. Satìs autem patet, mortem inſtare, dum in empyemate facies illa *Hippocratica* adeſt. Unde & *Hippocrates*, alio in loco eadem mutati vultûs ſigna recenſens, vocavit (*g*) faciei corruptionem, illámque lethalem eſſe monuit. Cæterùm nullum certum tempus determinari poſſe, quo empyema in mortem tendit, monuit *Hippocrates*; cùm (*h*) *Nonnulli*

(*a*) Prognoſtic. Comment. II. Sentent. LX. Charter. Tom. VIII. pag. 651.
(*b*) Coac. Prænot. n°. CCXVI. CCXVII. Charter. Ibid. pag. 864.
(*c*) De Cauſ. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 38.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Prognoſtic. Comment. I. Sentent. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Charter. Tom. VIII. pag. 591, & ſequ.
(*f*) Ibid. Sentent. VI. VII. pag. 590. 591.
(*g*) Coac. Prænot. n°. CCXIII. Charter. Ibid. pag. 864.
(*h*) De Morb. Lib. I. Cap. VII. Charter. Tom. VII. pag. 539.

brevi quidem pereunt; quidam verò etiam multum tempus trahunt. Differt enim corpus à corpore, ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & anni tempestas ab anni tempestate, in qua ægrotârint, &c.

§. 1189. CURATIO hujus pro varietate causæ statûsque mali diversa planè est.

Causæ empyematis sunt vomicæ, in quinque locis §. 1185, enumeratis natæ; &, prout in diversis locis hæret pus, alia requiritur curatio. Si in pulmone sit vomica, spes est, emolliente tepido vapore, sæpe per os naresque attracto, sic emolliri posse membranas pus coercentes, ut tussi validâ, sponte, vel per Artem, excitatâ, rumpantur, & pus exscreari possit. Si in pleura hæret vomica, mollissimis fovendum latus remediis, ut extrorsum trahatur pus, si fieri possit. Idem in aliis vomicæ speciebus obtinet. Verùm etiam ratione statûs morbi diversa planè curatio est instituenda. Quamdiu enim vomica nondum rupta est, multa tentari quandoque possunt, ut caveatur puris in cavum thoracis delapsus. Ubi autem pus jam collectum hæret in pectore, de cita illius eductione cogitandum est, si vires ægri adhuc constent, & recens sit empyema. Ubi autem illa signa adsunt, quæ §. 1195, recensentur, tunc sola cura palliativa locum habet.

§. 1190. NAM 1°. Cognitâ vomicâ pulmonis, pleuræ, diaphragmatis, mediastini, & pericardii, quod cognoscitur ex signis propriis (834. 835. 893. 910.), omni ope nitendum, ut id rumpatur quantocyùs, & determinetur ad exteriora: quod fit igne, ferro, medicamentis, motu idoneo.

Quomodo cognosci possit talium vomicarum præsentia, ad paragraphos in textu citatas dictum fuit; adeóque hîc illa signa non repetentur.

Omni Artis molimine tunc tentandum est, ut via concilietur puri versùs exteriora: hoc autem optimè fit, si in illo loco, ubi ex signis observatis colligitur latere vomicam, minuatur resistentia, perpetuis fomentis, aut cataplasmatibus mollissimis, applicatis, vel cucurbitis, frequenter adhibitis, minuatur pressio atmosphæræ in illo loco; unde cutis & panniculus adiposus ibi tumere incipiet, & spes erit, quòd pus, in vomica latens, pressum perpetuò, dum aere inspirato dilatantur pulmones, viam sibi quæret versùs exteriora, ubi minor resistentia sic conciliatur. Imò, ut ad §. 895, dictum fuit, ubi de hac re agebatur, si scalpello, vel causticis, integumenta thoracis dividantur, ad pleuram ferè usque, & diu aperta serventur talia vulnera, contingit sæpe, ut felici eventu vomica ibi rumpatur, sícque pus per exteriora sibi viam inveniat. Unde etiam, utì ibidem dictum fuit, soliti fuerunt veteres Medici in tali casu pluribus locis urere thoracis exteriora, dum non constabat certò de loco vomicæ latentis. Pro-

bat hanc rem *Galenus* ex *Platone Comico*, qui post pleuritidem suppuratum juvenem sic describit: (*a*) *Postea verò, Evagoræ filius Cnesias, è pleuritide sceletus & aridus pure vacans* (id est, pus non exspuens) *arundinacea gerens crura, tabis prænuncius, plurimis escharis corpus inustus ab Euriphonte*, &c: simul etiam tunc quædam Observationes Practicæ enarratæ fuerunt, quæ utilitatem hujus Methodi confirmant. Certè *Willisius* dum satagit explicare, per quas vias lympha, in cerebri ventriculis collecta exire possit, notat, in vivente corpore meatus esse posse, qui post mortem collapsi in cadaveribus non deteguntur, suámque sententiam firmare conatur, quòd & pulmonis vomica sæpe per latentes vias exire queat; sic autem habet: (*b*) *Aliquoties novi, in vomica pulmonis, per membranas pleuræ adnatas, humorem à cysti in fontanellam, lateri inustam, derivatum fuisse, adeóque, sputo cessante, morbum, aliàs incurabilem visum, tali epicraseos viâ sanatum fuisse.* Legitur & apud *Schenckium* (*c*) talis casus, ubi, post anginam malè tractatam, materies morbi in pulmonem iverat, & periculosam hujus visceris suppurationem fecerat. Peritus Medicus fomentis, emplastris, cataplasmatibus, thoracis exteriora perpetuò foveri curavit, tali cum effectu, ut, postquam per aliquot dies hæc facta fuerant, inceperit cutis in utroque pectoris latere paulò infra mammillas rubescere, cum levi tumore, & vigesimo die in sinistro pectore, disruptâ cute, maxima effluxerit puris copia; post triduum in dextro pectore idem contigit; unde statim magnum levamen æger sensit, & postea integram sanitatem recuperavit.

Per motum autem idoneum corporis promovere maturi jam abscessûs rupturam, inprimis locum habet in vomica pulmonis, ut sic per sputa educatur pus, de quo videantur illa, quæ ad §. 857, dicta fuerunt.

§. 1191. 2. UBI constat, jam factam disruptionem (302. 836. nº. 4. 5. 894. 910.), tum statim pus elapsum erit educendum. α. Per os, si Natura hanc monstraverit viam. β. Per urinas, si in ea apparent puris evacuati signa. γ. Per thoracis aperturam, factam ope instrumenti idonei in latere affecto, inter costam 5 & 6, vel 4 & 5, ab inferioribus numero ducto, pure lentè, & per vices, educto, & leni mulsâ aliquando repurgato, ultimò bene consolidato (303). δ. Dando simul decocta vulneraria, abstergentia, putredini resistentia, satìs magnâ copiâ.

Quibus signis cognosci possit, vomicam ruptam esse, numeris hîc citatis dictum fuit. Ad §. 302, descripta sunt illa signa, quæ docent, sanguinem in thoracis cavum effusum esse; cùm autem pus effusum similiter

(*a*) Hippocrat. Aphorism. Sect. VII. nº. XLIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 316.

(*b*) Cerebr. Anatom. Cap. XII. pag. 146.

(*c*) Observat. Medicin. Lib. II. Observ. XV. pag. 252.

diaphragma gravet, & pulmonis liberam expansionem ab aere inspirato impediat, hinc & illa signa huc referuntur. Ad §. 834. 835, dictum fuit de vomica pulmonis peripneumoniam veram sequente. Ad §. 893. 894, de simili malo, post pleuritidem nato, dictum fuit. De vomicis autem diaphragmatis, mediastini, pericardii, §. 910. 913, actum fuit. Præterea de empyematis signis eodem hoc capitulo §. 1187, fuit tractatum.

Generalis ergo indicatio hæc est, ut educatur quantocyùs illud pus, sive per vias, quas Natura monstrat, sive per alias, quas Ars Naturæ succurrens facit.

α. Quandoque contingit, per os exscreari pus post vomicam ruptam: sed videtur hoc inprimis tunc contingere, si abscessus in pulmone fuerit, & ita rumpatur, ut pus in vasa aerea pulmonis effundatur, sícque per asperam arteriam educi possit tussiendo. Si simul & semel ingens copia puris inundet vasa aerea, tunc subitæ suffocationis metus est. Ubi verò per parvam aperturam vomica rupta pus effundit, tunc absque periculo tussiendo educitur, & sanationis spes est; quod optimè notavit *Aretæus* dicens, (*a*) *At si jam rupta sit* (vomica), *strangulatûs discrimen impendet, si multum subitaneúmque pus emanavit. Si pedetentim verò emittatur, exactè sanitas advenit* (certò prodest). Sic enim videtur vocabulum ἀτρεκέϛ hîc verti debere. Quinam victus, & quæ remedia, tunc requirantur, dictum fuit §. 858, ubi de hac re actum fuit. An autem pus, jam effusum in cavum thoracis, à pulmone adhuc integro resorberi possit, & tunc per sputa educi, meritò dubitare licet. Pus, acrius morâ redditum, per comesum pulmonem rejici posse, §. 1198, dictum fuit; sed & simul notabatur, parùm de sanitate restituenda tunc sperari posse.

β. Antea ad §. 406, notatum fuit, pus, in abscessu clauso diu relictum, venis resorberi, cum reliquo sanguine per vasa fluere, & non tantùm per metastasin ad varia corporis loca deponi, sed etiam quandoque feliciter per alvum, aut & urinæ vias, evacuari de corpore. Simul tunc quædam Observationes fuerunt allegatæ, quæ docent manifestè hujus asserti veritatem.

Certum est, veteres Medicos ferè omnes agnovisse, possibilem esse per has vias puris, in cavo thoracis contenti, evacuationem: (*b*) *Galenus*, (*c*) *Aretæus*, *Ægineta*, *Aetius*, *Cælius Aurelianus*, disertè hoc monuerunt: sed videntur inprimis laudasse illam puris evacuationem, quæ fit per urinas, tamquam tutiorem illâ, quæ per alvum fit, utì antea ad §. 894, dictum fuit. *Diemerbroeckius* tractavit mercatorem Noviomagensem, in quo fluctuatio puris, intra thoracem contenti, dum corpus antrorsum & retrorsum moveretur, manifestè audiebatur, qui, (*d*) *Puris albi, bene cocti, mediocriter crassi, duas matulas plenas è thorace per urinarias vias bidui spatio, cum aliquo in ureteribus dolore, excrevit, sine ullo sanguine, & sic ab empyemate feliciter liberatus fuit.* Binas adhuc alias Observationes ibi habet, quæ

(*a*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX pag. 38.

(*b*) De Loc. Affect. Lib. VI. Cap. IV. Charter. Tom. VII. pag. 517.

(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 38.

(*d*) Anatom. Lib. I. Cap. XVII. pag. 98.

idem docent. Verùm & alia Obſervatio habetur, quæ magis mirabilis eſt; ubi nempe empyema, largo ſatìs foramine, inter ſeptimam & octavam coſtam viam invenerat, tumorémque fecerat durum, cuti concolorem, & magnitudine caput infantis æquantem: cùm gravida eſſet jam per quatuor menſes ægra, difficillimè reſpiraret, diarrhœa continua cum teneſmo adeſſet, & ſudores colliquativi, febris hectica corpus depaſceretur pro deſperata habebatur. Peritus Chirurgus ſcalpellum ad aliquot pollicum profunditatem per medium tumoris centrum adegit, antequam pus prodiret, quod tunc magno impetu & copiâ exivit. Sequenti die invenit pus bonum in fæcibus alvinis, ejuſdem coloris & conſiſtentiæ ac illud, quod ex aperto tumore fluxerat; & ſimile pus in urina emiſſa ſubſidere vidit. Evaſit autem hæc mulier ex tanto periculo, licèt abortum paſſa fuerit ſextâ die poſt Operationem inſtitutam; & poſtea adhuc tres peperit proles (*a*). Illud inprimis notari meretur in hoc caſu, quòd, licèt magna copia puris per vulnus factum effluxerit, & quotidie perrexerit exire, tamen pars notabilis puris per alvum & urinam exiverit; adeóque videtur non adeo difficulter pus hos exitus invenire.

Quænam autem conducant, tam à victu, quàm remediis, in tali caſu, dictum fuit ad §. 852. 853, ubi de materia morbosa, in peripneumonia per has vias exitum moliente, dicebatur.

Patet ergo, quòd, poſtquam conſtiterit, vomicam ruptam eſſe, per quatuor vel quinque dies, attendere debeat Medicus, an ſigna quædam puris evacuandi per has vias appareant: ſin minùs, tunc cogitandum eſt de thoracis paracenteſi, quæ non debet differri nimis diu, ut cum felici ſucceſſu fiat.

γ. Quo in loco thoracis apertura fieri debeat, & quænam cautelæ in hac Operatione requirantur, antea, ad §. 303. n°. 5, pluribus dictum fuit, ubi de educendo ſanguine ex thoracis cavo agebatur: quæ omnia pariter obſervanda ſunt, ubi pus evacuari debet. Verùm ſanguis extravaſatus ſolet ſimul & ſemel emitti, quia plerumque non diu ibi hæſit; adeóque nondum corruptus eſt, & pulmo ſatìs integer ac firmus. Ubi autem pulmo diu maceratus fuit pure illum alluente, tunc ſæpe, eductâ totâ quantitate puris, ſanguis ſubitò implens vaſa pulmonis, ferè tabefacta, illa rumpere poſſet, & ſubita mors quandoque ſequeretur; quod *Hippocrates* (*b*) optimè monuit, utì tunc ad illam paragraphum dictum fuit. Hoc monitum *Hippocratis* omnes periti Chirurgi obſervant, nec ſimul & ſemel, ſed per vices, emittunt pus per aperturam thoracis. Neceſſe eſt ergo, ut turundâ immiſſâ obturetur apertura, cùm cæteroquin in pectoris vulneribus damnoſum turundarum uſum invenerint Chirurgi, utì ad §. 304, dictum fuit. Simul & abſtergens ſed lene liquidum, poſtquam maxima copia puris jam educta fuit, ſolet per aperturam injici; decoctum hordei, v. gr; in cujus libra

(*a*) Medical Eſſays, Tom. V. §. 32. pag. 422.

(*b*) Aphoriſm. Sect. VI. n°. XXVII. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 263.

uncia

uncia mellis soluta fuit; vel & infusum *scordii*, *marrubii*, *veronicæ*, & similium, addito pariter melle. Tandem ubi nihil puris ampliùs exit, debet consolidari vulnus inflictum, de qua re videantur illa, quæ de curatione *Vulnerum thoracis* antea dicta fuerunt. Quàmvis autem prudentia dictet, per repetitas vices pus educendum esse, quibusdam tamen & feliciter cessit totalis puris extractio. Sic apud *Plinium* legitur, quòd (*a*) *Phalereus, tum deploratus à Medicis vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore Medicinam invenerit ex hoste*. Procul dubio in hoc casu tota puris copia undatim effluxit ex vulnere inflicto.

Pulchre autem cautelas requisitas in educendo pure ex cavo thoracis recensuit *Hippocrates* dicens, (*b*) *Postea emisso pure, quantùm visum tibi fuerit, vulnus linamento ex lino crudo, cui filum alligâris, obducito, quotidie verò pus semel emittito. Postquam autem decimus dies acciderit, toto pure emisso, penicillum ex linteo indito, deinde vinum & oleum, tepida, per fistulam infudito; ne pulmo, pure madescere consuetus, derepente resiccetur. Infusum autem matutinum sub vesperam, & vespertinum manè, educito. At ubi pus tenue velut aqua, aut ad digiti contactum glutinosum, ac paucum fuerit, stanneum penicillum cavum indito, cùm verò prorsus venter* (cavitas) *resiccatus fuerit, paulatim resecto penicillo, dum ipsum eximas, vulnus coalescere sinito*. Nisi enim certò constet, depuratam rite, & dein consolidatam esse superficiem ulcerosam thoracis interni, nunquam debet consolidari vulnus, quia novum fieret empyema, quod similem denuo Operationem posceret.

Verùm ad §. 1185, notatum fuit, in ipso mediastino & pericardio vomicas nasci, quæ quidem sic rumpi possunt, ut in cavum thoracis pus delabatur; interim tamen & quandoque pus talium vomicarum non in thoracem, sed in cava mediastini aut pericardii venit; tuncque modò descriptâ thoracis aperturâ educi non posset. Monitum tunc fuit, si pus colligatur inter duplicaturam mediastini, quæ vertebras respicit, quòd tunc quandoque miras sibi vias per panniculum adiposum quærat: sed simul patet, quòd tunc per paracentesin thoracis educi nequeat. Ubi pus in pericardio hæret, vel inter duplicaturam mediastini sub sterno colligitur, pariter per Operationem modò descriptam educi non potest; túncque vel suo fato relinquendus est æger, vel debet sterni perterebratio fieri, ut via puri conciliari possit. Certè *Aretæus* (*c*) notavit, quibusdam empyema in osse sterni nasci: non quidem meminit perterebrationis sterni, sed antea ad §. 895, memorabilem casum descripsi, ubi, post pleuritidem suppuratam, decimo mense in medio sterno tuber apparuit molle, in cujus ambitu exesi ossis sterni margines distinctè tangi poterant: rupto tumore, ingens copia laudabilis puris effluxit: ibi Natura exitum puri per medium os sterni paraverat. Ad paragraphum 298, patuit, *Galenum* (*d*) exscidisse ster-

(*a*) Histor. Natural. Lib. VII. Cap. 1. pag. 166.

(*b*) De Morb. Lib. II. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. pag. 568

(*c*) De Caus. & Sign. Morbor. Diuturnor. Lib. I. Cap. IX. pag. 39.

(*d*) De Anatomic. Administrat. Lib. VII. Cap. XIII. Charter. Tom. IV. pag. 161.

ni partem corruptam; &, licèt pericardium, suppositum sterno, computruisset, nudúmque cor appareret, tamen brevi tempore successit curatio. Videtur ergo concludi posse, talem sterni aperturam tentandam esse, si signa certa docuerint sub hoc osse latere empyema. Sterni trepanationem se vidisse institutam in homine vulnerato, testatur *Dionisius* (*a*), licèt absque successu; moriebatur enim: sed inde tamen non liquet, mortem adscribendam fuisse huic Operationi, sed potiùs vulneri, cùm modò dicta demonstrent, supervixisse homines, licèt sternum perforatum fuerit.

δ. De his remediis dictum fuit in cura peripneumoniæ §. 858. Dantur autem largâ copiâ, ut pars puris resorpta, ex sanguine eluatur per hæc decocta, & per urinæ, alvi, aut sudoris, vias eliminetur de corpore.

§. 1192. SI pus album, læve, æquale, fœtoris expers, specillum non colorans, exit, si æger sine febri, siti, alvi fluore, bene appetit, digerit, cæterà sanus est, aeri ingressus in thoracem, quantùm possibile, prohibetur, spes est, ægrum convaliturum (304. 305.).

Omnia signa hactenus recensita tantùm docuerunt puris præsentiam in cavo thoracis. Sed nondum habebatur plenaria certitudo, quale foret pus ibi collectum, & quomodo affecta essent thoracis viscera, quæ hoc pure alluebantur. Ubi autem, aperturâ thoracis factâ, pus erumpens examinari potest, tunc multa discere possumus, quæ indicant, quid sperandum sit, quid metuendum. Antequam paracentesis instituatur, semper monendus est æger de dubio successu Operationis, quæ tamen absolutè necessaria est, si Natura nullam aliam viam indicaverit; cùm aliter certa & misera mors sequatur, utì §. 1188, dictum fuit.

Si autem pus ex pectore eductum bonas dotes habuerit, id est, album, læve, æquale fuerit, spissitudine ferè referens lactis cremorem, attactu pingue, nullo modo fœtens, tunc certi sumus, illud pus nullam noxam conciliasse partibus quas alluerat, humores corporis blandos esse, cùm cæteroquin in acri humorum cacochymia bonum pus nunquam, vel saltem rarissimè, fiat; de his videantur illa, quæ ad §. 387, habentur, ubi de inflammationis in suppurationem exitu agitur. Maxima vulnera consolidantur feliciter, dum tale pus adest, & perdita corporis substantia sub tali pure restauratur, & recrescit. Si ergo optimum tale pus mollissima & pulposa vasculorum extrema in vulnere non destruat, sed contrà foveat & conservet, utì in vulneris generali Historia explicatum fuit, facilè patet, viscera, thorace contenta, à tali pure non potuisse lædi vel erodi; adeóque certi sumus de integritate harum partium, quod magni momenti est ad sanationem. Solus ille locus, unde pus delapsum est, ulcerosus est; verùm probatum fuit §. 207. 208. 209, per blandum tale pus separari om-

(*a*) Sixiéme Demonstrat. pag. 350.

nia, quæ consolidationem impediebant; adeóque optima spes est, quòd locus ille ulcerosus brevì ad conditionem puri vulneris reducetur, sícque consolidabitur. *Hippocrates*, qui adeo accuratus fuit in Signorum Doctrina, ex solis puris conditionibus salutem prædixit vel interitum, utì aliâ occasione ad §. 895, notavi. Sic autem habet: (*a*) *Qui suppurati uruntur aut secantur, si pus purum & album effluat, evadunt. Si subcruentum, & cœnosum, & graveolens, pereunt.* Quid designet specilli mutatus à pure color, sequenti dicetur paragrapho.

Quámvis autem bonum pus, blandus sit humor, tamen nunquam potest ampliùs sanis assimilari humoribus, sed educi debet de corpore, ut fiat sanitas. Ubi ergo quid de pure resorptum fuerit, & sanguini mistum per vasa corporis fluxerit, illud acrius reddetur, peregrino stimulo febrim excitabit (vide §. 586. *lit.* ε.), ac sitim (vide §. 636.); sanguinem tandem corrumpet, omnes functiones corporis turbabit, & putridâ diarrhœâ soluti humores exibunt de corpore, lethali ferè semper cum eventu, utì ad §. 1188, dictum fuit. Si ergo omnia hæc mala signa abfuerint, novimus, cacochymiam sanguinis purulentam nondum adesse, & si levis febricula atque aliqua sitis adfuerint, evacuato autem pure hæc statim minuantur, ac brevì cessent, optima spes est sanationis. Tunc enim quidem aliquid purulenti resorptum fuit, sed poterit facilè elui de sanguine per decocta illa vulneraria abstergentia, præcedenti paragrapho laudata, & ducto fomite purulento non ampliùs communicabitur sanguini similis labes. Optimè hoc notavit *Cælius Aurelianus* dicens, (*b*) *Communiter autem, sive universim dicendo, quod Græci catholicon vocant, omnium vomicarum, vel eorum qui iis afficiuntur, salutarem intelligimus ductum fore, si post eruptionem factam febres cessaverint, & magis extemplo vel eâdem die: siti quoque recedente, atque perfecto appetitu cibi, ventris quoque officio parva atque congesta reddente; ipsius etiam puris albedo, atque eodem colore apparente.*

Si verò febris, educto pure, maneat eadem, nec redeat functionum corporis integritas, tunc novimus degenerasse jam totum sanguinem in cacochymiam non emendabilem & periturum esse ægrum. Interim tamen, vel nunquam, vel rarissimè saltem, illud contingit, ubi pus optimæ notæ eductum fuerit.

Aeris autem ingressus præcavetur, quantùm fieri potest: quamdiu enim tota puris quantitas nondum evacuata est, impossibile est, omnem aerem arcere inter deligandum vulnus; sed tunc curandum est, ut aer satìs calidus sit, ne insolitum frigus thoracis viscera sentiant. Quomodo autem, post evacuationem puris integram, excludendus sit aer ex thorace, & quænam requirantur tunc cautelæ, ut denuo ingredi pectus nequeat, dictum fuit in curatione *Vulnerum Thoracis* ad numeros hîc citatos.

(*a*) Aphorism. Sect. VII. n°. XLIV. Charter. Tom. IX. Part. II. pag. 315.

(*b*) Morbor. Chronicor. Lib. V. Cap. X. n°. CXIII. pag. 590.

§. 1193. SI pus fuſcum, ichoroſum, fibrillis miſtum, fœtidum, ſpecillum inſtar ignis colorans, ſubcruentum, uno impetu totum effluens, prodit, ſummum periculum & mors, vel phthiſis.

Recenſentur hîc ſani puris, degenerantis in ſaniem vel ichorem, ſigna: cùm autem pus tunc ſemper ſimul acrius fiat; partes, quas alluit, eroduntur, & ipſa ſolida, fibrillarum inſtar, in pure educto natant, dántque ſignum certum viſcerum integritatem læſam eſſe, adeóque parùm ſpei ſupereſſe, cùm ab aeris acceſſu putredo jam incepta augeatur citiſſimè. Fœtor autem peſſimum ſignum dat, cùm pus bonum omnino inodorum ſit, & magnæ jam putredinis indicium eſt. Obſervatur autem, quòd ſpecilla, argentea inprimis, tingantur iridis variegato colore, qualem & ab igne acquirere ſolent, ſi humoribus putreſcentibus, vel jam putridis, immergantur. Vidi aliquoties, in iſchuria diu retentam urinam, & jam ferè putrefactam, catheterem argenteum, per quem emittebatur, tali colore infeciſſe. Omnia hæc notaverat *Hippocrates* dicens, (*a*) *Quibus dum concutiuntur, pus cœnoſum & graveolens prodit, plerumque pereunt. Quibus à pure ſpecillum coloratur, velut ab igne, plerumque pereunt.*

Subcruentem ſi fuerit pus, pariter pro malo omine habetur; quia inde concluditur vaſa eroſa ſanguinem exſtillaſſe, puri miſcuiſſe. Interim tamen notatum hoc eſt, quòd ſanguis cum pure prodiens tunc tantùm malum det ſignum, quando ipſi æqualiter permiſtus eſt, non verò ubi ſtriæ quædam ſanguineæ in pure conſpiciuntur. Dum enim pus per aperturam thoracis exit, recentis vulneris cruenta labia præterlabitur, & facilè quid ſanguinolenti ſecum defert. Hoc toties apparet, quando abſceſſus, in externis partibus corporis hærentes, lanceolâ aperiuntur; cutis enim vaſa diſciſſa ſanguinem miſcent puri erumpenti, ſed non æquabiliter, cùm ſanguis ex vaſis elapſus ſtatim in concretionem tendat; hinc ſtriatim per pus diſpergitur. Unde intelligitur ratio, quare *Hippocrates* dixerit, ubi de empyemate agit, (*b*) *Signum verò, an ſit evaſurus æger, eſto, ſi pus album ac purum fuerit, fibræque ſanguinis inſint, ut plurimùm convaleſcit.*

Antea autem jam monitum fuit, periculoſam eſſe puris ſubitam & totalem eductionem. Si ergo pus in thorace contentum malas omnino dotes habuerit, cita mors, ob ſubitò auctam admiſſo aere putredinem, exſpectanda eſt, vel ob tabefactum pulmonem phthiſis immedicabilis, lentiùs quidem, ſed certò tamen, mortem inducens.

In priori paragrapho omnia ſigna bona enumerata fuerunt, quæ ſi adſint cuncta, magna ſpes eſt, ægrum ſuperſtitem fore; & contrà, ſi omnia ſigna, hâc paragrapho enumerata, appareant. Verùm quandoque occurrit, quædam ſigna bona adeſſe, & quædam mala, tunc anceps eventus erit; neque

(*a*) Coacar. Prænot. ccccix. ccccx. Charter. Tom. VIII. pag. 876.

(*b*) De Morb. Lib. II. Cap. xvi. pag. 569.

certa salus prædicenda tunc, neque tamen desperandum. Casus legitur apud *Brunnerum* (*a*), qui ex thorace empyici libras duodecim materiæ subrufæ intra triduum emisit, adeóque pus jam degeneraverat à bona sua indole; sed tamen nondum arroserat thoracis viscera, quæ videntur integra mansisse: hinc nullum symptoma supervenit, & quinto jam ab Operatione die incepit esurire, pulsum, & respirationem inprimis, liberiorem habuit, noctu dormivit, urinam sanorum similem reddidit, & ad miraculum usque convaluit. Prudenter hinc *Hippocrates*, postquam & bona & mala signa suppuratorum enumeraverat, addit, (*b*) *At quibus aliqua ex prædictis accesserint, aliqua non, horum aliqui pereunt, aliqui multo tempore servantur.*

§. 1194. SI exesum fuerit mediastinum, aperto thorace, sæpe subitanea suffocatio.

Pus in tali casu vel tam copiosum fuit in pectore, ut premendo dilaceraverit mediastinum, vel adeo acre, ut erodendo sibi viam fecerit ad alterum thoracis cavum; hinc uterque pulmo comprimitur, & suffocationis periculum instat. Dum autem in tali casu paracentesis instituitur, metus est, ne aer, puris aliquâ copiâ effusâ, libere irruat in utrumque thoracis cavum, sícque inspirationem impediat. Conferantur illa, quæ §. 170, habentur ad numerum quartum de vulneribus latis utramque cavitatem thoracis, cum admissu aeris, perforantibus. Satis autem patet, illud vix contingere posse, nisi empyema jam vetus fuerit, & pus magnam acquisiverit acrimoniam.

§. 1195. SI empyema vetus, vires collapsæ, capilli jam cadant, alvi fluor colliquativus adsit, corpus contabescat, paracentesis facta mortem accelerare solet.

Certò enim ex his signis novimus, pus jam acre redditum esse, sanguinem putridâ cacochymiâ corruptum, atrophiam consummatam; adeóque tunc suo fato relinquendus talis æger, & sola cura palliativa locum habet. Si enim perforetur thorax, tabefactus pulmo, qui à pure collecto adhuc sustinebatur, diffluit illico, & subitò moriuntur ægri. Sic & utilis hæc Operatio vituperium patitur, & Medici famæ turpis nota inuritur, dum creditur occidisse ægrum, qui servari non poterat.

(*a*) Glandul. Duod. seu pancreas secundar. Cap. IV. pag. 84.

(*b*) Coac. Prænot. CCCCII. Charter. Tom. VIII. pag. 876.

FINIS TOMI TERTII.

Typis H. L. GUERIN.

